


6
9-A 11
8
6
17 0
24



HISTORIA REI LITERARIÆ ORDINIS S. BENEDICTI,

IN IV. PARTES DISTRIBUTA.

OPUS

ERUDITORUM VOTIS DIU EXPETITUM,

AD

Perfectam Historiæ Benedictinæ Cognitionem summè necessarium, & universim omnibus bonarum Artium Cultoribus non utile minùs, quàm scitu lectúque jucundum,

A

R. P. MAGNOALDO ZIEGELBAUER,

O. S. B. Theologo Presbytero, &c.

Ichnographicè adumbratum,

RECENSUIT, AUXIT, JURISQUE PUBLICI FECIT

R. P. OLIVERIUS LEGIPONTIUS,

Ejusdem Instituti ad S. Martinum Coloniæ Cœnobita, SS. Theologiæ Licentiatus, & Professor emeritus, Societ. Lit. Germ. Bened. Promotor & Secretarius.

PARS SECUNDA

SPECIALIS SIVE PRINCIPALIS,

In qua texitur

Historia Artium & Scientiarum, inde ab Ævo S. Benedicti ad nostra usque tempora, per tredecim seculorum seriem apud Benedictinos excultarum.







PERMISSU SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VIND. ET HERBIPOLI,

Sumptibus MARTINI VEITH, Bibliopolæ,

ANNO MDCCLIV.



Quarum Artium ac Scientiarum disciplinas Majores nostri præcipuo studio excoluerunt, illarum nescire Historiam nulla velit Posteritas, nisi quæ deses ac degener earundem cultum postremo habet loco; cor enim Amantis notitiam semper quærit Amati; qui autem quærere neglexit, profectò non amavit.

Fluxerunt hæc verba non tam ex TRITHEMII *calamo, quàm ex communi sensu & experimento.*

CELSISSIMIS,
REVERENDISSIMIS AC ILLUSTRISSIMIS
S. R. I.

PRINCIPIBUS,

PRÆLATIS ET ABBATIBUS,
O. S. B.

D. AMANDO

PRINCIPALIS, IMMEDIATÆ ET CATHEDRALIS
ECCLESIÆ FULDENSIS EPISCOPO,
ABBATUM PER GERMANIAM ET GALLIAM PRIMATI,
AUGUSTISSIMÆ ROM. IMP. ARCHICANCELLARIO...

D. ENGELBERTO

S. R. I. PRINCIPI, ABBATI CAMPIDONENSI,
D. AUGUSTÆ ARCHIMARESCHALLO...

D. CASPARO

CORBEIÆ SAXONICÆ ANTISTITI,
S. R. I. PRINCIPI..

ET RELIQUIS
PER GERMANIAM
FAMILIÆ BENEDICTINÆ PRÆSTITIBUS,
REIPUBLICÆ FULCRIS,
SUMMISQUE REI LITERARIÆ ARBITRIS
ET SOSPITIBUS...

DOMINIS, DOMINIS
GRATIOSISSIMIS.

UT
NOSTRIS CONATIBUS,
BONARUMQUE ARTIUM STUDIIS,
ET LITERARUM FELICITATI
CLEMENTISSIME ADSPIRENT,
AC
NOBILE SOCIETATIS LITERARIÆ
GERMANO-BENEDICTINÆ
INSTITUTUM
AUSPICIIS, DIGNITATE, FAVORIBUS, PRÆSIDIIS
FIRMENT, PROVEHANT ET ILLUSTRENT;
ALTERUM HOC
HISTORIÆ LITERARIÆ BENEDICTINÆ
VOLUMEN,
VELUT PUBLICUM
HONORIS, MEMORIÆ, CULTUS
ET VENERATIONIS PERPETUÆ
MONUMENTUM,
NOMINE SENATûS ACADEMICI
D. D. D.

SORTE INFIMUS
P. OLIVERIUS LEGIPONTIUS
INSTITUTI PROMOTOR.

III. NONAS OCTOBRIS
A.R.S. CIϽ IϽ CCLIV.

PRÆFATIO.



PRÆFATIO.



Ostquàm Parte primâ *Præliminari* generalem Historiæ Literariæ Ordinis S. Benedicti exhibuimus ideam, en Tibi *Lector optime!* alteram ejusdem sistimus Partem *Specialem* sive *Principalem*. Continet illa omnium & singularum penè Scientiarum, Artium, & Disciplinarum historiam, quæ inde ab ipso Sanctissimi Patriarchæ BENEDICTI ævo ad nostra usque tempora per tredecim Seculorum seriem apud Benedictinos excultæ fuerunt. In hac verò adornanda quid præstiterimus, quibusque rationibus usi fuerimus, ex ipsius magis tractationis lectione, quàm ex longa Præfatione disci præoptamus, cùm singulorum Capitum ea sit conditio, ut heic breviter delineari non possint. Paucis tamen introductionis loco monendus es, in eo nos omnium virium nervis fuisse occupatos, ut quantum Historiæ Literariæ Particularis institutum postulabat, plenam daremus tractationem, nec in nudis factis & Authorum nominibus recensendis soli ac jejuni distringeremur, sed judicium quoque de fatis & vicissitudinibus cujuslibet Disciplinæ interponeremus, ac præsertim ad detegendas veras systematum & opinionum origines, causas, principia, nexum, effectúsque in ipsis Dogmatibus varios respiceremus, atque posthabito omni partium & præjudiciorum studio, genuinos scientiarum inter veteres, ac medii nostrique ævi Benedictinos cultarum vultus detegeremus. Rem sanè aggressi arduam, difficilem, trepidam, & laboris plenam, sed, ut speramus, multorum judicio & authoritate confirmati, laudabilem inprimis & fructuosam, non tam Familiæ nostræ Benedictinæ, quàm universæ Reipublicæ Literariæ. Quis namque universam ritè intelliget Historiam, nisi eam, quæ ad Benedictinos pertinet, probè calleat? His enim, quòd Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ, Philosophiæ, Historiæ cùm sacræ, tum profanæ, Rei Diplomaticæ, Antiquariæ, Criticæ, atque aliarum Literarum bonarúmque artium studia fuerint exculta, & ad nos derivata non postremò in acceptis referri debet.

Neque tamen dixerim omnes & singulos Monachos, qui Benedictinum Ordinem amplexi sunt, ad omnes & singulas hasce incubuisse Scientias. Enimverò in earum studiis non indiligenter adhibenda est distinc-

tio : alia quippe ſunt *Communia*, alia *Privata*, alia *Extraordinaria.* Quam diſtinctionem qui facere prætermittit, in hiſtoria Artium & Literarum, quæ in Divi *Benedicti* Familia ſuſcipi conſueverunt, parùm ſe verſatum oſtendit, magnóque potiùs ipſe in errore verſatur. Sunt verò Studia *Communia* ſeu *Publica*, quæ pro juvenum inſtitutione coluntur, quibúſque humaniores Literæ, Philoſophia, Theologia, maximè Poſitiva, ſeu Sacræ Scripturæ intelligentia, comprehenduntur. Studia *Privata & Peculiaria* ſunt, quæ vel ſimplices Monachos, vel Monachos Presbyteros ac Superiores decent; cujusmodi cenſetur SS. Dogmatum, Canonum, Conciliorum, Patrum, Hiſtoriæ ac Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſcientia ipſorum ſtatui maximè congrua, *ne fortaſſis*, ut Caſſiodorus loquitur, * *reprehendi mereantur, quòd ſalutares Eccleſiæ regulas ignorent, quas neglexiſſe, ſcelus eſſe agnoſcunt.* Studia denique *Extraordinaria* ſunt, quæ propter Eccleſiæ, vel Ordinis, aut Reipublicæ utilitatem Monachis conceduntur. Id genus ſunt ſacra Concio, Elucubratio, Librorum verſio, Operum SS. Patrum ad manuſcriptorum fidem emendatio, rei Criticæ, Diplomaticæ, Genealogicæ, Numariæ peritia, atque hujus commatis alia. In celeberrima S. Mauri Congregatione ex tribus Monachorum millibus ad extraordinaria hujusmodi ſtudia vix triginta incumbunt, uti fidem facit *Mabillonius*, qui triplicem hanc ſtudiorum diſtinctionem contra Abbatem Trappenſem invictè aſſeruit.

Nobis verò animus hoc loco non eſt, deſignare ſcientias, artes & diſciplinas, quarum ſtudium Cœnobitis conveniat, vel etiam à Superioribus concedi debeat, ſed quâ induſtriâ ac diligentiâ illæ ab his excultæ fuerint, tradere hiſtoriam. Studuerunt olim Monachi, hodiéque ſtudent; Sed quid eſt ſtudere? Nihil ſanè aliud, quàm gravi animi contentione ad Scientiam vel Artem aliquam perdiſcendam incumbere, ſive id ſub inſtitutione Magiſtri, ſive legendo, aut Lectionem audiendo fiat: Quis enim Lectionem, quæ ſeria ſit & aſſidua, ſtudii loco haberi poſſe neget? In ea ſiquidem præſtantium Virorum ſtudium propriè reſidet; quibus cùm ingenium pro Magiſtro eſt, Ductore non egent, ſed ſuâ potiſſimùm operâ & induſtriâ in Scientiarum adyta penetrare, iiſque absque alieno magiſterio informari ſolâ lectione poſſunt. Haud ſecùs librorum ſcriptio, ſeu elucubratio pro ſtudio etiam accipi & poteſt, & debet. An quiſquam enim majori animi contentione Literis operam navat, atque is, qui Operi, quod Cleanthis lucernam oleat, & *demorſos ſapiat ungues*, in lucem publicam emittendo diu noctúque inſudat? Quando igitur narrationem de Monachis Benedictinis inſtituimus, qui ſe ad libros argumenti Theologici, Juridici, Philoſophici, Hiſtorici, Diplomatici, Genealogici, ſeu legendos, ſeu ſcribendos dederunt, quidni ſtudii Theologici, Juridici, Philoſophici &c. à Benedictinis exculti, aut pertractati Hiſtoriam teximus, & adornamus?

Nolim verò, ut quis exiſtimet, hæc à Nobis ad decus, faſtum, aut inanem pompam, à qua Monachos longiſſimè abeſſe decet, ſcribi, aut promulgari; non, inquam, domeſticæ eruditionis ac doctrinæ oſtentatio nobis propoſita eſt, ſed verò utilitas, quam maximam ex hujusmodi ſcientiarum hiſtoriis à Sodalibus noſtris percipi poſſe opinamur. Quippe ex uſu illorum ſit, cognitum ac perſpectum habere, quæ potiſſimùm artes & diſciplinæ extiterint, ad quas capeſſendas Majores noſtri magno

* Caſſiod. Inſt. monaſt. c. 23.

magno & excellenti ingenio Viri, laborem & industriam contulerunt. Omnium verò primùm oratio nostra versabitur in *Theologiæ Positivæ* Historia; cùm in ea Monachorum doctrinæ summa sita sit, eóque omnium artium atque scientiarum, ad quas perdiscendas incumbunt, postremam lineam tendere oporteat. Ejus vestigia in ipsa Divi Patris BENEDICTI Regula non obscura occurrunt: Voluit sanctissimus Legislator, *Abbatem esse doctum Lege Divinâ, ut sciat proferre nova & vetera;* quod citra Theologiæ *Dogmaticæ* seu *Positivæ* studium non futurum est unquam. Quamdiu nobilissimæ hujus Scientiæ, quæ potissimùm in pietatem incumbit, studium in sacro Ordine viguit, tamdiu regularis etiam disciplinæ observantia perstitit incolumis; at cùm primùm neglectui haberi cœpit: protinùs *ex illo fluere, ac retrò sublapsa referri* visa est Religio Benedictina. Factum id post medium Æræ Christianæ Seculum XII. Ordinis septimum. Infelicem Epocham! quâ *Virtus & Doctrina*, quæ magno Ordinis bono multis seculis cohæserant, dissociatæ notantur. Ubi verò primùm Monasteria & Congregationes *Theologiam Positivam* sub signa revocârunt, disciplina etiam monastica postliminio rediit. Testimonium ferunt post Congregationes *Casinensem*, *Bursfeldensem*, *Vallisoletanam*, *Castellensem*, *Mellicensem &c.* Duæ hodiedum florentissimæ, Prior SS. Vitoni & Hidulphi in Lotharingia; altera S. Mauri in Gallia; de quibus *(Erumpat ex me vera vox!)* asseverare ausim, quòd nullo non seculo in flore sint conservandæ, si nullo non tempore in doctrina illa Theologica excolenda persistent, quæ non mentis tantum aciem collustrat, sed voluntatem etiam rerum cœlestium amore succendit, animum virtutibus exornat, atque sui studiosos in Deum rectà tendere compellit.

Quam verò *Theologiam Scholasticam* vocamus, Divinæ Paginæ fundamento innixa iter ad veritatis adyta complanat, hostium cuneos animoso pectore perrumpit, résque Divinas certiore methodo exponit: unde quantò Sciolis quibusdam ac maximè hæreticis, & fidei orthodoxæ inimicis exosa habetur, tantò majore in pretio & amore Sodalibus nostris esse convenit. Ejus verò incunabula in Beccensis Monasterii Academia sub sanctissimis juxta ac doctissimis Magistris LANFRANCO & ANSELMO reperturi sumus. Paulò pòst PETRUS ABÆLARDUS S. Dionysii in Francia Monachus eandem publicè, sed infelici sidere docuit; ùt qui cupidine laudis abreptus, cùm Theologorum vulgo receptis opinionibus adhærere vile existimaret, omnem spem laudis in novitate doctrinæ collocabat. Erat siquidem ingenio acri & acuto, sed cui nimium confidebat. Argumenta magis ex humana ratione, quàm ex Divinis Literis, omnis Theologiæ fontibus, eruebat. Nec ab inutilibus & umbraticis quæstionibus excitandis sibi temperavit. Utinam verò non ejus exemplo multæ futiles, minùs necessariæ, nimium implexæ ejusmodi quæstiones, magno temporis dispendio, nullo discipulorum fructu vel hodie à Professoribus in Monasteriis traderentur! Unde nostrâ ætate Eminentissimus quidem Cardinalis * pro eo amore, quo sacrum Ordinem nostrum prosequitur, Abbatibus nonnullis utiliorem tradendæ Theologiæ Methodum suggessit.

Sequitur *Theologia Polemica*, in cujus historia vel potiùs farragine, frequentes nostrorum cum Schismaticis, Hæreticis, Judæis, Saracenis, iisque Catholicis, qui Summo Pontifici de sua authoritate & infallibilita-

* Vide pag. 114. hujus Hist. col. 2.

re litem moverunt, pugnæ, velitationes, & certamina cursim enarrantur. Præprimis illustris est eorum Theologia, qui per quatuor Secula Ecclesiæ Catholicæ Doctrinam de Ss. Eucharistiæ Sacramento intrepidè propugnàrunt, atque *Berengarii*, ejúsque sequacium assultibus cùm scripta, tum disputationes objecerunt.

In *Theologiæ Moralis* seu *Practicæ Historia* primùm ostenditur, quàm periti, strenui, ac intrepidi conscientiarum arbitri fuerint, qui è Nostris Sacramentum Pœnitentiæ Imperatoribus, Regibus, aliisque Viris Principibus, & cum fructu, qui maximus erat, administràrunt. Tum quantam adhibuerint diligentiam, ut tam docendo, quàm scribendo sanam, integram, minimèque laxam de conscientiæ casibus traderent doctrinam. Denique quæ eorum mens sit de *Probabilismo*, quique eidem nuntium remiserint, & quàm utilem Ecclesiæ ac Reipublicæ navàrint operam, qui nascentes ejusmodi hydras, & monstrosa doctrinæ moralis capita tot ante seculis incognita, stylo suo gnaviter confoderunt. Auximus hoc Caput integrâ Dissertatione *de Theologia Mystico-Ascetica*, cui cœlesti Disciplinæ uti meritò debemus primas, ita portento simile nobis visum est eam ab Authore nostro fuisse prætermissam. Hoc argumentum uti diffusum ac infinitæ propemodum lectionis, ita novum nobis laborem ab eo, quem susceperamus, satis diversum facessivit. Istud verò eatenùs dedimus elucidatum, quatenùs per festinationem preli quotidianum pensum exigentis licuit, & librorum curta supellex permisit. Quò minùs mirentur, qui legent, si alicubi hæc nostra sterilescat narratio, nudáque Scriptorum nomina seriem jejunè impleant.

Historia *Jurisprudentiæ Canonico-Civilis-Publicæ* tum Universalis cùm Ecclesiasticæ, ac etiam Imperii Romano-Germanici ab iis Benedictinis orditur, qui vel Ss. Canonum collectiones instituerunt, vel in eos commentaria scripserunt, vel in scholis eosdem è cathedra explanàrunt. Inter hos eminet GRATIANUS, qui Ss. Canonum Ordinem & Concordiam molitus, ex iis scientiam seu specialem quamdam disciplinam, maximo Ecclesiæ bono, constituit. *Nicolaus* verò *Tedeschus* Abbas Panormitanus inter Juris Ecclesiastici interpretes summum gloriæ fastigium tenet. Ex merito etiam commendantur celebriores sacræ Themidis cultores, qui Jus Ecclesiasticum interpolatis temporibus suis Commentariis illustràrunt.

In *Juris Civilis Historia* ad ea, quæ illius inter nostros cultum respiciunt, unicè intendimus, eósque præ ceteris celebramus, qui Leges Wisigothorum in Hispania, Formulas Legis Salicæ & Ripuariæ in Francia, Capitularia Regum Francorum, Legésque Longobardorum & Angliæ Regum collegerunt, aut Legum Romanarum jura medullitùs rimati sunt. Progredimur inde ad illos, qui Jus Naturæ & Gentium, tum etiam publicum Ecclesiasticum ac politicum Imperii Romano-Germanici in disciplinæ methodicæ formam coëgerunt, scriptísque suis elucidàrunt. Ubi protestantium hac in re errores, & malesuada Pseudopoliticorum tentamina perstringimus, eorúmque ratiocinia, hypotheses & systemata *fulgere quidem vanitate, sed frangi veritate* ostendimus. Quas ego lacinias *(quod præfiscinè dixerim)* substrato *Ziegelbaueri* panno solidas intexui.

Hunc è menfi campum ad eas digredimur facultates & disciplinas, quæ sublimioribus istis Scientiis ancillari censentur. Quam in classem referuntur *Philosophia*, *Ethica*, *Medicina*, *Chimia*, *Mathesis*, *Musica*, aliæque

artes

artes sibi maximè affines; quarum Historiam eatenùs teximus, quatenus illas in Monasteria nostra secessisse compertum nobis est. Primùm itaque ad cancellos nostros revocamus *Philosophiam*, cujus studium in Ordine Benedictino perantiquum habetur. Initio autem non *Aristotelis*, sed *S. Augustini* Dialecticam tradere consueverunt. Quid? quòd Aristotelis doctrinam multis Seculis repudiàrunt, quæ tandem eisdem Seculo XI. & maximè XII. venerationi esse cœpit. Hanc contra *Petrum Ramum* JOACHIMUS PERIONIUS strenuè defendit. Docuerunt nostri in Academia Parisiensi, in qua triplex Philosophiæ tradendæ methodus obtinuit: *Una simplex & antiqua, altera peripatetica, tertia phantastica & garrula; prima bona, secunda tolerabilis, tertia vitiosa.* * Non ita pridem quidam in Cartesii castra migràrunt, alii Eclecticam adoptàrunt, Scholasticam alii futilitatis causâ eliminandam contendunt.

Inde ad melioris frugis Philosophiam, *Moralem* nempe seu *Ethicam* gradum facientes, ejus studium maximè Monachos decere ostendimus, ut quæ de virtutibus & vitiis, omninóque de bono & malo disserit, ac Regulas benè vivendi intuitu humanæ æternæque felicitatis præscribit. Ab Ethica ad *Medicinam* pergimus, in cujus Historia quid in ea Divinum se prodat, quibusque de causis impulsi Majores nostri ad hanc excolendam artem sese applicuerint, strictim commonstramus. Certè in ea quidam ita excelluerunt, ut in Regios Archiatros subinde cooptati fuerint Maximæ etiam laudi iisdem tribuitur, quod Academiam *Salernitanam*, præcipuam olim Medicorum Scholam, vel instituerint, vel certè quidem instauraverint Quia verò cum arte Medica amicè conspirat *secretior Philosophia* seu *Chimia*, de hac rectò ordine agimus eò maximè, quòd sub ipsa barbarie in Monasteriis asylum quæsiisse, diúque illic latuisse dicatur. In Monachis tamen non probandum, quòd Alchymiæ studio vacent, rationibus & exemplis docetur. Ex *Mathematicis* disciplinis quatuor, quas *Quadrivium* vocant, *Arithmetica, Geometria, Astronomia, & Musica*, in scholis Benedictinis tradebantur. Cæteris addiscendis, *quas* (verbis utor D. Augustini Libr. 6. in Hexameron) *multi Sancti nesciunt quidem, & qui etiam sciunt eas, sancti non sunt,* Majores nostri nullam ferè operam impenderunt. Ut autem ex sterili ad mores segete aliquod etiam animis pabulum suppeditemus, paucis indicamus, quid ex iis sese in actus nostros diffundat

Jam verò quantum studii ac laboris in *Historia* seu *Ecclesiastica* seu *Profana ac Civili*, sive *Monastico-Benedictina* Sodales nostri posuerint, quid hîc multis explicemus? Quanta eorum vel sola illa laus, quod in Ecclesia Catholica præcipui fuerint *Hagiographi, Martyrologiorúmque Scriptores ac quasi Patriarchæ?* Quanta doctrinæ ac eruditionis æstimatio, quòd à Regibus Angliæ, Galliæ, Germaniæ, Hispaniæ, cæterísque Viris Principibus delecti fuerint, ut earum res præclarè gestas literis consignarent? Quantum decus & encomium, quod *Clemens XI.* Pontifex Max. Literarum Patronus ac Literatorum, si quis alius, longè peritissimus æstimator, *Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti* piè ac disertè explicata, *Annales* verò *Benedictinos* magnâ eruditione conscriptos, ex animo gratulatus fuerit?

Laudem fert maximam in Historia *Studii Diplomatici* JOANNES MABILLONIUS, qui omnium primus certas tradidit regulas, quibus res Diplomatica, arduum, vastum, salebrosum, nullísque antehac legibus subjectum argumentum, ad Artem, obstupescente Literario orbe, feliciter redacta fuit.

* Bulæus Hist. Univ. Parif.

Mabillonium æmulatus eſt ejusdem Congregationis ſydus illuſtre BERNARDUS DE MONTFAUCON, in ſua *Palæographia Græca*, quam eo potiſſimùm edidit conſilio, ut ad ritè dignoſcendam Græcorum Codicum ætatem, facilémque eorundem, uti & Diplomatum lectionem, manu quaſi duceret. Sigillatim verò rem Diplomaticam in Hiſpania colluſtravit *Joſephus Pereſius*, in Italia Em. Cardinalis *Quirinus*, in Germania *Philibertus Hueber* Mellicenſis Archivarius; quem tamen longis, quod ajunt, paraſangis anteivit Illſtriſſimus Abbas Gottwicenſis GODEFRIDUS BESSELIUS, qui & Mabillonium quoad eam Rei Diplomaticæ Germanorum partem, quæ tempora excepit Carolingica, ſupplevit, & tale Nominis ſui ſtatuit Monumentum

quod nec Jovis ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.

Quia autem ſine *Artis Criticæ* uſu ſolidi nihil in Re Diplomatica, aut in accurandis veterum Scriptorum editionibus præſtari poteſt, de hac conſecutivè agimus ejúsque ſtudium in Ordine Benedictino jam dudum viguiſſe, hodiéque vigere cùm argumentis, tum exemplis comprobamus. *Studii* porrò *Antiquarii* exordia à Divo Patre BENEDICTO, Ordinis Fundatore, repetimus, hujúsque alumnos deinde eidem maximo Eccleſiæ Catholicæ & Reipublicæ Literariæ commodo ſolertiùs inſudâſſe oſtendimus. *Felix labor*, inquit Caſſiodorus, * *laudanda ſedulitas, manu hominibus prædicare, digitis linguam aperire, ſalutem mortalibus tacitam dare, & contra Diaboli ſurreptiones illicitas calamo, atramentóque pugnare. Tot enim vulnera ſatanas accipit, quot Antiquarius verba deſcribit.*

Colophonem huic circulo imponit *elegantioris Literaturæ ac Philologiæ* Hiſtoria, in qua primùm ejus in Ordine Benedictino antiquitatem, tum progreſſus & decrementa, deinde inſtaurationes, ac hodiernum earum cultum ſuccinctè exponimus, atque ut Superioribus noſtris in memoriam revocemus, quanta ipſis impoſita ſit neceſſitas inſtituendi ſuis in Cœnobiis ſtudii linguarum, *quas eruditas* vocant, Summorum Pontificum & Congregationis de propaganda fide Decreta hac de re in medium adducimus.

Harum autem Artium atque Scientiarum Hiſtoria cùm à nemine uno Noſtrùm eo ritu ſit hactenus pertractata, fieri non poteſt, quin multis adhuc tenebris ſit obſita, magnámque rerum copiam ac varietatem, quæ nos fugiunt, ambitu ſuo complectatur. Quare deterruit me interdum, non diffiteor, ab incœpto difficultas, & ſtatim ac comperi, quantum Ziegelbaueriana narratio à laude perfectæ numerísque omnibus abſolutæ Hiſtoriæ abeſſet, debilitari & langueſcere induſtria cœpit: ſed revocavi meipſum, & fluctuanti ſtimulos mihi condidit in pectore, illud Aſcræi vatis memoriæ occurrens: *Dimidium plus toto.* Quod ego ita interpretabar: *Eum de Hiſtoria Rei Literariæ Benedictinæ plus mereri, qui rudem, inchoatam, & dimidiatam narrationem in lucem proferendo periculum exiſtimationis, doctrinæ ac eruditionis facere velit, quàm qui perfectæ, integræ atque ad amuſſim exaſciatæ hiſtoriæ laudem reportaturus aſſiduò meditetur, ſcrutetur, & cunctetur, nihil verò unquam poſt graves eásque aſſiduas vigilias cum Literato orbe commnicet.*

Quam igitur trado Artium & Scientiarum in Ordine Benedictino Hiſtoriam à Cl. P. *Magnoaldo Ziegelbauer* adumbratam, non pro ultimo abſolutóque conatu, ſed pro primo conceptu haberi velim. Laudis ac glorioſæ cupidus ſi fuiſſem, ea certè cupiditas magna mihi cauſa ad hanc lucubrationem diutiùs premendam magísque elimandam extitiſſet. Verùm cùm fide ſemel datâ

* Caſſiod. cap. 30. Inſt. Div.

datâ, mihi integrum vix fuerit Editionem differre, malui Opus date imperfectum, quàm suppressionis periculo illud exponere. Etsi verò neminem futurum existimem, qui laboris mei & operæ rationes exigat, ut meo tamen nomini consulam, & aliorum obsequar curiositati, facere non possum, quin paucis edisseram, quid hac in parte præstiterim.

Ac primùm quidem operam dedi, ut animadversionibus, notis & auctariis hinc inde textui per decursum inspersis, Historia ipsa integrior, atque ubi manca vel hiulca erat, suppleta & meliorem in ordinem adducta prodiret. Parem diligentiam in addendis ad oram paratitlis adhibui, quæ in prioribus foliis, me inadvertente, prætermissa advertet Lector. Maximè autem studiosè desudavi in præmittendis ad singula ferè capita introductoriis seu proëmiis, quæ in sequentibus lumen accenderent, sine quo ne palpare quidem in historia cujuslibet disciplinæ licet. Oculum etiam, quantum res poscebat, illuc intendi, ut ampliorem materiam in Sectiones & Periochas dispescerem ordinatiùs elucidandam. Neque porrò injuriam piis Authoris manibus me fecisse spero, si quosdam errores, in quos lapsus erat, obelo notavi, aut planè sustuli. Quæ verò vel ob inadvertentiam *(nam facilè hic etiam lynceos aliquid oculos subterfugit)* vel ob pressas jam typo plagulas emendari aut interseri non poterant, eorum loca in fine paginæ vel indicavi, aut alibi copiosiùs adduxi, ut Lectori occasio pateat in vexatæ quæstionis adyta penetrandi. Quamvis autem non omnes *Magnoaldi* sententias & opiniones facere velim meas, rarò tamen in spongiam incubui, nisi rerum faciem paulò accuratiorem & genuinam dum delineavi, necesse fuit, ipsa interdum Authoris cogitata dimittere aut refundere, vel fluitantia reddere certiora. Id quod haud gravatim ferent, quibus veritatis cura rebus omnibus potior est.

Cum autem per tot insipidæ scriptionis squalores, per tot senticeta nobis eundem fuerit, dabit veniam Lector, si in tam densa sylva non omnes excusserimus feras, aut nævos assecuti non fuerimus, vel ipsimet interdum lapsi simus. Multo enim plura quàm me præstiturum aut sperâssem, aut cuiquam pollicitus essem præstita esse comperient, & fateri debebunt, qui me nullis sumptibus, nullis curis & laboribus pepercisse nôrunt, ut Opus quàm emendatissimum ornatissimúmque in manus hominum perveniret. Sed quamvis nihil quicquam, quod ad id ornandum pertineret, omiserim, non ita tamen mihi sussenus esse velim, ut illud pro Phidiæ statua, *quæ simul & perfecta & probata fuit*, agnosci cupiam: quin ipse potiùs *Truncum nondum satis edolatum* appellem, è quo tamen si Statuarii longè me peritioris manus accesserit, *Mercurius* non admodùm inelegans formari queat. Est hæc Historia campus amplissimus, in quo virtus Eruditorum quamcunque etiam profiteantur disciplinam, excurrere potest. Hìc seges est & materia gloriæ, quâ nullus defraudabitur, & qui messem facit, & qui spicilegium instituit. Omnes heic, uti de reliqua Historia, benè merendi occasionem habent, & qui incognita docent, & qui obscura illustrant, & qui perperàm dicta emendant, vel omissa suppeditant. Quocirca Sodales nostros iterùm iterúmque rogatos volumus, ut quæ prima solùm hìc duximus lineamenta, ipsi collatis inter se studiis & symbolis decentet suis coloribus & pigmentis adornent, atque ad longè majorem perfectionem adducant.

In hoc interim conatu cordatè nos versatos fuisse ultrò fatebitur, qui viderit omnia referri stylo simplici sine verborum phaleris aut cerussis: Historia namque quò vetior, eò magis amat simplicitatem, hoc ipso cultior, quo minus artificio exculta, & pigmentis incrustata. Quantò remotior ab eloquen-

quentiæ illecebris, tantò puram magis & incomptam fidem præfert. Majori nobis curæ fuit veritatis studium, quàm sermonis nitor & elegantia. Non bene historiam scribit, nisi qui verè scribit. Anima Historiæ veritas est: Tolle veritatem, quid superest nisi sceleton? At enim veritas non ubique in amoribus & deliciis habetur: Enimverò cùm facile sit Crabrones excitare, sæpiùs Scriptori nocuit vera chartis illevisse. *Dura itaque est*, inquit Mathæus noster Parisiensis, * *conditio Historiographorum; quia si vera dicant, homines provocant; si falsa scripturis committant, Dominus, qui veridicos ab adulatoribus sequestrat, non acceptat.* Quid igitur nobis hic faciendum? Obsequemur nimirùm Ciceronis Consilio, qui primas Historici leges esse docet: ** *Ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, neque simultatis.* Utùt igitur cætera ornamenta ab isthac Historia sint absfutura, certè quidem decor Veritatis non est abfuturus. Oratio nostra satis ornata erit & splendida, si vera erit; Ornatissima verò & cultissima, grande licèt cothurnatúmque aliquid personet, quod & impleat aures, si tamen falsa, rerum prudentibus nunquam arridebit. Nundinamur legentium fidem mercibus justis atque sinceris, non fucatis & corruptis. Utinam Familia Benedictina non habuisset, neque haberet Abbates & Monachos ullos vel literis parùm tinctos, vel otiò, luxu, desidiâ, & vitiis diffluentes! Nos certè auderemus, quòd *Leontius* ille Gorgias, qui se ad omnia, de quibus quisque audire vellet, esse paratum denunciabat. Ast istorum studia, aut gesta memoriæ si prodenda sunt, num alios in scenam homines producere licet, atque ipsi fuerunt? Num larva ipsis Doctrinæ & Eruditionis aut Virtutis inducenda est? Num palpum illis obtrudendum, atque omnia eorum facta encomiis mactanda, ita ut historiæ fidem detrahi nemo non intelligat & criminetur?

At, inquis, *Abbatum & Monachorum inscitia atque desidia Ordini Benedictino haud ulli est ornamento, sed probro magis ac dedecori.* Ita est, fateor. Sed quid? Ac si verò sola Familia Benedictina tam propitiâ uti fortunâ deberet (*quod nulli Ordini ac Statui unquam hactenùs contigit, vel in posterum continget*) ut in suis alumnis non ullos numeret, qui à Majorum Doctrina, Virtute & industria plus latum unguem non aliquando deflectant. Ut autem intimo quodam animi sensu permoti in viam quasi redeant, séque Majorum exemplo ad Studia monastica solertiùs excolenda excitent, præsentes historiæ ipsis incitamento esse & possunt & debent. Sanè & mihi & Sodalibus nostris non postremâ curâ providendum est, ne, ut Antecessoribus nostris pulcherrimum fuit, tantam nobis *Doctrinæ & Virtutis* gloriam relinquere, sic nobis etiam turpissimum sit, eam non pari studiò ac diligentiâ excultum ire. *Palma heic in medio posita est, qui potest capere capiat.*

* Hist. Angl. ad A. 1254. pag. mihi 896.
** Cicero Libr. 2. de Orat.



ELEN-





ELENCHUS
CAPITUM & SECTIONUM
PARTIS II.

Quæ

Complectitur Historiam Literariam O. S. B. strictè dictam, adeóque Historiam Artium & Scientiarum, ab ævo S. Benedicti ad nostra usque tempora per Seculorum seriem apud Benedictinos excultarum, hoc ordine:

CAPUT I.

Speciatim pertractatur Historia Theologiæ cùm Positivæ, tum Scholasticæ, Polemicæ, Moralis & Mysticæ.

CAPUT II.

Historia Jurisprudentiæ Ecclesiasticæ, Civilis & publicæ præsertim Imperii Romano-Germanici. pag. 220.

CAPUT III.

Historia Philosophiæ, Ethices, Medicinæ, Chimiæ, Matheseos, Musicæ, & aliarum Artium. pag. 262.


SECTIO




Caput IV.

Caput V.

Caput VI.



HISTO-



HISTORIÆ REI LITERARIÆ ORDINIS S. BENEDICTI

PARS SECUNDA.

CAPUT PRIMUM.

HISTORIA THEOLOGIÆ CUM POSITIVÆ, TUM SCHOLASTICÆ, POLEMICÆ, ET MORALIS.

SECTIO I.

HISTORIA THEOLOGIÆ POSITIVÆ.



HEOLOGIÆ, seu, ut D. Thomas illam appellat, *Sacræ Doctrinæ* studium ut in Ordine nostro antiquissimum fuit, ita primas semper partes tenuit Quid enim Divo Benedicto majori unquam curæ fuit, aut esse debuit, atque ut alumni sui divinarum rerum cognitionem assequerentur? Cùm verò Theologia alia sit *Positiva*, alia *Scholastica*, alia *Polemica*, & alia *Moralis*, ut de Mystica nihil dicam, nostrarum est partium, cujusvis tradere Historiam.

Ut igitur de Theologia Positiva primò dicam, ea est, in qua verum non jam disputando inquiritur, sed quæsitum & quasi positum constitutúmque discitur, ac duabus tanquam præcipuis partibus constat, divinarum explanatione Scripturarum, ac fidei dogmatum cognitione, utráque hausta ex Patrum variâ multiplicíque lectione, cui Conciliorum, Traditionum, & antiquitatis, ecclesiasticæ præsertim notitia superadditur. Nihil verò Majores nostri antiquius habuêre, quàm ut præclarissimæ atque omnium utilissimæ hujus scientiæ studio totâ animi contentione se addicerent. Sanè Dominus Jolius Ecclesiæ Parisiensis Canonicus, virtute juxta ac doctrinâ celebris in suo Tractatu * *Des Ecoles* scribere non dubitavit: „ Videri, quòd inter primarios fines, „ quos sibi in Regula præfixerit Divus „ Benedictus, hic unus fuerit, studium „ scilicet Scripturarum sanctarum, „ certò arbitrans hujusmodi exercitium fontem esse, atque sustentaculum totius Christianæ pietatis: In „ quo ad amussim veterum Orientis „ Monachorum videtur sequutus fuisse exemplum, quorum potior pars „ de Seculo, & Mundo in solitudinem „ se

* Apud Mabillon. Tract. de Stud. Monast. part. 1. cap. XI. pag. mihi 44. & apud Thom. Erhard in Gloriâ S. B. lib. 2. p. 3. c. 2. §. 4.

„ se recipiebat, nonnisi ut latiorem ibi „ campum inveniret Christianæ Phi- „ losophiæ studio vacandi. „ Unde sanctus Legislator sacræ Scripturæ laudes ubique in sua Regula prodidit, ac extulit emolumenta; modò enim eam ceu pharmacopeiam persanandis aliorum malis, modò ceu scaturiginem veri gaudii, modò ceu rectissimam normam vitæ dilaudavit. Sine admiratione nemo locos ad calculum vocârit, in quibus S. Vir in unica Regula S. Scripturam allegat. Illam in uno Prologo decies novies adducit, in consequentibus verò capitibus si solas sententias annumeremus, quas in terminis formalibus derivavit, reperiemus minimùm supra centum quadringenas septenas. Neque unum duntaxat alterúmve S. Scripturæ locum adducit, sed potiores maximè novæ Legis. Quòd si autem illam quoque citationem deducere vellemus, ex qua S. Pater non verba, sed sensum tantùm sumpsit, forsan locos duplò plures ab ipso citatos inveniremus. Quid multis? si quis ipsam Regulam penitiùs inspexerit, sacrarum Scripturarum sententiis quasi gemmis coruscantem deprehendet. Mirum enim est, quàm concinnè, & quàm appositè S. Legislator ad suum propositum eloquia Scripturarum alleget. Vin' exemplum? Vide quæso, quàm aptè Apostolicam S. Pater exponat sententiam; * *Argue, obsecra, increpa*: Assignat enim, in quos hæc tria officia exercenda; *Indisciplinatos & inquietos*, inquit, *debet duriùs Arguere, obedientes autem & mites & patientes, ut in melius proficiant, Obsecrare: negligentes autem & contemnentes, ut Increpet, & corripiat, admonemus.* In aliis quoque Scripturis, quas creberrimè citat, facilè elucet, eas maximè in tempore suo & opportunissimè adduci. Ut manifestum planè sit, S. Benedictum illis triginta quinque annis, quibus Sublaci vixit, sacrarum Scripturarum monumentis non segniter incubuisse; cui & accessit illa scientia, quæ divinitùs ei à Spiritu sancto infusa fuit.

Sed circa S. Benedicti citationes quatuor notavit Hæftenus.** *Primum*: non adferri ab eo semper editionem Vulgatam: nonnunquam enim juxta LXX. Interpretes citat; pleraque autem ex Psalmis, juxta Romanum, quo usus, est Psalterium allegantur. *Secundum*: duarum Scripturarum hemistichia, quasi eodem loco haberentur, exemplo Salvatoris, contrahit in unum. Exemplum occurrit cap. 35. in hoc versu: *Benedictus es Domine Deus, qui adjuvisti me, & consolatus es me*: cujus prior pars ex Psalmo 118. posterior ex Psalmo 83. desumpta est. *Tertium*: ad Scripturæ loca alludens, ei tribuit, quod in ea non habetur; sic gradu XII. Humilitatis Publicanum Evangelicum dixisse ait: *Domine non sum dignus ego peccator, levare oculos meos ad cœlum.* Id tamen in Evangelio nusquam invenitur, sed tantùm: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Verùm quia S. Lucas narrat, quod à longè stans nolebat nec oculos ad cœlum levare; huc alludens S. Benedictus, ei superiora verba tribuit. *Quartum*: Per *scripturam* non semper intelligit Scripturam sacram; sed aliquid, quod ab aliquo viro sancto, aut celebri auctore scriptum est. Hoc modo accipiendum est, quod gradû XI. dicitur: *Sicut scriptum est: sapiens verbis innotescit paucis.* Quæ sententia non est in Sacrâ Scriptura, sed exitat in sententiis Xysti num. 134.

Quæ sanè singula ad arbitrium vocata manifestum præbent argumentum præclaræ scientiæ, quâ S. Benedictus in Sacræ Scripturæ arcanis eminuerit. Unde vel Abbas Trappensis,*** etsi aliàs D. Benedictum à doctrinæ præstantiâ parùm commendet, eum tamen *Scripturarum sanctarum callentissimum* fuisse non diffitetur. Et verò si animum ad illius ætatis tempora advertere (arte typographica nondum inventâ) velimus, & ipsam quam tenuit, vitæ methodum perpendere: videbimus, non tantùm Concordantiam, aliáque præsidia, quibus Sacræ Scripturæ usus facilior redditur, ad manum ei non fuisse, sed magistrum etiam inter homines, à quo illius intelligentiam consequi potuerit, defuisse. Ex quo proin docemur, S. Patris Theologiam maximi æstimare, ac velut Opus Excelsi venerari.

Jam quod SS. Patrum lectionem ac studium spectat, in eorum scriptis evolvendis non minùs versatus fuit. Quàm suaviter enim sacra ejus Regula SS. Patrum sententiis velut flosculis redolet? Et quàmvis difficile sit, **** suo quemque Patrum nomine, quibus ille

* Apud Hæften. Disquif. Monast. lib. 2. Tr. 1. Disq. 7. p. 114. col. 1.
** loc. cit.

*** Respons. ad Mabill. Tract. de Stud. Monast. cap. 7. pag. mihi 32.
**** Eibard l. c. n. 886.

ille suam operam legendo navârit, post tot añorum intervalla in medium proferre, nil tamen ambigendum, quin illorum numerus major fuerit, ac fors multi arbitrentur. De S. Basilio M. ipsemet dubitare non finit, cùm ejus libros ceu limpidissimum fontem, ex quo *omnigena bene viventium & obedientium Monachorum exempla hauriantur*, dilaudat. Eandem sententiam post Hugonem Menardum, & Benedictum Hæftenum Thomas Erhardus de S. Clemente Romano pronuntiat, ex cujus libris S. Patrem tam liberaliter bibisse refert, ut nesciat, num potiùs dicendus sit totum Caput IV. Regulæ ex illo delibâsse, an totum ad verbum transcripsisse. Idem crediderunt olim Petrus Boherius in Comentario in Regulam, & Amalarius in supplemento ad libros IV. de Divinis Officiis. At verò non S. Benedictum à S. Clemente, sed Clementis subornator Isidorus Mercator ex Regula S. Benedicti totum hoc caput accepit, uti probat Joannes Mabillonius * ad præfatum Amalarii supplementum.

An verò S. Legislator libros D. Augustini, etsi adhuc recentes legerit, malim Joannis Caramuelis, quàm mea sententiâ decisum. Affirmantibus nil oppono, & potiùs adstipulari videtur. Et quidni calculum suum adjiciat? cùm in Regula passim occurrant locutiones & sententiæ S. Augustini, ** unde colligitur, ejus studuisse lectioni. Caput Regulæ 52. agens de monasterii Oratorio, totum pene ex epistola 109. S. Augustini, nunc 211. deceptum est. Quod ait Regula cap. 48. *Certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione divinâ*, ferè iisdem verbis extat in libro S. Augustini de Opere Monachorum n. 37. Præterea quæ cap. 60. legimus de Ananiæ & Saphiræ corporali morte, judicio, quod de eadem re fert S. Doctor serm. 148. aliàs 10. de diversis planè consentiunt. Benedictus Hæftenus & apud eum Gazæus existimant, illam notam S. Regulæ periodum, quâ *vinum omnino Monachorum non esse* dicitur, à S. Protoparente desumptam fuisse ex libro S. Augustini *de moribus Eccl. Catech.* In epistolis S. Hieronymi, velut in florentissimo horto (& fors idem opineris de aliis ejus operibus) fragrantissimos cœlestis doctrinæ flosculos decerpsisse, à prælandato Hæsteno dicitur. In aliorum numerum *** non eo; videtur ipse S. Pater mihi figere vestigia. Omnis liber *Sanctorum Catholicorum Patrum*, opulento thesauro potior, & quibuslibet epulis dulcior ab ipso habetur. Sanè providentissimus Paterfamilias noster, qui universam religionem suam in SS. Patrum monumenta, ceu pinguissima pascua tantâ sollicitudine educit, grande documentum evadit, ipsum non frequenter minùs ac dulciter in ill s pabulari solitum fuisse.

Quantæ autem curæ D. Benedicto fuerit, ut familiæ suæ alumni, exemplo ipsius, ad Sacræ Scripturæ studium & SS. Patrum lectionem se referrent, paucis nunc est declarandum. Atque ut de Abbatibus primùm loquar, eos præter vitæ meritum sapientiæ doctrinâ cœteris præstare voluit. Declarans verò, in quo consistere debeat talis doctrina, *oportet*, inquit, *Abbatem esse doctum Lege divina, ut sciat, unde proferat nova & vetera.* Quare hujusmodi doctrinam non in alio sitam esse, fas erit, quàm in plena divinarum Legum intelligentia, ex Scripturarum sanctarum promptuario, tum veteris, tum novi Testamenti desumpta; adeò ut Abbas sit sufficienter idoneus ad eas, quandocunque se prodet occasio, Monachis, quibus præerit, explanandas. Quam sacræ doctrinæ peritiam à monasterii Præposito, seu Priore, Decanis, Oeconomo, atque Magistro Novitiorum non minùs exegit. Cùm verò fieri haud possit, ut quis sine indefesso labore, ac studio sacrarum Literarum cognitionem assequatur, eam sibi multis comparare vigiliis debuerunt. Cœteris verò Monachis legem statuit, ut illam non tantùm intellectui, sed & memoriæ commendarent. Ad quod exercitium duo illis tempora præfixit: alterum noctu post *vigilias*, alterum interdiu post *refectionem*, quibus *lectionibus suis, aut Psalmis* memoriæ nempe mandandis vacare deberent. Quod nominatim verò Psalmos expresserit, non eâ causâ factum, quòd cœteros Scripturæ libros manibus teri à monachis noluerit, sed quòd Psalmis concinendis diu noctúque occupati essent, atque in eisdem universæ divinæ paginæ compendium contineretur. Postea verò quàm Psalmorum

* Tom. 1. Analect. p. 142.
** Mabill. Tract. de stud. Mon. vol. 2. art. 7. p. 90.
*** Erhard l. c.

morum cognitione imbuti erant, alios Scripturarũ libros evolvendi amplissima ipsis ab eo facta est potestas. Quòd si verò, ut in humana societate fieri amat, monachus extitisset, qui vel vigilare nollet, vel nihil studii se indigere diceret, * huic Abbas aliquem locum perdifficilem, cujus sensum ignoraret, proponere solebat, ut vel hoc modo frater ille negligens & superbus ad Scripturæ studium compelleretur. Quid plura? Ad omnes cùm Abbates tùm Monachos pertinet, quod S. Legislator Reg. cap. 19. præcipit: *Sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ.* Quî autem fieri poterit, ut mens concordet voci, si quæ verba à lingua proferuntur, intellectus non capiat? Ut igitur hymnodiæ, sacrarúmque literarum intelligentiam assequamur, labore, studiis, & vigiliis opus est.

Cùm verò in profundissimo sacrarum Literarum Oceano nemo tutus vela faciat, nisi sanctorum Patrum doctrinâ, veluti secundis ventis provehatur, atque iisdem ad clavum sedentibus ab errorum scopulis & syrtibus liberetur, hinc B. Patriarcha noster lectionem SS. Patrum in Regula sua vehementer extulit. Nec eorum ullus est, cujus lectionem in Regula sua exceperit, immò singulos non sine fructu evolvi posse conceptis verbis testatus est. *Quis liber sanctorum Catholicorum Patrum* (inquit S. Legislator**) *hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad Salvatorem?* In nocturnâ tamen synaxi eas tantùm Scripturarum expositiones legi voluit, *quæ à nominatissimis Doctoribus orthodoxis & Catholicis Patribus factæ essent.* Ubi vetus ille ac celebris Benedictinæ Regulæ Commentator Hildemarus *** advertit, sanctum Patriarcham non dixisse à nominatis, sed à nominatissimis, ac si diceret; illorum Doctorum legant expositiones, quorum in libris non invenitur error, sicut est Augustinus, & Gregorius, sive Ambrosius, & cœteri alii Patres Catholici. Nicolao autem de Fractura Doctores nominatissimi sunt Gregorius, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius; addit tamen: *Alii enim Doctores, ut est Hilarius, Basilius, Joannes Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, Beda Presbyter, nominatissimi similiter possunt dici, ex eo quòd eorum dicta sunt ab Ecclesia approbata.* Quâ institutione S. Pater viros in scientiis variis, ac cum primis in Scripturarum cognitione excellentes tantâ multitudine parturiit, ut eorum iniri numerum posse neget severus ille Criticus & Aristarchus Joannes Launoius. Aliquos tamen ex quàm plurimis, atque adeò ferè innumeris commemorare liceat.

Magnus Cassiodorus, antequam sæculo VI. Familiæ Benedictinæ **** nomen daret, ne qua hæresis conflari, aut sincera fides corrumpi posset, auctor Agapeto Pont. Max. fuit, ut publicas in Italia aperiret Academias, Alexandrinæ, aliarúmque exemplo, in quibus S. Scriptura traderetur; & hos quidem stimulos Papæ admovit adhuc civis mundi. Voto tamen potiri non licuit per bella, quibus agitabatur Italia; nec per Regum ac imperantium coronas & sceptra, quæ perpetuò huc illuc volvebantur, cùm quiete ac pace bonæ artes indigeant. Monachum igitur indutus non ipse modò ad studium Sacræ Scirpturæ toto pectore incubuit, sed Biblia etiam recognovit, *sub collatione priscorum Codicum*, ut ipse refert. In suo autem de Institutionibus divinarum lectionum libro Monachis Cœnobii Vivariensis, cujus ipse fundator, & postquàm mundo valedixerat, moderator etiam fuit, omnigenarum scientiarum volumina proponit, & commendat, quorum studium intelligendæ Scripturæ conserre potest. Huc spectat præclarus ejus liber de institutione divinarum literarum, quem Monachi omnes, inquit Mabillonius, legere deberent.

Non ignorabat Cassiodorus, quicquid peccatur à tironibus in sacrarum literarum studio, peccari ut plurimùm ordinis perturbatione; dum qui priùs libri legi debuerant, ii posteriùs: qui posteriùs, ii priùs pervolvuntur. Quare discipulis præcipit, *ut moderentur sapienter desideria sua per ordinem, quæ sunt legenda discentes.* Quam quidem methodum quò servarent religiosiùs, librum de divinis literis edidit. *Ad hoc*, ait, *divina charitate probor esse compulsus, ut ad vicem magistri introductoris vobis libros, Domino præstante, conficerem; per quos, sicut æstimo, Scri-* ptu-

* vid. Martene Comment. in S.R. c.8. p. 251.
** Reg. cap. 73.
*** apud Martene loc. cit. cap. 9. p. 292.
**** De Monachatu Benedictino vide Dissertationem Jo. Garetii è Congr. S. Mauri, quam ejus Operum editioni præmisit; ubi habes etiam Cassiodori vitam, è quâ desumpsimus, quæ hic de ejusdem studio S. Scripturæ à nobis proferuntur. Vide etiam Yepes. in Chron. Gener. S. B. Cent. 1. p. 157. adde Lud. Thomass. de vet. & nov. Ecc. discipl. part. II. lib. 6. c. 96. p. 289.

pturarum divinarum series, & secularium literarum compendiosa notitia Domini panderetur. Addit, *ascendendum quoque ad sacram Scripturam per expositiones probabiles Patrum.* Unde non tantùm divinæ auctoritatis codices, quos ibidem novem in partes distinxit, proposuit pervolutandos; verùm etiam quæ essent Opera sanctorum Doctorum explanandis idonea indicavit. Et ne qua hæreticæ contagionis labes fidei puram integritatem inficeret, quibus in locis à vero deviaverint auctores, designavit; sic autem ab Origenis scopulis eos avertit: *Quapropter in Operibus ejusdem Origenis, quantum transiens invenire prævalui loca, quæ contra regulas Patrum ἀχρήστως repudiatione signavi, ut decipere non prævaleat, qui tali signo in pravis sensibus cavendus esse monstratur.* Nec ob aliam quoque causam tanta, quanta potuit diligentia perlectam Epistolam ad Romanos, quæ tum omnium versabatur manibus, & Catholicos Doctores in partes agebat, quòd à Gelasio Papa scripta vulgò crederetur, nefariis Pelagianæ pravitatis purgavit opinionibus.

Libros, quibus opus esse ad planiorem Scripturarum intelligentiam noverat, incredibili prorsus magnificentiâ providit. Unde discipulis meritò suos in colligendis undequaque voluminibus labores posuit ob oculos his verbis: * *Eja nunc charissimi fratres festinate in scripturis sanctis proficere, quando me cognoscitis pro doctrinæ vestræ copia adjutorio Dominicæ gratiæ tanta vobis & talia congregâsse.* Quæ quidem voces mirum est, quantum Monachos ad sectandam magistram illam ac reginam disciplinarum Theologiam, penetrandósve abstrusos Scripturarum sensus incenderint: sibi tamen ac fratribus suis periturum oleum, perituram operam vir humillimus existimabat, nisi quod naturæ viribus nimium erat, & impervium, id orationis ope à Deo *scientiarum Domino* consequerentur. Hinc eos sic hortatur in ipso libri de divinis literis limine: *Oremus, ut nobis aperiantur illa, quæ clausa sunt, & à legendi studio nullatenus abscedamus.* Asserit alibi, ** *perfectam sapientiam* non tam studio, quàm *actibus bonis & orationibus assiduis* obtineri, retineri obtentam.

Monebat tamen, à Cœnobitis ante divinum Numen procumbentibus sic fundi preces non oportere, ut quæ postulâssent, otiosis sibi annuenda crederent. Sapientiæ candidatis nulli operæ parcendum: pancos admodùm sine labore & velut dormientes pretiosissimo illo thesauro pro arcanis & inscrutabilibus mentis divinæ consiliis locupletatos fuisse: eos si tantum munos decussatis, ut ajunt, brachiis cœlitus accepturos se confiderent, temeritatis & inertiæ pœnas daturos magis, quàm vanis & audacioribus votis fruituros: *Legite, precor, assiduè,* verba ipsius sunt, *recurrite diligenter, mater est enim intelligentiæ frequens & interna meditatio.*

Neque verò sua Cassiodorum spes fefellit; messuit enim tandem, quod seminaverat: agnovit exultans, eum in scientiis progressum fecisse Monachos suos, ut illos *divinarum & humanarum literarum cognitione pollere* fateatur: quæque ipse leviter ducto se inchoâsse penicillo diceret, ut peritiore manu perficerent, rogaverit his magistri humilitatis non minùs, quam discipulorum eruditionis indicibus verbis: *Unde supplico, ut quod nos legendo parùm, explicare minùs potuimus, vos copiosa lectione saginati, tam de istis codicibus, quos dereliquimus, quàm quos potueritis feliciter invenire, perfectiùs in Christi nomine compleatis.* Attamen veritus, ne spiritus illis forsitan immitteret altiores tanta rerum divinarum perceptio, docet, *** quæ *absconduntur superbis, ea parvulis revelari. Nec in solis literis positam esse prudentiam: sed perfectam sapientiam dare Deum, prout unicuique vult.*

Habuit verò Cassiodorus secum in suo monasterio Dionysium cognomento Exiguum, monachum, Scytham natione, sed moribus omnino Romanum, in utraque linguâ, Latina & Græca doctissimum, *** qui Scripturas divinas tanta curiositate discusserat, atque intellexerat, ut undecunque interrogatus fuisset, paratum haberet competens sine aliqua dilatione responsum.

Relicto Cassiodori Monasterio, Romam veniamus. Sanctus Gregorius M. etsi annnm jam ageret ætatis minimùm tricesimum, se tamen Valentino ex Monacho Casinensi apud S. Andream Romæ Abbati, ac ut ex temporis ratione promicat, S. Patris Benedicti discipulo subdere voluit in sa-

* Lib. de div. lit. c. 33.
** Cap. 28. ibid.
*** ibid. c. 23.

cris literis erudiendum. Quantos brevi progressus in eis fecerit, vel sola in Jobum doctissima commentaria indicio sunt. Hæc verò non domi in musæo, sed Constantinopoli, quò à Pelagio missus fuerat, in aula Imperatoris elucubrare aggressus est. Quidquid enim temporis à curis & negotiis reliquum habebat, illud sacræ paginæ & sanctorum Patrum lectioni addixit. Præcipuè sancti Augustini Opera evolvit, quorum excerptis seu floribus libros suos respersit. Agebat tunc temporis Constantinopoli Leander Hispalensis Archipræsul, Legati munere & ipse fungens apud Imperatorem. Huic divinarum pariter literarum studiosissimo magna cum Gregorio necessitudo & familiaritas intercessit. Unde autor ei extitit, ut in librum Jobi commentaria scriberet. Quid viro amicissimo, maximè cùm fratrum etiam preces accederent, Gregorius denegaret? Igitur *ad tantæ profunditatis mysteria*, quibus liber Job refertissimus habetur, referanda animum appulit, *certus*, ut ipsius verba afferam, *quia impossibile esse non poterat, quod de fraternis cordibus caritas imperabat*. Constantinopoli reversus Romam, cùm otium nonnihil liberius suppeteret, suam in Job explanationem ad incudem revocavit, *multa augens*, *pauca subtrahens*, ut ipse loquitur in præfixâ illis libris epistolâ, ubi legi possunt cœtera, quæ in hac veluti alterâ Moralium editione præstita ab ipso fuerunt. Quo tempore (annus erat 592.) Longobardi agrum Romanum deprædationibus, incendiis, ac cœdibus miserandum in modum vastabant, S. Doctor Ezechielem Prophetam Christianæ plebi exposuit eadem animi tranquillitate, ac si nihil ab hostili milite pertimescendum esset, quod admiratione dignum S. Bernardo jure ac meritò videtur. Hoste tamen Urbi jam jam castra admovente, finem interpretandi sacri Vatis facere compulsus est.

Etsi verò Sacræ Scripturæ studio esset addictissimus, in morem tamen induxerat, ut sociatâ operâ libros divinos excuteret. Si quis negotia expendat, quibus hic Pontifex * implicitus perpetuò fuit, neque ab humeris rejecit, sed confecit, mirabitur profectò vel unam illi horam superfuisse, quam dictando vel scribendo contereret: sed multùm ea studendi ratio potuit, quâ veteres usi sunt. Nimirum tres aut plures viri librum eundem, vel caput voluminis sacri legebant; posteà examinabant: multâ industria nucleum persequebantur; sententiis deinde in medium allatis, ea probabatur, quæ rem acû tangere visa fuit. Hujusmodi congressus à quibusdam *Collationes* appellabantur: hinc etiam factum, ut similem conjunctionem studiorum ac sermonum Dialogis exponerent. *Collationes* Joannes Cassianus scripsit è sanctissimorum Eremitarum habitis colloquiis promptas. --- Hinc S. Gregorius Viros quosdam sanctitate ac eruditione præclaros in ultimam adscivit familiaritatem. Cum his de rebus Ecclesiæ gravissima consilia cœpit, divina volumina enucleavit. Eos Joannes Diaconus ** dignos censuit, nec immeritò, quos commendaret posteritati; Eos inter ex monachis fuêre Maximianus, monasterii sui Abbas, posteà Episcopus Syracusanus, Augustinus, ejusdem monasterii Præpositus; & Mellitus monachus, per quos Anglorum gentem ad fidem perduxit; Marinianus ejusdem cœnobii monachus, quem in Ravennate ecclesiâ antistitem consecravit; Probus ex laico ad regendum monasterium suum repentè ab ipso assumptus, & ad construendum Jerosolymis xenodochium directus, & Claudius Classitanus Abbas, qui ex ore Pontificis commentarios in Heptatheucum, libros Regum, Proverbia, Cantica Canticorum & Prophetas excepit. Idem Claudius identidem ab eodem invitatus ventitabat, de studiis ac rebus sacris cum eo tractaturus. Hinc in quâdam ad eundem epistolâ Pontifex ait, se frustratum fuisse exspectatione sperati ejus adventûs cum Severo, Episcopo Anconitano, qui ad B. Petri limina venerat; petitque, ut post aliquantum temporis istuc accedat, ut usque ad quinque vel sex menses secum commoretur. Identidem igitur Claudius ad Gregorium venire solitus erat tum ad relevandas Pontificis molestias, tum ad agendum cum eo de sacris literis. Quo tempore quasdam extemporaneas Gregorii expositiones in varios S. Scripturæ libros, quas Pontifex scripto tradere præ infirmitate non valuerat, ex ore loquentis audierat, & suo stilo & sensu, ne perirent, reddiderat, ut opportuno tempore hæc eadem à Pontifice emendatiùs ederentur. Claudio mortuo (an. 602.) Joanni Ravennæ Subdiacono scripsit Gregorius, ea scripta ut

* Yepes in Chron. ad an. Ch. 602. p. 446.

** in vit. S. Greg. lib. 2. cap. 11.

ut ad se transmitteret, in quibus aliqua à suo sensu prorsus aliena deprehenderat. In eadem epistola etiam non probat, sua in Jobum commentaria publicè ad vigilias legi jussu Mariniani Episcopi: quippe opus populare non esse, & rudibus auditoribus magis impedimento, quàm profectui futura. Magis expedire, ut ad vigilias legantur Psalmorum commenta, quæ mentes secularium ad bonos mores præcipuè informant. „ Nolle se, „ dum in hoc corpore versaretur, ut „ opera sua in publicum facilè prodi- „ rent, ac graviter ferre, quòd Ana- „ tolius Diaconus Imperatori postu- „ lanti librum regulæ pastoralis de- „ disset; *quem* (inquit) *S.mus Frater & Coëpiscopus meus* (quæ sanctissimi Pontificis modestia erat) *Anastasius Antiochenus in Græcam linguam transtulit. Et sicut mihi scriptum est, ei* (Imperatori) *valde placuit, sed mihi valde displicuit, ut qui meliora habent, in minimis occupentur.* Quanta dein, quámque incredibilis in Gregorio erat animi demissio, cùm Julianum Catanensem Episcopum ad divinæ paginæ studium exhortans, in eo non sibi partes magistri depoposcit, sed collegam se futurum adpromisit? *Quæsivi*, inquit, *qui vobis adhæreant in lectionis sacræ collegio, & neminem reperi, & vehementer ingemui paupertatem boni. Et quamvis peccator ego valde occultus, tamen si ad B. Petri Apostoli limina venire volueritis, in sacro eloquio strictum poteritis me habere collegam.* Tanti sapientissimus hic Pontifex stud[illegible] sacri Codicis faciebat, ut quò alios ad illius amorem accenderet, fasces Pontificiæ dignitatis submittere non dubitaret. Eant verò, qui tibias inflant, suámque magistralem ostentant scientiam, atque à Gregorio modestè & humiliter de se sentire addiscant.

Jam quas Regulas pro literis sacris cùm intelligendis, tùm exponendis tradidit, eas R.mus Angelus Rocca * Episcopus Tagasten. dignas existimavit, ut ex Gregorii libris in unum cumulum collectas omnibus legendas exhiberet: quæ cum Sodalibus nostris magnum præstare usum possint, in illorum gratiam, maximè eorum, quibus Opera Roccæ in promptu non sunt, easdem hîc subjicere non gravabor.

Regula 1. Omne, quod dicitur in sacris Literis, quadripartitâ potest qualitate distingui. Aut enim mala malè, aut bona benè, aut mala benè, aut bona malè dicuntur.

Malum malè dicitur, ut: Benedic Deo & morere. Job. 2. *res enim perversa suadetur. Malum benè dicitur*, ut: Feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum, qui est contra naturam. Rom. 1. *inhonesta enim & execranda honestè narrantur, ut reprobentur. Bonum benè*, ut: Pœnitentiam agite; appropinquavit enim Regnum Dei. Matth. 3. nam recta rectè prædicantur. *Bonum malè*, ut: Tu sis discipulus ejus. Joan. 9. *nam rectum hoc loco non rectè dicitur cœco à Judæis, sed studio maledictionis, sicut etiam per Caipham dicitur bonum, sed non benè hunc in modum*: Expedit unum mori pro populo, ut non tota gens pereat; *nam crudelitatem necis appetit, dum gratiam Redemptionis prophetavit.* Ex lib. 23. Moral. cap. 3. tom. 2.

2. Corporalium rerum modô Deus loquitur, ut ad excellentiam Divinarum rerum per corporalia homines attollat. *Incorporali Deo corporalia interdum tribuuntur in Scriptura Sacra, ut naturæ humanæ sensus ad fidei scientiam erudiatur, & per nostrorum corporum membra operationes Dei nobis innotescant:* Hinc per manum operatio; per oculum, universitatis cognitio; per cor, voluntas; per scapulas, tolerantia, *significantur.* Per uterum, *ex quo Deus incorporeus* Filium suum se genuisse *dixit; Generatio æterna non ex nihilo, sed ex se dignoscitur.* Per pupillam oculi, & per alas, protectio delignatur. *Dei memoria nec oblivione rumpitur, nec recordatione farcitur. Dicitur tamen* Deus oblivisci nostri, cùm aliqua deserit nostra, & prætermittit; recordari verò, cùm visitat, quæ vult, *longum post tempus, à mentibus humanis similitudinem trahens.* Ex Homil. 11. in Evang. Matth. 13. Et lib. 32. Moral. cap. 4. & 5.

3. Mos sacri eloquii est, ut à plurali numero ad singularem subitò transeat. *Hujus regulæ exemplum desumi potest ex Job, ubi Heliu cùm dixisset:* Clamabunt, & ejulabunt, *postea subdit:* Non dixit, ubi est Deus, qui fecit me &c. Ex lib. 26. Moral. cap. 10.

4. Consuevit Scriptura aliquando totum pro parte aut partem pro toto ponere: Hujus regulæ exempla sunt multa; Gregorius tamen ponit illud Joannis: *Tulerunt* Dominum meum, *cùm corpus ibi tantùm intelligatur.* Et illud

* Opp. tom. 2. pag. 66.

illud Genesis: Intravit Job in Ægyptum cum animabus septuaginta. *Hoc enim loco fit mentio de animabus tantùm, cùm etiam corpora intelligantur.* Ex lib. 3. Moral. cap. 9.

5. Mos sacri eloquii est, ut res semel dicta pro confirmatione replicetur: Hujus regulæ exemplum est illud Job: Usque huc venies, & non procedes ampliùs, & hìc confringes tumentes fluctus tuos. *In multis hisce verbis quasi per exaggerationem, & amplificationem ostenditur, mari terminum positum*, ne transiret fines suos. Ex lib. 28. Moral. cap. 16.

6. Intellectus sacri eloquii inter textum & mysterium tanta est libratione pensandus, ut utriusque pars lance moderata, hunc neque nimiæ discussionis pondus deprimat, neque rursus torpor incuriæ vacuum relinquat. *Exemplum hujus rei amplissimum est illud, quod in Genesi legitur de Jacob*, qui virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis decorticavit, & posuit in canalibus ante gregum oculos; *Id quod de Scriptura Sacra exponi potest, cujus interdum cortex ex parte detrahitur, & ex parte relinquitur.* Ex lib. 21. Moral. cap. 1.

7. Sacra eloquia in exordiis narrationum qualitates exprimunt, terminósque causarum. 2. Moral. cap. 2.

8. Aliquando res gesta in facto culpa est; in scripto autem prophetia virtutis, aut è contrario in sacris Literis. 3. Moral. cap. 21.

9. Sacra Scriptura plerumque de virtutibus & vitiis sic agit, ut, dum loquendo aliud insinuat, aliud tacendo innotescat. 1. Moral. cap. 5. & 6.

10. Scriptura Sacra ex his, quæ tenuiter præmittit, divina reverenter exspectanda indicat, quæ subjungit. 4. Moral. cap. 4.

11. Sacra Scriptura in superioribus suis partibus solet breviter longè pòst secutura perstringere, cùm studet ad alia enuncianda properare. Præfat. Moral. cap. 1.

12. Scriptura Sacra omnibus respondet. 23. Moral. cap. 17. 19. *Eloquium tale est, ut cunctorum quæstionibus satisfiat, singulorum cordibus, vocibus privatis, non respondens.*

13. Mos est Divinarum Literarum, ut, cùm aliquid narrant, interpositâ alterius causæ sententiâ, ad superiora protinus redeant. 5. Moral. c. 29.

14. Divina eloquia tantò quisque altiùs intelligit, quantò altiùs in eis intendit. Homil. 7. in Ezechiel.

15. Mos est sacri eloquii, ut ipsi, qui scribunt, sic de se in illo quasi de aliis loquantur. Præfat. in Job. cap. 2. *Moyses* de se ait: Erat Moyses mitissimus. *Joannes* de se: Hic est Discipulus ille: *Lucas* item de se ait: Cleophas & alius &c. Num. 22. Joan. 19. Luc. 24.

16. Scripturæ Sacræ liber intus scriptus est per allegoriam, foris per historiam. Homil. 9. in Ezechiel.

17. Deus in Sacra Scriptura aliquando nuncupativè, aliquando essentialiter dicitur. Homil. 8. in Ezechiel. *Nuncupativè:* Diis non detrahes, i.e. *Sacerdotibus*: Constitui te Deum Pharaonis. i.e. *Judicem*: Deus stetit in Synagoga Deorum. i.e. *Judicum*. *Essentialiter:* Deus Abraham &c. Gen. 6. Exod. 22. Psalm 81. Exod. 3.

18. Sententia, cum sine addito dicitur in sacris Literis, semper bona intelligitur. 25. Moral. cap. 2.

19. Prophetæ dum consuluntur, ex magno usu prophetandi quædam ex suo spiritu proferunt, & se hæc ex prophetiæ spiritu dicere suspicantur. Homil. 1. in Ezech.

20. Prophetæ veri à falsis differunt, quia veri siquid de suo spiritu dicunt, per spiritum edocti, citiùs illud corrigunt; falsi autem & falsa denunciant, & in sua falsitate perdurant. Homil. 1. in Ezech.

21. Inter cætera prophetiæ miracula, hoc quoque mirandum habent libri Prophetarum, quòd sicut in eis verbis res, ita nonnunquam verba rebus exponuntur, ut eorum non solùm dicta, sed etiam res gestæ prophetia sit. 22. Moral. cap. 21. & Homil. 11. in Ezechiel.

22. Consuetudo prophetiæ est, nunc ista nunc illa conspicere, & ab aliis in aliud subitò verba derivare. Homil. 7. in Ezechiel. Exempla multa sunt, & ferè innumera, ideò sunt silentio prætermittenda, & unum tantùm adducam, quod est illud Psalmi septimi: *Deus judex justus &c.* deinde ait: *Nisi conversi fueritis.* Ubi narrat Propheta Dei justitiam, & statim intulit culpam peccatorum.

23. Prophetiæ tempora tria sunt, scilicet præsens, præteritum, & futurum. Quoniam præsens, & præteritum prophetiæ etymologiam perdunt. Ipsa autem tempora sibi invicem concinunt ad probationem. Homil. 1. in Ezech. Exemplum de præterito est;

In

In principio creavit Deus cœlum & terram; cœtera patent.

24. Spiritus prophetiæ nec semper, nec eodem modo Prophetæ animum tangit. Homil. 1. in Ezech. *Ex præsenti, prophetiæ spiritus prophetantis animum tangit, non de futuro; interdum ex futuro non de præsenti; aliquando verò ex futuro, & præsenti; aliquando ex futuro, præterito, & præsenti, ita dicendum est de proximo & longinquo, & è converso.* Exempla in Scriptura Sacra non desiderantur, quæ brevitatis causa prætermittuntur.

25. Scriptura Sacra cùm dubitativè loquitur, non secundùm visionem Prophetæ, cui certum est, loquitur, sed secundùm ipsos, qui monentur. Homil. in Ezech. *Exemplum est de eo, quod dicitur in Ezechiele: Si fortè vel ipsi audiant, & si fortè quiescant.* Constat enim, *Deum Omnipotentem omnia scire. Loquitur tamen Deus interdum ambigentis affectu, ut liberum hominis arbitrium demonstret, ne præscientia futurorum mali vel boni immutabile faciat, quod Deus futurum noverit. Non enim quia ille ventura cognoscit, necesse est nos facere, quod ille præscivit; sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille, ut Deus, novit futurum.*

Fuit verò Gregorius * eruditione insignis, & in explanatione divinorum voluminum tam visibili, quàm invisibili sancti Spiritûs illustratione edoctus, omnes ferè Scripturas partim per Homilias, partim per Commentaria explicavit, quorum majorem partem nondum in plura exemplaria multiplicatam, statim post mortem ejus æmuli flagitiosissimi exusserunt, veriti ne sanctitatis & doctrinæ gloria Scriptorum monumentis ad posteros perveniret. In Homiliis, atque his potissimùm, quas ad populum, inter ipsa Missarum mysteria habuit, brevi & succinctâ divinæ lectionis elucidatione usus est, contrà verò in Commentariis coacervato explanationis genere delectatus, divinas Literas locupletissimâ sensuum ac sermonis copiâ profusissimè enarravit, ubicunque fermè observans modum, & ordinem exponendi talem. Imprimis jacto historiæ fundamento literæ contextum juxta duplicem eruditionem, veterem scilicet, quæ Italica dicta est, & novam Hieronymi breviter, & carptim percurrens edisserit; secundò ex historiæ verbis Allegoriæ & Anagogiæ; quæ idem apud illum sunt, varios & copiosissimos fontes deducit: tertiò Allegoriarum sensus ad Ecclesiæ ædificationem in exercitium moralitatis inclinat, & allegoricos fluvios ad irrigandа virtutum sata derivat, tanquàm de virtutibus ac vitiis efficacia loquitur, ut ea videatur non solùm verbis exponere, sed formis quodammodò visibilibus & palpabilibus demonstrare; verborum & orationis genus idem in omnibus penè scriptis ejus continuum est. Ex omni verò sanctorum Patrum cœtu haud alius est, qui tanta támque multa in sensu scripserit allegorico, atque S. Gregorius, quem jure ac merito Ecclesia inter præcipuos suos Doctores nunquam non veneratа fuit; præcipuè in Anglia, quæ illum ut suum colnit Apostolum. Jam verò Angliа Doctores Germaniæ & Galliæ sæculo octavo & nono submisit; unde factum suspicatur Abbas *Florius* ** quòd scholæ, maximè Benedictinæ, in his regnis & veneratione & amore erga S. hunc Pontificem suavitate allegoriarum duci cœperint; quibus multorum è nostris Scriptorum Opera redundant.

At enim est è Novatorum grege, qui mihi hîc aurem vellicans, *quam tu*, inquit, *narras historiam?* „Sic„cine verò Gregorius à peritiâ expo„nendi sacras literas majorem in mo„dum tibi videtur commendandus; „qui tamen non tantùm Hebræam „linguam non calluit, sed ne Græcæ „quidem gnarus fuit, ut de artis Cri„ticæ scientiâ, cujus nullam omnino „habuit cognitionem, nihil dicatur? Enimverò utriusque linguæ intelligentiam Gregorio defuisse, uti non ivero inficias, ita in ejusdem libris distinguendam dico *Scientiam Dogmatum Legúmque Moralium*, ac *Pietatis* à *Parergis*, hoc est, à rebus ad artes profanas spectantibus. Nempe in libris sanctorum Patrum ante omnia consideranda est scientia divinorum dogmatum, legúmque moralium cognitio, atque traditio, per quam aut exponuntur, aut confirmantur, aut suadentur, quæ Deus per Scripturas Sacras, & voce Unigeniti sui credenda atque agenda mandavit Ecclesiæ suæ, suísque fidelibus. In hac autem scientia nos dicimus S. Gregorium M. cum

* Oldoinus in addit. ad Ciaccon. to. 1. col. 412. ex Sixti Senensis Bibliotheca sancta lib. 4.

** Discurs. V. Hist. Eccl. n. XI.

cum aliis SS. Patribus excelluisse. Argumento sunt libri ejusdem cùm Theologici, quos Tajus Cæsaraugustanus Episcopus ex ejusdem Commentariis concinnavit, tum Morales, qui summis omnium laudibus commendantur.

Et quia hæc accuratiùs scire, non ad Historiam modò Literariam spectat, sed res est summæ utilitatis, Sodales nostros verbis sapientissimi Theologi * monitos volo, tum in Scripturis Sacris, tum in Libris Patrum distinguendam esse materiam præcipuam & propriam, quæ ἔργον dicitur, ab aliis rebus, quæ illic habentur præter præcipuum argumentum, & πάρεργα dicuntur. Proprium eorum Librorum argumentum est cœlestis illa scientia, per quam constat hominibus divina Revelatio, legésque & jura ac consilia tum credendi, tum operandi produntur. *Parerga* sunt, quod est ad Scripturam Sacram, & ad ipsos Patres, alia omnia, ex quibus hæc hominum erga Deum officia minimè pendent, cujusmodi sunt scientia temporum, locorum, numerorum, Astronomiæ, Linguarum, Critices, Physices, aliarúmque Artium. Nihil ergo aut parùm refert Christianæ rei, quod in *Parergis* interdum, & sæpè etiam, deficiant Patres, dum in præcipuo negotio procedat certissimo gressu illorum chorus. Dic ergo ipsos Declamatores, id temerè plerumque dices; attamen sinam te dicere, nobis sanctos Patres non esse perfectioris eloquentiæ magistros. Dic ignaros Criticæ, dic Physicæ imperitos, parùm in Logicæ usu accuratos, in Astronomiæ, Eruditionis, & Geographiæ scientia hospites, dic plura ejusmodi. Non moramur. *Parerga* sunt isthæc in Patrum libris; neque hinc accessit laus ipsis, neque ob eam causam tanti æstimantur, & commendantur in Ecclesia: Evangelica doctrina fideliter ac religiosè ab ipsis tradita, per quam ducimur tum ad sanam fidem, tum ad perfectam morum disciplinam, ea est, quam apud sanctos Patres plurimi facimus. Linguarum, aliarúmque Artium studio præstarunt utique duo proximè præterita sæcula, ut collati cum recentioribus Scriptoribus veteres Patres infantes in ea eruditione (si duos excipias) nonnunquam deprehendantur. Verùm nemo superavit, pauci etiam æquare possunt beatos illos viros in præcipuæ Eruditionis Christianæ scientia, hoc est, in divinorum Dogmatum & Legum peritia. Ad hanc enim aptiores ipsi fuêre, & in eandem incubuêre diligentiùs, tum quòd propiores essent Apostolis, & longiùs latiúsque diffusam Traditionem colligere ipsis tunc facile foret; tum etiam quòd iis animi virtutibus abundarent, & cœlestibus donis illustrarentur, quæ ad rectam Christianæ Doctrinæ conservationem atque intelligentiam inprimis exiguntur. Perspicacia profectò ingenii, & Criticum judicium, & Linguarum cognitio, aliæque Artes, non parùm conducunt, & interdum etiam necessariæ sunt ad explicanda, ac intelligenda Scripturarum divinæque Fidei *Parerga*. At ad cœlestem illam scientiam, circa quam Scriptura Sacra, sicut circa materiam propriam, versatur & quam Christus Apostolis, & per Apostolos Ecclesiæ suæ tradidit, plus conducit, magisque necessaria est ingenii utique non vulgaris assidua meditatio, animus pravis cupiditatibus, & opinionibus liber, sincerus Dei amor, pietas, humilitas, aliæque virtutes, quas sanctis Patribus non defuisse Historia nos docet.

Quòd si in plerisque Patrum desiderata est Hebraicæ Linguæ peritia, quam nempe omnium maximè necessariam nonnulli clamitant ad intelligendos Codices sacros: Primò respondemus, Evangelicam Doctrinam Græcè propositam fuisse ab Apostolis & Discipulis Christi, adeóque Græcam Linguam satis fuisse, ut divina dogmata, sacratæque Christi ac Apostolorum Leges rectè à Patribus perciperentur, ac traderentur. Secundò, quod est ad vetus Testamentum, vulgata versio τῶν LXX. ab Apostolis ipsis usurpata, & Vulgata Latinorum satis atque abundè exhibebant omnia Scripturæ loca, quæ alicujus momenti sint, sive ad imbuendos Fideles totâ Scripturarum Doctrinâ ac Historiâ, sive ad Judæos, Hæreticósque refellendos. Quæ illic indigere videntur eâ Linguarum, & Critices scientiâ, quam tantoperè quidam efferunt, *Parerga* sunt, hoc est, ad Ecclesiæ ædificationem minimè necessaria. Et siqua supersunt ad Doctrinam spectantia, neque satis perspicuè in Græcum, Latinúmve sermonem conversa, hæc ipsa ex multis aliis locis,

quæ

* Lamindus Britanius, i. e. Lud. Ant. Muratorius De Ingeniorum Moderatione Lib. III. p. 545.

quæ in vulgaribus Versionibus aperta sunt, illustrata, obscuritatem omnem jam posuêre, & saltem de fide versionis nulla in iis locis controversia fuit; aut si fuit, ad peritos linguarum res deferebatur. Quam ob rem constanter affirmare licet, nullum vel de Deo, divinisque Legibus, & decretis, vel de Christo, ejusque adventu, operibus ac documentis è Sacra Scriptura dictum produci posse, ad quod intelligendum, explicandum, & propugnandum non pervenerint sancti Patres, & satis non fit, ac perpetuò satis non fuerit ad ejus intelligentiam Græci aut Latini textûs vulgati fides. Provoco iterum ad Summam Theologicam ex S. Gregorii Magni Operibus. à Tajo Cæsar-Augustæ Antistite suprà laudato collectam.

Tertiò experientiâ ipsâ constat, Judæos, Ethnicos, atque Hæreticos validissimè confutatos, & victos, & ad fidem Christi conversos eâ duntaxat methodo ac scientiâ, quæ in Patrum libris apparet, quæque nunc sordet ingeniis non tam Criticis, quàm ambitiosis. Eâ quoque methodo, eâ scientiâ usi sunt Apostoli ipsi, atque Apostolorum Discipuli. Nihil autem, quod sit momenti alicujus, proferri potest ex Hebraicæ Linguæ, Criticésque peritiâ, quô non sint usi Patres Græcè Latinéque solùm eruditi ad Christianæ Doctrinæ amplificationem, atque tutelam. Nam quæcunque à recentioribus tanto cum fastu & discutiuntur, & illustrantur in Scripturis, feliciùs profectò, quàm præstitum olim fuerit, ea propemodùm omnia nihil aliud quàm *Parerga* Scripturarum sunt, nihilque magni momenti per illa adjungitur ad illustrationem Doctrinæ ac Religionis Christianæ. Utilia sunt, laudanda sunt, non nego, at nunquam ejus necessitatis, quam sibi nonnulli somniant. Eámque ob causam Apostoli nunquam aut præcepto aut consilio commendârunt tanquam necessariam Christianis Hebraicæ Linguæ peritiam, & qui eos viventes auscultârunt, istius aut præcepti aut consilii nunquam meminêre. Immo fuêre inter ipsos Christi Discipulos, quos non novimus in eo idiomate excultos, cùm & pateat ipsos Græcâ versione τῶν LXX. ferè semper usos, & primos Episcopos ac Patres Ecclesiæ in sola Græca Lingua fuisse versatos. Aliud ergo est in veteri Testamento vim alicujus dictionis, Chronologiam, Genealogias, pondera, mensuras, chorographiam, idiotismos, eruditionem historicam, aliáque id genus difficilia explicare diligenter, ad quod Judaicæ Linguæ cognitio necessaria est, ibíque sancti Patres apertè vincuntur à recentioribus; aliud verò est ad ædificationem fidelium ex iisdem sacris Codicibus Dogmata Fidei ac morum elicere, eáque secundùm Christi mentem exponere; hîc enim præcellere, aut saltem maximi faciendam esse Patrum scientiam nos affirmamus, eámque solis vulgatis versionibus, & meditatione, & Traditionis collatione, aliísque ingenii ac animi virtutibus comparari potuisse.

S. Gregorius M. Epistola 32. lib. VII. insigni, sed inter eruditos perraro exemplo sincerissimè profitetur, se linguæ Græcæ haud gnarum esse. Igitur sola Italica & nova S. Hieronymi versione contentus erat; neque tamen eapropter minùs in cognitione Christianæ Legis, tum ad mores, tum ad Dogma spectantis excelluit, atque alii Patres Criticæ, & linguarum gnari. Solius Latinæ linguæ præsidio munitus non tantùm Eutychii Patriarchæ Constantinopolitani errorem de Resurrectione, sed Agnoitarum, Arrianorum, Pelagianorum, & Quietistarum hæretica dogmata revicit. Eruditio Critica, studiúmque linguarum Orientalium sæculo potissimùm decimo sexto florere cœpit, quibus Adamum Estonum, Joannem Trithemium, Gilbertum Genebrardum, Gregorium Cortesium, Prosperum Martinengum, Leandrum à S. Martino, Hugonem Menardum, Joannem Martianæom, Hermannum Schenckium, Anselmum Bandurium, Bernardum Montfauconium, Jacobum Martinum, Augustinum Calmetum, aliósque plures Benedictinos excultos fuisse, hodiéque esse in aperto est. At isti, quod est ad Dogmata Fidei ac Morum, & in præcipuis Disciplinæ Ecclesiasticæ capitibus consonant cum Gregorio M. cœterísque antiquis Patribus, neque eos erràsse agnoscunt propter ignorantiam Linguæ; neque constituisse pro Christi & Apostolorum documentis somnia Platonis, uti non ita pridem Joannes Clericus Divum Augustinum insimulare non erubuit. Rursus qui tantùm sibi de Critices, Linguarúmque peritia plaudunt, in gravissimos errores, terrimásque Hæreses concesfêre, atque inde ad Catholicam verámque Fidem exurgere nequeunt, & exurgendum non putant. Quid quæso tam ambitiosa

tiosa hæc scientia valet [Gramaticæ tamen potiùs, quàm Germanæ Theologiæ speciem referens,] si ab Ecclesia Orthodoxa avertit, & in maximis erroribus tam pertinaciter quiescit? Et ne nobis Romano - Catholicis nos blandiri ac tribuere nimium dicant: sese, gregémque omnium hæreticorum, qui nunc in septentrionalibus regionibus tanto numero, tantâ diversitate regnant, tandem contemplentur. Non minùs inter se turgidi isti Critici atque Heterodoxi pugnant, quàm cum Catholicis, & alter alterum Hæresis, & abdicatæ Evangelicæ Doctrinæ incusat. Melius, inquiunt, quàm inerudlti Patres, eruditio nostra divinas interpretatur Scripturas. Benè est; at cur diffident in præcipuis Evangelii dogmatis? Qui alter alterum non vincit? Cur non dicam greges suos, sed ne ipsos quidem Catholicos, quamquàm sinceros & depuritate fidei suáque salute sollicitos, quidquam è priori sententia dimovent? Discant ergo, quid possit Critica & peritia linguarum, ad intelligendam veram Christi & Apostolorum Doctrinam; discant se potiùs Grammaticos egregios quàm Theologos orthodoxos ea eruditione sæpè fieri, & tandem intelligant, se quidem in sacris Codicibus multa meliùs exponere posse in ea eruditione, quæ ad salutem non ducit, at in præcipua ac regia sacrorum Codicum materia, quæ ad veram Fidem, salutémque deducit, plus potuisse ac posse Ingenium Catholicum, meditatione constanti excitatum, pietate ac humilitate Cœlo charum, Traditione suffultum, & probatis ab Ecclesia versionibus contentum, quàm potuerit unquam, sive possit tota Criticorum jactantia.

Atque hactenus dicta sufficere existimo, quibus in aperto constituatur, frustra tumentes Criticos S. Gregorio M. diem dicere, quòd linguarum expers sacras Literas explanârit. Postquam verò sanctus Pontifex Augustinum & Mellitum cum aliis Benedictinis in Angliam misit, ii non Christianam modò fidem, sed Sacræ etiam Scripturæ studium in Insulam intulerunt, quod subinde Theodorus Archiepiscopus & Hadrianus Abbas in schola Ecclesiæ & monasterii Cantuariensis mirificè provexerunt. Præ cæteris qui frequentes operam eis dabant, commemorandi veniunt sancti Berthowaldus, Aldhelmus, & Joannes Beverlacius. Et prior quidem ab ipsis adolescentiæ annis Glastoniæ, celebri & antiquissimo monasterio vitam duxit solitariam. Dubitat Guilelmus Malmesburiensis, quo facto consilio, ut relicta Glastonia, monasterio non modò, ut dicebam, antiquissimo, verùm etiam famosissimo Cantiam migraret. Ego verò, inquit Joannes Lelandus, * hic conjecturam interponere meam non gravabor. Monachi id temporis eximiæ literarum cognitioni rectiùs insudabant, quàm fortunarum splendori. Erat eo sæculo Theodorus Cilix Durovernensis Archiepiscopus, vir in omni bonarum artium genere ad miraculum usque eruditus. Nec longè inferioris notæ fuit Adrianus Afer, Abbas sani Augustiniani Durovernì Cantiorum. Ad hos, tanquam ad bonarum literarum fontes ipsos, Saxonum turba ingenuorum confluebat ingenti juxtà ac ardenti studio discendi. Crediderim hanc fuisse causam commigrationis Berthowaldi. Utcunque fuit; habuit ille quidem successus abundè lætos: nam Abbas primùm Raculphi castri (Raculfensis monasterii) tum Cantuariensis Archiepiscopus post Theodorum constitutus fuit. *Vir & ipse*, inquit Ven. Beda, *scientia Scripturarum imbutus, & Ecclesiasticis simul ac monasterialibus disciplinis summè instructus, tametsi prædecessori suo minimè comparandus.*

Alter S. Aldhelmus, Episcopus Shirburnensis, adeò literis humanis & divinis, teste Baleo, incumbebat, ut omnes sui temporis Theologos longè superârit. Flores utriusque Testamenti libris duobus edidit: Psalterium quoque transtulit in linguam Anglo-Saxonicam. Venerabili Bedæ Scripturarum tam liberalium, quàm Ecclesiasticarum eruditione visus est admirandus. Cùm autem Abbas adhuc Malmesburiensis esset, sacrarum Literarum scholam aperuit, ad quam permulti non ex Scotia modò & Hibernia, sed ex ipsa etiam Gallia convolârunt.

S. Joannes Beverlacins Hagustaldensis primùm Episcopus, tum Eboracensis Archipræsul, literis Græcis à Theodoro Græco, Archiepiscopo Cantuariensi, sacris verò ab Adriano Abbate imbutus, non expositionem modò in Lucam & Homilias in Evangelia scripsisse, sed Venerabilis etiam Bedæ Magister fuisse traditur. At enim dum Bedam

* de Scriptor. Brit. cap. 62.

Bedam toties nomino, quem virum nomino? certè eum, qui etsi * liberales artes omnes, divinas humanásque scientias apprimè calluerit, easque, ut scribit Pitseus, *exactè didicerit, solidè noverit, firmiter tenuerit, explicatè docuerit*, sibíque illo ævo conferendos perpaucos, superiorem profectò habuerit neminem: præcipuum tamen & pene unicum ejus studium in meditandis Sacris Scripturis versabatur, ad cujus perfectam intelligentiam omnem laborum suorum rationem componebat, vigilias, lucubrationésque suas dirigebat. Id sanè testatur Beda ipse in sua Epitome, ubi hæc habet: *Cunctum ex eo tempus vitæ in ejusdem monasterii habitatione peragens omnem meditandis Scripturis operam dedi, atque inter observantias disciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in Ecclesia curam, semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habui.* Hinc meritò ab Acca Hagustaldensi Episcopo, *in lege Domini meditanda dies noctésque duxisse pervigiles laudatur* in epistola, quæ Bedæ Commentariis in Lucæ Evangelium præmitti solet, & à Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, & Germanorum Apostolo *sagacissimus investigator Scripturarum* appellatur. Nam scribens ad Cuthbertum, seu Ubertum Abbatem, *interea*, inquit, *rogamus, ut aliqua de opusculis sagacissimi investigatoris Scripturarum Bedæ monachi, quem nuper in domo Dei apud vos vice candelæ Ecclesiæ scientia Scripturarum fuisse audivimus, conscripta nobis transmittere dignemini.* Etsi verò Ven. Beda Scripturæ Sacræ meditandæ, & commentandæ se totum dedisset, non ex proprio tamen sensu commentaria edidit, sed ex sententiis SS. Patrum, in quorum lectione versatissimus erat, & à quibus vel tantisper recedere nefas ducebat. Rectè de eo Poëta anonymus illius temporis:

Actu, mente, fide veterum vestigia patrum
Semper, dum vixit, directo est calle secutus.

Videbatur sibi in leges peccare reverentiæ, quâ non minimâ erga sanctos Patres ferebatur, si hanc commentandi methodum non servaret; nihilo tamen feciùs non ita eidem se devinxit, ut non aliquando libertatem proprio sensu sacram interpretandi paginam capesseret: *Scripturi maximè*, inquit, *quæ in Patrum venerabilium exemplis invenimus, hinc inde collecta ponere curabimus: sed & nonnulla propria ad imitationem sensus eorum, ubi opportunum videbitur, interponemus.* Modò sensum literalem modò mysticum exponit, cùm ipsi haud esset possibile, uniforme exponendi genus tenere, in tanta eorum varietate, quorum scripta explanabat. Brevitas sine obscuritate præcipua virtus est, quæ in ipso laudatur, cui elegans accedit concinnitas, quâ ut plurimùm animi sui declarat sensa.

Nec Sixti Senensis ** de quatuor generibus Commentariorum V. Bedæ in S. Scripturam prætereunda animadversio: *Anno*, inquit, *ætatis suæ trigesimo, presbyter à Joanne Episcopo ordinatus, hortatu Accæ Episcopi Eboracensis, ac multorum fratrum aggressus est scribere in universam sacrosanctam Scripturam diversa explanationum volumina, in quatuor ordines distincta, videlicet in Rhapsodias, Quæstiones, Homilias, & Commentarios. In Rhapsodiis, sive Stromatibus, vel Collectaneis congregavit mysticas magis, quàm historicas expositiones, ex probatissimis Ecclesiæ Doctorum sententiis, dictisque, hinc inde interruptim, & interpolatim collectas, nonnullis etiam de suo insertis ad imitationem sensus eorum, ubi opportunum fuit, quo diversi Patrum sermones, ac periodi vel aptiùs inter se cohærerent, vel breviores & illustriores redderentur. Et, ne majorum dicta furari, & ea, quasi sua propria componere videretur, nomina Doctorum per singula interponere decreverat, &, quid à quo Authore dictum esset, nominatim ostendere: sed, cùm ei nimis operosum appareret, primas tantùm nominum syllabas in marginibus è regione cujusque sententiæ apposuit: quæ posteà librariorum vel inscitia vel incuria, ex omnibus exemplaribus periere. In Commentariis, Quæstionibus, & Homiliis, in quibus frequentiùs & sermone, & sensu suo utitur, stylum habet nec omnino inelegantem, nec affectatæ elegantiæ curiosum, sed temperatum: qui nec verborum multitudine fastidium, neque paucitate obscuritatem pariat, sed brevi facilitate currat gratissimè.*

Præceptores monachos in divinæ paginæ studio plures habuit Beda: qui verò potissimùm illi fuerint, haud satis in

* Edm. Martene in Admonit. præv. ad V. Bedæ lib. IV. in Princip. Genes. Anecd. Tom. V. pag. 114.

** Bibl. sanct. lib. IV. pag. 265.

in aperto est; alii S. Joannem Beverlacensem nominant; alii Joannem Abbatem Romanum in Angliam à Summo Pontifice missum dicunt. Quicunque fuerint, inter eos *Tumberthum* monachum, Ceaddæ Liccifeldensis Episcopi discipulum fuisse unum de iis, *qui se in Scripturis erudiebant*, ipse Beda certiores nos reddit Hist. lib. IV. cap. III. Postquàm verò ex discipulo magister est factus, tot ferè suo in monasterio habuit discipulos, quot Monachos, id est, sexcentos; tot enim in Wiremuthensi & Girwensi Congregatione cœnobitæ degebant; quibus non pauci ex aliis monasteriis accesserunt, qui à suis Abbatibus ad Bedam missi fuerunt, ut sacras ab eo addiscerent literas. Ex ejus ad Egbertum Eboracensem Archiepiscopum epistolâ discimus, quòd aliquamdiu in Eboracensis Ecclesiæ monasterio divinam paginam interpretatus fuerit. Falluntur verò, qui Alcuinum discipulis Bedæ annumerant; hic enim priùs è vita excessit, quàm ille in eandem ingressus fuit. Nec monachi solùm, sed Clerici etiam seculares operam ipsi dederunt; quos studio & exemplo ad amorem Scripturarum incredibili fervore provocabat. Complures etiam non solùm literarum studiis, sed quod iis amplius est, religione & sanctitate, quos docuit, fecit insignes.

Hanc verò docendi methodum tenuit. Inprimis sanctæ Scripturæ dignitatem discipulis suis commendavit: * *hæc enim cæteris omnibus Scripturis non solùm authoritate, quia divina est: vel utilitate, quia ad vitam ducit æternam; sed & antiquitate & ipsa præeminet positione dicendi.* Tum Regulas ad ejusdem intelligentiam necessarias tradidit, quam triplicem esse dicebat; ** historicam, mysticam, moralem: omnis enim divina Scriptura *** aut pertinet ad historiam, aut ad mores, aut ad mysterium. Hæc autem divisio non sic accipienda est, quin partes ejus aliquando permisceantur. Reperitur enim in historia plerumque moralitas & mysterium, ut in Genesi, & in pluribus libris veteris Testamenti, cujus, ut dicitur, nullum à mysterio vacat verbum. Reperitur quoque in moralitate historia & mysterium, ut in pluribus Augustini sermonibus, & aliorum sanctorum Patrum multa historialiter, & secundùm mysterium, id est, spiritualem sensum dicuntur. Reperitur etiam in mystica Scriptura moralitas & historia, ut in Psalterio, & in Prophetis pluribus. Igitur divina Scriptura, aut est historialis, ut Genesis: aut moralis, ut sermones: aut pertinens ad mysterium: quæ pars præcipuè ad prophetiam spectat. Præterea alias regulas, in quibus tradendis usus est præcipuè operâ Divi Augustini in Libris IV. *De Doctrina Christiana.* Nec Ticonii Regulas aspernatus est, quas utiles ad utrumque sensum Scripturæ in epistola ad Eusebium, præfixa Commentario in Apocalypsin, commendavit. Ad hæc in gratiam suorum Auditorum quædam Opuscula proprio marte composuit, cujusmodi sunt: *Schemata S. Scripturæ, Liber de Temporibus* ad intelligendam supputationem sacri Codicis, *Interpretationem nominum Hebraicorum*, & plura alia. Postea à suis scholaribus humilitatem, considerationem, & applicationem exigere solitus erat. Sancta Scriptura dicebat, **** contra morem secularium doctrinarum humilitatis magistra existens, per humiles edita Scriptores, humilibus solùm auditoribus vel lectoribus patet. Tum etiam ***** Scripturis sanctis utiliter animum intendimus, cùm non solùm in eis virtutes ac præmia justorum, verùm etiam vitia, vindictámque reproborum ad incitamentum nobis benè agendi proponimus. Quod ad applicationem attinet, discipulos monebat, ut, si ipsis professus in Sacræ Scripturæ studio cordi esset, publicæ in scholis institutioni, extra illas privatum studium & SS. Patrum lectionem adjungerent; quia sicut privatum studium, dicebat, sine magistri voce minoris est efficaciæ, ita publica in scholis institutio sine domestico studio, & assiduâ commentariorum evolutione parum habet utilitatis. Quanto igitur quisque in divina pagina evolvenda fuerit assiduus, tanto ex ea uberiorem capturus sit intelligentiam.

Habuit etiam V. Beda charissimam sororem, quæ Deo aliquo in monasterio suam devoverat virginitatem, ad instantes ejus preces *Expositionem in Habacuc* composuit. Ex quo perspicuum fit, quòd jam antiquissimis ac ferè primis temporibus Benedictinæ Familiæ in Anglia Sanctimoniales nostræ cùm Latini sermonis peritæ, tum sacra-

* Opp. tom. 1. pag. 42. ** tom. 4. col. 129. *** Tom. 3. col. 308.

**** Tom. 4. pag. 273. ***** Tom. 7. pag. 127.

sacrarum Literarum scientiæ perquàm fuerint studiosæ.

Earum verò complures usæ sunt magistro Divo Bonifacio, Nuitscellensi monacho, postea sanctissimo Germaniæ Apostolo. Equidem is in Adestancastrensi propè Oxoniam monasterio Regulæ S. Benedicti solenniter se obstrinxerat, sed cùm eò loci nullus adesset magister, à quo sacras literas, quarum incredibili desiderio tenebatur, edoceretur, petitis & obtentis, ut vocant, literis dimissoriis, ad Nuitscellense, aliis Nutscellense, se contulit monasterium. Hic Abbate Wigberto divinum codicem exponente in sacrarum Scripturarum intelligentia tantam doctrinæ laudem est consecutus, ut multi famâ ejus passim diffusâ commoti, ei se erudiendos tradere studerent. Nec monachos tantùm discipulos habuit, sed moniales etiam, à quibus magister expetitus, divinis eas literis instituit. Quod verò in earum studio vir sanctus toto pectore incubuerit, in causa erat, quòd Gentibus verbum prædicare divinum animo secum constituerat. Neque enim illum fugiebat, nemini studio ac lectione sacrarum literarum magis opus esse, atque Verbi divini præconibus. Illud memoratu dignum, quod ei in Apostolatûs sui exordio contigit. Cùm ad Palatiolum, monasterium Virginum propè Treviros pervenisset, ab Addula, magnæ pietatis ac virtutis, Abbatissa, Dagoberti secundi Regis Francorum filiâ, hospitio exceptus fuit. Sacris peractis, ut refert S. Ludgerus, sederunt ad mensam, ipse scilicet Bonifacius, & ancilla Dei Addula Abbatissa cum familia sua. *Cœperunt autem ad ipsum S. convivium, plusquàm epulas, solatium S. Scripturæ expetere, quo fieret fides audientium accensa, spésque & charitas novata in Deum, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Tunc quæsitus est lector, & juxta Dei providentiam inventus est electus puer Gregorius, qui per idem tempus, nuper à schola & palatio reversus, sub laico adhuc habitu quasi XIV. aut XV. agens ætatis annum, Dei instinctu venit ad aviam suam, id est, matrem patris sui Albricii, supradictam Abbatissam Dei timentem Addulam, datúsque est ei liber; qui accepta benedictione cœpit legere, & juxta modum ætatis suæ bene perlegere. Intelligens verò S. Magister sagacem mentem pueri, bonámque indolem, cœpit eum consummatâ lectione, his verbis moderatè laudare, & dicere: Bene legis, fili! si intelligis, quæ legis. Ipse autem adhuc temporis sapiens ut parvulus & loquens se scire professus est, quæ legebat. Dic mihi, inquit, quomodo intelligis, quæ legis? Ipse verò repetebat ab exordio lectionem suam, volens legere sicut priùs. Præceptor autem sanctus paululùm distulit eum, & dixit: Non ita, fili! quæro, ut dicas mihi lectionem tuam, sed secundùm proprietatem linguæ tuæ, & secundùm naturalem parentum tuorum loquelam edissere mihi, quæ legeris. Hac ille ratione convictus confessus est, quia non posset facere. Sanctus verò Bonifacius: Vis fili, ut ego tibi dicam? Volo, inquit. Tunc B. Bonifacius, Repete, ait, ab exordio lectionem tuam, & disertè lege. Quod dum faceret, exorsus est S. Magister, & clarâ voce cœpit prædicare & matri, & omni familiæ.* Quâ exegesi, atque unius congressûs suavitate adolescentem nobilissimo loco natum ad sua premenda vestigia ita attraxit, ut palàm conceptis verbis dictitaret, suis se pedibus cum Bonifacio orbem terrarum peragraturum, si equi copiam avia Abbatissa negâsset, *quoad discendos libros divinos discipulatum ejus subire posset.* Et verò eo magistro tantos in divinis literis progressus fecit, ut alios deinceps, inter quos S. Ludgerus Monasteriensis Episcopus, iisdem instituerit. Cui verò ex hoc exemplo non fit perspicuum, quantò feliciùs ad suave Christi jugum, Apostolicæque vitæ philosophiam Gregorium illum adhuc puerum vel adolescentulum permoverit S. Bonifacius, quàm ad profanam mundi hujus philosophiam aut Xenophontem Socrates, aut Protagoram Democritus?

Romam delatus Bonifacius more antiquo priùs examen doctrinæ, & in sacris Literis peritiæ subire debuit, quàm prædicandi Evangelii potestas ei facta fuit. Quam verò laudem in illo tulerit, ex verbis Gregorii II. intelligimus. *Experimur*, inquit Pontifex, *te ab infantia sacras literas didicisse, profectúsque indolem ad augmentum talenti cœlitùs crediti prospectu divini timoris extendere, videlicet gratiam cognitionis cœlestis oraculi in laborem salutiferæ prædicationis expendere.* Nec Sacræ Scripturæ studium in ipso laborum plenissimo Apostolatu seposuit. Argumento sunt epistolæ bene multæ, quas in Angliam dedit pro comparandis libris, quos ad illud sibi necessarios esse duxit. Omitto illas referre, contentus solùm adducere ea verba ex

epi-

epistola ad Nidhardum, quibus illum ad Sacræ Scripturæ studium adhortatur: „ Quid frater Christiane, a juvenibus decentiùs quæritur? aut quid „à senibus demum sobriùs possidetur, „quàm scientia Scripturarum sacrarum, quæ, sine ullo naufragio periculosæ tempestatis, navem animæ „nostræ gubernans, deducit ad amœnissimi situs paradisi, & ad perpetua „superna gaudia Angelorum, de quibus supradictus sapiens dixit: „ *Sapientia vincit malitiam. Attingit ergo usque ad finem fortiter & disponit omnia suaviter. Hanc amavi & exquisivi à juventute mea, & exquisitor sum formæ illius: generositate clarificat contubernium Dei habens, sed & omnium Dominus dilexit illam, doctrix est enim disciplina Dei.* „ Propterea si Dominus „Omnipotens voluerit, ut aliquando „ad istas partes remeans, sicut propositum habeo, per viam spondeo, me „tibi in his omnibus fore fidelem amicum, & in studio divinarum Scripturarum, in quantum vires suppeditant, devotissimum adjutorem.„ Vide, quàm sacri studii hujus amans fuerit sanctus Bonifacius, quàm divinas Literas & magis-magisque discere, & quod in iis didicisset, alios docere concupierit.

Author est Stephanus Baluzius * quòd Divus Archipræsul Wigbertum Abbatem Nutscellensem, suum in sacræ paginæ studio præceptorem ex Anglia in Germaniam arcessitum Abbatem monasterii Fritislariensis constituerit. Sed fallitur Vir eruditissimus, & Wigbertum Abbatem Nutscellensem cum Wigberto monacho Glastoniensis monasterii, quod positum erat in pago Somersetensi, malè confundit. Hujus est epistola LIII. inter Bonifacianas inscripta *Patribus ac Fratribus in monasterio Glestingaburg constitutis, in qua Wigbertus Presbyter ait: Vos volo scire charissimi, quòd Archiepiscopus noster Bonifacius, cùm adventum nostrum audisset, per semetipsum dignatus est longâ via in obviam nobis venire, ac suscipere valde benignè.* Neque hic tamen, sed alius Wigbertus monachus Fritislariensis suo in monasterio jussu D. Bonifacii sacras docuit Literas, cui operam dedit sanctus Sturmio, quem postea idem sanctissimus Germaniæ Apostolus primum Fuldensis Ecclesiæ Abbatem constituit.

* In Notis ad Epist. Lupi Abbat. Ferrariensis pag. 492.

Sub idem ferè tempus, vel certè quidem non ita diu pòst in Italia claruit Ambrosius Autpertus ** natione Gallus, sancti Vincentii ad Vulturnum fluvium in Benevento Abbas. Hic est sanctissimus juxta ac doctissimus ille Præsul, qui plures Sacræ Scripturæ libros indefesso studio exposuit. Præcipuum ejus opus sunt Commentaria in Apocalypsin, haud vulgari doctrina & eruditione referta. In hujus Expositionis libro octavo sub initium indicat Vir sanctus, quòd haud aliarum, atque sacrarum Literarum studiis delectatus fuerit, & quâ ratione ad elucidandam Apocalypsin animum adjecerit: „Rarissimos, inquit, tractatores fidelium invenimus, quos non „sæculi literatura priùs imbuerit, „quàm ad divinas transierint enodandas Scripturas, quósque de Ægypto „exeuntes, non Ægyptiorum divitiæ „locupletâssent, ut Hieronymum, Augustinum, Cyprianum, Hilarium, „Ambrosium, & alios multos, quod „tamen mihi ultimo omnium evenisse minimè cognosco: non enim opertus divitiis exivi de Ægypto, quia „nequaquam me in schola mundanæ „sapientiæ erudiri contigit. Nihil mihi „Plato, nihil Cicero, nihil Homerus, „nihil Virgilius, nihil Donatus, nihil „Pompejus, nihil Servius, nihil Sergius, nihil Priscianus contulit; sed „si quid fortasse habere videor, hoc „de horreo dominicæ prædicationis „à Christo accepisse me fateor, non „quòd mihi & eorum fuerit denegata „scientia, sed quòd plus delectatus „sim verbis humillimi piscatoris, quàm „superbissimi Oratoris, plus divinis intenderim, quàm humanis eloquiis. „Et ut verum dicam, ecce coram Deo „in Christo loquor, quia cùm ad hoc „opus transire vellem, modos divinæ „locutionis ignorabam: quia si scire „tunc potuissem, quantum laborem, „quantúmque sudorem cœlestium sacramenta deposcerent pertractanda, „non solùm hunc cunctis divinarum „Scripturarum (ut mihi videtur) obscuriorem librum aggredi non præsumpsissem, verùm etiam apertiora „quæque tangere refugissem. Ingressus autem tam arduæ disputationis „opus, verum fateor, quia (ut est humani ingenii præsumptio) prius docere, quàm discere concupivi: sed „egit hoc divina gratia, ut unde docere cupiebam, inde discerem; quatenus

** Mabill. Annal. tom. 2. l. 24. n. 71. & 93. pag. 237. & 247.

„tenus & docens discerem, & discens „docerem. Et quia nunc usque id „ipsum ago, fit mito omnipotentis „Dei dispositionis ordine, ut quod he„ri nesciebam, hodie inveniam: & „quod hodie cum magno difficultatis „labore comprehendere non valeo, „cras sine labore percipiam.„ Ita ille initio libri octavi.

AUTPERTUS præfert virtutis cultum doctrinæ studio.

Quàm ardenter verò cum studiis suis piam vitam conjungere desideraverit, circa finem libri decimi demonstrat, ubi à Deo postulat sibi dari cum scientiæ dono studium & voluntatem operandi bonum, & emendatiorem vitam cum salubri doctrina, aliàs malle se stultum, hebetémque esse. „Nihil, inquit, prodest benè docere, & „malè vivere. O quàm multi recta & „vera docuerunt, & tamen secundùm „ea, quæ docuerunt, noluerunt vi„vere. Sed obsecro, mi Domine, Do„ctor Angelorum & hominum, ne in „talium numero computes eum, qui „emendatiorem vitam cum salubri „doctrina arripere quærit. Et quia „hoc ipsum, nisi à te acceperit, face„re non potest, qui tribuisti scientiæ „donum, quæso, ut tribuas etiam vo„luntatem, studium, atque virtutem „operandi bonum. Quòd si volun„tas, studium, virtúsque operandi „bonum non prosequitur scientiæ do„num, satius mihi est Domine, stul„tum, hebetémque esse: neque enim „ideò patriam, parentésque reliqui, „ut mihi scientiæ dona largireris: sed „ut perfectione virtutum ad vitam æ„ternam perduceres. Nolo certè hanc „commutationem. Quòd si utrâque „non mereor, doctrinam scilicet at„que operationem: aufer, quæso, do„ctrinam: tantùm ut tribuas opera„tionem virtutum. Quid enim mihi „prodest aliis iter perfectum ostende„re, & me imperfectè ambulare?„ Utinam omnes,) exclamat hîc doctissimus Hagiographus Joannes Solerius, sacris studiis animum intendentes, hæc aurea verba altè cordi suo impressa habeant, sæpiúsque mecum atque attentè revolvant.

Invidiosam Criticorum censuram patitur.

Quorundam tamen invidiam * simul in se excitavit, qui cùm integerrimos ejus mores vituperare non possent, ejus in libris componendis studium vituperabant, *Scripturam sacram commentandi tempus jam elapsum esse* dictitantes. Crimini ei etiam vertere conati sunt coram Stephano III. Pauli successore, *quòd Apocalypseos explicationem aggredi ausus fuisset, cùm Deus quidquam immutare vel addere prohibuisset*, quamquàm vi veritatis impulsi, illud Autperti opus nihil nisi sanæ doctrinæ consentaneum continere, coram ipso fateri coacti fuissent. Verùm Pontifex *Autperto* mandavit, ut contempta invidiosa suorum Criticorum censura, labores suos pro more suo perageret. *Labora, sicut cœpisti*. Aliquanto post Autpertus, quò ab Adversariorum censura tutior esset, suum opus misit ad Papam circa An. 768. ejus approbationem rogans; addens (quod notandum) primum se esse scriptorem, qui hanc ab ipso postulâsset; libertatem scribendi juxta methodum Patrum Ecclesiæ publicam esse & comunem, ac semetipsum nihil huic libertati officere velle libera sua, voluntaria & humili submissione. *Sed non ideo*, inquit, *libertas succubuit, quia humilitas semetipsam liberè prostravit*. Pietas Autperti non minùs, quàm ejus eruditio in hoc opere emicuit. Patrum probatissimorum sensa ubique sequitur, neque veretur dicere, se vix condemnari posse, quin censura in S. Hieronymum, S. Augustinum, S. Ambrosium, aut S. Gregorium redundaret, quorum mentem induerat, operum, quæ posteritati reliquerunt, assiduâ lectione. Aliæ ex eo supersunt piæ doctæque lucubrationes, de quibus aliàs.

IGLACUS sac. Liter. Professor.

Ex Italia in Angliam revertamur; ubi non solùm Venerabilis Beda, sed alii etiam Benedictini sacras Literas discipulis in scholis explanârunt. Magistrorum in numero *Iglacus* minimè postremus fuit. Hic ** postquam juventutis florem in profanarum literarum studiis optimè collocâsset, miro fervore animum ad sacras Literas appulit, & uti erat ingenii felicis, in brevi multùm perfecit. Itaque percrebescente per Nordamhumbrorum cœnobia celebris viri fama, Seguinus Abbas S. Petri in finibus Berniciorum eum accersivit, in suum cœnobium suscepit, & ibidem Monachis prælectorem constituit. Ibi multa legit, docuit, scripsit, & posteritati reliquit, quæ postea simul cum ipsis monasteriis & bibliothecis per rabiem Danicam in cineres abierunt. Hujus eximii Doctoris sæpè meminit in suis scriptis Ethelwolfus monachus & Poëta insignis, qui ejus in sacris Literis scientiam,

* Vid. M. B. B. v. *Autpertus*. p. 575.

** Pitseus de illust. Angl. Script. pag. 364.

entiam, in victu parcimoniam, in moribus integritatem, in omni congressu modestiam, & alias virtutes summis in cœlum effert laudibus. Unum & alterum distichon hîc exempli causa ponere, planè operæ pretium judicavi.

Tempore, quô Lector *præclarus gaudia dicti*
Accumulat patris, Iglacus nomine dictus,
De quo jam dudum perstrinxi pauca relatu
Anglorum de gente, pios dum carmine quosdam
Concinerem. Quondam fuit inclytus ille Magister.

Sac. Scripturæ studia in Angliæ monasteriis languescunt.

Diem supremum obiit Iglacus circa annum quadragesimum supra septingentesimum. Ab ejus obitu studia divinæ paginæ in monasteriis Angliæ nonnihil remitti cœpisse vix inficias ire licet. Patres enim Concilii Clovesboviensis anno DCCXLVII. in Anglia celebrati postquàm Abbatibus atque Abbatissis præceperunt, ut suis in monasteriis Sacræ Scripturæ lectiones accuratè haberi operam darent, hæc subjecerunt: *Dolendum est, quòd his temporibus perpauci inveniantur, qui ex intimo corde sacræ scientiæ* (cui nunc Theologiæ Positivæ nomen tribuimus) *rapiantur amore, & vix aliquid elaborare in addiscendo voluerint.* Verùm hæc per exaggerationem, ut fieri amat, dicta sunt, neque universim de omnibus Angliæ monasteriis accipi possunt, aut debent. Unde enim, nisi sacrarum Literarum studia in pluribus monasteriis exculta fuissent, Divus Bonifacius, ut paulò antè vidimus, cùm monachos tum moniales, ut eas in Germania docerent, evocare voluisset? In schola certè Eboracensis ecclesiæ & monasterii magnus & insignis earum fuit cultus. Hîc Flaccus Albinus, qui & Alcuinus dictus est, ab Ecberto, Eboracensium Archiepiscopo educatus, & literis primùm politioribus, tum sacris institutus fuit: cujus rei ipse in libro Epistolarum suarum non semel nos certiores facit: & præcipuè in ea, quam dedit his verbis ad Eboracenses: *Vos fragiles infantiæ meæ annos fovistis materno affectu, & lasciviam pueritiæ meæ pia sustinuistis patientiâ, & paternæ castigationis disciplinis ad perfectam viri eduxcâstis ætatem, & sacrarum eruditione Literarum roborâstis.* Ex discipulo magister, & Rector Eboracensis scholæ factus, multos & ipse postea discipulos, doctrina ac virtute insignes numeravit. Inter quos commemorandus occurrit sanctus Ludgerus Monasteriensis Episcopus, *in Scripturis sacris,* recito Alfridi Scriptoris vitæ verba, *non mediocriter eruditus, sicut in libro ab eo composito de vita venerabilium Doctorum, Gregorii scilicet & Albrici apertè probatur.*

Alcuinus ponit rudimenta sacrarum Literarum.

Ex Anglia in Galliam à Carolo Magno evocatus Alcuinus sacras Literas, quà publicè docendo in scholis, quà commentando in Musæo exposuit. Potissimùm verò Quæstiones, vel ut ipse vocat, Interrogationes de libro Geneseos illic composuit in gratiam Sigulfi, veteris & individui socii, successorísque in Abbatia Ferrariensi. * Is enim Religiosorum ejus sæculi nunqnam satis laudatam cùm industriam tùm pietatem fortiter secutus, in lectione divinorum librorum felices horas feliciùs collocavit. Utque ferè fit in tam assidua librorum evolutione, incidit in quædam loca Geneseos, quæ viri undecunque eruditi judicium desiderabant. Cogitanti de interprete Alcuinus ornamentum sui seculi occurrit, cui libellum de Quæstionibus transmisit. Alcuinus intellecto ejus consilio respondit, ac librum Sigulfo nuncupavit. Enchiridion quoque, sive piam ac brevem expositionem in Psalmos tunc elaboravit. Item Commentaria super Ecclesiasten, quæ dilectissimis discipulis Oniæ Sacerdoti, Candido Presbytero, & Nathanaeli Diacono inscripsit. Subinde à *Gisla* & *Richtruda*, regiis ac Deo dicatis Virginibus in Benedictino Parthenone, suis quondam discipulis, exoratus, luculentos illos Commentariorum in Joannem septem libros exaravit. Præterea jussu ac mandato Caroli Magni, cui in deliciis erat, veteris ac novi Testamenti libros omnes ab innumeris librariorum mendis ac erroribus incredibili studio & labore liberavit, correxit, atque emendatos eidem è Turonensi S. Martini monasterio transmisit.

Commentaria in varios Scripturæ libros elucubrat.

Quod ad discipulos Alcuini attinet, eorum facilè præcipuus fuit B. *Rabanus Maurus*, Fuldensis Abbas, & Moguntinus Archiepiscopus. Hîc cùm annum ætatis decimum octavum ageret, magno cœpit divinarum Scripturarum flagrare amore; verùm à quo

Studium Theologiæ in schola Fuldensi asseritur.

* Leland. cap. 59. pag. 124.

quo iis erudiretur, si Abbatem Spanheimensem audimus, nemo domi occurrebat. En * Trithemii verba! *Nam eo tempore studium literarum generale, sicut postea, necdum in Fuldensi monasterio vigebat. Monachi etenim humili Scripturarum intelligentia imbuti, altiora scientiæ studia non curabant.* Huic Trithemianæ assertioni quò minus ego assensum præbeam, verbis retineor testis omni exceptione majoris, sancti *Æigilis* Fuldensis ab anno Christi 818. ad 822. Abbatis, quibus studii Theologici exercitationes disertè asserit, *in monasterio scholam esse* scribens, *ubi Lex divina jugi exercitatione disceretur & doceretur:* ** deinde his versibus:

-- -- *Abbatis posthac subductus in æde*
Hinc puer imberbis scholæ defertur in arcem.
Lex æterna Dei semper, quæ munere Christi
Discitur à pueris, seniorúmque ore docetur.

Puerorum nomine hic veniunt, ut Parte 1.ma hujus Historiæ palàm fecimus, atque ex epistola Alcuini *ad pueros S. Martini* constat, qui studiis politioribus, aut etiam theologicis operam navabant. Inter ejuscemodi pueros Fuldæ id temporis Theologiæ Positivæ studebat Rabanus Maurus At opponis; si schola Theologica per id tempus Fuldæ florebat, quæ causa Rabanum perpulit, ut Fuldâ in Galliam ad operam Alcuino dandam commigraret? Celebritas magistri, respondeo, quæ ad se auditores è longinquo pellicere solet. Certè cùm Rabanus Alcuinum vix sesqui annum audiérit, eum jam priùs literis Theologicis institutum esse oportuit. Ante obitum enim Alcuini Fuldam reversus scholis præfectus fuit. In docendo antem & exponendo sacras Literas hanc ferè rationem tenuit.

B. Rabani methodus in sacris Literis docendis. Primò eminentiam sacrarum Scripturarum suis exposuit auditoribus, quò illis nempe animos adderet, ut ad assequendam earum scientiam omnes cogitationes suas atque omnia studia converterent; multùm enim refert, ut quarum literarum cognitione imbui volumus, earum quanta sit præstantia intelligamus, cùm natura ita comparati simus, ut quò majori æstimatione rem quampiam metimur, eò vehementiori illius potiundæ studio exardeamus. „ Fundamentum, inquiebat, *** status & perfectionis prudentiæ, scientia est sanctarum Scripturarum: quæ ab illa incommutabili æternáque sapientia profluens, quæ ex ore altissimi prodiit, primogenita scilicet omnium creaturarum Spiritûs sancti distributionibus, per vasa Scripturæ lumen indeficiens, quasi per laternas orbi lucet universo &c.

Secundò ostendit, ad quid omnis Scripturarum scientia referenda sit, nempe ut ad cognitionem perfectam veritatis, & sapientiæ perveniamus, quâ cernitur & tenetur summum bonum. Divinarum Scripturarum studioso unicè debet esse propositus amor Dei & proximi. Quisquis ergo, dicebat **** Scripturas sacras, vel quamlibet partem earum intellexisse sibi videtur, ita ut eo intellectu non ædificet istam geminam charitatem Dei & proximi, nondum intellexit, quemadmodum oportebat eum scire.

Sacræ Literæ intellectu difficiles. Tertiò in Sacræ Scripturæ studio diligentiam & industriam à discipulis requisivit, cùm divinæ Literæ intellectu difficiles sint. „Quod totum, ***** inquiebat, provisum esse divinitùs non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio renovandum, cui facilè investigata plerumque vilescunt. Sunt enim in divinis libris plurima loca, tropicis locutionibus difficilia; sunt quoque multa rerum magnitudine eximia, atque ideò necesse est, ut & sensus & ingenii sagacitate investigentur, & pro sui dignitate intellecta venerentur. Nemo enim ambigit per similitudines libentiùs quæque cognosci, & cum aliqua difficultate quæsita multò gratiùs inveniri. Qui enim prorsus non inveniunt, quod quærunt, fame laborant, qui autem non quærunt, quia in promptu habent, fastidiosè marcescunt. In utroque autem langnor cavendus est. Magnificè ergo & salubriter Spiritus sanctus ita Scripturas sanctas medicavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detraheret.

Quartò docuit eos modum legendi Scripturas, ut videlicet eas primùm sine notis ac Comentariis evolvant. „Erit igi-

* in vita B. Rabani lib. 1. c. 2.
** apud Launoium de scholis celebr. cap. 8. p. 14.
*** vid. lib. 3. de institut. Cleric. cap. 2.
**** Cap. 4. ***** Cap. 3.

„igitur, * monebat, divinarum Scripturarum solertissimus indagator, „qui primò totas legerit, notásque „habuerit, & si nondum intellectu, „jam tamen lectione duntaxat: „ Cùm verò easdem secundò legere paraverit, Commentarios adhibere poterit.

Quintò ** Canonem Hebræorum, quomodo apud eos tripartitus sit ordo divinarum Scripturarum, edocuit.

Sextò declaravit, quænam disciplinæ ac scientiæ ad comparandam Scripturarum intelligentiam deserviant.

Septimò *** studium linguarum, quæ in cruce Redemptoris & Salvatoris nostri dedicatæ sunt, Hebrææ scilicet, Græcæ & Latinæ ad intelligenda divini Codicis parerga plurimùm conducentium commendavit.

Octavò tradidit **** Regulas intelligendi sacras Scripturas, quas tamen ex libris S. Augustini, in quibus versatissimus erat, *de Doctrina Christiana* potissimùm excerpsit.

Pietas & timor Dei studioso sac. Liter. commendantur.

Nonò à Discipulis suis timorem Dei atque pietatem exegit. ***** „Ante omnia, ajebat opus est ei, qui desiderat ad sapientiæ pervenire culmen, Dei timore converti, ad cognoscendam ejus voluntatem, quid „nobis appetendum fugiendúmque „præcipiat. Timor autem iste cogitationem de nostra mortalitate, & „de futura morte necesse est incutiat, „& quasi clavatis carnibus, omnes „superbiæ motus ligno crucis affigat. „Deinde mitescere opus est pietate, „neque contradicere divinæ Scripturæ, sive intellectæ, si aliqua vitia „nostra percutit, sive non intellectæ, „quasi nos meliùs sapere, meliúsque „percipere possimus, sed cogitare potiùs, & credere id esse melius, & verius, quod ibi scriptum est, etiamsi „lateat, quàm id quod nos per nos „ipsos sapere possumus.

B. Rabanus è sua schola quos excluserit?

Decimò discolos & immorigeros à sua arcebat disciplina: *Monasticæ religionis*, inquit auctor vitæ, *tam sincerus fuit amator, ut in auditorium suum neminem admitteret, nisi priùs mentem ejus diligentissimè super integritate observantiæ regularis exploràsset.* Unde si quos mente aut corpore vagos, & ad observantiam monasticæ disciplinæ minùs reperisset idoneos, tanquam animalia bruta, & bestias immundas, ab accessu montis divinarum Scripturarum arcebat, dicens: Scriptum est: *Bestia, quæ montem tetigerit, lapidibus obruetur.* Propterea fratres abite, & primùm discite, vos mente componere, ut moribus emendatis digni sitis cum Moyse, Dei sermunes in montis cacumine audire. Nemo enim Dei Scripturas discendo utiliter percipit, cujus adhuc anima vitiorum pulvere sordescit. Et hæc sua docendi ratio sancto Viro semper familiaris extitit, ut studio literarum justitiæ præponeret disciplinam, & scientiæ Scripturarum anteferret pietatem. Qui tantò faciliùs justitiam & virtutum observantiam persuadere potuit, quantò eas non modò verbis, sed etiam operibus demonstravit.

In Fuldensi monasterio Scripturæ studium excolitur.

A tempore igitur B. Rabani Mauri studium Theologiæ Positivæ monachi Fuldenses majori adhuc alacritate atque industria exercuerunt. Erant subinde, ut Trithemius in Chronico testatur Hirsaugiensi ****** in Fuldensi monasterio supra ducentos septuaginta monachi, viri religione eximia, &, ut ipse loquitur, *pro magna parte in sacris Scripturis doctissimi.* Prorsus erant gemini moribus iis, quos B. Augustinus mirificè extollit, qui contemptis ac desertis mundi hujus illecebris in comunem vitam castissimam, sanctissimámque congregati, simul ætatem agebant, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus: nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi, sed modesti, verecundi, pacati concordissimam vitam & intentissimam in Deum, gratissimum ipsi munus offerebant, à quo ista posse meruerant. Quin sedularum instar apum, opere nunquam languido impigrè in hac sua Fuldensi palæstra ascetæ desudabant. Dictabant alii, vel experimenti causa scriptitabant varios in utriusque Testamenti paginam commentarios: alii sibi munus exponendi interpretandíque deposcebant. Erant, qui ex illis perpetuò virentibus tum Scripturarum, tum sanctorum Patrum hortis tanquam scientiarum sanctissimos flures colligerent. Unum pro cunctis nominâsse sufficiat *Haymonem*, qui ex schola Fuldensi Hersfeldiam anno DCCCXXXIX. accersitus fuit, ut sacras exponeret Literas; quod cùm duos annos præclarè fecisset, anno DCCCXLI. in Episcopum Halberstadiensem electus fuit. Episcopus verò factus

Haymo Fuldensis in Professorem postulatur.

* Cap. 6. ** cap. 7. *** cap. 8.
**** Cap. 9. & seq. ***** Cap. 4.

****** Trithem. in vit. apud Bolland. 4. Febr.

factus etsi docendi munus prosequi haud potuerit, divinæ paginæ tamen studio neutiquam nuntium remisit, sed quod reliquum boni otii à curis episcopalibus nancisci potuit, illud omne in commentando sacro Codice laudatissima industria consumpsit. Unde Melchior Neosanus in catalogo Episcoporum Halberstadiensis Ecclesiæ de Haymone:

Exemplum pietatis erat, studióque dicatus
Assiduè, sacro sacros longo ordine libros
Edidit, & scholiis divina volumina doctis
Liquit adaucta.

Etiam Winnigstadio teste idem Haymo
Explicat ingenio Biblia tota suo.

Celebriores Rabani discipuli.

Quin ex aliis etiam monasteriis Monachi Fuldam missi fuerunt, ut literas maximè sacras ac divinas à Rabano addiscerent. Præ cœteris eminuêre *Hartmutus* Sangallensis, *Angelomus* Luxoviensis, *Walafridus* Augiensis, & *Lupus* Ferrariensis, qui quantoperè studium Theologiæ Positivæ illic floruerit, luculentum perhibent testimonium. Et *Hartmutus* quidem varios in divinum Codicem Tractatus conscripsit. *Angelomus* rogatu fratrum Luxoviensium in Libros Regum commentarios auspicatus est, quòd à nullo veterum Doctorum ex integro libri Regum expositi, certè quidem in illis terris minimè haberentur; quod ubi Drogo Abbas Luxoviensis, unáque Episcopus Metensis, frater Ludovici Augusti intellexit, Angelomo præcepit, daret operam, ut cœptum opus quantocyus ad fastigium perduceret. *Walafridus Strabo* Glossam ordinariam in universam Scripturam Sacram ex veterum Patrum monumentis primus adornavit. *Lupus* verò in epist. 1. ad Eginhartum de se in hæc verba scribit: *Nam à præfato Episcopo* (S. Aldrico, Archiepiscopo postmodùm Senonensi) *ad Venerabilem Rabanum directus sum, uti ab eo ingressum caperem divinarum Scripturarum.* Singuli verò domum è Rabani schola reversi studium sacrarum Literarum apud suos quà scribendo quà docendo egregiè promoverunt. Illud verò peculiare habet *Angelomus*, quòd in palatio Lotharii Augusti divinum Codicem explanârit; cujus jussu in Cantica Canticorum commentatus est, uti ipse in nuncupatione Commentarii ad eundem Augustum testatum nobis reliquit. *Lupi* Auditores, quos in epistola XXXIV. commemorat, & multi & docti fuerunt. Præ cœteris ornamento ipsi fuit *Hericus*, qui deinde in cœnobio S. Germani Autissiodorensis, ubi in monachorum cœtum adlectus fuerat, Magistri munus in Theologia obivit: cujus auditor fuit *Remigius* ejusdem loci cœnobita, supra invidiam, omnésque laudes inter illius ævi Theologos positus, à quo eruditio & doctrina ad sequentia tempora propagata est. Cœterùm *Lupus* S. Augustini de Gratia & Prædestinatione doctrinam pro aris ac focis tutatus est. Ille quippe à Carolo Calvo, Francorum Rege, requisitus, quid de tribus istis Quæstionibus, videlicet *de Prædestinatione, de libero Arbitrio*, ac *de Redemptione Christi* sentiret? quidquid in divinis Literis didicerat, & in sanctorum Patrum Operibus invenerat, ejus Majestati strictim, ut ipsemet testatur, in epistola ad eundem Regem aperuit, librúmque ea de causa composuit, cui titulus est: *De tribus Quæstionibus.* Eodem tempore idem Lupus alium librum de iisdem Quæstionibus ad *Carolum Calvum* scripsit, atque *Collectaneum* edidit, quo sanctorum Patrum testimonia *de gemina Prædestinatione, de libero Arbitrio, & de Sanguine Christi*, quô pacto scilicet pro omnibus sit effusus, sedulò complexus est. Negat quidem in istis Opusculis *Lupus Servatus*, Christum mortuum esse pro omnibus omnino hominibus, sed id negavit in sensu Catholico, volúitque duntaxat; Christum non esse mortuum pro omnibus hominibus, ita ut beneficium mortis ejus atque fructus in omnes æquè derivetur. * Nunquam tamen negat, sed potiùs docet, Christum pro totius mundi peccatis sanguinem suum, qui in se habet, ut omnibus prosit, obtulisse, atque quantum ad illam pretii & voluntatis erga omnium salutem sincerè affectæ sufficientiam tam esse mortuum Christum pro omnibus, quàm omnes in Adamo mortui sunt.

Lupus Ferr. doctrinam S. Augustini de gratia & prædestinatione tutatur.

Quô sensu negârit, Christum esse pro omnibus mortuum.

Lupo amicitia erat conjunctus Gothescalcus, infelix ille Orbacensis monachus; qui cùm in lectione SS. Patrum, maximè Augustini, versatissimus esset, sparsit, ut ejus Adversarii volunt, impia de absoluta prædestinatione ad vitam

Gothescalcus in lectione Patrum versatus.

* Hanc esse veram & genuinam Lupi sententiam disertè ostendit Nat. Alex. Hist. Eccl. Sec. IX. Dissert. V. & cum eo Graveson Hist. Eccl. Sec. IX. Colloq. V. p. 184.



vitam æquè ac æternam damnationem dogmata, quæ anno 848. à Rabano Mauro in Synodo Moguntina examinata,& anno insequenti instituto apud Carisiacum conventu, rectè an perperam? rejecta fuerunt. Præterea Gothescalcus inutilium in Theologia quæstionum sectator fuisse videtur, ut patet ex Lupi Abbatis ep. 30. ubi ejus nimiam impetiginem reprimit. Quæsierat ab eo Gothescalcus, num Beati *post resurrectionem oculis corporeis Deum visuri essent*? Quid ad hæc Lupus? „Ni veritus fuissem, inquit, ut me „ab observatione caritatis aversum, „nullis flecti precibus putando, eam„dem caritatem offenderes, etiam „nunc silentii latebras fovens, nihil ad „ea, quæ consuluisti, respondissem, „duabus videlicet ex causis: alterâ, „ne otio tuo materiam exercendi in„genii vel imminuerem, vel detrahe„rem; alterâ, ut habita consideratio„ne illorum, quos super eadem quæ„stione te sollicitâsse olim cognovi, „mediocritatem meam non præjudi„care quorundam excellentiæ æsti„matione propriâ comprobarem. „ Et sub finem eum hortatur: *ut nequaquam ultrà in talibus suum ingenium conterat, ac bis ultrà, quàm oportet, occupatus, ad ulteriora vestiganda, sive docenda minùs sufficiat.* Alium Monachum, * nescio cujus in Gallia monasterii, Reginbertum nomine, literarum amore flagrantem admonuit, ne divinæ paginæ studium postremis in curis haberet: *Hortor, ne divinæ Scripturæ nulla tibi fuerit cura, cujus & usus frequens est, & cognitio salutaris.*

Inutiles in Theologia movet quæstiones.

Sapientiùs ac utiliùs Angelomus Luxoviensis, Bertharius Casinensis, Luitbertus Hirsaugiensis, Adrevaldus Floriacensis, aliique plures hoc sæculo Benedictini operam suam in Theologia Positiva collocârunt; quibus tamen brevitatis studio in præsens omissis, ad Rabanum Maurum regredior, ad cujus longè celeberrimas scholas non monachi tantùm ex variis monasteriis, sed Clerici etiam ex Cathedralibus Ecclesiis mitti consueverant. *Is enim,* ut Rudolfus in vita ait, *aut alios sacris Literis instruebat publicus Professor, aut in legendo, aut dictando, divinis Scripturis semetipsum pascebat.* Quis verò non demiretur, unum virum tantis támque diversis laboribus subeundis pares attulisse vires? jam enim in schola instruebat discipulos, modò totius monasterii curam gerebat, nunc in musæo non libros tantùm elucubrabat, sed manu etiam sua describebat. Quid dicam de SS. Patrum voluminibus? quæ assidua terebat manu, atque ex quibus suas maximè commentationes adornabat, quò aliis compendia sufficeret, quêis suam librorum inopiam ex Bibliotheca Fuldensi supplere possent. Omnia ferè igitur Rabani Opera ** constant ex sanctorum Patrum sententiis, *ipsis eorum syllabis* expressis, vel certè *propriis breviandi causâ sermonibus*, utì ipse testatur in epistola prævia ad suam in Matthæum expositionem, quam Haistulpho Moguntinensi Episcopo nuncupavit. Unde & Rudolphus ipsius HRabani discipulus prolixum in ejus vita contexens illius operum catalogum, inter alia recenset librum in epistolas Pauli, quem *colligens de diversis opusculis sanctorum Patrum* hortatu Lupi Diaconi collegit. Nimirum fuit hoc sanctoPontifici usitatum ac familiare scribendi genus, quod ipsi etiam aliquando vitio verterunt score nonnulli, eò quòd *excerptionem faciens de sanctorum Patrum dictis --- aliorum sententiis magis usus esset, quàm propria* condidisset. Quibus ipse pro innata sibi modestia humilibus respondit his verbis: *Quid enim peccavi in hoc, quòd magistros Ecclesiæ veneratione dignos judicabam, & eorum sententias, prout protulerunt, opportunis locis simul cum nota nominum eorum in opusculis meis interposueram? Magis enim mihi videbatur salubre esse, ut humilitatem servans, sanctorum Patrum doctrinis inniterer, quàm per arrogantiam quasi propriam gloriam quærendo, mea indecenter proferens.* Longè ab invidis illis vituperatoribus aberat Freculphus, Lexoviensis Episcopus, qui ab eodem HRabano contextos ex dictis Patrum commentarios in Pentatenchum petiit. Majores nempe nostri apes argumentosæ fuerunt, quæ excerptâ divinæ Scripturæ sanctorúmque Patrum præcipuâ amœnitate mellitos inde succos doctrinæ Christianæ expresserunt. Rabani vestigiis, inquit Natalis Alexander *** insistere Catholicum Theologum decet: SS. Patrum sententiis assertiones omnes suas firmare: ex eorum operibus probationes dogmatum, regulas morum haurire: suos in divinam Scripturam commentarios

Ejus Opera ex SS. PP. sententiis collecta:

quod ipsi à sciolis vitio vertitur;

quibus ipse respondet.

Cujus exemplum meritò imitandum.

* Epist. 6. p. mihi 24.

** Martene in admon. præv. ad Rabani librum adverf. Judæos Anecd. Tom. V. pag. 43.

*** l. c. Tom. VI. Sec. IX. ar. 14. p. 38.

tarios ex illis excerpere, ac deflorare apis instar, quæ collectum variis & selectis ex floribus succum in ceram ac mella convertit, Dei cultui hominúmque utilitati profutura. Sensa denique Patrum & Doctorum Ecclesiæ privato suo lumini, & ingenii quantumvis perspicacis, elegantis, felicis adinventionibus, Auctor Ecclesiasticus semper anteponat.

OTFRIDUS Weissenburgens. B. Rabani discipulus fuit *Otfridus*[*] monachus Weissenburgensis in Alsatia, qui non immeritò carpit Doctorum ætatis suæ non paucos, qui ut civiles suorum antecessorum historias Latinâ malint efferre linguâ, quàm vernaculâ, ita Sacræ Scripturæ usum vernaculum habeant nullum. *Res mira* (scribit epist. ad Luitbertum pag. 12.) *tam magnos viros, prudentiæ deditos; sanctitate præclaros cuncta in alienæ linguæ gloriam transferre, & usum Scripturæ in propria lingua non habere.* Jam ante retulerat, objectos sibi à *probatissimis aliquot viris*, monitoribus, & *matrona veneranda* Latinos Christianorum Poëtas Juvencum, Aratorem, Prudentium, alios, *qui sua lingua dicta & miracula Christi decenter ornârint: nos verò*, ita pergit, *quamvis eadem fide, eadem gratia instructi, Divinorum verborum splendorem clarissimum proferre propria lingua dicebant pigrescere.* En pios instigatores! en studium sanctum! Sed nimirum jam imbiberat aliquid de necessitate & fructu laboris istiusmodi Otfridus à Rabano Mauro Archiepiscopo Moguntinensi, à quo in sacrarum Literarum adyta introductum se gloriatur. Is ipse enim, si Flaccium audimus in Latina ad Otfridum præfatione, adsumtis unà Walafrido Strabo, & Haymone Halberstadiensi, Sacram Scripturam jam imperante Carolo M. in vulgarem transtulit linguam. Verùm ut auctores, è quibus hauserit hanc relationem, non nominat Illyricus, ita Cl. Joanni Frickio incredibile prorsus est, Otfridum silere voluisse ant potuisse tam magnum & illustre Opus, si unquam prodiisset, Magistri sui, cujus authoritate & exemplo tanto fortiùs comendare suum Opus Evangelicum potuisset. Est tamen Otfridi Opus non Evangeliorum versio, sed diatesseron, seu harmonia Evangeliorum rythmis Germanicis concinnata. Subsidio ipsi fuerunt D. Gregorii M. atque S. Augustini scripta, prout ipse lib. V. cap. 14. v. 49. - 56. gratus profitetur pag. 352.

Gregorius ther guato Er sponota iz gimuato	Gregorius ille bonus interpretatus hoc ingeniosè
Joh filu scono in uuar min So ist gimuonhait sin	Atque multùm eleganter per fidem meam sicut est mos ejus.
Is Augustinus rechit Jo filu kleino inthekit.	Idem Augustinus refert, & multùm subtiliter aperit.
Ther uns harto manag guat Offon scono giduat.	Qui nobis multifariùm bonum apertū eleganter fecerit.

Ut enim jam suprà meminimus, virique docti dudum observârunt, non aliud fuit Latinis S. Scripturæ Comentatoribus per Occidentem ævi medii mos ac consuetudo, quàm ut sua è vetustioribus colligerent, id quod è Beda, Rabano Mauro, Haymone, Albino, seu Alcuino, aliísque ad oculum patet, quibus Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, similésque paginam faciunt utramque.

Si quopiam in monasterio Ordinis nostri per Regnum Galliæ, tunc certè in Corbeiæ veteris asceterio Theologiæ Positivæ studium hoc seculo viguit. Præcipui illius præceptores erant Paschasius Radbertus, Ratramnus, Druthmarus, aliíque, qui quæ in sacris paginis videbantur ambigua, decidebant, quæ obscura, illustrabant, quæ recondita, eruebant. Et primus quidem literarum humaniorum disciplinas non levi brachio pertractavit, neque plus tamen studii eis attribuit, quàm quantum ad sacrarum Literarum cognitionem necessarium erat. Ad eam intelligentiam faciliorem reddendam, linguas Græcam & Hebraicam addidicit, ut ex omnibus ejus Operibus perspicuum fit. Patres orthodoxos, fidissimos divinæ paginæ interpretes, sedulò evolvit. Præcipuas verò suas vigilias conferebat in lectionem S. Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Joannis Chrysostomi, & Venerabilis Bedæ, quorum ipse cum laude meminit in procemio libri primi super Mathæum. Nec Tertullianum omisit, cujus scripta in vita S. Adalhardi, Abbatis Corbeiensis, commendat. Posteaquàm eam scientiam, quæ ad exponendum aliis divinum Codicem sufficeret, sibi percepisse visus est, docendi provinciam non ultrò quidem sibi, quâ erat modestia, animíque demissione, arrogavit, sed oblatam non detrectavit. Hinc est, quòd nondum Abbas diebus festis, ac solennioribus

[*] vid. Jo. Frick in præfat. ad Tom. 1. Thes. Antiqq. Teutonic. Schilteri pag. 7.

ribus adstante sodalium cœtu, Evangelium exposuit: cujus rei fidem facit Prologus in Mathæum ad Gunthlandum monachum: *Dum sacræ Professionis obedientia*, inquit, *coram Fratribus Evangelium, uti consuetudinis est, diebus solemnibus, licèt indeminato loquendi genere, exhortandi magis gratia tractaretur*, cœperunt nonnulli eorum „religione ferventes instanti devotione „frequenter exposcere, nec, si possem, „intendentes, beati Mathæi Evangeli-„stæ textum narrationis per ordinem „enarrare.„ Uti ipse verò in Sacræ Scripturæ studio totus defixus erat, sic sodalibus suis ad illud capessendum identidem animos ac stimulos addidit, persuasum habens otium ac vitæ solitariæ commoditatem monachis indultum esse, *non ut ignaviter torpeamus, sed ut meditemur in mandatis Dei, in laudibus & contemplatione divina, in Scripturis sacris, in Lege & Prophetis, in Evangelio & doctrina Apostolorum, in traditionibus sanctorum Patrum, si quo modo, quæ novimus, Christo exhibeamus.*

Discipulos in Academia Corbeiensi quàm plures, eósque illustres habuit Radbertus, sed nullum doctrina ac virtute magis conspicuum, atque S. Anscharium, Septentrionis Apostolum, qui in Corbeiæ Novæ schola, quam ipse fundavit, primus omnium sacras docuit Literas, quæ monachis ut cùm maximè necessariæ erant, quorum sacra eruditione ac doctrina Septentrionales illæ Provinciæ ad fidem conversæ, atque mirum in modum deinceps collustratæ fuerunt. Syllabum Theologiæ, Professorum Corbeiæ Novæ jam aliàs dedimus, inter quos nomen etiam Paschasii Radberti occurrit. „Cùm enim ab Adalhardo & „Wala Corbeiæ Veteris Abbatibus ac „fratribus in Saxoniam aliquando mis-„sus fuisset, ut curam gereret, quò Cor-„beiæ Novæ Monasterium, quod illi „fundârant, ad fastigium perducere-„tur, eo tempore forsan Professoris „munere functus, Theologiam ali-„quamdiu in schola Corbeiæ Novæ „docuit. Quicquid ejus rei sit, cùm „monachi Corbeiæ veteris viderent, „Radbertum Lege divinâ esse doctum, „ut vetera & nova proferre possit, eum „post Isaaci è vita discessum ex Profes-„sore Sacræ Scripturæ in Abbatem de-„legerunt. Ea in dignitate constitutus „perquàm molestè ferebat, quòd va-„riis monasterii negotiis oppressus otio „careret, quod sacris studiis tribuere „posset, ut ipse testatum facit initio „tum expositionis in Psalmum 44.tum. „tum libri V. in Mathæum. Quum „verò tanta támque incredibili cupi-„ditate tedeundi ad intermissa sacra-„rum Literarum studia arderet, ut nisi „illam expleret, vitam sibi vitalem „non existimaret, se abdicare magi-„stratu in animo habuit. Opposuere „se primùm huic cogitatui Corbeien-„ses monachi, sed tandem faventibus „superis voti damnatus est. Curis ac „negotiis laboriosi regiminis vacuus „vir pius continuò se ad diu expetita „studia convertit, quibus ingravescentis ætatis tœdia molliret ac tem-„peraret.„ Hoc ipse magna animi cum voluptate testatur non semel, præcipuè initio proloquii libri noni in Evangelium Mathæi, cujus hæc verba: *Nunquam dignè satis laudari Philosophia potest, Fratres carissimi, cuique paret, omne tempus ætatis suæ poterit sine molestia quodammodò conversari: quid quos nutrierit à puero, etiam in senectute non deserit. Hinc est, quòd me, licèt ego deseruerim eam, non passa est in hac ætate longiùs à se amplius peregrinari: sed mox ut redii ad eam, multùm diúque malè vexatus secularium rerum curis, recognovi veram non esse viam prioris vitæ, & lactare me cœpit quasi puerum, susque recreare uberibus. Meritò igitur quia puerorum & senum pene una est conditio, & coæqualis eorum mors mihi videtur. Et ideò eorum semper utrorumque lacte Scripturarum divinarum nutriendus est animus; puer siquidem ut crescat, senex verò ne deficiat: imò uterque eorum ut proficiat in melius, & vivat divinis lactatus uberibus.* Quod verò SS. Patrum operâ in exponendis divinis paginis usus fuerit, in procemio libri sexti super Mathæum rationem reddit: *Expositio mea, dilectissimi, multorum eruditissimorum est Doctorum, quos antiquior tulit ætas, & firmavit auctoritas veritatis: sed proprio commentatam stilo novitas facit esse meam, ita ut tractatus, qui de omnibus colligitur, unus verè videatur & specialiter esse meus: quo communes plurium Doctorum sensus fide & intellectu Catholicorum proprios esse feci. Non enim mysteria divinæ intelligentiæ, seu sententias Salvatoris Dei meis tantùm explanare probavi ausibus; quod multi fecerunt, qui noluerunt sapere, quæ sacra interiùs Scriptura divinitus inspirata sapit; sed eam in multis perversè suis applicuerunt erroribus &c.* Quæ causa est, quòd nonnullos Commentato-

tatorum, qui proprii ingenii argutiis frœna nimiùm laxabant, in reprehensionem vocet in libro octavo super caput XVII. Mathæi: *quoniam etsi exercitium in eo esse potest, fructus intelligentiæ nescio si ullus esse possit.*

PASCHASII in Ss. Lit. studium. Quemadmodùm verò S. Paschasius in sacrarum Literarum studio totus defixus erat, ita industriam illam ac diligentiam, quam quidam ætatis suæ homines in elucidandis & commentandis profanorum Scriptorum Operibus collocabant, boni necquidquam consulebat. Relatu digna sunt ejus verba hac de re in præfatione libri tertii super Mathæum, ubi reprehendit *sæcularium literarum amatores*, qui *varios & diversos requirunt expositores, ut ad luculenta nefandarum rerum mendacia intelligendo valeant pervenire, qui nullam non dico paginam, sed neque syllabam prætermittunt, in quam non inquirant summa cum vigilantia ac labore, divinos autem libros pessimè negligunt. Unde miror*, inquit, *satis, quid divina eloquia quorundam mores offenderunt, quòd non velint mystica Dei Sacramenta eâ diligentiâ perscrutari, quâ tragœdiarum nænias & Poëtarum figmenta sudantes cupiunt investigare labore. Quorum inefficax laboris studium nemo qui ambigat, ubi de re agitur, quæ profectò caret fructu, & sine præmio invenitur.* Quod tametsi omnes Christianos, maximè Ecclesiasticos viros dedeceat, in monachis tamen nullo ferendum modo est, quorum unica & summa contentio esse debet, ut omissis & abjectis profanis cogitationibus, ad Deum optimum maximum toto animi impetu ferantur, mentemque rebus divinis habeant occupatam. Neminem scio, quem ad sacrarum Literarum tractationem incubuisse aliquando pœnituerit; qui verò, quòd pervigili studio in seculares, profanas, easque nil profuturas literas nimiùm inquisiverint, pœnitentia ducti fuerint, non pauci extiterunt: atque ut de Marco Antonio Mureto,* aliisque, qui Ordinis nostri non fuerunt, nil dicam, non alienum hoc loco esse arbitror, gemitus & suspiria adscribere, quibus *Theophilus Folengius* ** è Congregatione Casinensi eruditissimus monachus, atque celeberrimus Vates bonas illas deplorat horas, quas in profanis authoribus maximè Poëtis, neglectis sacrarum Literarum studiis combussit. Sic verò resipiscens Deum alloquitur:

Quid faciam, tanto qui absumpto tempore noctes
Produxi vigiles, ea per figmenta volumen
Nugarum ædificans? en culpæ cognitor omnis,
En quibus ingenium, quô nos decora alta subimus,
Turpiter implevi fabellis, quo per ineptos
Consenuit lusus viridis squallore juventa.
Pars melior consumpta mei, rediturâque nunquam
Rapta est, unde animi ratio me conscia torquet.
Eheu! quid volui misero mihi? sordibus aurum
Perdicus, & gemmas immisi fæcibus Indas &c.

Cœterùm Theophilus post detestata ludicra omnia poëmata reliquum vitæ tempus sacris Literis ac lucubrationibus laudatissimè impendit. Verùm ad Corbeiæ Veteris Theologos redeundum est.

Eodem tempore cum S. Paschasio Radberto in Corbeiensi monasterio vitam agebat religiosam Ratramnus,*** qui Theologiæ Positivæ quàm profundè intelligens fuerit, cùm sæpè aliàs, tum verò ea potissimùm occasione patefecit, quâ in Græcos calamum strinxit. RATRAMNI zelus. Photius, Pseudo-patriarcha Constantinopolitanus, inter alia Latinis objecerat, quòd Spiritum sanctum ex Patre Filióque procedere dicerent: re ad Nicolaum I. summum Ecclesiæ Hierarcham delatâ, is Galliæ Episcopos literis commonuit, ut Græcorum Romanæ Sedis adversariorum objectis occurrerent: hi verò negotium Ratramno, Corbeiæ veteris doctissimo Theologo, dederunt, ut Photii Capitula refelleret. Id quod ille tribus libris accuratè, eleganter, & prorsus eruditè præstitit, tum ex divinis paginis, tum SS. Patribus probando, Spiritum sanctum à Filio etiam procedere. Nemo certè Theologus scholasticus id argumenti hac nostra ætate vel solidiùs, vel concinniùs tractâsset. Quàm verò res atque antiquitates ecclesiasticas idem Ratramnus funditùs intellexerit, ab eo in libro IV. contra eosdem Græcos abundè ostensum fuit, ubi de diversis Ecclesiæ consuetudinibus agens, palàm adversariis fecit, quòd immeritò Romanam Ecclesiam de earum incusent observantiâ. En Virum in sacris Literis, SS. Patribus, atque

* Vid. Epist. l. 3. ep. 59.
** Vid. Armel. Bibl. Cas. part. 2. p. 139.
*** Acher. in monit. ad Lib. IV. Ratr. contra Græcos Spicileg. ult. edit. p. 61.

atque ecclesiasticis antiquitatibus multò peritissimum, doctissimum.

DRUTHMARUS, Tertio loco nominandus venit Christianus *Druthmarus*, magni nominis Theologus, qui ex eodem Corbeiensi asceterio in Stabulense, & Malmudariense, Arduennæ monasteria, postulatus erat, ut juniores monachos divinis Literis imbueret, quos à regularis disciplinæ observantia in Prologo doctissimi sui Commentarii in Mathæum mirificè commendat.

SMARAGDUS, Eadem eruditione ecclesiastica, SS. Patrum ac SacræScripturæ cumprimis instructus erat *Smaragdus*, Abbas in Diœcesi Virdunensi, quem Jesse, Episcopus Ambianensis, & Adalardus, Corbeiæ Abbas, Caroli M. Imp. ad Leonem III. Legati, secum in Urbem adduxerunt, utpote Theologiæ insigniter gnarum, ut ejus eruditio sibi esset subsidio. Qui etiam Smaragdus auctor est narrationis de Collatione, habita Romæ in Secretario Basilicæ Vaticanæ inter Missos Caroli M. & Leonem Papam, quam Jacobus Sirmondus tom. 2. Concil. Gall. pag. 25. juris publici fecit.

San-Gallenses Ex historia San-Gallensis Abbatiæ in Suevia exploratum habemus, tres ex insignioribus monachis, qui seculo nono in ipsius Academia à multis Auditoribus celebrata præter cœteros effloruêre, singulis diebus, Præposito sic permittente, mutuò contulisse super Scripturis sacris, inter matutinam Synaxin & Laudes, cùm ex propriis diuturnisque occupationibus nullum aliud ipsis tempus superesset. Horum

NOTKERUS, autem primus fuit S. Notkerus, doctrinâ non minùs & pietate, quàm regularium legum custodia celebris. Numeravit is inter discipulos Salomonem, posteà Ecclesiæ Constantiensis Antistitem, in cujus gratiam, quò majores in sacrarum Literarum studio faceret progressus, peculiarem lucubravit libellum *De Expositoribus S.*

SALOMON, *Scripturæ*; ut nempe Salomon non ignoraret, qui accuratiùs eandem exposuisset: dimidium enim doctrinæ assecutus est, qui cognitionem melio-

RATPERTUS, rum possidet Authorum. Tertius Ratpertus, qui ab adolescentia præclaræ illius Universitatis curam gessit, nec extra monasterii septa, nisi rarissimè egrediebatur, solitus monachorum mortem excursus nominare. Hi tres verò Theologi SacræScripturæ operam dederunt sub Ysone, omnium artium eruditione, & maximè divinarum Scripturarum peritissimo San-Gallensis Academiæ Professore. Et licèt Mabillonius * exemplum istud studendi planè non approbet, hîc tamen, ubi de studio Theologiæ Positivæ, ejúsque historia agitur, haud omittendum duxi.

Seculo X. Monachi Hirsaugienses Sæcul. X. præ cœteris in Germania Sacræ Scripturæ studium complexi fuerunt, sub Sigero Abbate, Meginrado autem scholarum præfecto, viro in omni doctrinarum genere eruditissimo, qui non MEGINRADUS HIRSAUGIENS. solùm in scientia sacrarum Scripturarum monachos juvenes optimè instituit, sed etiam in bonis moribus ad puritatem regulæ monasticæ utiliter erudivit. De hoc, teste Trithemio, Widekindus, Corbeiæ Novæ monachus, atque scholasticus dixisse fertur, se fama & doctrina Meginardi excitatum Hirsaugiam venisse, multósque ibidem reperisse monachos vitæ merito venerabiles, & in omni genere scientiarum doctissimos, & Meginradum quidem laudâsse his verbis; *Monachorum ille doctissimus præceptor, veluti Hieronymus alter, divinarum interpres Scripturarum profundissimus sua nos eruditione vertit in stuporem: ut verè cœlestis sapientiæ dici queat armarium, quippe quem nihil latet doctrinarum.* Mabillonio tamen hæc per anxesin dicta videntur; unde eorum fidem vult esse penes ** Trithemium.

In Anglia *Frithegodus*, Cantuariensis monachus, pluribus in lucem edi- FRIDEGODUS CANTUAR. tis libris clarus sacras Literas in schola cathedralis sui monasterii docebat. Huic Odo Archiepiscopus nepotem suum Oswaldum, nobilissimæ prosapiæ juvenem, instituendum dedit. Nemo unquam verò iis capessendis feliciùs incubuit, atque nobilissimus hic adolescens. Ex earum enim cognitione sancto charitatis igne erga Deum proximúmque totus inflammari cœpit. Cùm verò S. Odo ipsum ad constantiam exhortaretur, ne, ut fieri sæpè apud juvenes amat, seculi voluptatibus irretitus, Numinis divini abjiceret amorem, inter cœtera his verbis notatu dignis respondit: *** *Amorem suum mihi concessit ex notitia Scripturarum, & nunc eum desererem?* Felix studium, quod vera & salutari Dei cognitione nos imbuit, pietatem instillat, religionem inculcat, supremi Numi-

* Tract. de stud. Monast. part. 2. c. 16. p. m. 216.
** Annal. tom. 3. p. 578
*** Eadmer. in vit. quam Warth. Angl. Sac. Tom. II. exhibet.

Numinis amorem pariter ac timorem commendat. Nec sapientiùs dixit Ofwaldus, quàm fecit. Ex schola Cantuarienfi egreffus, Floriacenfe monafterium adiit, in quo fanctiffimum vitæ genus duxit, iisque virtutum radiis refulfit, ut earum fplendor in Angliam etiam traluceret. Quare in patriam revocatus fummo rei publicæ ac literariæ bono Sedi Eboracenfi impofitus fuit. Hic nullum laborem fibi defugiendum exiftimavit, ut cùm Clerici, tum Monachi, profanis primùm, tum facris inftituerentur literis, prout jam aliàs à nobis commemoratum fuit.

JOANNES GORZIENSIS. Studia S. Joannis Gorzienfis * fe ferè intra limites facræ Scripturæ ac SS. Patrum, maximè S. Gregorii M. continebant, cujus Opera manu adeò affiduâ verfavit, ut ea propemodùm memoriæ mandaverit. Id temporis Opera S. Auguftini in Joannem, Pfalmos, & de SS. Trinitate ita rara erant, ut paucis in bibliothecis integra haberentur; quæ tamen Vir fanctus non modò fibi comparavit, fed à capite usque ad calcem perlegit. Cùm autem percurrendo libros de SS. Trinitate magnoperè fudaret, confilium cœpit ftudendi Intraductionibus Ifagogarum Porphyrii, quò meliùs intelligentia affequeretur, quæ S. Pater de relationibus Divinis differit. Verùm Abbas Einoldus dialecticis his ftudiis interceffit; is namque difciplinarum earundem cognitioni jam olim deditus, & quantis vigiliis ac laboribus illæ conftarent, experientiâ doctus, bonas horas in his fruftra eum comburere noluit, fed pro imperio juffit, ut ftudia fua in divinas conferret Literas, è quarum perceptione non doctior modò, fed melior etiam ac perfectior reddi poffet. Ille igitur, cui nihil antiquius erat, quàm ut dictis fuperiorum morem gereret, mox ab incœpto defiftens, facræ fcripturæ ftudio fe de novo devovit, cui lectionem S. Gregorii M. in Ezechielem adjunxit.

Alii præftantes Theologi. Magnam etiam Theologicæ doctrinæ laudem hoc ævo fibi compararunt *Heribertus* & *Rudigerus*, Scholaftici Epternacenfes, *Erhardus*, Scholafticus monafterii S. Michaelis in Luneburg, *S. Abbo*, Scholafticus Floriacenfis, *Marinus*, monachus S. Maximini Trevirenfis, *Ælfricus*, Abbas Malmesburienfis, *Hericus* Autifiodorenfis, qui vel facras literas infigni eruditionis famâ docuerunt, vel commentariis elucidârunt, vel earum verfiones adornârunt. Et quidem quod ad *Hericum* attinet, in Geftis Epifcoporum Autifiodorenfium *Theofophus* appellatur, habuitque *Haymonem*, poftea Halberftadienfem Epifcopum, & *Lupum*, Abbatem Ferrarienfem, Præceptores, uti ipfe in his verfibus teftatur, quæ Præfatio eft in ** Collectanea ex ore præceptorum fuorum excerpta. præprimis HERICUS:

Hic præceptorum funt ludicra pulchra duorum.
Quis ego præfulibus ingenium colui.
His Lupus, *his* Haimo *ludebant ordine grato &c.*

Ubi Hericus verò Haymoni, in Galliáne, an Germania? operam dederit, fanè ignorare me fateor. *** Theologiam docuit in monafterio S. Germani Autifiodorenfis, ubi in monachorum cœtum adlectus fuerat: ejus auditor fuit *Remigius* cœnobita ejusdem afceterii, fupra invidiam omnésque laudes inter illius ævi Theologos pofitus, à quo eruditio & doctrina Theologica, maximè de gratia de fe efficaci, & gratuita prædeftinatione ad fequentia tempora propagata eft. cujus difcipulus REMIGIUS.

Huic laudatiffimo literarum generi, quo non intellectus tantùm illuminatur, fed affectus etiam compungitur, Monachi Beccenfes feculo XI. præ aliis devincti erant. Inprimis B. *Herluinus* ex nobiliffimo aulico & fortiffimo milite monafterii Beccenfis fundator & primus Abbas fuis infigne prævit exemplum. Animo fecum expenderat verba illa facræ Regulæ: **** *Oportet Abbatem effe doctum lege Divinâ, ut fciat, & fit, unde proferat nova & vetera. Oportet*, dicebat vir fanctus, *eft verbum imperfonale, quod cafum non habet. Ego Abbas, tu Abbas, ille Abbas debet effe doctus lege Divina.* Nec que audiendos illos exiftimabat, qui dicerent, Abbatem etiam indoctum per alios poffe fuis Monachis, quandocunque tulerit occafio, divinas ex planare fcripturas. Ifto enim modo, inquiebat, poterit bonus citharœdus effe, qui per alium citharam pulfat: & bonus medicus, qui per alium ægrotantes morbô levat. Quare vir fanctus etfi id ætatis jam effet, ut annum

B. HERLUINI Abbatis memorabile exemplum in addifcendis facris literis.

* Aug. Calmet Hift. Lothar. Tom. I. col. 870.
** Edidit ea Mabill. Anal. vet. Tom. I. pag. 413.
*** *Hericum* Ferrariis & Fuldæ operam literis navaffe infinuat *Mabillonius* Præf. 1. in Sec. IV. n. 192.
**** Cap. 64.

num propè quadragesimum ageret, prima tamen literarum elementa addiscere non refugit. Noctû cùm alii quiescerent, ipse diurno tametsi manuum labore lassus ac defatigatus studiis invigilabat: Divina verò opitulante gratia eò usque processit, ut etiam apprimè eruditus, in exponendis ac intelligendis divinarum scripturarum sententiis meritò haberetur mirabilis. Cùm verò hoc sit cumprimis memorabile exemplum, omnibus Abbatibus alta mente reponendum, afferam verba Gilberti Crispini Abbatis Westmonasteriensis, Theologi doctrinâ juxtà ac virtute hoc tempore celeberrimi, qui B. Herluini vitam * literis consignavit: „ B. Herluinus prima literarum elementa didicit, cùm jam existeret annorum propè quadraginta, & divina opitulante gratia eò usque processit, ut etiam ipsis apprimè eruditis grammaticâ, in exponendis ac intelligendis divinarum Scripturarum sententiis meritò haberetur admirabilis: quod ut solius divinæ gratiâ efficientiæ actum credatur, nocturnis tantùm horis huic studio vacabat: quia propter lectionem nunquam diurni operis intermisit executionem. Non solùm in citharâ confiteri Domino, verùm & in psalterio decem chordarum psallere gestiebat, congrua temporum distributione; nunc attentus bonæ actioni, nunc intentus lectioni atque orationi „ Hæc Gilbertus Crispinus & ipse divinæ paginæ studiosissimus: nam teste Guilelmo ** Gemmeticensi *tam nobilitate generis quàm scientia seculari & Divinâ pollens* edidit Commentaria *in Isaiam & Jeremiam, in Canticum Canticorum; de casu Diaboli, de anima, contra peccata cogitationis, locutionis, & operis.* *In prologos S. Hieronymi in Biblia*, & plura alia.

B. LANFRANCUS in Academia Beccensi sacræ scripturæ Professor.

Sub B. Herluino Prioris munere fungebatur B. Lanfrancus, postea Cantuariensis in Angliâ Archipræsul. Erat is, antequam monasticæ vitæ se addixerat, celeberrimus in Italia & Gallia Juris Professor, sed monachus factus per tres annos sacræ Scripturæ studuit; tum jussu B. Herluini publicas scholas aperuit. Ea verò fuit Lanfranci existimatio, doctrinæque in sacrarum literarum studio excellens gloria, ut ejus fama non Galliam modò & Italiam, sed remotissimas etiam Germaniæ provincias pervaserit; quâ multi exciti se in Normanniam contulerunt, ut divinorum oraculorum, quæ in sacris paginis occurrunt, cognitione imbuerentur. Discimus id ex Authore coævo, *Willeramo*, Fuldensi monacho, tum verò Babenbergensi adhuc Scholastico, ac demum Ebersperge͡nsi in Bavariâ Abbate. Is in præfatione, quam Commentario suo *** in Cantica Canticorum præfixit, ubi primùm seculi sui, id est, undecimi infelices mores, & neglectum studii sacrarum literarum non modestè minùs, quàm graviter accusâsset, ab eo Lanfrancum commendat, è cujus schola multos in Germaniam doctiores, qui alios ad amplectendum idem studium exemplo suo animaturi sint, redituros speraт. Sed Willeramum ipsum audire præstat.

Ejus doctrina commendatur.

„ Cùm majorum studia, inquit, intueor, quibus in divinâ paginâ nobiliter floruêre, cogor hujus temporis fæces deflere, cùm jam ferè omne literale defecit studium, solùmque avaritiæ, invidiæ, & contentionis remansit exercitium. Nam & si qui sunt, qui sub scholari ferula Grammaticæ & Dialecticæ studiis imbuuntur, hæc sibi sufficere arbitrantes, divinæ paginæ omnino obliviscuntur: cùm ob hoc solum Christianis liceat gentiles libros legere, ut ex his, quanta distantia sit lucis ac tenebrarum, veritatis & erroris, possint discernere. Alii verò cùm in divinis dogmatibus sint valentes, tamen creditum sibi talentum in terra abscondentes, cœteros, qui in lectionibus & canticis peccant, derident; nec imbecillitati eorum vel instructione, vel librorum emendatione quicquam consulti exhibent. Unum in Francia comperi, Lanfrancum nomine, antea maximè valentem in Dialecticâ, nunc ad Ecclesiastica se contulisse studia, atquè in Epistolis Pauli & Psalterio multorum suâ subtilitate exacuisse ingenia. Ad quem audiendum cùm multi nostratium confluant, spero, quòd ejus exemplo etiam in nostris provinciis ad multorum utilitatem industriæ suæ fructum producant „ Hæc Willeramus, qui, quòd Theologiam Babenbergæ professus fuerit uti aliunde constat, ita etiam argumento id est, Academiam Fuldensem hoc adhuc seculo doctis Theologis abundâsse, quos, ut

Ex Germania multi ad ejus scholam confluunt.

* Edita est à Luca Acherio ad calcem Operum B. Lanfranci Paris. 1648. fol.
** Lib. VII. Hist. Norman. cap. 22. pag. 279.
*** Extat Tom. I. Thesauri Schilteriani.

nt divinum explanarent codicem, veste Benedictina donatos in suum gremium adoptavit.

S. ANSELMUS monachos ad sacrarum literarum studium provocat. Discipulum in schola Beccensi B. Lanfrancus inter cœteros habuit S. Anselmum, qui ei in Archiepiscopatu Cantuariensi successit. Is verò cùm Abbatis adhuc officium administraret, ut fratres* suos ad studium sacræ lectionis provocaret, omnibus in generali concessit, ut, quicunque vellet, de quæstionibus Scripturarum eum audacter interrogare posset, neque desistere unquam ab interrogatione deberet, quousque per solutionem responsi satis sibi factum agnosceret. Hoc ideò fecit, quatenus & sibi & fratribus discendi materia semper adesset, atque occasio. Neque domesticis tantùm sed etiam exteris in divinæ Scripturæ studio erudiendis insistebat. Hos inter unus erat *Guibertus*, monachus Flaviacensis, cui plurimùm profuit, quòd cum Anselmo ei intercesserit familiaritas atque consuetudo; eà tamen inter utrumque præstitutà lege, ut, cùm Anselmus non ætate solùm provectior, sed Abbatiali etiam dignitate conspicuus, omníque doctrinà foret instructior & eruditione, præceptoris locum & magistri, Guibertus discipuli atque auditoris obtineret. Anselmus igitur identidem Guibertum conveniebat, ut eum tum ad virtutis, tum ad sacrarum literarum studium accenderet. Eo monente Guibertus, ut divinæ paginæ cognitionem rectiùs assequeretur, Gregorii cognomento Magni scripta assiduâ manu versare cœpit: ea enim esse fontem intellexerat, unde exponendæ Scripturæ præcepta haurirentur. Cujus rei meliorem testem haud laudare possum, atque ipsum V. Guibertum, qui suum sacræ scripturæ studium his verbis exponit:** „Cœpi Gregoriana dicta, in quibus artis hujus potissimùm „reperiuntur claves, crebriùs terere, „secundùm veterum auctorum regulas „ad allegoricum, seu moralem, quin & „anagogicum sensum Prophetica vel „Evangelica verba perstringere. In „his præcipuum habui incentorem „Beccensem Abbatem *Anselmum* po„stea Cantuariensem Archiepiscopum „ex transalpinis partibus, Augustana „videlicet regione oriundum, virum in„comparabilem documentis, & vitâ „sanctissimum. Qui cùm in Prioratû „prælibati cœnobii adhuc ageret, suæ „me cognitioni ascivit, & omnino „puerulum, & in summa & ætatis & „sensûs teneritudine positum, qualiter „interiorem meum hominem agerem, „qualiter super regimine corpusculi, „rationis jura consulerem, multa me „docere intentione proposuit. Qui ante Abbatiam, & in Abbatia positus, „cùm ad Flaviacense, in quo eram, „monasterium, familiarem religionis „& doctrinæ suæ gratia haberet adventum, adeò sedulè mihi eruditio„nis indulgebat beneficia, tantâ ad id „elaborabat instantiâ, ut unica ac singularis sui ad nos adventus & fre„quentationis ego viderer solus esse „causa. Is itaque tripartito aut qua„dripartito mentem modo distingue„re docens, sub affectu, sub voluntate, sub ratione, sub intellectu commercia totius interni mysterii tracta„re, & quæ una à plerisque, & à me „ipso putabantur certis divisionibus „resoluta, non idem duo prima fore „monstrabat, quæ tamen accedenti„bus quarto vel tertio eadem mox esse „promptis assertionibus constat. Super quo sensu cùm quædam Evangelica Capitula mihi disseruisset, cùm primùm quidem, quod inter velle & „affici distaret, luculentissimè aperuisset; quæ tamen non ex se, sed ex „quibusdam contiguis voluminibus, „at minùs patenter quidem ista tra„ctantibus eum habuisse constaret. „Cœpi postmodùm & ego ejus sensa „commentis prout poteram similibus „æmulari, & ubique scripturarum, „si quid istis moraliter arrideret, sensi„bus multâ animi acrimoniâ perscru„tari." Tanto igitur támque erudito præceptore usus, triplicem vel quadruplicem modum exponendæ sacræ scripturæ didicit: sensui tamen morali potissimùm addictus fuit, ad quem percipiendum lectio Operum S. Gregorii M. præcipuo ei adjumento fuit.

Ejus institutione GUIBERTUS multùm proficit.

Ipsius GUIBERTI hac de re testimonium.

Concionibus habendis GUIBERTUM idoneum faciunt sacræ Literæ.

Hanc verò studendi rationem non ita multo tempore tenuit, cùm ad tantam brevì sacrarum literarum pervenit intelligentiam, ut etsi juvenis admodùm esset, concionem tamen ad viros Religiosos habere potuerit. Atque ne verba dare videamur, ipsius Guiberti verba denuò appendimus: „Unde factum est, inquit, ut cum „quodam Abbate meo ad aliquod Pro„vinciæ nostræ cœnobium devenirem. Cúmque illi tanquam plurimæ religio„nis viro suggererem, ut ad Capitula„rem Conventum veniens inibi sermo-

* Trith. l. 2. de Vir. Illust. O. S. B. cap. 91.
** Lib. I. vitæ suæ. c. 16.

„nem faceret, ea, quæ à se petebantur, in me transfudit, & ut vices „super isto ejus exequerer, exoravit, „& jussit. Die autem Mariæ Magdalenæ Natalis celebrabatur eôdem. „Eapropter de Libro Sapientiæ adhibita sermonis materia, solo illo unico verbo, illi, qui petebatur, tractatui contentus fui: *Sapientia*, videlicet, *vincit malitiam*, *attingit à fine „ad finem fortiter*, *& disponit omnia „suaviter.* Hoc cum quâ potueram „convenientiâ placuissem; Prior Ecclesiæ ipsius, Literarum sacrarum non „minimùm pro scientiæ potentiâ studiosus, familiariter à me exegit, ut „id sibi scriberem, in quo materiam „sumendi cujuscunque sermonis acciperet. Quoniam ergo Abbatem „meum, quò præsente id dixeram, „ægrè laturum scripta mea cognoveram, cautè aggredior hominem, & „ut causa viri illius, quem se diligere „testabatur, quod petebam, indulgeret: ex latere quasi ex parte amici, „& quasi talium minùs studiosus precor. Suspicatus igitur brevissimè me „dicturum, assensit; cujus cùm de ore „verbum rapuissem, cœpi exerceri „in eo, quod proposueram. Propositum autem habui, ut initia Geneseos, Hexaemeron scilicet, commentari moraliter aggrederer. Cui commento præposui tractatum satis mediocrem, qualiter sermonem fieri „oporteat. Quô præmissô sex dierum „tropologicè prosecutus Opera, fudi „importuno licèt eloquio, quæque „meô sedissent ingeniô. Cúmque primùm Abbas meus sacræ illius historiæ conspexisset annotari capitulum, „minùs sanò hæc attendit intuitu, & „cùm me plurima animadversione finem scriptis illius facere admonuisset, videns, quòd non nisi spinis „cœpta talia oculis ejus ingerebant: „non solùm ejus, sed & omnium, qui „ad ipsum id deferre poterant præsentias præcavendo, clam illud omne „peregi. Opuscula enim mea hæc & „alia, multis impressa tabulis dictando „& scribendo, scribenda etiam pariter commentando, imutabiliter paginis inserebam. Tempore ergo illius Abbatis omnimodò studia mea „delituère silentio: quo decedente, „nactus occasionem, dum pastore locus ille vacaret, impegi tandem, & „breve opus complevi, quod decem „libris completum est. „

Rogatur, ut doceat methodum concionandi.

Ejus sacra studia Abbas fert iniquo animo:

Hæc vitæ suæ inseruit Guibertus, qui quòd sub Abbate Henrico, non secularium modò, sed sacrarum etiam Literarum osore, atque ignorantiæ cupido vitam degeret, satis infelicem se existimabat: neque enim divinas explanare paginas ei licebat, nisi se occultaret, & latebras quæreret. Qui enim venerabilis ille Abbas fuerit ita inscitiæ studiosus, idem Guibertus his verbis nos docet: * *non literis*, *non genere clarus*, *sed in rerum forasticarum fuit dispensatione conspicuus.* Hæc contra Abbatis sui ignorantiam Guibertus, qui quòd ab Abbatia S. Geremeri ad Novigentinam pertransiisset, è fumo in flammas cecidisse sibi videbatur. Fuit tamen, ut suæ infelicitatis finem videret. Henrico enim isto ignaru, atque ignorantium monachorum fautore an. 1099. oculis orbato præ senio, vel vitâ functo, Godefridus successit, vir sanctus, politus atque urbanus. Sub hujus regimine Guibertus circa annum 1100. scriptioni, commentationibus, & opusculis, ut ipse testatur, liberè incubuit. Godefrido autem ad Episcopatum Ambianensem assumpto, successit ipsi Guibertus in Abbatiæ Novigentinæ administratione & præfecturâ, in cujus negotiis ac occupationibus studia doctrinæ nunquam intermisit: semper aliquid elucubravit negotiis obrutus; à quibus, quantum potuit, totum se ad Rerum Divinarum cognitionem transtulit, ut religiosorum suorum mentes excellentis sui ingenii inventis ad honestatem, virtutésque excitaret, quò & ipsi omne suum tempus eo in studio consumerent. Quàm infelix igitur Sacræ Scripturæ studium sub Henrico, tam felix sub Guiberto erat, de cujus libris Scripturisticis, ut vocant, alio loco dicturi sumus.

quibus ab illius obitu liberè incumbit.

Anno duodecimo hujus seculi decessit in Gemblacensi monasterio Erluinus, Abbas junior, Erluini Cameracensis Episcopi nepos, sub cujus regimine disciplina regularis molliri cœpit, & tepescere sanctæ conversationis fervor. Suffectus fuit in ejus locum Olbertus, Laubiensis monachus, Burchardi Wormatiensis Episcopi præceptor. Hic ab inita cura pastorali, Abbatis nomen factis implere monachos reformando cumprimis studuit. Primò quidem indisciplinatos mores correcturus monachorum pravas eorum vias, quibus illicitè vagabundi partim aberrabant, spinis regularis disci-

Erluinus & Olbertus.

* Lib. 2. Monodiarum suarum cap. 2. pag. 490.

disciplinæ sæpire cœpit, & ad vias rectas eos reducere: nec priùs destitit, quàm paleas vitiorum ex area dominica prorsus excussit. * Tum suos, sanctâ religione jam satis imbutos ad studia literarum applicuit, ut ex Scripturæ Sacræ & sanctorum Patrum lectione in pio proposito confirmarentur.

Monachi post instauratam disciplinam ad sacra studia applicantur.

B. Petrum Damiani hoc seculo non Sacræ modò Scripturæ in publicis Italiæ scholis Professorem, sed ejus etiam fuisse Doctorem, scribit Constantinus Cajetanus. ** Neutrum tamen mihi persuadet. Ut enim de *Doctoratu* primùm loquar, necdum labente hoc seculo Universitates, à quibus honores & laureæ Doctoratûs impertirentur, in orbe extiterunt. Quod ad sacræ paginæ *Professuram* attinet, non illius, sed Juris cathedram Petrus adhuc secularis conscendit. Ita Scriptor vitæ *** nos docet: *Qui* (Petrus) *nimirum* jam monachus Benedictinus, *dum cellulæ stationem rigidâ censurâ servaret, & post assuetum psalmodiæ, precum, atque orationum persolutum sedulâ meditatione lectioni vacaret, tantâ divinarum Scripturarum scientiâ claruit, quantâ secularium antea non claruerat.* Non igitur in seculo Petrus sacras Literas, sed profanas docuit. Ubi verò inter Benedictinos Fontis Avellani eremitas cooptatus fuit, tum post aliquod tempus divinum exponere Codicem jussus est. Ac primùm quidem docuit fratres suæ eremi, dein monachos Pomposianos à S. Guidone Abbate evocatus demum cœnobitas celebris monasterii S. Vincentii.

B. Petrus Dam. ex Professore Juris Lector S. Scripturæ.

S. Leonis IX. Romani Pontificis, qui hujus seculi anno LIV. ad Superos abiit, summam in sacras Literas propensionem probat, idque veluti mirabile Wibertus, autor vitæ coævus lib. 2. cap. 12. proponit, *quod nempe ultra quinquagenarius tanto ferveret studio, ut divinarum lectionem Scripturarum in Græco addisceret eloquio.* Pressit nempe Benedictinus iste Pontifex vestigia S. Augustini, qui in Confessionibus suis fatetur, se, cùm puerulus Latinas literas adamaret, Græcas odisse: *sed jam Episcopus, jam senex*, ait Erasmus, **** *ad puero sibi fastiditas Græcas literas reversus est.* Qua in re egregium dedit specimen suæ in Sacras Scripturas sedulitatis, & reverentiæ, qui jam senex tot negotiis distractus, ad elementa Græca descendere non gravatus est, ut ad sacrarum Literarum intelligentiam esset instructior.

S. Leonis IX. propensio erga sacras literas.

Quam in lubrico monachi versentur, qui neglectis sacris Literis, in profanis ac secularibus excolendis bonas horas collocant, vel, ut rectiùs loquar, comburunt, docemur ex Arnoldi, Comitis de Cham & Vochburg, Cœnobitæ verò ad S. Emmeramum Ratisbonæ epistola ***** quam ad Burchardum Abbatem suum scripsit. In hac narrat, literas quà profanas, quà sacras in celebri hoc asceterio fuisse suo ævo, circa annum nempe decimum supra millesimum excultas. Et alios quidem Cœnobitas prioribus, alios posterioribus operam impendisse. Ex his juvenis erat monachus, quîcum Arnoldo intercesserat ejusmodi familiaritas atque consuetudo, ut & fraterna amicitia & omni voluntate essent conjuncti, párque omnino esset ratio studiorum, nempe profanorum. Quid fit? Juvenis iste monachus lethali morbo correptus ultimæ lineæ admovetur. Adest cum morte luctanti inter cœteros sodales etiam Arnoldus. Dum preces persolvuntur, morienti hostis humani generis se conspiciendum præbet; cui ille sacram Crucem ceu clypeum objicere cùm frustra conaretur, incredibili hortore concuti cœpit, ita quidem, ut terrore suo omnes adstantes maximè Arnoldum, supra quàm dici potest, perterrefecerit. Sed rei totius seriem ipse Arnoldus suis verbis nobis exponat. „Quadam die, inquit, quendam è „fratribus, concretum & conscholasticum meum, præsente me, acu„leum mortis contigit obire. Is ergo „in ipso mortis articulo quid viderit, „etiam non loqnens, astantibus patefecit. Nam cùm levatum è lecto humi „deposuissemus, primùm brachiis qua„si contra aliquem reluctatus, demum „ad sinistram acutissimè flectens obtu„tus, adeò abhorrebat à facie inimici, ut „oculorum versione capitisque aversio„ne ac impulsu, ut gestum exprimam, „capitali, penè loco sibi astantes pro„pelleret: & ut patefaceret, quan„tum Christi fides valet, ubi meritum „habet, quantúmve deest, ubi mor„tua est; nisu quô potuit, dexteram „manum extendit, signum salutis facere

Periculum monachorũ, qui profanas literas colunt.

* Mabill. Annal. tom. IV. p. 227.
** Præfat. ad Reg. Petri de Honestis tom. IV. pag. 3.
*** S. Joannes Laudensis
**** citatus in Præfat. Tom. III. Opp. S. Augustini novæ edit. è Cong. S. Mauri.
***** extat Arnoldi epistola in Henr. Canisii antiq. Lect. tom. 2. & nov. edit. in fol. tom. 3.

„cere volens;" sed exprimere minimè „valens, subita concussione contremuit, ac pallore obductus irriguit. „Sicque exhalavit. Nos verò singul„tibus, psalmodiam intercipientibus, „omnes pariter in luctum conversi fu„mus. Quis enim ibi non fleret, ubi „quisque infirmitatis propriæ intra „conscientiam commonitus, vix effari „posset præ fletibus? cùm & ego post „annos aliquot, teste Christo, haud „absque gemitu & fletu hæc scripserim, „memoriæq; tradiderim. Juvenis nam„que floridus, frater etiam coætaneus, „in puerili lascivia consentaneus, super „quo innitebar, baculus arundineus „versus est mihi in colubrum, ita ut „fugerem. Inde absterritus subduxi „me, quibus eatenus ob gloriolam fœ„culi, adhæsi libris paganis, & fani„ore consilio implicabar divinis. Tunc „primùm cœpi discernere, quæ distan„tia esset inter lucem & tenebras, in„ter Dominum & Belial. Tum quo„que aliquantulum ad me reversus, ex „parte collegi, qui fuerint Scriptores „Ecclesiastici. In quorum varietate „pulcherrima enotavi, beatissimum „Christi Confessorem *Hilarium*, alti „cordis virum; quàm longè sit à le„ctione simpliciorum fratrum; *Am„brosium*: quàm disertus orthodoxus: „*Joannem Constantinopolitanum*: quàm „jucundus & aureus: *Gregorium* Na„zianzenum: Doctor quàm mirificus „& anastasificus: *Hieronymum*: quàm „brevis & rectus: *Augustinum*: quàm „facundus & profundus: *Gregorium* „Papam Romanum: quàm dulcis & „clarus: *Isidorum* Hispanum: quàm „succinctus & distinctus: Hi siquidem „& horum præcessores & successores „valde venerabiles & utiles operatores „jam abundanter hauriebant è fonti„bus Salvatoris, quæ dulcissima cha„ritate propinarent nobis. Quorum „cùm legissem Opera, quæ peritissimis „probabilia, mihi verò pro captu meo „videbantur etiam mirabilia, aucto„ritate simul & venusti sermonis dul„core delectabar." Hactenus Arnoldus.

Ex alieno periculo fit cautior Arnoldus.

Quemadmodum verò divino Numini nimium quantum displicet, si Monachi ad profanas literas animum industria æquo majori adjungant, ita rem malo dœmoni ingratam faciunt, si ab his ad sacrarum literarum studia divertant. Cujus rei memorabile iterum exemplum ex eodem percelebri sancti Emmerammi monasterio, quod in urbe Ratisbona est, afferre licet. Secesserat in illud hoc ævo vitæ secularis pertæsus, Venerabilis Othlonus, Presbyter secularis. Sapienter ab eo factum, quòd sacras Literas profanis ac secularibus antehabuerit. Ut enim in libro * de suis tentationibus ipse testatur, *in eo loco, quo monachus factus est, cùm plurimos diversæ qualitatis homines invenisset, quosdam libros quidem gentiles, quosdam verò Sacram Scripturam legentes; ipse cœpit solummodò imitari, quos videbat divinæ insistere lectioni.* Sed duro admodùm initio in hoc studio usus est. Indoluit enim hostis, malus genius, atque ut illum ab eo averteret, gravissima tentatione incessit. Tanta fuit quanta nulla ferè alia, quas plurimas, easque oppidò graves perpessus fuit. „In ista (verba sunt Othloni) talis „erumpebat violentia, ut non solùm „spirituales, sed etiam corporales mei „sensus vigore solito destituerentur. „Videbatur enim mihi interdum, ut jux„tà vires solitas videre aut audire pos„sim. Interim ego quasi cujusdam me„cum colloquentis, & ore etiam apposi„to verba meis auribus susurrando im„mittentis audirem dicentisque: Cur „labore cassò tamdiu fatigaris? ubi est „illa spes tua, quàm usque modò reti„nebas in Scriptura? nonne omnium „mortalium stultissime, casibus pro„priis poteris probare, quia & Scri„pturarum testificatio, & totius crea„turæ imaginatio absque ratione con„stat & sine rectore? nunquid experi„mento non cognoscis, quia aliud „librorum relatio divinorum, & aliud „vita moresque probantur esse homi„num? Putasne tot millia hominum „errare, qui, ut ipse quoque hactenus „cernebas, nec observare, seu nec susci„pere curant documenta librorum? „Cúmque super his mœstus in corde „meo tractarem sæpiùs, quasi interro„gandu & objiciendo. Si ita est, inqui„ens, cur tanta convenientia est in „omnibus ferè Scripturis divinitùs in„spiratis, ut ratione pari & de condi„tore Deo, & de mandatorum ipsius „observantia enarrent? visum est hu„jusmodi verba iterum quasi respon„dendo mihi inspirari: Ideò utique „ô insensate, Scriptura, in qua con„fidis, de Dei persona, & de religio„ne multiplici verba profert, quomo„do homines illi, qui scripturæ ejus„dem auctores olim extiterunt, eo„dem

V. Othlonus profanis Sacras Literas sapienter præfert.

Gravissimè ea propter tentatur à diabolo.

* Quem vide apud Mabillonium Analect. Tom. IV. pag. 404.

„dem modo, quo etiam in tempore „præsenti vivunt, ipsi tunc vixerunt. „Modus autem vivendi in tempore præ-„senti, sicut tu quoque scis, constat „talis, ut honestè quidem & religiosè „satis homines loquantur, aliter ve-„rò longè sint actus eorum, sicut sci-„licet expedit, & fragilitas humana „permittit. Nónne ergo hæc ita esse „quotidie potes probare? Unde pu-„tes, & auctores scripturarum anti-„quarum religiosa quidem honestáque „dicta composuisse, sed non secun-„dùm eorundem dictorum qualitatem „vixisse. Igitur secundùm talem mo-„dum omnes Legis divinæ libros in-„tellige conscriptos, ut videlicet reli-„giositatis & virtutis superficiem quan-„dam exteriùs habeant, interiùs verò „rationem aliam, & intellectum ex-„quirant. Sicut in plurimis, maxi-„méque in divinis codicibus, facilè „reperiuntur sententiæ, aliam in lite-„ra, aliam in intelligentia rationem re-„tinentes. Hæc autem omnia ita esse „uno Pauli testimonio approbo: *Lite-„ra enim*, inquit, *occidit*, *spiritus „autem*, id est, sensus, *vivificat*. „Nónne satis apertè per hæc Aposto-„li verba doceris, quia si librorum di-„cta sequeris, maxima pericula patie-„ris?

Liberatur à tentatione. A gravi hac tentatione Othlonus, fusis ad Deum ardentissimis precibus, ejusdem benignitate demum liberatus est. „Nulla dehinc mora, pergit, „& ablata est per Dei gratiam non so-„lùm omnis illa dubitationis supradi-„ctæ nebula: sed etiam scientiæ lux „tanta in corde meo emicuit, ut & „nunquam postmodùm tales dubita-„tionis mortiferæ tenebras sustinerem, „& ea, quæ minùs antea cognovi, „intelligere cœpissem. Cujus etiam „intelligentiæ gratia in tantum per id „tempus mihi augebatur, ut non eam „facilè possem occultare„ Quare fa-ctum, ut Othlono cum tentatione proventus majoris intelligentiæ sacrarum Literarum singulari Numinis benignitate obvenerit.

Statutum B. Wolphelmi de lectione S. Scripturæ. Præfuit hoc seculo B. Wolphelmus Brunovillario, insigni Familiæ nostræ monasterio propè Coloniam Agrippinam; qui cùm optimè intelligeret, Monachis lectio sacræ Scripturæ quantopere cùm necessaria tum utilis esset, sancivit, ut Biblia quotannis in monasterio semel, sacra verò Evangelia quater, omnibus audientibus, legerentur. Operæ pretium est, inquit vitæ scriptor Conradus Monachus,* illud etiam non reticere, quod singulis annis vir Domini novi ac veteris Testamenti paginas ex integro faciebat legendo revolvi: quatuor verò Evangeliorum libros, quoniam non eo loco vel ordine, quo reliquos competebat expleri, statuit quatuor Temporibus recurrentibus anni, in quatuor plagis claustri singulos à singulis Diaconis recitari. Quod cujus fecerit utilitatis intuitu, vel devotionis affectû, ex subjectis ejus super utrumque Testamentum compositis liquet versibus. In quibus singulis annis utrisque explendis non parvi pendendam annectit causam utilitatis, plurima etiam necessaria tangens, nunc personas subitò decenter immutans, nunc electorum per verbera salutem denuncians, nunc Scripturarum suavem gustum commendans, postremò geminam in Christo naturam generis humani medicinam declarans.

Cujus usitatem carmine commendat.

Latè diffusus sic Ecclesiasticus usus
Se Testamentis exercet in Omnipotentis,
Ut legat hæc ambo, sed & omni compleat anno,
Sicut in hebdomada Psalmorum clauditur oda.
Ast hinc psallendi cùm stet status inde legendi,
Lectio quò prosit, nunquam præfatio defit,
Quâ clavi limen patet ad quodcunque volumen:
Pandat ut admisso quod clamet abyssus abysso.
Admitti verò dedit ejus gratia Clero,
Qui populis ipso parat hinc documenta ministro;
Sed cunctis æquè non detegit intima quaque.
Quis tamen interea non abnuit interiora.
Angelus hinc ensem suspendit percutientem,
Altiùs inflictus non lædit fulminis ictus,
Non ignis torrens, non vultus dæmonis horrens,
Captivis diræ discedunt sensibus iræ.
Vasta lues morbi, quæ sæpe supervenit orbi,
Aut non accedit, citiùsque precando recedit.
Exceptos natos quod vult pater esse paratos
Verberibus tangi, panisque fugacibus angi,
Queis absterrendi nocuo sunt fœdere mundi,
Sed non donorum Deus usum subtrahit horum,

Quis

* Vita B. Wolphelmi extat in Actis Sanctorum die 22. April. cap. IV. pag. 83.

Quin patrem sese per verbera comprobat esse.
Si sit eis ritus legaliter hic stabilitus,
Ut sic psallatur, ceu diximus, atque legatur,
Utilitas extra patet hæc, latet altior intra.
Huc introductus gustabit munera fructus,
Cui donat mentem Dominus gustare scientem
Fructus majoris, quàm pandat lingua, saporis.
Sed nec erit, gustum qui scriptis exprimat istum,
Gustans ipse magis scit, quàm sit gratia suavis,
Quam Scripturarum conservat cella sacrarum,
Et quæ diffundi se vult per climata mundi:
Quo genus humanum sit in hoc medicamine sanum.
Quod naturarum peragit compago duarum:
Dum Deus inde Pater parit, hinc parit innuba mater:
Nil cœlis illinc, nil terris clarius est hinc;
Qua specie binâ componitur hæc medicina.
Christus Patre satus Deus: ast homo Virgine natus.
Qui cum Patre Deus, sed & almo Pneumate verus,
Ad nos indultis pandat pia viscera culpis,
Sæcla per examen dum justè discutit. Amen.

CLAUDII LANCELLOTI nova dispositio lectionem S. Scripturæ per annum absolvendi.

Cœterùm quibus Abbatibus & superioribus præclarum hoc B. Wolphelmi institutum probatur (quidni verò omnibus probetur?) ut illud sua in monasteria introducant, his usui esse potest *Claudii Lancelloti* Benedictini Parisiensis *Nova Dispositio S. Scripturæ, quâ illa per annum integra legi potest*, typis anno 1669. Parisiis vulgata.

Fulgentius Afflig.

Inclinante seculo XI. Anno 1083. conditum fuit illustre monasterium *Affligemense*, sive Affligeniense in Brabantiâ; in quo cùm regularis disciplinæ observantia summo esset in flore, Fulgentius primus Abbas, magnopere sibi peccare est visus, si quod Monachis otium à chori frequentatione cœterísque religiosæ vitæ exercitiis concessum erat, aliâ ulla re, quàm sacrarum Literarum tractatione, & SS. Patrum lectione ab iis consumi pateretur. Cùm verò animadverteret, Franconem monachum, suum postea in Abbatiali dignitate successorem, longè supra cœteros in Theologia Positiva summo studio esse versatum, eámque facultatem jam esse consequutum: ut ab ipso egregium quidpiam exspectari possit, author ipsi extitit, ut *de gratia Dei* Opus lucubraret. Literis autem, * quas ea de re ad Franconem dedit, hanc imposuit clausulam: *Spiritus sanctus, qui completis diebus Pentecostes replevit corda discipulorum Christi, simili virtute, & ardoris dulcedine repleat animam & cor tuum, ad eructandum verbum bonum acceptum Deo, & cœlesti remuneratione dignum, fratribusque & omnibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis gratum Vale in Christo.* Franco meliùs arbitratus, *quamvis infirmo gressu pedetentim progredi, quàm nec tentando, quæ jussa sunt*, inobediens inveniri, accinxit se Operi, exercuit stylum, ac de *gratia* seu *beneficentia Dei* Libros XII. sanè quàm præclaros in lucem emisit, in quibus *effuso gressu per veteris ac novi Testamenti latitudinem evagatum se fuisse*, ipse nos docet præfatione in librum nonum. Humana Franco absolvit seculi XII. anno tricesimo.

S. Anselmus.

Priùs verò, anno nempe ejusdem seculi nono, vitâ concessit Divus Anselmus, Archiepiscopus Cantuariensis. Is cùm res divinas scriptô edere aggrederetur, hanc sibi ad rectè scribendum regulam ipse præstituit, ut nihil sentiret, diceret, aut doceret, *quod non Catholicorum Patrum, & maximè Beati Augustini scriptis cohæreat*, cujus vestigia speciatim sequi ac insistere ipsi placuit, quippe quem Deus Ecclesiæ suæ ac Theologorum scholis ducem dedit, & lumen longè clarissimum. Etenim de illo præsertim accipi possent illa Lucretii carmina:

Qui genus humanum ingenio superavit, & omnes
Præstrinxit stellas, & fulsit ut æthereus sol.

Nec minores sunt laudes, quibus Gregorius Magnus, Venerabilis Beda, Rabanus Maurus, Lupus Servatus, Hincmarus Archiepiscopus Remensis, Petrus Cluniacensis, Rupertus Tuitiensis, aliíque è nostra Familia Thologiæ Positivæ Doctores S. Augustini scripta, in quibus erant versatissimi, ad sidera usque evehunt, & extollunt. Unius Remigii Autissiodorensis, publici sacrarum Literarum in Gallia Professoris testimonium adducere

du-

* Bibl. PP. edit. Lugd. to. 27. pag. 293.

duxisse sufficiat: *sicut sol in lumine excedit omnes planetas, ita Augustinus omnes excessit in exponendo sacras Scripturas.* Quantoperè autem lectio libri *de libero arbitrio*, qui S. Augustinum authorem habet, Odoni Cameracensi Archiepiscopo profuerit, nunc exponendum est.

Odo * Philosophiæ adhuc in seculo Professor cùm fortè fortuna à quodam Clerico S. Augustini librum *de libero arbitrio* coëmisset, in scrinii angulum projecit, utpote qui *adhuc mundanæ sapientiæ deditus magis delectabatur lectione Platonis quàm Augustini.* Cùm verò post duos fermè menses Boëtium de Consolatione Philosophiæ discipulis prælegens, ad quartum librum, in quo de libero arbitrio disserit, pervenisset, recordatus empti libri, vocato ministro suo, jussit eum sibi deferri. Lectis duabus tribúsve paginis, convocatis scholaribus suis; *Verè*, inquit, *hactenus ignaravi Augustinum, tantæ tàmque delectabilis fuisse facundiæ.* Perlegendo tertium librum, in virum alterum mutatus, scholas paulatim deserit, ecclesiam frequentat, ac demum seculo nuntium remittit. Ab ipso monasterium S. Martini Tornacensis instauratum fuit. Socium ei se adjunxit Alulphus ante monasticæ vitæ professionem Clericus secularis minimè indoctus. Is cùm in Literarum divinarum studio tempus utiliter collocaret, Paterium Gregorii M. quondam discipulum imitari statuit. Ut enim Paterius ex sancti hujus Pontificis dictis & sententiis commentarios in universam sacram paginam adornavit, ita Alulsus ex libris Gregorianis novum vetúsque Testamentum commentari decrevit. „Hujus ergo rei (Alulfum ipsum ** „loquentem audire juvat) desiderio „nimis ardenti sum provocatus. De„hinc etiam à domino Odone nostri „Cœnobii fundatore & primo Abbate, „qui postea Pontifex Ecclesiæ Came„racensi præfuit, & apud Aquicin„ctum sepultus requiescit, verbis sua„soriis sum rogatus, quatinus testi„monia de libris Salomonis de prædi„cti Pontificis opusculis extraherem, „& de multis collecta voluminibus, „uno volumine coartarem. Quia „igitur Paterium, beati Gregorii di„scipulum, ejusdem jussu Præsulis

ALULPHI Commentarii.

„opus simile fecisse cognoveram, cu„jus quidem principium super Gene„sim libentissimè legeram, sequen„tes autem libros nequaquam inve„nire poteram, gratanter & arden„tiùs Abbatis mei hortamentum & „imperium suscepi, quô valui studio, „non solùm Salomonis, sed etiam to„tius veteris ac novi Testamenti de „omnibus opusculis beati Gregorii in „unum testimonia congesta collegi. „Quæ dum dispersè, sicut reperta fue„runt, in schedis suis relata trans„currerem; licèt laboris esset non mo„dici, uniuscujusque tamen rei testi„monia, juxta quod in suis ex ordine „sunt sita codicibus, per libros suos „ordinando composui, quatinus stu„diosi lectoris desiderium ad elucidan„dam sibi quam velit obscuritatem, in„vento libri titulo quem requireret, „nihil moræ vel ad parum aliquo mo„do præpediret. Præterea ad unum„quodque testimonium, in quo opere „vel in quo libro positum legeretur, „in ejus tituli prænotatione sigoavi. „Dehinc etiam, ut ex qua re ortum „esset, sciretur, paulò altiùs incœpi; „& ut ad ipsum copiosiùs descenden„do venirem, quædam prætermit„tendo transilivi; nonnulla verò trans„posui, quædam etiam decerpendo „verbis brevioribus transmutavi. Sci„endum etiam, quòd in quibusdam „locis, quia sic satisfactionis norma „poscebat, hoc idem beatus Grego„rius de eodem testimonio retexuit, „quod dum explanâsse legitur. Ali„cubi autem quædam, quæ de eo mi„nùs pridem dixerat, inter repetita „addens verba supplevit. Quod ego „de jam dictis excerpens, eidem te„stimonio, ubi poposcit locus, inse„rendum aptavi: quia res non erat, „quæ poni separatim utiliter potuis„set, dum ex præcedentibus, quæ „dicta jam fuerant, subsequentibús„que penderet. Si igitur expositionis, „unde hæc excerpta sunt, recurrens „ordinem, plus in quibusdam operis „hujus locis aliquid, quàm in textu „libri positum est, minúsve aut aliter „repereris; scias quòd hoc causæ fe„cit ratio quam præmisi.„

„Perpendens autem, quod si utrius„que Testamenti vellem in unum te„stimonia redacta colligere, & magni„tudo voluminis normam excederet, „&

* Ex Heriman. Mon. Tornac. in Restaur. Abbat. S. Mart. Tornac. Spicileg. tom. 12.
** In Prologo ad librum qui dicitur *Gregorialis* apud Mabillon. in Analect. to. 1. p. 314.

„& legentis desiderium impediret; in „tribus hoc voluminibus Domino co- „operante disposui, ut duo veteris, „tertium novi dicta contineat. Quar- „tum etiam, quod his tribus super- „addidi, non jam testimonia, sed „sententias diversas, & non inutiles „habeat. Et quoniam hoc opus, quod „in partes dividitur, ex opusculis tan- „tùm Gregorii Papæ constat esse de- „floratum; justè tanti Pontificis no- „mine est insignitum, & à beato Gre- „gorio nomen ei *Gregorialis* est impo- „situm. „ Hæc Alulfus; quæ Herimannus monachus in Historia restaurationis monasterii sancti Martini Tornacensis breviùs his verbis complexus est; *Alulfus Armarii seu Cantoris officium XLVII. annis tenuit: omnésque libros beati Gregorii sæpiùs relegens, imitatus Paterium, universas tam veteris quàm novi Testamenti sententias ab eo expositas excerpens, tres deinde codices composuit, & quartum de diversis & valdè utilibus sententiis superaddidit, eisque Gregorialis nomen indidit: sicque XLVIII. conversionis suæ anno in bono proposito vitam terminavit.*

Visio Odonis Cluniac. His subnectere placet, quæ in vita S. Odonis Abbatis Cluniacensis memoriæ * produntur; & licèt seculo decimo gesta sint, commodum tamen hic locum sortiri posse videntur. Cùm S. Odo adhuc Turonensis esset Canonicus, rogatus est à fratribus ipsius studiosis, ut libros Moralium beati Gregorii in unum volumen redigeret, respondit se id, neque si velit, præstare posse: neque si possit, facere debere, ne tanti viri tantum opus, quædam detrahendo, immutare videretur. Illis verò dicentibus, illi operi antè succumbendum, quàm sustinendum: satiúsque esse, illo penitus relicto, ad alia scripta se conferre, quàm sub eo tanquam gravi mole opprimi: [Ita enim quotidie hac de re inter se non parùm contendebant, multis quidem id indignè ferentibus; quod tamen constat mihi non aliqua arrogantia ab illis factum, sed Domino disponente, ut lucerna sub modio latens, super montem poneretur] Illis ergo in prece persistentibus, Odo intra beati Martini Ecclesiam nocte quadam solitæ orationi vacans, somno correptus est, vidítque sanctos non paucos cœlitùs in Ecclesiam illam descendere, & cùm priùs laudâssent Dominum, ordine illic considere: porrò unum ex iis procedere in medium, sciscitari quemnam illic expectent: illos respondere, beatum Gregorium Papam à se expectari. Id audiens Odo, curiosè huc illúcque cœpit circumspicere, scire cupiens, quanam ex parte adventurus sit. Deinde sublatis in cœlum oculis, videt tanquam è cœlo venientem beatum Gregorium, vultu, forma, moribus longè aliis illis præstantiorem: mox verò illi advenienti omnes assurgere, flexisque capitibus petere ab eo benedictionem. Tum illum non ad eos usque descendere, sed in pulpito consistentem, ad se accire ipsum Odonem humi prostratum, juberéque eum surgere, nec quicquam formidare. Surgens itaque Odo, cernit ad auriculam ejus defixum calamum, ut solent, qui scriptitant, eúmque ipsi porrigere cum his verbis: Age securus, & perfice opus tibi injunctum. Et tuus quidem, quem confecturus es, liber non abolebitur: meus verò æternùm manebit. His dictis confestim experrectus beatus Odo, intellexit, quid illa visio sibi vellet. Itaque grande illud beatissimi Pontificis Opus accuratè perlegit, atque ex eo excerpens pleraque unum effecit librum, atque ita illorum murmura compescuit.

Seculum XII. Academia Cantabrigiensis in Anglia cùm seculo XII. à nostris instituta fuisset, Gislebertus sacram docuit Theologiam. Sed quam? haud aliam sanè, quàm *Positivam*. Nam serialibus diebus, literatis ac sacerdotibus ad ipsius auditorium specialiter confluentibus, sacræ paginæ exponebat textum. Hîc verò advertas velim, Theologiæ Professoribus in more positum fuisse, ut nudè & simpliciter Sacræ Scripturæ, sanctorúmque Patrum authoritate loca difficilia & divina mysteria explanarent. Et talis Theologia ab ætate Caroli M. ad Berengariana tempora in scholis regnavit Benedictinis. Tales sunt Alcuini, Paschasii Radberti, Rabani Mauri, Lupi Ferrariensis, Walafridi Strabonis, Haymonis Halberstadiensis, Hincmari Remensis, aliorúmque deinceps ex Ordine nostro, qui sequente seculo scripserunt, Theologorum de Incarnatione, de Trinitate, de Eucharistia, Prædestinatione, aliísque similibus mysteriis tractatus. Tales quoque Lanfranci de Sacramento Altaris, Guitmundi, Durandi Troarnensis de eadem

* apud Surium tom. 6. die 18. Nov. pag. 418.

eadem materia disputationes. Et seculo adhuc duodecimo Rupertus Tuitiensis, multique alii adhuc instituerunt. Exemplum hujus Theologiæ Cæsar Egassius Bulæus * affert ex Algero nostro, Diacono & Scholastico Leodiensi doctissimo, deinde monacho Cluniacensi, qui florebat initio hujus seculi, in Tractatu de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini. Legi etiam meretur epistola, quam Philippus Eleemosynæ Abbas ** olim Prior Clarevallis sub S. Bernardo scripsit ad Abbatem Lœtiensem, quod est nostri Ordinis in Hannonia monasterium. In hac epistola, quæ est ordine 24., gaudium præfert, quod hic Abbas Sacræ Scripturæ & Patrum studio sese addixerat. *Non parum mihi gaudium præstat, quòd audio & scio vos sacris Literis assuetos, & sanctorum Patrum ingenia revolvere, quos in auctoritatis arce mater Ecclesia reposuit & evexit.* S. Augustinum reliquis Patribus præfert, cujus quædam Opera in Bibliotheca suæ Abbatiæ reperiri admonet, atque ea transcribendi Abbati copiam facit, si lubeat ad se mittere *scriptorem & membranas*.

Inter Angliæ monasteria tria præ cœteris hoc occurrunt seculo, Glocestrense, Cantuariense, & Westmonasteriense, quæ alioquin clara sacrarum tamen Literarum studio clariora reddita fuerunt. Vivebat in priore *Osbernus*, vir præter omnem illius ætatis fortem in Latina lingua elegans juxtà ac facundus. In philosophia etiam magna cum felicitate versatus; tum præterea exactus Theologus, ut etiam cum veteribus ipsis (absit invidia dicto) conferri possit. Deum immortalem! exclamat Joannes Lelandus, *** quantum ille laudis suo peperit cœnobio, dum monachus monachos literis instituit, format, adornat. Quantum ille bonarum horarum in scribendis libris benè collocavit; neque interim tamen suæ eloquentiæ nervos in canoras nugas & ingenii ostentationem intendebat. *Sacras Literas aggressus, magno animo maxima quæque præstitit: illas meditabatur, illas ferè solas interpretabatur.* Quo nunc autem spiritu, quo judicio, qua denique fide illud fecerit, doctorum esto judicium. Illud verò quòd in commentariis suis dialogis plerumque usus sit, cum Philosophis & Theologis probatissimis cùm Græcis tum Latinis, commune habet. Est enim in dialogis, nescio quid latentis gratiæ, quod lectoris animum delectet, rapiat, detineat. Hamelino Abbati suo, tantæ eruditionis nomine, ter ac quater charus erat. Familiaritate usus est *Nicolai*, nescio an ejusdem cœnobii monachi, quem in Prologo Dialogi sui in Genesin hominem sanæ doctrinæ ac eximiæ scientiæ appellat. Multa præclara in sacras Literas commentatus est, quorum indicem alio loco daturi sumus.

OSBERNUS Glocestr.

In Cantuariensi monasterio Odo monachus Sacræ exponendæ Scripturæ summam impendit operam. Sim vanissimus, inquit idem Lelandus, **** nisi Stocholegus Episcopus Londioensis, nuper excutiens omnes bibliothecæ Coggesalensis cœnobii forulos ita laudaverit Odonis in Pentatheucum Commentarios, ut illos cum veterum Theologorum monumentis ferè pares fecerit. Quamquàm nec in illis solis ejus emicuit doctrina. Psalterium Davidis lucidè interpretatus est, & Conciones super Evangelia Dominicalia, & Epistolas Pauli erudito auditore dignas scripsit. Apparet ex indice Bibliothecæ Cantuariensis, Odonem scripsisse Expositiones in vetus Testamentum, & sigillatim in libros Regum, & alia plura, quæ silentio prætermitto. Quia verò naturâ ita comparatum est, ut sub præceptore erudito ut plurimùm discipuli etiam fiant eruditi, eâ factum ratione, ut monachi Cantuarienses præclaram sacri Codicis assequerentur cognitionem. Odo verò præmium sacræ suæ eruditionis tulit primùm Abbatialem S. Martini de Bello, tum Cantuariensem S. Salvatoris Archiepiscopalem infulam.

ODO Cantuar.

In Westmonasteriensi cœnobio Radulphus Eleemosynarius Benedictinas sanctiones religiosissimè coluit; idémque bonas literas tanto animi studio prosecutus est, ut majori nemo homo facilè potuerit. Præcipuas tamen studiorum partes, ut pium decuit monachum, Theologiæ consecravit positivæ. In qua tantum promovebat, quantum hæc nostra felicia tempora collaudarent. Conciones igitur de rebus sacris frequentes cùm privatim in suo Collegio, tum etiam publicè Londini

RADULPHUS Westmonast.

E 3

* Hist. Univers. Paris. Sec. IV. i. e. Æræ Christianæ XII.
** apud Mabill. Tract. de Stud. Mon. Vol. 2. art. 24. pag. mihi 164.
*** de Scriptor. Britan. cap. 151.
**** l. c. cap. 180.

dini habuit; quibus ita auditorum suorum animos contemplatione rerum cœlestium inflammavit, ut sordes rerum humanarum facilè contempserint. Viderat hanc honestissimam in formandis bonis moribus sedulitatem Laurentius Abbas, genere Nortmannus, vir quidem, ut ex ejus libris apparet, bene doctus, & Radulphum præ cœteris suis monachis omnibus, arctâ quadam familiaritate sibi conjunxit. Deinde etiam, ne artes sine honore essent, præfecit illum cœnobiolo suæ ditionis, ut liberrimè, tanquam in alto, sed sancto otio studeret, simul & scriberet. Est locus non longè ab *Henolega*, foro celebri in ipsa Tamesina ripa posito, dissitus, quam Hurstelegam vocant, ubi etiam, verba iterum sunt Lelandi * nuper monachi Christo Opt. Max. serviebant. Fuit hîc non paucos per annos, & motore Laurentio Abbate, conciones, quas olim pro populo gravissimas habuerat, cœpit non sine industria in unum volumen cogere, erátque mox novum opus dedicaturus suo Abbati, nisi mors talem sibi patronum nondum absoluto libro abstulisset. Postea tamen quod Laurentio destinaverat, Gualterio Abbati, ejus successori, dedicavit. Scripsit præterea homilias, opus luculentum, in quibus Sacræ Scripturæ locos non obscurè interpretatur. Legi & hunc fuisse tandem Abbatem Westmonasteriensem.

Alii ejus ætatis Scriptores. Quid jam dicam de aliis hujus seculi Benedictinis, Italis, Gallis, Germanis, Belgis, Anglis? quid de S. Anselmo Lucensi, qui omnem penè Scripturam Sacram & Sanctorum expositiones memoriâ tenebat? quid de S. Brunone Signiensi Episcopo, & Abbate Casinensi, de Godefrido Vindocinensi, Eadmero Cantuariensi, Pothone Prumiensi, Arnoldo Carnotensi, Bonæ Vallis Abbate, Hervæo Burgidolensi Asceta, Hugone Floriacensi, Guiberto S. Martini Abbate Gemblacensi, Rudolpho Flaviacensi, Adalberto Spaldingensi, Ailmero Cantuariensi, Hugone Readingensi, Odone Aurelianensi, Degone San-Udalricano Augustæ Vindelicorum, Wolberone S. Pantaleonis Coloniensis Antistite, Berengoso Abbate S. Maximini Trevirensi, Petro Abbate Cellensi, Guilielmo Parvo Abbate Beccensi, Ruperto Abbate Limburgensi, Simone monacho Affligemiensi, Guilelmo Malmesburiensi, Hilarione Casinensi, Frutolpho Bambergensi, Laurentio Dunelmensi, Hildeberto Cennomanensi, Theoderico Abbate S. Trudonis propè Leodium, Petro Diacono Casinensi, Joanne Abbate Fiscanensi, Drogone Ostiensi Cardinale &c. qui quàm toti seculo XII. in sacrarum Literarum studiis fuerint, si pro dignitate commemorare vellem, qnem finem nostra habitura esset oratio? *Salvo officio divino*, inquit Abbas Trithemius, *cui omnes devotè insistebant, de reliquo monachi studio vacabant Scripturarum: quibus non solùm illuminabantur intellectu, sed etiam compungebantur affectu.*

* l. c. cap. 233

Godefridus Admontensis. Ut verò *Godefridum* Admontensem & *Rupertum* Tuitiensem Abbates, Germaniæ nostræ clarissima lumina, tacitos prætermittam, nullo modo facere possum. Et prior quidem Theologus doctissimus suo in monasterio perquàm celebrem Sacræ Scripturæ scholam aperuit, cui fratrem suum germanum *Irimbertum*, inclytum illum divini Codicis interpretem præfecit. Schola igitur Admontensis hoc seculo seminarium fuit, unde clarissimo exemplo solus Godefridus minimùm viginti Abbates eduxit, qui variis per totam Germaniam regendis monasteriis præpositi fuerunt. Erant verò ii omnes dotibus illis ornati, quas in Abbatibus S. Legislator Benedictus requirit, nempe ut non virtute modò essent præditi, sed etiam *divinâ Lege docti*, quò *nova & vetera proferre possent.* Nec *Godefrido* solùm de monachis, sed etiam monialibus cura fuit, quas itidem sacris erudiri literis fecit. Quo in genere excelluit doctissima illa Regiliodis, de qua in sequenti libro dicturi sumus.

Rupertus Tuitiensis. Godefrido nihil *Rupertus* concessit. Is adhuc monachus Leodii in S. Laurentii monasterio cùm tardioris esset ingenii, Virgineæ Matris interventu, quam suppliciter in vota vocavit, divinarum Literarum scientiam est assecutus. Quo autem modo id contigerit, ipse refert Libro XII. in Mathæum, ubi ait, sibi dies antiquos & annos æternos in lectulo attentiùs meditanti, objectum fuisse Virginis Filium, qui osculum ipsi libaverit: quo viso attonitus intellexit, se in divinorum mysteriorum adyta deinceps faciliùs penetraturum. Factum id tricesimo die, postquàm sacerdotio initiatus fuit. Eâ siquidem cœlesti rerum divi-

divinarum scientiâ delibutus est, ut ab exponendo & scribendo Verbo Dei se abstinere non potuerit; *Ego*, inquit, *os meum aperui, & cessare, quin scriberem, nequaquam potui, & usque nunc, etiamsi velim, tacere non possum.* Patronum suorum studiorum habuit Cunonem Abbatem, postea Episcopum Ratisbonensem, qui ipso teste fuit *venerabilis Abbas, & venerabilium studiosissimus literarum*, quódque eo majus est, *monasticæ columna religionis.* Insignis hic Abbas Ruperto author fuit, ut divinis explanandis Scripturis calamum impenderet, quod is eximiè præstitit, ac omnium primò libros duodecim de *Victoria Verbi* conscriptos eidem Cunoni nuncupavit. Invidentiæ tamen morsus evitare haud potuit. Erant enim æmuli, qui vitio ipsi vertebant, quòd post sanctos Patres, & orthodoxos Commentatores Scripturas Sacras interpretaretur. Quibus ut ille os opprimeret, antiquorum Patrum veteris Testamenti, qui plures sibi foderunt puteos, conatus opposuit, horum enim exemplo dicebat licere *post illos tractatur, quos tractaverunt patres & priores nostri, & alios fodere puteos proprii vomere ingenii, dummodò vivam*, inquiebat, *& nos aquam reperire possumus, quæ nulli noceat bibenti, nulli scandalum vel errorem faciat legenti.*

Rupertus Tuitiens.

Ex regulis, quas pro explanandis & intelligendis sacris Literis cùm sibi tum aliis præstituit, paucas adducere me non pigeat.

ejus Regulæ pro intelligenda Script.

1. *Scriptura omnis Christum nobis repræsentat habentem quatuor facies.* Non enim solummodo quatuor Evangelia, sed & omnis Scriptura divinitùs inspirata, certam hanc habet intentionis suæ quadrifidam faciem, ut eundem Dominum nostrum ostendat mansuetum nobis, ut verè hominem: fortem contra diabolum, ut leonem, id est, Deum omnipotentem: immolatum pro nobis ut vitulum electum atque saginatum: resurrexisse atque in cœlum ascendisse, ut volantem aquilam *tom.* 1. *lib.* 2. *in Genesim c.* 28. *pag.* 31.

2. *Scripturæ litera discutienda est, non verò falce metenda.* „Si intraveris "segerem amici tui, franges spicas, & "manu conteres, falce autem non me-"tes." Ejusdem amici vel proximi seges sancta Scriptura est, quæ de Patrum ejus secundùm carnem dictis vel factis contexta est. Franges ergo, inquit, spicam manu, ut ad latentia grana pervenias, id est, discuties occidentem literam, ut de reposito intrinsecus spirituali sensu vivas, falce autem non metes, id est, non condemnabis, qualecunque illud sit, quod ab antiquis patribus sit, aut actum est. Verbi gratia: Abrabam duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera, hæc & his similia, si tanquam adulteria reprehendas, aut judices, rationem non discernens temporum, quod videlicet ante legem alia licentia fuerit, alia sub lege, atque alia sit in pulchritudine Evangelii, si, inquam, hæc reprehendas, vel condemnes in hominibus sanctis patribus nostræ fidei, quorum de semine salus nobis Christus advenit, nimirum segetem amici falce indiscreta messuisti; Manu igitur tantùm horrentem spicam conteres, id est, per allegoriam dicta esse hæc intelliges, *to.* 1. *lib.* 1. *in Deut. c.* 27. *p.* 299.

3. *Scriptura Sacra non verba rebus decorat, sed verba rebus ornantur.* Ethnicorum scripta si sanctis ac divinis Scripturis conferas, ea maximè discernuntur distantia, quod apud illos res exiles atque ignobiles utpote terrenæ, & de cœlestibus sive spiritualibus nihil habentes verbis ornantur: in sanctis autem Scripturis non res verbis, imò verba rebus venerabiliter decorantur. Ibi verba conquisita * ejusque sequentia rebus caducis majestatis quandam afferre coguntur; hîc autem res magnas, res divinas sponte verba sequuntur, & quamvis pulchra sint, ita rerum majestate operiuntur, ut nisi diligenter attendas, vix appareat eloquentia, quod præsens adsit, dominámque suam sapientiam libenter comitetur. *to.* 2. *in Math. lib. V. p.* 47.

* loc. corrupt.

4. *Pœnitentiam agere & converti ad Dominum non sunt idem in sacris Literis.* Acbab Rex impiissimus 3. Reg. 21. egit pœnitentiam scindens vestimenta sua, operiens carnem suam cilicio, jejunans, & dormiens in sacco, non ut æternum Dei regnum consequeretur, sed ne temporali regno Samariæ privaretur. Hinc recepit mercedem pœnitentiæ, qualem quærebat, ut vivens scilicet regno non careret. Quare Hieronymus adversùs Jovinianum lib. 2. Achab Rex impiissimus ut sententiam Dei subterfugeret, & eversio ejus differretur in posteros, jejunio impetravit & sacco. Sic nimirum Sodomitæ, sic Tyrii & Sidonii, si facta fuis-

fuissent in illis virtutes, pœnitentiam quidem egissent, verumtamen non eâ intentione, & fide, ut ad invisibile Regnum Dei pervenirent, sed ut in isto visibili seculo permanerent, sicut cœteræ Civitates. Falsa igitur fuit Achab pœnitentia, quia non propter futurum, sed propter præsens seculum pœnitentiam egit. *To. 2. lib. in Reg. S. Bened. pag. 914.*

5. *Scriptura ex sequentibus & præcedentibus debet intelligi.* Non solùm illud tantillum, quod Evangelista de Propheticis perscribit testimoniis, respicere debet lector studiosus, sive auditor attentus, verùm etiam illa, quæ assumptis adhærent capitulis, quæ præcedunt, sive quæ sequuntur, velut si domui, quæ fortè per industriam absque fenestris subobscura facta est, lucerna intromissa videre debeas, qualis sit intus in medio, vel in circuitu ejus. *to. 2. in Math. cap. 2. lib. 3. p. 30. col. 1.*

6. *Scriptura obscura est, nec cessandum nobis est, donec illam intelligamus.* Jacob cum Angelo luctatus est: flevit & rogavit eum. Igitur humili fortitudine, forti humilitate hic opus est, ubi sanctum absconditum & in litera obfirmata clausæ tenentur margaritæ sensuum cœlestium. Et sicut ille Jacob luctatus est cum illo Angelo, in quo sine dubio Deus erat, qui & victum se fatebatur: ita luctari debet Verbi Dei amator cum sermone vel scriptura, quæ est ex Deo, nec dimittere antequam vincat vinci volentem, sensúmque comprehendat utilem in litera latentem. Lucta enim pulcherrima est, tamdiu perseverare petendo, donec inveniat, pulsando, donec sibi aperiatur. *to. 2. in Math. l. 7. p. 59.*

7. *Prophetia non solùm est de futuris, sed etiam de præteritis & præsentibus.* Hoc prætereundum non est, non tantùm futurorum præscientiam, sed & præteritorum ac præsentium occultorũ revelationem rectè solere appellari Prophetiam. Mulier Samaritana Dominum nihil de futuris prædicentem audierat, sed tantùm de præteritis ac præsentibus occultis cordis sui vera dicere illum sentiens, Prophetam esse pronuntiabat. Adeò consuetum erat jam tunc, occultorum revelationem Propheriam nuncupari.

8. *Proverbium est, quando verbum aliud pro alio verbo dicitur*, videlicet, ut unum per aliud valentiùs commendetur & efficaciùs intelligatur. Quod genus dicendi, sive ornatus dictionis in sacris Scripturis usitatum est divinitúsque provisum, tam ad delectandum diligentem auditorem, quàm etiam ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio renovandum, cui facilè investigata plerumque vilescunt. *to. 2. in Joan. lib. 9. p. 365.*

Qui plures ejusmodi regulas nôsse cupit, Opera Ruperti percurrat, ego, ne telam historiæ, iis percensendis, abrumpere videar, ad Rupertum ejúsque sacrarum Literarum studia revertor; neque enim, qui eisdem obtrectarent, æmuli defuerunt. Cùm multa obgannirent, tum illud præcipuè: *Iste scribit, quod necessarium non est. Sancti scripserunt: Sanctorum scripta sufficiunt, & superabundant. Non sufficimus legere, quæ Sancti scripserunt, nedum quæ isti ignoti sine auctoritate de corde suo scribunt.* Verùm litori verba fecerunt. Rupertus enim vel eorum invidiosè dicta surda aure præterit, vel quod suprà retulimus, admodùm prudens dedit responsum. Agmen inter obtrectatores duxerunt Guillelmus Campellensis & Anselmus Laudunensis, percelebres id temporis Theologiæ Positivæ Magistri ac Professores, quos ille scriptis impetere non dubitavit; neque enim probabat, quod ab illis doceretur, Deum velle, ut malum fiat, voluntate nimirum permittente. Etsi verò communis hæc erat Theologorum sententia, eam tamen Rupertus primò oppugnavit. Quare librum *de voluntate Dei* in lucem emisit, qui ubi in manus utriusque illius magistri pervenit, vehementer eo commoti fuerunt, sed longè magis eorum discipuli, à quibus Ruperto inscitia objectabatur, ut qui claustris monasterii nunquam egressus tantos támque excellentis doctrinæ magistros non unquam conspexisset. Rupertus verò non contentus, librum *de Omnipotentia Dei* in eosdem Professores conscripsit, cujus initio ait idem sibi evenisse, quod Psalmistæ, qui quod obmutuisset, cor suum concaluisse, & dolorem suum renovatum dicit. In hoc itaque libro omnes nervos in eo contendit, ut adstruat, malum, seu peccatum non fieri Dei voluntate, per hoc tamen nihil ejus omnipotentiæ derogari. Argumenta, quibus id probat, partim ex Scripturis Sacris, partim ex S. Augstino, quem *eximium* vocat *Patrem & Doctorem*, depromit. Verùm neque hujus libri editione contentus Rupertus Anselmum adire constituit, ut cum eo præ-

Ruperti obtrectatores.

præsenti disputaret, ac revinciret; at cùm Laudunum pervenisset, Anselmus jam è vita exiverat.

Rupertus in Sigebergse recipit. Migravit posteà Rupertus ad Sigebergense monasterium. Ab eo autem maximè tempore Fridericus Archiepiscopus Coloniensis familiariùs Ruperto uti cœpit, agente Cunone Sigebergensi Abbate, cujus rogatu commentaria in Apocalypsin, insigne opus, elucubravit, atque Friderici Archipræsulis honoribus nuncupavit. Hoc labore perfunctus, novum suscipere compulsus est. Cùm enim Friderico & Cunoni ejus in Apocalypsin comentatio majorem in modum probaretur, calcaria ei addiderunt, ut duodecim Prophetas Minores explanaret. Parendum existimans, duorum annorum spatio sex priores ad calcem perduxit; at in reliquis exponendis calamum fatigare noluit, quòd in eis vix aliquid de Christo dicendum occurreret. Credebat interea Cuno Abbas, opus esse completum, atque ad fastigium perductum: unde ab eo contendit, ut *Victoriam Verbi Dei* scriptis consignaret. Quod ipse tribus libris supra decem perfecit; cùm adhuc hospitio in ejus monasterio uteretur. Vix supremam manum huic Operi imposuit, cùm ecce Erchinbertus, Corbeiæ Novæ Præsul, instat, urget, hortatur, ut in reliquos sex Prophetas commentaria scribat. Supervenerunt literæ Eginhardi Prioris Busiensis, quibus petebat, ut quod honori & obsequio Christi atque suo ipsius desiderio deberet, facere non detrectaret. Quid amicis denegaret Rupertus? in calamum incubuit, eáque omnia, quæ rogatus fuerat, si non perfecit, certè quidem inchoavit, priusquàm in Abbatem electus esset, quod anno MCXX. factum, ut meritò obstupescas, unum hominem tantâ industriâ, támque fœcundo ingenio fuisse, ut tam brevi temporis spatio tot libros in lucem emittere potuerit.

Trithemius de Ruperti studiis. Sed nemo melius de sacris Ruperti studiis disseruit, atque Abbas Trithemius in luculenta illa Oratione, * quam de ejus laudibus habuit. „Nemo Rupertum, inquit, reperit otiosum, cui indeficiens erat studium „Scripturarum: semper legit, semper „scripsit, semper oravit, ut velut alter Origenes, sive Hieronymus, hunc „vivendi ordinem sibi constituerit: ut „orationem lectio susciperet, & oratio lectionem terminaret. Tam verò assiduus extitit, ut nullum tempus „sive diurnum, sive nocturnum fuerit, „quod tum vigiliis, tum lucubrationibus ignavum aut feriatum sibi præterire passus sit; sibi interdum cibum „& somnum, reliquáque corporis necessaria subtrahens, ut studio comodiùs insisteret Scripturarum. Probant „hoc accurata, quæ conscripsit, opuscula, in quibus omnimodò scientiæ do„ctrina collaudatur. Magna sub eo „disciplina religionis in Tuitiensi monasterio viguit: devotio maxima fratrum arsit: studium scientiæ salutaris floruit: charitas geminata in eis „radicavit. Sub sancto & docto pastore ovium severè triumphavit integritas. Solebat fratres suos incredibili fervore ad studium Scripturarum accendere: ab eis propositas sibi quæstiones enodare: ad proponendas crebriùs libenter excitare. „Sciebat enim vir sapiens, duplex in „hoc latere commodum, quando illis „respondendo, & se doctum, & illos „redderet studiosos. Unde in quotidiano & familiari ejus colloquio, „sermo turpis, inutilísve nunquam solebat audiri: detractio nunquam admisceri, sed erat sermo ejus de animæ salute, de religionis profectu, de sanctarum majestate Scripturarum. Jucundissimus ei erat convictus sapientiæ, „quæ in sanctis Literis continetur, „quam sine fictione didicit, & absque „invidia desiderantibus communicavit. Cùm autem esset adhuc minùs „eruditus tam in secularibus literis, „quàm in Scripturis divinis, orando „continuè & legendo petivit à Deo „cum Salomone donum sapientiæ: „nec ab oratione incepta priùs cessavit, donec Spiritu sancto per visionem inspirante copiosissimè ultra omnes contemporaneos suos, quod optaverat, accepit. Erat autem B. MARIÆ semper Virginis ardentissimus „amator, cujus intercessione tantum „sapientiæ munus obtinuisse creditur. „Ad cujus laudem postea, ne ingratus fieret beneficio, Cantica Canticorum septem libris exposuit: ita ad „ejus honorem universa referens, ut „ejus intuitu specialiter conscripta videantur. Ego autem (sunt verba „Trithemii) alium neminem hoc expositionis genere in Canticis reperi „desu-

* Præfixa est Ruperti Operibus.

„desudâsse. Et reverà mirandum & „planè commendabile opus, quod sine exemplo in tantum laudis virgineæ Genitricis Dei altitudinis fastigium profecit. Quantum verò in „divinis Scripturis legendò profecerit, „tredecim libri, quos de Victoria Verbi Dei ad Cunonem, Sigebergensem „Abbatem, edidit, liquidè ostendunt; „in quibus totam Scripturam percurrens, dum Victoriam Verbi Divini „subtiliter aperit, nostræ salutis rationem in ea consistere declaravit. -- „Scripsit etiam super vetus Testamentum de sancta Trinitate prænotatum „opus egregium. Quod si legere volueris, quid in sanctis Scripturis potuerit, facilè videbis. Nam, ut jam „diximus, per divinam pietatem illustratus, tantum in exponendis Scripturis valuit, ut in omnium admiratione maximâ habitus, Doctor suô „tempore Doctorum sit publicè vocatus. Hoc Fridericus, Coloniensis „Archiepiscopus, pluries in eo expertus magna charitate virum colebat. „Unde sedulò ad expositionem Scripturatum illum hortabatur. Et meritò in omnium honore & reverentia „habendus est, quem Spiritus sanctus „in agnitione Scripturarum instruere „dignatur. „

Ejus præclara in S. Scripturam commentaria.

PETRUS ABÆLARDUS docet Theologiam Positivam.

Petri Abælardi magna etiam hoc seculo fuit celebritas, & inter alios omnes, quicunque sacras Literas in scholis exposuerunt, haud scio, an maxima. Scholas verò extra monasterium S. Dionysii in Francia, cujus erat monachus, in cella quadam tenebat. „Ad quas quidem, ut ipse * „loquitur, tanta scholarium multitudo „confluxit, ut nec locus hospitiis, nec „terra sufficeret alimentis. Ubi quod „professioni meæ convenientius erat, „sacræ plurimum lectioni studium intendens, sæcularium artium disciplinam, quibus ampliùs assuetus fueram, & quas à me plurimùm requirebant, non penitus abjeci: sed de „his quasi hamum quendam fabricavi, quo illos Philosophico sapore inescatos ad veræ Philosophiæ lectionem attraherem, sicut & summum „Christianorum Philosophorum Origenem consuevisse Historia meminit „Ecclesiastica. Cùm autem in divina „Scriptura non minorem mihi gratiam, „quàm in sæculari Dominus contulisse videretur, cœperunt admodùm „ex utraque lectione scholæ nostræ „multiplicari, & cœteræ omnes vehementer attenuari. Unde maximè Magistrorum invidiam atque odium adversum me concitavi. Qui in omnibus, quæ poterant mihi derogantes, „duo præcipuè absenti mihi semper „objiciebant: quòd scilicet proposito „monachi valde sit contrarium sæcularium Librorum studio detineri, & quòd „sine Magistro ad Magisterium divinæ „Lectionis accedere præsumpsissem: ut „sic videlicet omne mihi doctrinæ scholaris exercitium interdiceretur, ad „quod incessanter Episcopos, Archiepiscopos, Abbates, & quascunque „poterant, religiosi nominis personas „incitabant. „

Salva tamen & incolumis, frustra ringentibus æmulis, sua in tradendis sacris Literis celebritas constitisset, nisi ipse gravem eidem aspersisset labem. Cùm enim, quod non ita multis ante annis S. Anselmus à monachis Beccensibus, ipse à suis auditoribus rogatus fuisset, ut res divinas non tam Scripturarum authoritate, quàm humanis & philosophicis rationibus, ac similitudinibus edissereret, eorum petitioni satisfaciendum putavit. *Ab hoc tempore*, inquit Trithemius ** *Philosophia secularis sacram Theologiam sua curiositate inutili fœdare cœpit.* Erat Abælardo, utì Anselmo, magna vis ac præstantia ingenii, sed non par humilitas animíque demissio. Exquisita literarum politiorum & philosophiæ reconditioris cognitione tumidus à cœteris scholis sensibúsque desciscebat. Theologiam ipsam Positivam haud ampliùs magni facere visus est. Quin homo vanissimus eam infra aciem ingenii sui positam esse existimabat. Unde ea contempta Theologiam novam, disputatricem, & scholasticam docere cœpit, sed parùm faustis avibus; variis enim, ut lectione sequenti audituri sumus, erroribus se implicavit.

Epocha infelix, quâ S. Scripturæ studium negligi cœpit.

Ab hujus Petri Abælardi ætate infelix illa Epocha statuenda est, quâ Theologiæ Positivæ studia à monachis Benedictinis paulatim deseri cœperunt: quanta autem cum Ordinis calamitate, quis satis pro dignitate vel explicet, vel deploret? Cum sacrarum enim Literarum neglectu res duæ præstantissimæ, atque ad vitam monasticam sanctè degendam omnium maximè necessariæ, *illuminatio intellectûs*, &

* Epist. 1. ad Heloissam
** Libro de Scriptor. Eccles. in *Abælardo.*

& compunctio voluntatis in monachis sensim evanuerunt, & pro amore solitudinis, silentii, humilitatis, abstinentiæ, paupertatis &c. desidia, nansea rerum divinarum, conversatio cum secularibus, honorum, voluptatum, ac divitiarum cupiditas, studia literarum inutilium, vanarum, curiosarum, pluráque alia vitia in claustra subierunt: quò factum, ut numerus monachorum, qui anteactis seculis, sibi, Ordini, atque Ecclesiæ utiles erant, multùm cœperit imminui.

Petrus ipse Abælardus hac de re conqueritur. Nec ipse Petrus Abœlardus id inficiari est ausus. Quid? quòd sui ævi monachos, quòd sacrarum Literarum studia postremis in curis haberent, in gravem reprehensionem vocavit. „Miramur, inquit, non mediocriter, „quæ inimici suggestio in monasteriis „hoc egit, ut nulla ibi de intelligendis Scripturis sint studia, sed de cantu tantùm, vel de verbis solummodò „formandis, non intelligendis, habeatur disciplina: quasi ovium balatus „plus utilitatis habeat quàm pastus. Cibus quippe est animæ & spiritualis refectio ipsi divina intelligentia Scripturæ. Unde & Ezechielem Prophetam ad prædicandum Dominus destinans eum priùs volumine cibat, quod „statim in ejus ore factum est mel dulce. De quo etiam cibo scriptum est

Thren. 4. „in Hieremia: *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* „Hi verò parvuli panem frangi postulant, cùm de intelligentia Scripturæ „animam saginari desiderant, sicut

Amos. 8. „alibi Dominus testatur: *Emittam famem in terra, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi Verbum Domini.* Hinc autem è contrario „antiquus hostis famem & sitim audiendi verba hominum, & rumores „seculi, claustris monasteriorum immisit, ut vaniloquio vacantes divina „tantò ampliùs fastidiamus eloquia, „quantò magis sine dulcedine vel condimento intelligentiæ nobis fiunt insipida. Unde & Psalmista, ut suprà

Psal. 118. „meminimus: *Quam dulcia faucibus „meis eloquia tua! super mel ori meo.* „Quæ quidem dulcedo, in quo consisteret, statim annexuit dicens: *A „mandatis tuis intellexi.* Id est, à mandatis tuis potiùs quàm humanis intelligentiam accepi, illis videlicet eruditus atque instructus. Cujus quidem „intelligentiæ, quæ sit utilitas, non „prætermisit, subjungens: *Præterea „odivi omnem viam iniquitatis.* Multæ „quippe iniquitatis viæ ita per se sunt „apertæ, ut facilè omnibus in odium „vel contemptum veniant, sed omnem iniquitatis viam non nisi per eloquia divina cognoscamus, ut omnes „evitare possumus. Hinc & illud est: „*In corde meo abscondi eloquia tua, ut „non peccem tibi*: In corde potiùs recondita sunt, quàm in ore sonantia, „cùm eorum intelligentiam meditatio „nostra retinet. Quorum quidem intelligentiæ quantò minùs studemus, „minus has iniquitatis vias cognoscimus atque vitamus, & minùs à peccato nobis providere valemus. Quæ nequidem negligentia tantò ampliùs in „monachis, qui ad perfectionem adspirant, est arguenda, quantò hæc „eis facilior esset doctrina, qui & sacris abundant libris, & quietis otio „perfruuntur. Quos quidem de multitudine scriptorum gloriantes, sed ab „eorum lectione vacantes, senex** ille „in vitis Patrum egregiè arguit, dicens: „*Prophetæ scripserunt libros, Patres autē „nostri venerunt post eos, & operati sunt „in eis plurima. Etenim successores illorum commendaverunt illos memoriæ. „Venit autem generatio, quæ nunc est, „& scripsit in cartis atque membranis, „& reposuit in fenestris otiosa.* .... Monachi nostri hodie longè aliter comparati sunt, atque Beda, qui sicut „in historia refert Anglorum, à puero „in monasterium susceptus: *Cunctum,* „inquit, *ex eo tempus vitæ in ejusdem „monasterii habitatione peragens, omnem „meditans scripturis operam dedi: atque „inter observantiam disciplinæ regularis „& quotidianam cantandi in Ecclesia curam semper aut discere, aut scribere „dulce habui.* Nunc verò qui in monasteriis erudiuntur, adeò stulti perseverant, ut literarum sono contenti, nullam de intelligentia curam „assumant, nec cor instruere, sed linguam student. Quos patenter illud „Salomonis arguit proverbium: *Cor „sapientis quærit doctrinam, & os stultorum pascetur imperitia*: cùm videlicet verbis, quæ non intelligit, oblectatur. Qui profectò tantò minùs „Deum amare, & in eum accendi „possunt, quantò ampliùs ab ejus intelligentia, & à sensu Scripturæ de „ipso nos erudientis absistunt. Hoc „autem

Quæ negligentia in monachis est præcipuè arguenda.

Monachi psallentes, quod psallunt, non intelligentes arguuntur.

* Epist. VIII. ad Heloiss. p. mihi 191.
** Vit. Patr. part. 2. lib. de discret.

„autem duabus maximè de causis in „monasteriis accidisse credimus, vel „per laicorum, scilicet conversorum, „seu etiam ipsorum Præpositorum in„vidiam: vel propter vaniloquium „otiositatis, cui hodie plurimùm clau„stra monastica vacare videmus. „ Hæc & plura *Petrus Abœlardus*, quæ tamen non ita universim accipi volo, ac si ejusdem ævo studia sacrarum Literarum in monasteriis penitus in desuetudinem ita abivissent, ut nulli exstiterint, qui earum in exercitatione bonas horas collocarent. Jam enim suprà bene multos, eósque præstantes in medium adduxi. Sed hoc Abœlardo dandum est, quòd post decursum medium seculum duodecimum divinæ paginæ studia in monasteriis nimium quantum remitti, atque adeò languere cœperint.

Abœlardus exhortatur Moniales ad studiũ sacrarum Literarum.

Utì verò Abœlardus hanc ignaviam in monachis meritò reprehendit, nullóque ferendam modo esse duxit, ita Moniales Paracletenses, quibus Heloissam, fœminam doctissimam, suam in seculo quondam uxorem, præfecerat, imitari voluit & amore & studio sanctarum Literarum beatas illas sancti Hieronymi discipulas Paulam & Eustochium, quarum præcipuè rogatu tot voluminibus Ecclesiam prædictus Doctor illustravit. Quam epistolam Abœlardus hac de re ad easdem dedit, lectu perquàm digna est. Utitur verò potissimùm Abælardus authoritate Divi Hieronymi, qui in eruditione Virginum plurimùm occupatus, non solùm ad hanc virginum exhortationem argumentum à similitudine à virginibus sumptum inducit, sed ad comparationem minoris, viduas & conjugatas in exemplum assumit; quò magis sponsas Christi ad hoc studium incitet per matronas fœculi, & ex virtute laicarum torporem excutiat vel confundat monialium. " In quo etiam, " prosequitur Abælardus, quò minùs " excusabiles sitis, non est vobis ne" cessarium longi fatigationem itine" ris arripere, nec de magnis expen" sis providere. Magisterium habetis " in Matre, quod ad omnia vobis suf" ficere, tam ad exemplum scilicet " virtutum, quàm ad doctrinam lite" rarum potest. "

Abælardo Problemata

Et quia Heloissæ mentio facta est, ejus ingenii acumen, magnúmque in Sacræ Scripturæ Patrúmque lectione profectum satis indicant Problemata illa, sive dubia, quæ Abælardo in scriptis proposuit discutienda; quæ qui attentè legerit, inquit sapienter Franciscus Ambœsius, * agnoscet esse verum, quod ab Aristotele est vulgatum, non minùs esse difficile, quæstionem benè ponere quàm benè solvere. Solvit verò Abœlardus perbenè problemata sibi proposita; qui quàm in Sacræ Scripturæ studio Patrúmque evolutione subactus fuerit, indicio sunt clarissimo ejus in Genesim & Epistolas Pauli commentaria. Sed cùm ille rogatu auditorum suorum, auribus prurientium, novam de rebus divinis disserendi methodum auspicatus philosophiam ac rationem humanam Theologiæ miscuisset, in variorum errorum syrtes præceps abiit, è quibus cùm denique eluctatus fuisset, in monasterio Cluniacensi à Petro Venerabili in viam reductus ad Veteres Fontes, sacras Literas, unde sanæ eruditionis dogmata certiùs hauriuntur, feliciter se recepit. *Lectio*, inquit laudatus Petrus, Abbas Cluniacensis, ** *Vir summæ & authoritatis & gravitatis, Lectio ei erat continua, oratio ad Deum frequens, silentium juge, nisi aut fratrum familiaris collocutio, aut ad ipsos de Divinis publicus sermo eum loqui urgeret. Sacramenta cœlestia, immortalis agni sacrificium Deo offerendo, prout poterat, frequentabat. Imò postquam literis & labore meo Apostolicæ gratiæ redditus est, penè continuabat. Et quid multa? mens ejus, lingua ejus, opus ejus semper divina, semper philosophica, semper eruditiora meditabatur, docebat, fatebatur. Tali nobiscum vir simplex, rectus, timens Deum, & recedens à malo, conversatione, ultimos dies vitæ consecràvit Deo. Quia corporis incommoditatibus gravabatur, Cabilonum à me missus est. Ibi libris semper incumbebat, & sicut de Gregorio legitur, momentum ullum non sinebat præterire; quin semper aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut dictaret. In his sacrorum Operum exercitiis eum adventus illius Evangelii Visitatoris reperit. Attulit ille secum lampadem plenam oleo, h.e. conscientiam refertam sanctæ vitæ testimonio. Tunc verò quàm sanctè, quàm devotè Catholicè primò fidei, dehinc peccatorum confessionem fecerit, quanto inhiantis cordis affectu viaticum peregrinationis, ac vitæ æternæ pignus, corpus scilicet Redemptoris Domini acceperit, quàm fideliter corpus* suum

ex S. Scriptura problemata ponuntur solvenda.

Abœlardus redit ad S. Scripturæ studium.

* Apolog. pro Pet. Abælardo.
** in epist. ad Heloissam.

suum & animam heic & in æternum ipsi commendaverit, testes sunt religiosi Fratres, & totus illius monasterii, in quo corpus S. Marcelli Martyris jacet, Conventus. Hoc Magister fine dies suos consummavit: qui singulari scientiæ magisterio toti pene orbi terrarum notus, & ubique famosus erat, in illius discipulatu, qui dixit: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde; mitis & humilis perseverans ad ipsum, ut dignum est credere, sic transivit.

Seculum XIII. Studia sacrarum literarum in monasteriis deterius labuntur.

Seculo XIII. sacrarum Literarum studia ita in monasteriis passim in deterius lapsa fuerunt, ut mirum sit, quàm brevi tempore ingens consecuta sit mutatio. Cùm enim seculo adhuc superiore magna esset illustrium Benedictinorum copia, ut paulò antè vidimus, quotusquisque verò fuit, qui exponendis sacris Literis nomen suum seculo XIII. immortalitati consecrârit? Excurio Scriptorum catalogos, nulli occurrunt, nisi fortè *Richardus* Abbas de Psatellis in Normannia, & *Hermannus* Abbas Corbeiæ Novæ in Saxonia nominari se velint. Ille in librum Numerorum aliósque nonnullos commentarios edidit, hic meditationes in Psalmos lucubravit, quas subinde Conventui suo obtulit. Crediderim, eà etiam causâ id esse factum, quòd qui Monachi in Universitatibus & Academiis Theologiæ Scholasticæ, quæ hoc seculo planè segnabat, operam navârunt, novum serum divinarum studium in monasteria invexerint, suáque theologizandi scholastica methodo cœteros ab antiqua & simplici Theologia, in qua verum non jam disputando inquiritur, sed quæsitum, & quasi positum, constitutúmque discitur, velut nimis humili in *conspectu quæstionantium*, ut phrasi utar Petri Abœlardi, avesterint. *Multos*, ut Eminentissimi juxtà ac sapientissimi * Cardinalis Stanislai Hosii verba hic usurpem, *multas cernere licuit, qui hoc & sequenti seculo præter Thomam aut Scotum vix alium unquam auctorem legerent, quódque magis dolendum est, ne sacra quidem Biblia, quæ diligentiùs evolverent, digna judicarent.* Cujus sei indignitatem cùm *Henricus de Fauteriis* Abbas Cluniacensis optimè perspiceret, in Statutis, quæ pro studiis in amplissima Congregatione sua excolendis hoc seculo condidit, necessitatem, dignitatem atque utilitatem studii sacræ Scripturæ mirificè commendavit. Ad hæc Monachis studiosis disertim edixit, *se ipsis quidem Logicalium & librorum naturalium Philosophiæque auditionem concedere, sed non nisi in favorem sacræ Scripturæ, ut videlicet efficaciùs & faciliùs capiant & intelligant librum Sententiarum, in quo profunda mysteria totius sacræ paginæ continentur. Similiter de audientibus Theologiam statuimus*, inquiebat, *quòd libros Bibliæ audiant ordinatè.* Henrici de Fauteriis in Abbatia successor *Bartholomæus*, ut Monachis Cluniacensibus in studio sacræ Scripturæ & sanctorum Patrum exemplo præiret, ex dictis SS. Augustini, Ambrosii, Hieronymi & aliorum *Speculum Claustralium* composuit. Paulò seriùs, nempe sub annum 1245. Guillelmus S. Martini Tornacensis scripsit Collectaneum præclari ordinis libris X. ex scriptis Divi Bernardi Claraevallensis Abbatis contextum, quod *Bernardinum*, seu *Flores ex Operis B. Bernardi inscripsit. Wernerus* S. Blasii in Nigra Sylva Abbas, & eximius Theologus, collegit deflorationem ex SS. Patribus, quæ *Sermones postillares per annum* continent, Basileæ anno 1494. typis excusam, cujus exemplaria hodie rarissima sunt. Sitim igitur sanctorum Patrum scripta pervolutandi hoc ævo in nostris penitus extinctam nolim dicere: fuerunt enim, qui velut argumentosæ apes eorum volumina, ceu florida prata pervolutârunt, ut scientiam dogmatum fidei, & sacrarum elucidationem literarum delibarent, quæ omnia sub Theologiæ Positivæ nomine solent comprehendi.

Richardus de Pratellis, & Hermannus Corbeiens.

Henricus de Fauteriis.

Bartholomæus Clun.

Wernerus S. Blasii.

Seculum XIV. Adamus Estonius.

Singulare verò præconium est, quod *Adamus Estonius* ** ex Monacho Nosdovicensi in Anglia S. R. E. Cardinalis promeritus est. Ætatem is egit Seculo XIV. ac primus fortassis post Hieronymi tempora fuit, qui totius Canonis Hebraici libros de Hebræa in Latinam linguam convertit. Ad hæc Alphabetum Judæorum Hebraicè, Postillam Hebraicam, Psalterium Hebraicum, & alia id genus conscripsisse dicitur; quæ omnia verò Estonum Theologiæ Positivæ perstudiosum fuisse indicio sunt. *Petrus Berchorius* in monasterio Cluniacensi literas primùm humaniores magna cum laude docuit, tunc ex his elegantioribus scholis egressus animum solidioribus divinæ

Petrus Berchorius Clun.

F 3 paginæ

* Epist. 95. ad Anton. Cardinal. Amulium.
** Clem. Reyner. in Apostolatu Benedictino in Anglia. pag. 223.

paginæ studiis adposuit; qui quantùm Scripturam sacram menti assiduam atque infixam habuerit, suis doctissimis Operibus, de quibus præclarè disserit Antonius Possevinus, ostendit. In Styria, quæ est Germaniæ Provincia, *Engelbertus*, Abbas Admontensis, dimissis ferè curis secularibus totus in studio Scripturario, & sancta contemplatione occupatus, suos ad idem provocavit. Secessit crebriùs ex Admontio in Eremum Jonspachensem, ubi diutiùs in specu (quæ hodiedum Ven. Engelberti dicitur) delitescens, divinas lucubrationes meditatus est: illic etiam ecclesiolam S. Ægidio erexit. Ex ejus doctissimis in sacram Scripturam Manuscriptis hodie monstrantur aliqua, quædam typis vulgata in Bibliotheca Patrum leguntur: ut non immeritò à quodam Regio Concionatore Hispano, *Vir sanctus, spiritu prophetico plenus* nuncupetur. Obiit in opinione sanctitatis post XXXIV. Abbatiæ annos in decrepita senectute.

& Engelbertus Abbas à S. Scripturæ studio celebrantur.

Utut verò doctissimi hi Triumviri, *Adamus Estonus, Petrus Berchorius, Engelbertus* Abbas sacræ Scripturæ studium non unquam intermiserint, illud tamen in Familia nostra cùm hoctum sequenti ævo potiùs restinctum apud plerosque, quàm inflammatum videtur. Si qui enim fuerunt, qui seculo XIV. & XV. animum ad Theologiam Positivam, eáque studia, quibus illa continetur, animum adjungerent, iì certè fuerunt

Quod tamen apud nostros hoc seculo magis languere cœpit.

Pauci, quos æquus amavit Juppiter.

Præter enim *Joannem de Tinmouth, Castertonum Norwicensem, Rogerium Compot, Joannem Everisden, Albertum Sigebergensem, Joannem Nivicellensem*, & *Joannem de Oppenheim*, vix alius quispiam apud idoneos Scriptores occurrit. Unde Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum MCCCLIV. multùm deplorat, quòd sacrarum Literarum studia à Monachis in Germania non intermissa tantùm, sed penitus his temporibus abjecta fuerint. „Apud omnes, inquit, Ordinis nostri monachos per totam pene „Germaniam his temporibus regularis „disciplinæ observantia penitus defecerat: studium literarum Monacho„rum rarissimus curabat: venationi„bus, otio, & comessationibus erant „dediti, & nihil minùs, quàm inter„næ conversationis exercitium aut le„ctionem curabant scripturarum. O „tempora! ô mores claustralium! „quàm longè distamus, imò jacemus, „à fervore spiritûs & disciplinæ reli„giosæ conversationis Patrum anti„quorum. Et tu Hirsaugia Mater! „quondam insignis plurium Ordinis „monasteriorum, quæ studio divina„rum Scripturarum simul & integrita„te morum olim, ut paradisus Dei „fulgebas, his, in quibus calamum „nunc exercemus temporibus, quan„tum defeceris, ingemiscimus; quan„doque à tempore Eberhardi Abbatis „usque ad Fridericum ejus nominis „alterum, nullus fuit in te Monachus, „qui memoratu digna in te gesta literis „commendaret, vel ad notitiam po„sterorum transmitteret.„

Trithemii eam ob rem justa querimonia.

SECULUM XV.

Cœperat verò Trithemius ab ineunte ætate sacrarum Literarum studio flagrare: earum intelligentiam ut à Deo consequeretur, *ad unius anni spatium jejuniis & orationibus continuis ab eo cum maxima intentione illam postulavit.* * Et cùm ad eam comparandam humaniores literas, ac linguarum cognitionem necessaria præsidia esse intellexisset, ad eas sub doctissimis præceptoribus omni contentione incubuit. Exacto vitæ Benedictinæ tyrocinio, votisque sacris nuncupatis nihil potiùs habuit, quàm solitudinem cellæ, ac studium Scripturarum. *Ex eo autem tempore*, inquit ipse in vita sua, *quò primùm ad Ordinem veni, nihil unquam mihi dulcius fuit, nihil jucundius, nihilque suavius, quàm studiis intendere Scripturarum, quibus & tempus non inutiliter expenderem, & mentem in cognitionem summi boni, & eorum, quæ scire juvat, sine intermissione pro viribus exercerem. Unde omnes horas, quas mihi de somno, de quiete, de solatio Fatrum subfurari potui, lectionibus & studiis Scripturarum cum maximo fervore deputavi, ita ut illum me diem perdidisse turpiter crederem, in quo non aliquid utile legendo ex libris sanctis didicissem ..... Hinc tandem usu & consuetudine factum est, ut omnibus deliciis mundi hujus, atque solatiis hominum carere facilè didicerim, solo Scripturarum studio, & quæ nascuntur ex illo, meditationibus non minùs sanctis quàm utilibus contentus.* Vix octo menses professus erat, cùm in Abbatem electus est; hoc in munere cognitionem Scripturarum magis necessariam

Trithemius S. Scripturæ studiosissimus.

Abbas factus studium intendit.

* Lege ejus Nepiachum col. 1827. apud Eccard. in Corp. Hist. med. ævi. Tomo 2.

fariam esse intellexit ex sacra Regula, quæ Abbatem vult esse *doctum lege divina*, *ut sciat proferre nova & vetera*. Non quicquam igitur de prioris studii ardore remisit, quin potiùs auxit & continuavit tantò ferventiùs, quantò jam liberiùs potuit, nemine ipsi studendi sedulitatem invidente; siquidem & major necessitas ipsum jam ad studium Scripturarum perurgere videbatur, tum ratione dignitatis assumptæ, in quâ necesse erat non solùm discere, sed docere, tum verò ne propria eum ignorantia confunderet coram fratribus suis, quorum aliqui senes, alii reverà docti, nonnulli etiam scioli videbantur. Ne igitur in horum conspectu contra normam curæ pastoralis turpiter obmutescere cogeretur, aut ignarus cum verecundia loqui, omne tempus, quod ipsi à sollicitudine & curâ rei familiaris supererat, studio ac lectioni Scripturarum impendit, multásque noctes ingenti fervore studendo peregit insomnis, interdiu etiam legendi studium necessario cibo & obsonio præferens corporali. Et quia divinæ paginæ fidissimi Interpretes fuere SS. Patres, eorum scripta assidua lectione evolvit, è quibus selectas excerpsit sententias, quò semper in promptu haberet de qualibet virtute aut vitio, quod fratribus suis verbum exhortationis proponeret.

Quemadmodum verò Trithemius, ut ignorantiæ pestem fugeret, in sacræ Scripturæ studia totus incubuit, ita monachis suis, ut idem agerent, sæpe sæpiùs verbis gravissimis suasit, sed minimè persuasit. Tantum enim absuit, ut Abbatis sui consilio & exemplo parere voluerint, ut etiam illum apud monasterii Visitatores eapropter accusârint. Id quod illis Trithemius in hæc verba * exprobravit. „ Et sunt „ inter vos quidam, qui scientiam salutarem nesciunt, sunt etiam, qui „ discere negligunt, quid si addam, „ esse & alios, qui scientiam divinatum Scripturarum penitus contemnant? Certè non mentior, vos scitis, quia verum est, quod dico. „ Nam studiis meis nonnulli vestrûm „ usque ad invidiam graviter adversati sunt: *oratorem* se malle habere „ Prælatum, quàm *oratorem* cavillantes. Nónne & Visitatores in suam „ trahere sententiam tentaverunt, cupientes, me illorum hortatû in ab-

Eapropter à Monachis suis ineptissimè accusatur.

„ negationem traducere Scripturarum? ut ruricolam facerent, & porcorum curatorem potiùs, quàm „ animarum. Sed frustrà conantur „ divinum impedire oraculum, quô „ impellente omnes mundi honores „ atque divitias, quamdiu vixero, studio postponere decrevi Scripturarum. Abbas sum vester, quamdiu „ voluerit ille, qui me vocavit; si „ alterum è duobus oporteat, Abbatiam malo dimittere, quàm sancto „ Scripturarum studio renuntiare. „ Scio enim verè, nihil in hac vita „ homini claustrali salubrius posse „ contingere, quàm si divinas cœperit scripturas veraciter amare. Quisquis vestrûm hanc meam institutionem sequi voluerit, me ducem itineris pariter & comitem habebit. Qui „ autem sequi discentem contempserit, docentem audire nihilominus „ compelletur vel invitus. Hæc dixerim „ in eos, qui terrena sapientes, & caduca, timorem à se Domini abjiciunt, qui „ omnia pene ignorantes, discere contemnunt. Ego novi pecoris mei vultum, & singulorum inclinationes cordium vestrorum me credo non penitus ignorare. Idcirco non cessabo vos „ cohortari ad sancta studia Scripturarum, sciens, quòd amator sacræ „ lectionis non potest carnalium amator esse vitiorum. Quantò enim „ monachus in perdiscendis Scripturis fuerit studiosior, tantò minùs „ carnalium voluptatum ardoribus inflammatur. Quamvis enim juxtà „ sententiam Divi Hieronymi *monachus non docentis*, *sed plangentis potiùs videatur habere officium*; quia „ tamen Christi profitetur militiam: „ congruit, imò necessarium est, ut „ Dei omnipotentis, in cujus verba „ juravit, & arma, beneplacitam noverit voluntatem. Verùm sicut miles voluntatem domini sui procul „ absentis scire non potest, nisi per „ nuntios & epistolas, ita monachus „ æterni Regis præcepta non intelliget, nisi per sacras lectiones atque „ sermones, & Evangelicas Scripturas..... Rogo vos igitur fratres charissimi, ut in regulam D. Patris nostri „ Benedicti velitis intendere, quæ vos „ monet in plerisque locis frequenter „ lectionibus divinarum Scripturarum „ intendere..... O si claustrales nostri nunc Scripturarum studiis veraciter, ** ut olim, insisterent, quàm „ utiles

Studium hoc sacrum Abbatiæ præfert.

* Serm. vel Exhort. Monach. Homil. IV. p. 425.
** De laud. Script. man. cap. 2. p. mihi 744.

Veteres monachi S.Scripturæ studio addicti.

" utiles & sibi ac Ecclesiæ Catholicæ " existerent. . . . . Nam qui se in sanctis Scripturis * amplius exercitasfent vacantibus horis, studio, & expositionibus earundem intendebant: " libros conficientes & varios tractatus, quibus studia fratrum suorum " ad Deum quotidie provocabant. " Cœteri autem fratres, juxtà quod " regula vetat, otio non vacabant: " sed post orationes operi manuum " devotè insistebant. Libros scribebant, qui ad hoc erant idonei, & " à doctoribus edita ex schedis ad " mundum redigebant. Alii scriptos " codices artificiosè conglutinabant, " corrigebant alii, rubro minio cœteri exornabant. Nullius manus huic " sancto deerat officio, gaudebant se " omnes participes haberi studiorum, " quæ in expositionibus Scripturarum " gerebantur. . . . . O si nunc in ** Ordine sancti Benedicti ferveret tantus " amor Scripturarum, quàm felices " nos essemus ejus possessores! Nil monachis olim jucundius erat, quàm in " sacratissimis Scripturis commorari, " illas legere, & exponere, & novos " semper ad laudem Dei libros compilare. Mittebant, quæ perscripsissent Opuscula Imperatoribus, " Regibus, Principibus, & Ecclesiarum Prælatis: quorum authoritate comprobata ad posterorum " ædificationem securè in lucem prodierunt. Hoc testantur, quos scripserunt, librorum exordia: testantur præfationum capita, diversis authoritatibus destinata. Sed ubi nunc " est veterum studium & disciplina " monachorum? ubi sanctus amor per- " discendi Scripturas? Periit studium, periit disciplina monachorum. " Jam magnus & utilis dicitur, non " qui scientiâ Scripturarum clarus effulserit, sed qui divitiis colligendis " inhians temporalibus sordescit. Verùm non est hujus temporis laudibus " Ordinis vituperia inferere personarum: ad finem propositi stylum convertamus. Jam nunc igitur, charissimi fratres, sancta studia veterum " pro possibilitate nostra imitemur: " amemus scientiam Scripturarum, ut " vitia carnis intereant. Nemo à sancto studio se excuset, nemo præceptorem in culpam vocet: quoniam " amor omnia vincit, charitas omnia, " potest, omnia quoque suffert humilitas. Si autem præceptor desit, sanctos Patres in suis opusculis legito, " tibi opportunè de omnibus præcipientes. Semper enim, si quæras, " doctores bonos, qui doceant, invenies. Proverbio namque dicitur: " *Non petit amor verus discendi Athenas: domi sufficiens Minerva consistit.* Semper enim quod discas, invenies. Sed caveamus, fratres, ne " magistri nobis fiamus erroris. Solitudinis studium nisi ardeat amore " Christi, parit errorem. Nulla ars " absque magistro discitur. Habent " singularum artium instituta suos " præceptores, qui principia artium " tradant discentibus. Et hoc in " Scripturis discendis nihilo minus observandum est." Hæc Trithemius, quo nemo studii sacrarum Literarum cupiditate ardentiùs flagravit, nemo monachos ad illud pariter tractandum verbis & exemplis vehementiùs adhortatus est.

Trithemius suos exhortatur ad resumenda S. Scripturæ studia.

Trithemio proponuntur octo quæstiones solvendæ.

Cùm verò aliquando in Maximiliani I. Imperatoris aula, cui charissimus, & acceptissimus erat, versaretur, is more suo multa Princeps Catholico scitu digna interrogans, octo ei solvendas proposuit quæstiones, quas Trithemius in *Libro Octo Quæstionum ad Maximilianum Cæsarem* his verbis recenset.

Prima. „ *Prima Quæstio* Serenissimæ Majestatis tuæ ista fuit: Quare Optimus Deus credi à mortalibus voluit „ potiùs, quàm sciri & intelligi, eô „ videlicet modo cognitionis & intelligentiæ, quô à sanctis Angelis cognoscitur, & intelligitur?

Secunda. „ *Secunda* invictæ Majestatis tuæ „ *Quæstio* ista fuit; Cùm pars orbis „ parva legibus hodie fidei sit subjecta „ Christianæ, utrùm plurimorum opinio illa sine injuria veritatis videatur admittenda, qui existimant, „ unumquemque in sua religione, „ quam credit esse veram atque salutarem, unius Dei cultorem extra fidem Christianam, & sine baptismate posse salvari: modò nihil constet „ de religione Christi?

Tertia. „ *Tertia* Serenissimæ Majestatis tuæ *Quæstio* fuit: Si nemo extra fidem salvatur, unde miracula infidelibus: quemadmodum fieri stupenda etiam apud incredulos multorum oratione cognovimus?

Quarta. „ *Quarta* verò Serenissimæ Majestatis tuæ *Quæstio* ista fuit: Quare omnipotens Deus Scripturam sanctam tam novi,

* Lib. de Vir. Ill. O. S. B. c. 6. p. 21.
** ibidem pag. 22.

novi, quàm veteris Testamenti mysteria fidei nostræ continentem, non dederit apertam, manifestam, in omnibúsque uniformem, & palàm ad omnia sufficientem: sed involutam potiùs, & in multis locis ænigmatibus plenam? multa enim ad perfectionem fidei sunt necessaria, quæ in divinis Scripturis, non reperiuntur expressa.

Quinta. „ *Quinta* Serenissimæ Celsitudinis tuæ *Quæstio* fuit ista: Quare homines impii, mali, & reprobi circa fidem, ut sunt illæ mulieres, quas vulgò maleficas nuncupamus, spiritibus queant imperare malignis: cùm viri boni & fidei Christianæ studiosissimi observatores neque bonis spiritibus imperare possint, nec semper malignis?

Sexta. *Sexta* invictissimæ Majestatis tuæ *Quæstio* fuit: Unde potestas hæc tanta maleficis, quâ patrare tam multa, varia, & miranda possunt etiam in una hora: qualia vel quanta nullus bonorum facere posset in omni vita sua?

Septima. *Septima quæstio* Serenissimæ Majestatis tuæ ista fuit: Quare omnipotens Deus, cùm sit justus & vindex malorum, tanta maleficia in perniciem humani generis permittat: quibus non solùm peccatores, sed etiam innocentes multi pereunt graviter cruciati?

Octava. *Octava* Serenitatis tuæ *quæstio* ista fuit: An ratione probari queat naturali, quemadmodum & sanctis Scripturis, Deum habere curam humanarum rerum & actionum, eorúmque omnium & singulorum, quæ geruntur in mundo, certam & infallibilem providentiam?

Solvuntur à Trithemio. Has quæstiones Trithemius, qui Theologiam suam ex sacris paginis, & sanctis Patribus hauserat, scitè adeò solvit, ut fors nec doctissimus quisque Theologus Scholasticus meliùs eas enodare potuisset. Et quidem quod *ad quartam* quæstionem de obscuritate Sacræ Scripturæ attinet, memini me legere in vita Ill. Comitis Francisci Antonii à Sporck, quòd is eandem quæstionem quàm multis nostrâ ætate Theologis proposuerit, neque eam tamen tulerit responsionem, in qua sibi acquiescendum putaret. Nullus tamen dubito, quin si D. Comes Trithemii legisset responsionem, in ejus concessurus fuisset sententiam.

Quæstiones de obscuritate S. Script. Sic verò Abbas Trithemius Quæstionem de Sacræ Scripturæ obscuritate sibi ab Imperatore propositam resolvit: „ Ad hanc Majestatis tuæ sacratissimæ quæstionem videtur respon„ dendum: Omnis Scriptura divinitus inspirata perfectum Divinitatis est opus ante tempus omne præordinatum, in tempore scriptum, non secus quàm Deus voluit, qui ut scriberetur, hominibus inspiravit. Dei autem omnia perfecta sunt opera, ideóque cùm Scriptura, de qua loquimur, Dei sit opus, necessarium est eam in omnibus confiteri perfectam. Summus etenim arbiter Deus, cujus omnia perfecta sunt opera, sicut voluit, & quem voluit, Scripturis suis ordinem contulit: & excipientibus illas quemadmodum scriberent, procul dubio infudit. Sacræ namque Scripturæ tantam omnipotens Deus anthoritatem & majestatem contulit, ut in ejus comparatione omnia hujus mundi vocabula deficiant: cùm divina humanis propriè nequeant comprehendi sermonibus. Divina igitur Scriptura, quæ superficie verborum nescientibus apparet confusa, scientibus eam videtur manifesta: quoniam nisi legatur illo spiritu, quo infusa hominibus creditur, ad ejus intellectum minimè pervenitur. Aliter eam legit doctus, qui carnis umbraculo ac vanis desideriis æstuat: & aliter intelligens, quem exutum voluptatibus amor Dei veraciter inflammat. Unde mirum non est, si homines carnaliter sapientes divinas Scripturas non intelligant, qui carnis voluptatibus obcœcati Dei spiritûs dulcedinem nunquam perceperunt. Quemadmodum si puero prima literarum elementa discenti volumen exhibeas quodcunque scriptum, cujus character suo sit libello dissimilis, cùm legere nequiverit, scripturam illico malam & non rectè formatam exclamabit. Parimodo ad lectionem divinarum Scripturarum accedentes homines carnaliter duntaxat sapientes, qui ea, quæ divini Spiritûs sunt, non capiunt, vitiis & temeritate gravati cùm suam ignorantiam & indignitatem culpare debuissent, Scripturas, quas non intelligunt, sanctas reprehendunt. Non enim passim omnibus divinas licet interpretari Scripturas, ne bestia contingens montem lapidibus obruatur. Surgunt nunc ordine præpostero plures, qui omne vitæ suæ tempus in literis humanitatis consumpserunt, & seniores facti divinas Scripturas, quas nunquam didicerunt, perperam interpretantes non enucleant, sed confundunt, & in proprio sensu discutiunt. Unde quicunque Sacras Scripturas non eo spiri„ tu intelligunt, quô scribentibus sunt „ infu-

„infusæ, velamen ignorantiæ & temeritatis super cordibus suis habent more Judæorum expansum, & inde sæpius venenum perniciosi erroris hauriunt, unde in spiritu accedentes Dei humiles salutis poculum acceperunt. Non enim habetur doctrina cœlestis in verbis Scripturarum, sed in sensu: non in superficie sermonum, sed in intellectu: non in foliis ornatæ orationis, sed in occulto mysticæ inspirationis. Hinc divus Papa Gregorius: Sacra, inquit, Scriptura omnes hujus mundi scientias more locutionis suæ longè transcendit, quoniam in uno eodémque sermone dum narrat textum, occultum prodit mysterium, & quemadmodum simplices superficie refovet: ita sapientes mysterio exercet. Habet enim in publico, unde parvulos nutriat, & servat in occulto, unde mentes sublimium in admirationem dulcedinis suspendat, quasi fluvius quidam mirabilis, in quo & agnus simplex, & parvulus ambulet, & elephas magnus natet. Et S. Augustinus super Genesim dicit: Sic divina loquitur Scriptura, ut altitudine sua superbos irrideat, attentos profunditate sua terreat, magnos virtute pascat, & sua parvulos affabilitate nutriat. Major enim est Sacræ Scripturæ authoritas, quàm sit omnis ingenii humani perspicacitas. Propterea quatenus ad earum verum intellectum perveniatur, inprimis purgandus est ab omni affectione carnali animus, implorandum sedulò cum humilitate divinæ bonitatis auxilium, ut suo illuminet spiritu discentis intellectum. Authoritati namque divinarum Scripturarum omnium colla subdenda sunt potestatum. Et sicut divus inquit Hieronymus: Nunquam sic adulandum est homini, ut sanctarum Scripturarum negligatur veritas: quæ tota in utroque Testamento & in narratione gestorum est vera, in monitionibus recta, in promissionibus certa, & in comminationibus terribiliter metuenda. Quocirca non omnibus datum est posse divinarum Scripturarum penetrare mysteria, sed illis duntaxat utcunque permittitur, quibus & amor continuar studium, & Dei spiritus purgatis mentibus verum confert intellectum. Quisquis autem caligine vitiorum est sordidus, quisquis mente tumida incedit superbus, quisquis de veritate Scripturarum Dei, vel in parte, vel in toto dubitat, nunquam ad intelligentiam earum se posse pertingere confidat. Di„cit enim ipsius authoritas Scripturæ: „Quoniam nisi credideritis, non intelligetis. Nostri est tarditas ingenii, nostri quoque impuritas desiderii, quoties divinas Scripturas non rectè intelligimus: quando videlicet velamen perniciosæ occupationis super cordibus nostris manet expansum, quod non sinit nos ad verum pervenire intellectum. Hinc fit, quod sensum, quem Spiritus sanctus divinis Scripturis infudit, non intelligimus: sed nuda scribentium verba capientes in alium sensum retorquemus. Enimverò si mentes nostræ à vitiis essent purgatæ carnalibus, si per continuum sobrietatis studium ingenium exercitaretur in Scripturis, si ea sanctis Scripturis adhiberetur credulitas & reverentia, quam dignitas requirit: luce clarius intelligeret omnis studiosus, nihil sacris lectionibus inesse confusum, nihil dissonum, nihil inconveniens, nihil absurdum, aut sine justissima ratione insertum. Omnia siquidem divinæ loca Scripturæ sunt plena mysteriis, & quoties aliquid in eis videtur obscurè positum, divina est providentia factum, quatenus & studiosa mens necessarium habeat pietatis exercitium, & fides simplicium debitæ reverentiæ non amitteret locum. Non igitur à casu, sed providentia sempiterna Scripturas sanctas in multis locis voluit esse obscuras, quatenus tot abundaret mysteriis, quot sensibus inspirante Dei spiritu catholicè à Doctoribus explanatur. Nam, ut sacer inquit Augustinus, divinæ Scripturæ obscuritas utilis est, & multum proficua, propterea quod plures sententias veritatis parit, & in lucem producit hominibus, quia cum alius hunc, alius verò alium sensum catholicè eam exponendo eruit, quàm sit alta & profunda, innotescit. Unde non existimet homo seculari literatura tumidus, quòd sacram Scripturam intelligat, nisi priùs velamen superbiæ, & omnis inordinatæ concupiscentiæ deponat. Secularis enim literatura magis valet ad exercitandum ingenium, quàm ad illuminandum ad veram sapientiam intellectum. Est ergo sine dubio Scriptura divina purgatis mentibus, per continuum exercitium divini timoris, & frequens studium lectionis, & manifesta & lucida, quæ sordidis, & seculari sapientia inflatis, confusa videtur & obscura. Unde Scripturas sanctas ille benè & rectè intelligit, qui affectione purgata, in earum studio frequens sic eas exponit, sicut ille qui „scripsit. Nam si alio spiritu legantur,

quàm

„ quàm illo, qui eas ut scriberentur, inspiràsse creditur, necesse est, quòd mens à vero intellectu penitus arceatur. Cùm verò dissonantiam in eis aliquam offendimus, non sensuum, sed verborum esse duntaxat intelligamus: quæ non à casu, sed providentia Dei ordinante nascitur: ut mens in scripturis (ne torpescat omnino) exercitata diutiùs roboretur. Dei namque consilium falli non potest, sed divinæ scripturæ consilio voluntatis ejus sunt scriptæ, sequitur necessariò, quòd sint veræ, & nullatenus falsæ. Homines fuerunt, à quibus divinæ nobis scripturæ traditæ sunt, verba certè humana consuetudine usitata scripserunt; quibus hoc significarent posteritati, quod summa illa divinitatis excellentia notum voluit esse mortalibus. Vos igitur nunc, qui seculari sapientiæ dediti scripturas impugnatis divinas, dicite: Novi ac veteris testamenti, quam ut veram, authenticam, & sanctam Christianorum suscepit, & veneratur scripturam Ecclesia, unde susceptam creditis? Omnis enim qui scripturam impugnat, quam ex Deo inspiratam credit, divinæ ordinationi manifestissimè resistit. Si autem ex hominibus est, quare vos promissam in ea salutem speratis æternam, quam homo dare non potest? Nisi forsitan pergatis dicere insani, conficta omnia, & nihil restare post fata quàm cinerem, mentémque simul cum corpore subire interitum: quæ professio non minùs vos insanos demonstraret, quàm fatuos. Nam si in Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum filium Dei veraciter creditis, inspiratas à Spiritu sancto divinas scripturas necessariò dicetis. Quod si facti cum apostatis in reprobum sensum conficias ab hominibus dixeritis, quàm longè sitis à vera sapientia in tenebris errantes, impiè demonstratis. Imperitos & temerarios judices vos esse palam ostenditis, qui Scripturam, quam non intelligitis, condemnatis. Verùm quia familiariùs est vobis sapientiam contemnere quàm discere, non est hujus operis contra temeritatem imperitorum diutiùs mentem fatigare. Hoc unum vos scire volo, quoniam nemo intelligit, nisi qui accipit: sed quia vos ne accipiatis, sordes affectionum interponitis, propterea intellectum veræ sapientiæ non habetis. Omnipotens etenim Deus illis per gratiam illuminator ad„ esse dignatur, qui carnalibus exuti „ desideriis, interni amoris flagrant incendio, qui præter Deum nihil cupiunt in hoc mundo. Illis Dei spiritus præsentia sua fert opem, quos in amore veritatis radicatos invenerit, & purgatos ab omni adventitio in cognoscentiam omnium introducit. Verè námque diligentibus Deum, omnia sunt aperta, nuda, omnia manifesta; quoniam quisquis per amorem in fide Jesu Christi omnia creantem & gubernantem conspicit, universa quæ sunt ei ad salutem necessaria cognoscit. At verò contrà ab ignavis, improbis, epulonibus, invidis, avaris, incubonibus, sordidis, luxuriosis, homicidis, impiis, superbis, & à pietate alienis procul admodùm habitat illustratio Dei, permittens eos dæmonis ultoris arbitrio, qui sævi ignis acumen incutiens, sensus affligit & mentem, magísque ad patranda scelera impios armat & impellit, ut turpioris culpæ rei, acriori quoque supplicio fiant obnoxii. Unde vitiis & desideriis implicati mundanis, non solùm scripturas divinas intellectu penetrare nequeunt: verùm etiam semetipsos negligentes non agnoscunt. Cùm ergo Scriptura sacra perfectum sit Dei opus, sic mentem confirmemus CÆSAR oportet, quatenus eam credamus veram, rectam, integram, solidam, divinitùs inspiratam, & omnibus ad Christianæ fidei confirmationem intelligentibus abundantissimè sufficientem. Enimverò nisi scriptura divina vera, sancta, perfectáque in omnibus credatur & integra, fundamento suo fides privaretur Christiana. Cavendum est ergo maximè omni Christiano, ne plusquàm expedit divinas discutiendo Scripturas, terminos egrediatur pietatis: quia non homo author est Scripturarum, sed Spiritus sanctus, cujus ordinationi resistere convincitur, quisquis integritati Scripturarum Dei reluctatur. Est autem scriptura (ordinante Deo) parabolis, ænigmatibus, similitudinibúsque & comparationibus utiliter intexta figurarum, quatenus legentes exercitentur ad intelligentiam, & interna dulcedine gustata, mens confirmetur ad pietatem. Itaque si purificatis mentibus sensum attendamus Scripturarum, non verba, intelligemus quàm rectè & propriè omnia sint ordinata. Non enim decebat sacras Scripturas, in quibus cognitio divinæ traditur majestatis, us„ que adeo plenas esse & manifestas, ut

„passim intelligerentur ab omnibus, quæ bonis intelligenda duntaxat proponitur & sanctis, non etiam malis sordidisque mentibus atque pollutis. Hinc etenim scriptum est: *Bestia, quæ tetigerit montem, lapidibus obruatur.* Quid hic designatur per *Bestiam*, nisi homines imitatione brutorum sine Dei amore viventes in voluptatibus carnis: & quid per montem exprimitur, nisi divinarum altitudo Scripturarum? Accedens ad montem hunc sanctum, bestia lapidibus obruitur, quoniam homo mente impurus, aut circa fidem infirmus, qui altitudinem divinarum Scripturarum rimari sine tradente magistro nititur, variis & pernitiosis erroribus quasi lapidum ictibus vulneratur. Nam sicut omnia munda sunt mundis, ita prophana videntur cuncta prophanis. Posuit ergo Deus latibulum suum altitudinem Scripturarum, quæ sic inaccessibilis & clausa est reprobis, ut tamen semper manifestè pateat Sanctis. Quare autem omnipotens Deus Scripturam sanctam ad omnia, quæ fidem respiciunt Christianam, non dederit sufficientem & manifestam? Breviter respondemus: Duo sunt, quæ ad confirmationem fidei Christianæ altissimus providit credentibus, *Ecclesiam* videlicet & *Scripturam*: ut quod in altera non satis manifestè exprimitur, latiùs ab altera declaretur. Unde si quid in Scripturis sanctis circa regulas fidei minus sufficienter invenimus expressum, mox recursum habemus ad Ecclesiam: & ubi Ecclesia informatione salutari opus habet ad pietatem, illico se confert ad Scripturam. Hinc fit, quod neque sine Scriptura haberet Ecclesia authoritatem, neque sine Ecclesia fidem Scriptura, ut duorum fiat sententia una. Augustinus enim dicit: *Evangelio non crederem, nisi authoritas Ecclesiæ me compelleret.* Joannes autem Gersonensis dicit: *Ecclesiæ non crederem, nisi Evangelium me compelleret.* Confirmat autem Scripturam sanctam Ecclesia, & ipsa confirmatur pariformiter à Scriptura. Ecclesia abundat, quoties scriptura deficit: & si quando Ecclesia dubitat, ad scripturæ consilium recurrit. Unus enim est Dei Spiritus sanctus, qui in fide Jesu Christi fundavit Ecclesiam, ipse idem omnipotens, qui solus inspiravit scripturam. Et hic est funiculus triplex, qui non facilè rumpitur, ubi scriptura „divina per Spiritum sanctum authoritati Ecclesiæ copulatur, usque adeò, ut Ecclesia Scripturam, & Scriptura rursus commendet Ecclesiam.„

Exod. 24.

„Causam itaque, ut mihi videtur, ad propositam quæstionem invictæ Majestatis ô CÆSAR, sufficientem assignavimus, quoniam si omnia in Scripturis sanctis essent manifestè expressa, quæ pietatem fidei respiciunt, non videretur tantæ authoritatis sancta mater Ecclesia, & evacuaretur magna ex parte meritum obedientiæ salutaris. Simul ad principalem quæstionem satis puto responsum, ubi quidam existimant Scripturam sacram in plerisque locis esse confusam & imperfectam, quam tamen si debitâ mentis puritate legerent, invenirent utique perfectam & solidam. Authoritas Ecclesiæ catholicæ magna est, quæ sola in his quæ fidem respiciunt, in dubiis habet interpretari scripturas, cui omnium subjicienda sunt colla potestatum: à cujus diffinitione siquis ausu temerario discesserit, Evangelium Christi negavit. Una est fidelium Congregatio mater Christianorum sancta Ecclesia, extra cujus unitatem nemo salvabitur: quæ etsi in moribus quandoque videatur infirma, tamen fide semper constans nunquam erravit Christi pietate salva.„ Hactenus Trithemius.

Seculo XVI. cùm *Martinus Lutherus* se arma sua, quibus Romanæ Ecclesiæ bellum intulit, ex sacræ Scripturæ armamentario desumpsisse impotenter jactaret, quidni ex eodem Sodales nostri ad vim repellendam tela peterent? sed qui fuerunt, qui strenue id facerent, certè pro tanto numero non eâ frequentiâ, quâ opus erat, in Germania fuerunt. Jam enim superioribus duobus seculis, ut conquestus est Trithemius, sacræ Scripturæ studium, & sanctorum Patrum lectionem, adeóque Theologiam Positivam in postremis habere curis cœperunt. Unde sæpiùs, cùm arma contra hostem capienda fuissent, inscita illa extitit vox: *Usum non habeo: non possum sic incedere.* Hinc sectariorum illo ævo cùm in nostri, tum aliorum Ordinum alumnos frequentes cavilli ac sarcasmi; * *Imò siquis sit*, improperabant, *qui Bibliorum lectioni intendit, inque usum transferre vel solùm cogitet; hunc sitim* [illegible] *hæreticum, schismaticum, inobedientem, apostatam, ac Lutheranum proclamant, convitiisque mille proscindunt, verberibus ac carceribus ad impietatem & ignaviam, seu (ut ipsi vocant) obedien-*

Martinus Lutherus Rom. Ecclesiæ hostis.

Sectariorum cavilli in monachos.

* Guil. Radens. in Dedic. Chron. Hirsaug. ad Lotich. edit. Basileens.

dientiam urgent. Autores bonos exurunt, monachos rudiores compellunt, ut loco sacrorum Bibliorum, Dormi securè, Parasitos, Paratos dicere volui, Discipulos, & alios obscuros Sermonistas, qui nihil præter nugas continent, legant. „ Hæc Sectarii, quorum dicteria non per eam causam refero, quòd fidem eis adhiberi velim, grassante tamen hoc heterodoxo seculo optandum fuit, ut Monachi in sacræ Scripturæ ac sanctorum Patrum lectione magis forent versati.

Quæ causa fuit, ut Concilium Coloniense anni 1536. decreverit, ut in quolibet monasterio Magister constituatur, qui adolescentes monachos sacra instituat doctrina, utque illi, qui majore propensione ad sacrarum Literarum studia ferri videbuntur, à *sordidioribus officiis* eximantur. Augustanum verò Concilium anni 1548. sic jussit: *Intermissa sacrarum Literarum, atque etiam ea, per quæ ad sacras Literas pervenitur, studia, apud opulenta monasteria restaurentur. Ubi verò pauci sunt monachi &c.* Neque tamen nullos è nostris hoc seculo fuisse dixerim, qui sacrarum Literarum scientiâ claruerunt. Ut enim de *Nicolao Hagero* monasterii S. Crucis, quod est intra muros civitatis Werdæ ad Danubium, viro eximiè docto, præsertim in sacris Scripturis; *Joanne Vinsternachero*, Abbate Neresheimensi, *Henrico Clausio*, doctissimo Wiblingensium in Suevia Abbate, catholicæ Fidei acerrimo vindice, qui assiduam ob sacræ paginæ lectionem uno oculo orbatus fuit, nihil dicam, in Italia *Marcus Cremonensis*, * clarissimis ortus natalibus, suscepto in S. Justinæ Familia Benedictino habitu cœpit in studia sacrarum Literarum toto incumbere nisu, subindéque in iis tantum profecit, ut omnes in sui raperet admirationem. Erat illius in elucidandis & enarrandis divinis Scripturis oratio adeò efficax, ut diffusâ per urbem Patavinam illius famâ passim ad ipsum, ut Magistrum & Doctorem nobiles ignobilésque confluerent. Ejus virtus & doctrina quantæ admirationi Reginaldo Polo fuerint, Em. Card. Quirini Diatribæ ad eiusdem Purpurati Patris Epistolas declarant; inter quas duæ leguntur, quæ incredibili amore ac humanitate à Polo ad Marcum ceu amantissimum patrem ac magistrum scriptæ fuerunt. Verùm invida mors è vivis Marcum sustulit anno 1539. die 20. Jannarii.

Concilio-rum Statuta de studio sac. Lit. in monasteriis instaurando.

Earum scientia excellit Marcus Cremonensis.

Non minorem, sed multò magis eximiam laudem ex divini Codicis intelligentia consecutus est *Isidorus Clarius*, primùm Monachus Casinensis Congregationis, tum Fulginas Episcopus, cujus Biblia non immeritis celebrantur laudibus, præter ea, quæ in Prologo & Prolegomenis jussu Concilii Tridentini præcidi jussa fuerunt. Atque hæc ferè ea ipsa sunt, quæ Clarius ex Sebastiani Münsteri, Lutheri asseclæ, scriptis minùs consideratè decerpsit. Unde invalescente sectâ Lutheri non improvidè Ordinis nostri per Germaniam Superiores suis lectione Bibliorum Lutheranorum interdixerunt: quod non error imprudentiæ, sed circumspectio atque cautela fuit; nam sermo eorum, teste Apostolo, ut cancer serpit, qui sanctos etiam ac devotos inficere potis est. Non igitur divini codicis lectione nostris unquam interdictum fuit, nisi illius, cui violentæ manus ab hæreticis illatæ fuerunt. Ex quibus ad Guilielmi Radensis convitia, paulò antè relata, patet responsio. Isidori Clarii meminit etiam Petrus Soavis Polanus, id est, Fr. Paulus Sarpius, Servita, in Historiâ suâ Concilii Tridentini, ** ubi cùm eum valde versatum in studio sacrorum Bibliorum vocâsset, ejus historicam narrationem plurimùm eruditam refert, ut probaret Editionem vulgatam Bibliorum approbandam, & omnibus anteponendam, solámque retinendam, priùs tamen ad textus Originalis Græci atque Hebraici correctam & emendatam omnibus aliis translatiooibus penitùs interdictis, eliminatis, ac prorsus extinctis, quo sanè omnia absurda, & incommoda tollerentur ex novis interpretationibus indies prodeuntia. Cœterùm Isidorus Clarius magna suæ doctrinæ atque prudentiæ existimatione interfuit sacro Concilio Tridentino, inter cujus Decreta unum est, in quo nonnulla de Monachorum studiis statuuntur, videlicet in ipsorum cœnobiis, ubi commodè fieri poterit, lectionem sacræ Scripturæ omnino esse habendam; & si in hoc Abbates negligentes fuerint, ab Episcopis locorum in hoc tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis ad id opportunis remediis esse compellendos.

Isidorus Clarius

Bibliorum Lutheranorum lectione nostris interdicitur.

Concilii Trid. decretum circa S. Scripturæ studium à monachis excolendum.

Isidori Synchronus fuit *** *Benedictus Bonsignorius*, plurium monasterio- *Inter Benedicti-*

* Bern. Pez Dissert. Isag. in Tom. II. Thes. Anecd. vide etiam Armell. Bibl. Casin. part. 2. p. 90.
** Lib. 2. pag. 161. apud Armell. in Bibl. Casin. part. 2. pag. 57.
*** Maracc. Bibl. Mar. part. 1. pag. 209.

ſteriorum in Congregatione Caſinenſi Abbas; Vir, ut eum Hippolytus Maraccius vocat, peracuti ingenii, & maxima ſacrarum Literarum cognitione pollens, qui dulcedinem D. Bernardi & ſpiritum D. Chryſoſtomi ſic imitatus eſt, divináſque Literas interpretatus, ut ejus explanationes à pluribus dignæ habitæ ſint, quæ antiquiſſimis comparentur. Non minorem ſolidæ in exponendis Sacris Scripturis doctrinæ famam ſibi conciliavit *Joannes Baptiſta Folengius* præcellenti ſapientia, ac pari vitæ probitate conſpicuus. Is religioſiſſimi ac toto terrarum orbe celeberrimi Padolironenſis Cœnobii alumnus, cùm ab ineunte ætate multa præſtantis ingenii atque eruditionis monumenta edidit, tum præclara in Davidicos Pſalmos Commentaria jam ſenectute confectus elucubravit, leporis, doctrinæ, ac pietatis pleniſſima. Ea Baſileæ olim multis abhinc annis impreſſa fuêre: ſed odio, atque livore hæreticorum hominum adeò fœdata, adeò veneno conſperſa fuerunt, ut nihil æquè mortiferum, nihil æquè pernicioſum legi poſſe videretur. Cogitârunt ſiquidem viri iniquitatis hac ratione fieri poſſe, ut quàm plurimos è Catholicis perderent, quòd intelligebant librum, tum propter doctrinæ præſtantiam, tum propter ſtyli elegantiam bonis ac doctis omnibus placiturum. Quæ res effecit, * ut orthodoxi omnes, qui in ejus lectionem incidiſſent, vel ipſum Folengii nomen mirificè averſarentur, ac tantùm non è Catholicorum albo delendum cenſerent; ſed aliqui è Monachis Congregationis Caſinenſis, qui primi ſuppoſititios errores deprehenderunt, fermentum illud hæreticorum eſſe, qui fellea pocula ſub mellis dulcedine occultaverant, ope manuſcripti exemplaris intellexerunt. Huc accedebat, quòd hominis innocentiſſimi, ac planè religioſiſſimi καθολικώτατον animum nihil in omni vita æquè exhorruiſſe, atq; hæreſim, & impietatem conſtabat, quod ipſum ejus ſermones, converſationis ratio, vitæ inſtitutio, atque adeò eximia quædam in divinum cultum propenſio facilè declarabant, quippe qui nec multùm ſibi placeret, nec (quæ viri moderatio in omni vita fuit) ſatis proprio ingenio confideret. Quare dictæ Congregationis Præſes ac Diffinitores operam dederunt, quantam omnino potuerunt, ut ex ſuis θεολογίτοις aliquot ſublatis undique venenis, & enecatis, qui ſub gramine deliteſcebant, ignitis ſerpentibus, exſibilata jam dudum ejus Commentaria rurſus in theatrum inducerent, & virum ſanctiſſimum ab injuſtæ impietatis calumnia ac ſuſpicione vindicarent.

Margin notes: ...no; ſacr. Liter. peritos hoc ævo eminuêre — Benedictus Bonfignorius. — Joannes Baptiſta Folengius — Ejus in Pſalmos Comentaria ab hæreticis corrupta — priſtinæ integritati reſtituuntur.

Alios Caſinates, qui ſe à ſtudio Theologiæ Poſitivæ minimè ſejunxerunt, enumerare plures licet, ſed tres duntaxat compendii cauſa nominâſſe ſufficiat. *Benedictus de S. Germano* Latinis, Græcis, & Hebraicis literis valde eruditus ſcripſit Commentaria in Pſalterium Hebraicum, ac in Epiſtolam ad Romanos. *Mathias de Bergamo*, vir in divinis Literis verſatus, memoriâ adeò pollebat, ut plures novi & veteris Teſtamenti libros memoriter recitaret. *Apollinaris à Bauco* ab adoleſcentia ſub Lauro de Mantua Abbate in Caſino monachalem veſtem induit, ubi per trigina fermè annos Angelicam potiùs quàm humanam vitam duxit. Hic vir vitæ integerrimæ, humanis & divinis Literis ſatis inſtructus, adeò Scripturis Sacris deditus erat, ut exercitationis cauſâ, & ne otio torperet, ex veteri & novo Teſtamento, atque ex diverſis Catholicis, Orthodoxíſque Patribus innumeras aureas ſententias excerpſerit, & ſcripſerit. De hoc Magiſtro ſuo in ſacræ religionis tyrocinio illud ſilentio Placidus Diaconus ** non prætereundum eſſe putavit, quod ad vitæ integritatem & puritatem attinet. Nam talis ejus vita fuit, ut mortis ſuæ tempore, in vigilia ſcilicet S. Joannis Baptiſtæ, cùm in Miſſa *Gloria in Excelſis Deo* cantaretur, ejus anima ab ergaſtulo corporis egrediens in cœlum ab Angelis deferri cerneretur.

Margin note: Caſinates in Theologia Poſitiva verſati.

Victorinus Manſo varias in Congregatione Caſinenſi Abbatias, Cavenſem, Caſinenſem, S. Severini Neapoli adminiſtravit, ad quas dignitates aditum ipſi paravit morum integritas, ac Monaſticæ diſciplinæ zelus ſingulari cum prudentia ac rerum divinarum ſcientia conjunctus. Viginti ſiquidem annos in ejusdem Familiæ Cœnobiis, Caſinenſi nimirum, Cavenſi, Mantuano, Peruſino, ſacram Theologiam maximo cum plauſu docuit. Quo tempore, egregium opus, *Harmoniam Theologicam Patrum & Scholaſticorum* concinnavit, cujus rationem in ejusdem præfatione his verbis reddit: " Ego nunc ad ejus illuſtrationem acceſſi,

Margin note: VICTORINUS MANSO Illuſtris Abbas.

* Vid. Operis Dedic. ad Alex. Farneſ. Card. Romanæ edit. in fol. An. 1585.
** Armell. part. 2. lib. 5. pag. 9.

"cessi, eámque sequutus sui rationem, ut controversias non tam tractare, & explicare, quàm componere & sedare voluerim &c. Decrevi pleraque novæ Theologiæ capita, ex omni fermè Schola, ac potissimùm ex præcipuis Sanctorum placitis, ita mihi tractanda sumere, ut temperatum, quietúmque dicendi genus, ac Latinum adhibeam &c. Arbitratus sum, benè prorsus de hominibus mereri eum, qui & quietâ disputandi ratione, & Latinis rerum vocabulis vestita Theologiæ sensa declararet &c. Singula quæque delibo, nullum stomachor. Sancti Doctoris potissimùm fructus colligo, & tamen ut non tecentia, ac nova, at novo quodam & recenti genere divina pertracto. Illud autem affirmare non vereor, me non ineptè, ut nostrarum scholarum dogmata non Platonicis, atque Aristotelicis tantùm sententiis aucta & illustrata, sed Patrum ac Theologorum, Græcorum præsertim testimoniis probata magis ac communita prodirent &c. Itaque neque audax negotium, neque impudens existimari debet, quod concentum quendam eorum facere suscepimus, qui varia, non contraria attulerunt &c. Eruditissimorum Virorum suasione, atque adeò contentione, ac potissimùm *Stanislai Reski*, Poloni, Canonici Warmiensis, & Cardinali Osio à secretis, undequaque præstantissimi, in hanc deliberationem adductus sum, liberè testantium, me nunquam suscepti laboris futurum ut pœniteat, cujus fructum ad bonos omnes perventurum esse reipsa comprobabitur &c." De Cardinali verò Osio Harmoniam Theologicam adhuc ms. legente, sic testatur Victorinus: *Quas lucubrationes, nullo tempore interjecto cùm legisset, cœpit à me contendere, quippe qui meum hujusmodi Opus mirificè probarat, ut communis utilitatis causâ imprimendum curarem.* Cœterùm singularis doctrinæ, ac virtutum *Victorini* Abbatis fama longiùs diffusa, Clementem VIII. Pontificem maximum permovit, ut eum Stabiensium primò, id est, Castrimaris, & post aliquot annos Arianensium ex Regia postulatione Episcopum renuntiaret. Paulus verò V. egregiis ejus dotibus, multiplici literatura, ac religiosissimis moribus captus, inter Assistentes Episcopos perhonorificè eum cooptavit.

Vin' autem, ut plures ex aliis provinciis hujus ævi referam Theologos? In Gallia * *Gilbertus Genebrardus*, Theologiæ Doctor in Academia Parisiensi, à sacræ & humanæ literaturæ peritia comendatissimus edidit Vetus & Novum Testamentum vulgatæ editionis cum Commentariis ad recentiorum hæreticorum Biblia & Annotationes abolendas. Ejusdem Comentarius in Psalmos inter præcipuos habetur. Cùm autem ea ætate versaretur, quâ disputationes in Protestantes ardebant, non ratò arma contra illos tractavit, atque pro Ecclesia Dei decertans, Vulgatæ authoritatem summâ contentione asseruit. In Hispania *Franciscus Ruizius* monasterii S. Facundi Abbas cùm optimè intelligeret, non monachorum tantùm esse, ut omnem mortalem vitam in divinarum Literarum studiis transigant, sed ad suum etiam Abbatis officium attinere, ut earundem cognitione Cœnobitas suæ curæ comissos instituat, rem pulcherrimam aggressus est; quæ ei verò magnis sudoribus & vigiliis constitit. Omnium enim tam Græcorum quàm Latinorum Patrum scripta & monumenta evolvens Regulas triginta quatuor supra trecentas, quæ ad totius divinæ Scripturæ intelligentiam conferunt, ex iisdem collegit. Has monachis suis non solùm vivis verbis & animato sono tesseravit, sed calamo etiam & atramento in paginis & codicibus diutiùs duraturas piè ac perspicuè explicavit: quæ deinde in Hispania, Gallia, Germania, ob magnam suam utilitatem iteratis typis excussæ fuerunt. Operæ etiam pretium facturus sibi visus est ** *Hieronymus Lauretus*, Abbas monasterii S. Felicis Guixolensis, si è factis & præcipuis Auctoribus ea colligeret, quæ ad ipsius Scripturæ intelligentiam tum literalem, tum mysticam valerent. Quò sine triginta circiter annos auctoribus legendis insudavit, quò ex iis, quæ ad rem essent, sedulò colligeret. Et verò labor improbus magno ingenio conjunctus vicit omnium exspectationem, itaque cessit feliciter, ut insigne opus *Sylvam Allegoriarum* elucubrarit, quod in lucem emissum publico exceptum fuit applausu. In Belgio *Ludovicus Blosius*, Abbas Lœtiensis, verè Venerabilis, principem in lectione locum dabat Scripturis sacris, quod passim ejus monumenta testantur, ut illud D. Hieronymi de Nepotiano elogium non minùs verè de Blosio usurpari possit, quòd

Gilbertus Genebrardus.

Franc. Ruizius.

Hieron. Lauretus.

Ludov. Blosius.

* Bulæus Hist. Univers. Paris. Possev. Appar. Sac. & alii.
** Authoris Præfat. legesis.

quòd lectione assidua & meditatione diuturnâ pectus suum bibliothecam fecerat Christi. Scripturis accedebat assidua sanctorum Patrum lectio, Gregorii præsertim & Augustini.

In Anglia supra coævos omnes ejus Regni Benedictinos Cœnobiarchas pietate & eruditione inclaruit *Richardus Kedermunsterus*. Erat is Abbas Wynchombiensis per ea tempora, quibus Martinus Lutherus nova procudere dogmata incipiebat. Hæc, ut alio dicturi loco sumus, Richardus Scriptis impetiit. Nunc verò dicendi locus est de assidua in sacrarum Literarum exercitatione, quæ ipsi cum monachis suis intercessit: unde Cœnobium illud miris modis floruisse memoratur ab Antonio Woodio,* Historiæ & Antiquitatum Universitatis Oxoniensis percelebri Scriptore. Habuit enim sub Richardi Abbatis præsidio Congregatio Wynchelcombiensis, vel Wynchombensis Monachos numero XXVIII. quorum plures & lectioni & observantiæ regulari ita dediti erant, ut vix præteriret dies aliquis profestus in hebdomada, in quo non haberetur in sacris Literis lectura; Baccalaureus nimirum in sacra Theologia vetus Testamentum, alter verò eodem gradu insignitus Novum ibidem interpretabat &c. *Et quidem ego* (inquit Abbas Kedermunsterus) *in persona mea bis in hebdomada, aliquid ex Magistro Sententiarum pro mea virili parte explanabam; ita quod tam pulchrum erat videre, quomodo dediti sunt homines sacrarum Literarum studio, quomodóque inter se Latino sermone, etiam in solatio ubi sunt, nec aliter quàm si fuisset altera nova Universitas (tametsi exigua) claustrum Wynchelcombense, tunc temporis se haberet.* Et reverà inter hæc omnia, *ita fervebat apud nos observantia regularis, ita fraterna charitas dilatata est, ut vix crederes tantæ unitatis atque concordiæ claustrum ex tantillo numero in Anglia fuisse. Novit profectò misericors Deus, quantum eo tempore delectabar, cum Fratribus in claustro circa sacras Literas versari, ubi extructa quadam cellula (quam utinam in hunc diem stare permisissem) & die & nocte dedi operam lectioni; atque ea diligentia, ut nihil propè sacrarum Literarum, ac in S. Theologia habuerim doctrinæ, quin illud totum isthic in claustro mihi imbiberim. Hæc enim omnia eam ob rem ideò dixi, ut posteri discant, sacrarum Literarum lucrum sicut in Academiis, ita & in claustris haberi, quod planè probat Venerabilis Beda incredibilis doctrinæ, quam haud uspiam alibi quàm in claustro, & observantia Regulari sese perdidicisse testatur; quod utinam nostræ tempestatis monachi, qui putant præter Universitates nullum esse eruditionis locum, pro viraciori exemplo accuratiùs amplexarentur &c.*

Studium S. Scripturæ in monasterio Wynchombiensi miritìcè floret.

Etiam in monasteriis erudition locus esse potest.

Hæc Abbas Kedermünsterus; cujus laudatissimo exemplo si Abbates & Superiores Benedictini suis in Cœnobiis Literas sacras docerent, vel certè quidem ex Concilii Tridentini præcepto doceri curarent, quot monasteria, tot parvæ quasi Academiæ essent futuræ. Et quidni faciant? neque enim id in libero eorum arbitrio positum est. *Oportet*, inquit sanctissimus Legislator Benedictus, *oportet Abbatem esse doctum lege divina. Verbum Oportet sapit præceptum l. 2. C. de jure-jur.* Et cur *Oportet? ut sciat, & sit, unde proferat nova & vetera.* Quâ horâ quis munus Abbatis suscipit, eâdem etiam obligationem suscipit sacris vacandi literis. S. Legislator non petit ab Abbate scientiam rerum philosophicarum, mathematicarum, historicarum, diplomaticarum, genealogicarum, numismaticarum &c. sed divinæ paginæ doctrinam. Hac eum instructum esse vult, ut monachos suos ejusdem cognitione imbuere possit.

Abbatem oportet sacris vacare Literis.

Vim hujus obligationis præter alios quosque religiosissimos Abbates optimè intellexit *Joannes Trithemius*, qui, ut suprà narravimus, nil potius à suscepto habuit Præsulatu, quàm ut tempus non diurnum modò, sed nocturnum etiam in sacræ Scripturæ studio contereret. Habuit Trithemius fratrem, sacerdotio initiatum, quem ad divinæ paginæ studium, & SS. Patrum lectionem his gravissimis verbis exhortatus est: ** „Optamus studio te „occupari Literarum, & maximè divinarum, per quarum scientiam „mens in cognitionẽ & amorem summæ veritatis consurgit. Curiositatem fugitare non pudeat, illásque „detestare scientias, quæ divino repugnant amori. Est enim magna inter curiosum & studiosum hominem „differentia. Curiosus enim earum „rerum cognitionis cupidus est, quæ „nil ad eum pertinent, nihílque utilitatis honestæ conducunt. Studiosus autem earum rerum scientiæ „cupi-

Id facit gnaviter Abb. Trithemius.

* Lib. I. pag. 248. col. 1.
** Ep. 43. Lib. 1. famil. ep. 479.

„ cupidus est, quarum cognitio ad „ animum nutriendum ornandúmque „ liberaliter & ordinatione pertinet „ honesta. Studiosum non curiosum „ te esse cupimus, quoniam ut S. Bernardus ait, primus superbiæ gradus curiositas est gratiæ Spiritûs „ sancti contraria, cujus doctrina non „ curiositatem acuit, sed charitatem „ accendit. Propterea dicit Scriptura: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: si enim fueris plurimùm scrutatus, frequenter miraberis.* Necessaria & utilia „ nobis discenda sunt, quorum scientia mentem à terrenis segregatam, „ & in cognitionem summæ veritatis „ illuminet, & in amorem sempiternæ bonitatis inflammet. Stultum „ est, omissis utilibus & necessariis vana & inutilia discere, & Creatore „ neglecto circa creaturas mentem occupare. Perniciosa & planè damnabilis multorum hominum hujus tempestatis curiositas est, qui saluberrima Christi humilitate contempta, „ ut docti videantur, & magni, diligentissimè perscrutantur, quid Plato, quid Aristoteles, quid Anaxagoras, quid Democritus, quid Pythagoras, & cœteri hujusmodi senserint, quos constat à cognitione & „ doctrina summæ veritatis longè fuisse alienos; quasi nobis desint ex „ nostris Philosophi & viri doctissimi, „ per quorum imitationem oporteat „ fieri desides, ut meritò gentilium sapientia, necessarióque nobis videatur „ exponenda. Multos habemus gentilium Philosophis meliores, quorum debemus imitari doctrinam, „ sanctos videlicet Christi Apostolos, „ Petrum, Paulum, & Joannem, eorúmque sequaces, Origenem, Athanasium, Hilarium, Irenæum, Chrysostomum, Basilium, Eusebium, Firmianum, Hieronymum, Ambrosium, „ Augustinum, Gregorium, Bedam, „ Rabanum, Bernardum, & reliquos „ catholicæ fidei Doctores, quorum „ certa de veritate sapientia Christianas mentes ad justitiam imbuit, intellectum veraciter illuminat, charitatem format, animásque vivificat. Hos pro viribus imitare sapientes, & eorum libros legendo discendóque utilia sæpiùs revolve, nec „ tempora juventutis tibi data inutiliter transire patiaris. Otium ut „ pernitiosam animæ pestem fugito, „ quoniam industriæ & studio maximè contrarium est, mentémque ut „ ferrum rubigo consumit. Occupandum est bonis studiis ingenium, „ & veræ sapientiæ desiderium altiùs „ inferendum, ut cùm senectus advenerit, mens cœlestibus informata „ doctrinis ad quaslibet fortunæ facies consistat. Neque fratrem te nos „ imitari pigescat, oramus, qui annorum vitæ transactæ, ut nôsti, tempus omne studio Scripturarum usque ad invidiam ranarum impendimus „

Hæc & plura Trithemius. *Ranas* autem vocat monachos suos Spanheimenses, quorum vix duo ejus incitati exemplo ad sacræ paginæ studium animum adjunxerunt, cœteri conjectis in Trithemium verborum jaculis, Malumus, coaxabant, *orotorem*, quàm *oratorem*. Rectiùs sapuit Joannes Centurianus pastor Ecclesiæ in Trittenheim, qui unà cum Jacobo Trithemio Abbatis fratre ab eodem sacris Literis institutus fuit. Ita enim in epistola * ad magnum hunc Præsulem exclamat: *O mi dulcissime præceptor Trithemi, gratiose pater, quoties od memoriam reduco sanctissimum docendi modum, quo me simul & fratrem tuum magistrum Jacobum Trithemium docere & exhortari ad scientiam divinarum Scripturarum consuevisti, lacrymas præ mœrore nequeo continere. Tam enim profunda, tam mystica, támque ardentio de Scripturis sanctis verba nobis eructare solebas, ut ferrea pectora in Dei commovere amorem potuissent.* Monachi Ranæ.

Seculo XVII. Religiosissimi Patres Congregationis S. Mauri in studio Theologiæ Positivæ toti fuerunt, hodiéque sunt. Quotidie ** intra eorum cœnobia legitur sacra Scriptura, ea, quâ par est, reverentia, plerumque flexis genibus, & capite aperto. Cum eodem sensu venerationis de eâ sermones miscentur, proponuntur difficultates, quæ in hac lectione occurrunt, ut illustrentur. Superiores etiam in qualibet Provincia constituerunt Sodalitates, in quibus peculiari modo, & dedita opera illius studium tractatur sub directione Doctorũ, unde prodeunt discipuli aliqs docendi capaces. Jussi sunt quoque originalium linguarum peritiam sibi comparare, quò planior illis ad Seculum XVII. Theologiæ Positivæ studium floret in Congregatione S. Mauri.

* Lib. I. Epist. famil. n. 16. p. 528.
** Mabill. Tract. de Stud. Mon. vol. 2. art 17. p. 90.

ad sacræ paginæ intelligentiam aditus reperiatur. Illud etiam apud ipsos laudabili in more positum est, ut reconditos Scripturarum sensus ex Patrum traditione depromere ac discere malint, quàm ex libris recentiorum auctorum, rati plus latentis efficaciæ, cœlestísque virtutis illis inesse, qui ad ipsos fontes propiùs accedunt non solùm tempore, sed etiam sanctitate. Cùm enim, * inquiunt, Scripturæ sacræ expositio in duabus maximè partibus consistat, nimirum in vero germanóque sensu eliciendo, & in excitandis ad pietatem lectorum animis, ita comparati sunt piorum doctorúmque simul hominum plerique, ut non solùm plus valeat apud eos veterum quàm recentiorum authoritas, sed etiam longè amplius in Dei cultum & amorem ex illorum lectione accendantur: sive id oriatur ex insitâ veneratione majorum, sive ex cœlesti quadam virtute eorum libris infusa, atque ex quodam genuinæ sanctitatis succo & gustu, qui ex eorum scriptis percipitur. Etsi porrò in explicando sensu literali, seu grammaticali nonnulla feliciùs assecuti sint recentiores quidam, quàm veteres: magis tamen ad corroborandam fidem conducunt hi, quàm illi: at si reconditæ pietatis sensum in utrisque compares, in novis penè emarcida & languens jacet intelligentia Scripturarum; in antiquis sacro charitatis igne succensa animos legentium fovet ac recreat.

Jo. Martianay sacræ Scripturæ Professor.

Ut verò hactenus dicta exemplo confirmemus, ex quàm multis Theologiæ Positivæ Professoribus, qui in Congregatione S. Mauri insigni quadam laude eam tradiderunt, vel solum Domnum *Joañem Martianay* commemorare juvat. Is cùm propè innumeras Aquitaniæ, Occitaniæ, Normanniæ, reliquæque Franciæ Bibliothecas perlustrâsset, eóque in labore triginta ipsos annos collocâsset, in hominem Antiquitatum Ecclesiasticarum peritissimum evasit. Divinas Literas * Arelate, Avenione, Burdegalæ, & in monasterio B. Mariæ de Crassa in Diœcesi Carcassonensi suos publicè docuit, ídque eâ methodo, quam ipse in Præfatione Generali Tomi V. Operum S. Hieronymi, ad cujus calcem selectas ex Divinis Scripturis Theses vulgavit, his verbis exponit: „ Ut aliquid dignum posteris, gratum pariter, ac utile studiosis ederemus, certissimam appendicem, quasi auctarium & mantissam ad calcem voluminis adjeci. Justum enim fuerat, ut inter tot opera falsa, vel imperita vera non pauca prodirent, ad eruditionem lectorum comparata. In gratiam itaque studiosorum & discipulorum Hieronymi, Theses catervatim in Biblia sacra, disputationes, & alia id genus bene multa curiosis dedicavi. Ne velitationes purè Scholasticas quis exercitationes nostras existimet, quòd in nostris dudum asceteriis publicè Theses propugnabantur; ad studia namque Divinarum Scripturarum animos addunt, & sacræ intelligentiæ pandunt recessus. Deinde multa secum affert ad commune m fructum appendix nostra, quæ nec Scholasticis cognita, nec disputationibus eorum ventilata sunt usque in præsens. Similis quidem apparet methodus nostra in Theseon compositione, scholaribus disciplinis, & consuetudini Gymnasiorum; sed augustioris est considerationis argumentum à nobis pertractatum, & instituta disputatio. Toti sumus & exercemur in Theologia divinarum Scripturarum: quare præludia & isagogica multa ponimus exempla, quæ conducant ad earum intelligentiam. Neque hæc tetricâ ratione, sed suavi, ac sapientibus congruente pertractamus. Sive enim in præludiis versemur, sive in disputatione majori, aut in criticis observationibus, omnia sic attemperamus, ut lusitando nos agere dicere: cùm tamen in omnibus attentè nostro fungamur officio, ne degeneres in quopiam deprehensi studium, laborémque nostrum erubescamus. „ Ita Martianæus. Inter hæc Hebraicæ Græcæque linguæ cultum nunquam intermisit, sed in penitiorem earum cognitionem tantò ardentiùs incubuit, quantò majorem usum, necessitatémque utrarumque in omni sacrarum doctrinarum pertractatione esse quotidie animadvertebat. Denique ita instructus maximæ molis rem, novam scilicet sancti Hieronymi Operum editionem, *& quidem solus, & nullius auxilio recreatus* capessivit, quæ quantum sudoris viro expresserit, diversis in locis ipsius explicavit.

Equidem de aliis quàmpluribus è laudatâ S. Mauri Congregatione Theologis præstantissimis verba facere volupe Quàm alii è S. Mauri Congregat.

* Legatur eorum Præfatio in Tom. III. Opp. S. Augustini.

Sodales Theologiæ Poſitivæ periti ſint, eorum Opera demonſtrant.

ſupè mihi foret, ſed ubi rerum ac operum adſunt teſtimonia, quid opus eſt verbis? *Editiones SS. Patrum; Biblia Maxima Patrum; Apparatus ad Bibliothecam Patrum; Conciliorum, ac Synodorum editiones; Hexapla Origenis; Bibliorum ſacrorum Latinæ verſiones antiquæ; Latina verſionis Græcæ 70. Interpretum tralatio; Pſalmi Davidis ex Hebræo Latinè redditi; Novum Teſtamentum in linguam Francicam traductum; Explicatio Pſalmorum ex SS. Patribus & Interpretibus; Loca difficiliora Scripturæ illuſtrata; Grammaticæ. Lexica Hebraica*, aliáque innumera Eccleſiaſticæ antiquitatis monumenta indefeſſo ſtudio ac labore planè improbo in lucem protracta, an non luculentum de ipſis perhibent teſtimonium, quòd Theologiæ Poſitivæ ſint longè ſcientiſſimi? Facere tamen non poſſum, quin non *Ludovici Thomæ du Four* * uberiorem non nihil faciam mentionem.

Ludovicus Th. du Four.

Is adhuc ſecularis in Theologia Scholaſtica auditor fuit Iſamberti, * Viri eâ ætate longè celeberrimi, qui ſingulari doctiſſimi adoleſcentis ingenio captus, nunquam non honorificè de eo ſentiebat, atque apud alios loquebatur. Poſtquam verò Ludovicus S. Mauri Congregationem ingreſſus fuit, totus ſe Theologiæ Poſitivæ addixit. Reliquum enim boni otii perveſtigandis divinarum Scripturarum myſteriis, altiúſque rimandis linguarum, quibus quique ſacri libri primùm conditi fuêre, fontibus, modis, & receſſibus dedit, Sodaléſque ſuos, ut ſe ſequerentur, perpetuò adhortatus eſt. Sub idem tempus cùm Galliæ Theologi de repurgandis Bibliis polyglottis cogitarent, nemo ad graviſſimas eas ſuſcipiendas, implendáſque partes accommodatior judicatus eſt noſtro Ludovico du Four. Aſt delaram provinciam deprecatus eſt Vir Hebraicè doctiſſimus, primùm per cauſam ſuæ imperitiæ, deinde multitudinis exemplorum, nuper excuſorum, atque adeò detrimenti, quod illorum poſſeſſores ex novâ editione accepturi eſſent; poſtremò quòd tot priorum editionum errata ſine magnorum virorum, qui illas curârunt, dedecore abs ſe notari non poſſe proſpiceret. Vir eximius in flore ætatis falce immaturæ mortis anno 1647. ſucciſus præter Grammaticam Hebraicam facillima methodo digeſtam, ac typis vulgatam, Commentarium in Pſalmos & Paraphraſin in Canticum Canticorum reliquit in Manuſcriptis.

In Hiſpania, Italia, utrâque Germania, inferiore & ſuperiore viri percelebres iiſdem Theologiæ Poſitivæ ſtudiis, quibus ipſi excelluère, alios imbuerunt. Paucos in medium dabo.

Leander à S. Martino

Leander à S. Martino, nulli Theologorum in Academia Duacena ſecundus, Hebraicam linguam docuit, ac in præſtantiſſimâ editione Gloſſæ ordinariæ Walafridi Strabi, quæ operâ Doctorum Duacenorum Antverpiæ prodiit, primas inter ipſos partes tenuit.

Card. Agvirre

Joſephus Senz de Agvirre in Academia Salmanticenſi ſacras Literas incredibili plauſu atque auditorum frequentiâ explanavit, in lectione SS. Patrum, Conciliorum, atque Eccleſiaſticæ antiquitatis aſſiduus. Unde in præfatione ad Tomum I. Theologiæ ſuæ Scholaſticæ de ſe ipſe in hæc ſcribit verba: „Itaque nemo criminetur, quod „ frequentiùs ſubito in noſtris lucu„ brationibus appareant Teſtimonia „ ſacræ Scripturæ, Conciliorum & „ Patrum (quod nonnullos poſt pri„ mam hujus tomi editionem nobis „ vitio vertiſſe novimus) niſi velit inu„ ri juſtâ notâ Melchioris Cani, gra„ viſſimi Scriptoris. „ Is enim Theologum quantumvis ſubtilem ſine Scripturæ, Patrum, ac Conciliorum notitia nauci faciendum eſſe iis contendit rationum momentis, quæ revinci non poſſunt.

Itali Benedictini ſacras Literas in variis Academiis profitentur.

In Italia celeberrimæ Academiæ vel habuerunt, vel ſibi exoptârunt è noſtris ſacrarum Literarum Profeſſores.

Leo Matina.

Leo Matina ** electus à Veneta Republica in Patavina Academia ſacræ Scripturæ primarius interpres, ut erat facundiſſimo eloquio, pluribúſque naturæ & artis leporibus, mirè ornato, prompto, argutóque ingenio, ac multiplici eruditione conſpicuus, plures annos celebris doctrinæ fama, & Venetæ nobilitatis benevolentiâ ac amore potitus fuit, à quâ etſi advena, Venetæ nihilominus civitatis jure donatus eſt.

Jo. Hier. Textorius.

Ab ejus obitu, cùm ſacrarum Literarum cathedra vacaret, eidem *Joannes Hieronymus Textorius* è Congr. Caſin. *** magna doctrinæ & virtutis habitus opinione præfectus fuit, quam toto deinde vitæ decurſu egregiè admodùm

eſt

* Pez Maur. Bibl. lib. I. cap. 2. pag. 5.
** Armell. Bibl. Caſin. part. 2. p. 78.
*** l. c. p. 43.

et moderatus. Nec vulgaris etiam doctrinæ famâ Professoris munus adimplevit *Joannes Antonius Orsati* *, qui à Veneto Senatu anno 1719. Sacræ Scripturæ publicus interpres esse jussus est. *Hieronymus Bendanus* verò in Patavino Lycæo sacras Literas gloriosè explicavit, adeò insueta Auditorum frequentia, ut in latiorem Aulam ad eam excipiendam, cathedram transferri oportuerit. *Angelus Maria Quirinus*, in Abbatia S. Mariæ Florentiæ monachus, nunc S. R. E. Cardinalis, postquàm Theologiam primò, & sacros Canones, mox divinos etiam Codices cum laude est interpretatus, Hebraicæ nimirum, Græcæque linguæ, quas optimè callet, variæque eruditionis subsidio. Unde etiam à Cosmo III. Magno Hetruriæ Duce, publicus in Pisana Universitate Professor fuit expetitus; quem tamen honorem ne Quirinus admitteret, causæ aliquot rationabiles intervenerunt. Non invitus tamen munus Professoris divini Codicis in Florentino monasterio suscepit, cujus Abbas *Angelus Nincius* Biblicam Cathedram primus in eo erexerat. Quâ occasione *Quirinus* Prælectiones in sacram Scripturam conscripsit, quæ cùm omne tulissent punctum, eas *Angelus Nincius*, jam totius Congregationis Casinensis Generalis Præses, typis, authore inscio, evulgandas curavit, sub epigraphe: *Oratio de Mosaicæ Historiæ Præstantia.* Condiscipulus *Quirini* olim fuerat *Virginius Valsechius*, cui Cosmus III. Magnus Hetruriæ Dux Cathedram Sacræ Scripturæ in Athenæo Pisano contulit, non tantùm commendatione *Quirini* adductus, sed insigni etiam, quâ *Valsechius* præstabat, sacrarum Literarum permotus peritiâ. ** *Io ho dato* (hæc Magni Ducis Epistolæ ad *Quirinum* erant verba) *la mia Cattedra dell' Università di Pisa della Scrittura sacra al Padre Valsechi Lettore di questo Monastero della Badia di questa Città.* Ante *Valsechium* verò *Cyrinus*, Senis in Cœnobio S. Eugenii monachus, sacrarum Literarum eruditione insignis, annos supra XL in eadem Pisana Universitate divinos Codices communi Literatorum plausu ac frequentiâ publicè explanavit. Quòd *Benedictus Bacchinus*, Abbas S. Mariæ de la Croma, Vir ex cl. Muratorii sententia *solidæ & exquisitæ eruditionis* cathedram Sacræ Scripturæ in Academia Bononiensi, ad quam evocatus fuit, non conscenderit, plura alia negotia & munera in causa fuerunt.

Jo. Ant. Orsati. / Hier. Bendanus. / Ang. Mar. Quirinus. / Virginius Valsechius. / Cyrinus. / Benedictus Bacchinus.

In Germania præter alios viros eximios doctissimi germani Fratres *Mezgeri, Franciscus, Josephus*, & *Paulus* sacras Literas in Universitate Salisburgensi exposuerunt. Et quidem Franciscus typis publicis vulgavit Institutiones Sacræ Scripturæ, sive Principia, Regulas, & Instructiones de modo ritè intelligendi & interpretandi S. Scripturam, Opus sacrarum Literarum studiosis perutile ac necessarium. In Belgio *Hubertus Phalesius*, Cœnobii Affligeniensis Asceta, &, teste Sandero, Vir uti doctrina non vulgari, ita ab ineunte ætate studio divinarum Literarum deditissimus, sacrorum Bibliorum vulgatæ editionis Concordantias variis locis improbo labore expurgavit, ac locupletavit.

In Germania Fratres Mezgeri. / Hubertus Phalesius.

Quid verò in Lotharingia Religiosissimi Ascetæ Congregationis SS. Vitoni & Hidulphi? Hi profectò in studio Theologiæ Positivæ si non supremum attigerunt verticem, cœteros tamen omnes superàrunt: cujus rei hôc, quo vivimus, ævo, paucis ante annis egregium dederunt specimen. Quis enim Commentaria illa Literaria, quæ Reverendissimus Abbas Calmet in utrumque tum vetus, tum novum Testamentum octo doctissimis tomis in folio comprehensa elaboravit, summis celebrari laudibus non unquam audivit? In quo Opere textus primùm latinus habetur, postea versio Gallica, quæ paraphrasis loco est, & denique ipse Commentarius. At enim Opus hoc non unius tantùm hominis laborem & vigilias existimes: illi enim (nempe Amplissimo Præsuli) qui in hoc Opere adornando familiam ducebat, in duobus tribúsve prioribus libris, item in Psalmis, ac Divi Mathæi Evangelio explanando aliquot è Confratribus suis opem tulêre. In morem enim induxerant, ut eorum quidam statutis horis convenirent, optimósque in quemcunque Bibliorum librum commentarios, evolverent, & quæ alicujus esse momenti ipsis videbantur, in chartam referrent. Hæc excerpta in communi omnium cœtu prælegebantur, & cuilibet ibi liberum erat, quid sentiret, in medium afferre. Ex istis annotatis, dictatis, atque excerptis præcipua selegit, atque in unum corpus congessit, ut in publicum ederentur, Abbas Calmetus, qui totius operis accurationem susceperat, Divi Hieronymi ad Augu-

Patres Congr. SS. Vitoni & Hidulphi in Theologiæ Positivæ studio sibi primas deposcunt.

* Armell. l. c. p. 19.
** Vid. Commentar. Histor. Card. Quir. de rebus ad se pertin. l. 1. c. 5. p. 145.

Augustinum ep. 75. hæc scribentis, exemplum imitatus. *Ego in parvo tuguriunculo cum monachis, id est, compeccatoribus meis, de magnis statuere non audeo, nisi hoc ingenuè profiteri, me majorum scripta legere, & in commentariis secundùm consuetudinem varias ponere explanationes, ut ex multis sequatur unusquisque, quod vult.*

Calmeti Commentaria magnum fecerunt plausum In Gallia.

Incredibile verò dictu est, quanta omnium eruditorum applausu hæc Commentaria ubique gentium excepta fuerint. Quòd ingens eis pretium Gallia statuerit, iteratæ intra sexdecim annos tres magnorum sumptuum editiones testantur, quæ anno 1707. 1715. & 1723. accuratæ fuerunt. Anglia, licèt heterodoxa, magnam tamen eorum partem in suum convertit idioma. Hispania, non nisi magna admirari solita, suspexit, legit, laudavit. Liceat solius *Philippi Buliphi*, * Regii Quæstoris, ac viri cùm præstanti ingenio, tum varia multiplicíque lectione verba adscribere: „ Incumbo penè „ totus in lectionem Comentariorum „ Augustini Calmeti in sacra Biblia, „ qui haud diu est cùm Parisiis in lu- „ cem prodierunt. Opus, ita me „ Deus amet, egregium, ingens, exi- „ mium, ac superius omni laude: „ quos qui viginti tres tomos habeat, „ haud ille ad pleniorem sacrorum Co- „ dicum intellectum, uberiorémque „ divini sermonis doctrinam quic- „ quam desiderabit. Quidquid enim „ utile ac concinnum ad hanc cœle- „ stem disciplinam penitus exhaurien- „ dam scribi aut excogitari unquam „ potuit à veteribus, mediis, recen- „ tioribus, Græcis, Latinis, Barbaris, „ atque à vestratibus, Ethnicis, Rab- „ binis, Catholicis atque heterodoxis „ Scriptoribus, omnia, inquam, in „ hoc opus contulit, digessítque, at- „ que ad purgatissimi judicii censuram „ revocavit, expendítque ingeniosissimus auctor ac criticorum sanè om- „ nium ὑπερκριτικώτατος. „ Non minores sunt laudes, quæ in Germania non modò Catholici, sed etiam Protestantes in hæc contulerunt Commentaria. Legatur vel solius D. *Mosheimii* perdocta præfatio ad primam partem Biblicarum Disquisitionum Abbatis Calmeti, in qua ejus Comentaria cum judicio, accuratione, & elegantia elucubrata, atque ex optimis tam antiquis quàm novis interpretibus, & authoribus, qui ad Bibliorum sensum rectè percipiendum faciunt, deprompta esse laudat, quæ tam doctis quàm indoctis usui esse possint. In Hungaria mirabiliter Commentariorum illorum lectione captus est Celsiss. Princeps & R.^mus Archiepiscopus Strigoniensis Emericus ex Comitibus de Esterhazy; qui illa omnibus aliis præferre nullus dubitavit, uti Posonii ex ore hujus virtute & doctrina illustrissimi Præsulis semel atque iterum audivi. In Italia opera & studio *Joannis Dominici Mansi*, Lucensis, è Congregatione Matris Dei ex Gallico in Latinum sermonem conversa, & à Sebastiano Coleti typis ab anno 1729. ad 1732. Venetiis excusa, dein Aug. Vind. apud Veithios an. 1734. recusa fuerunt, quò orbis universus eorum lectione frui posset.

(Marginal notes: In Anglia. — In Hispania. — In Germania. — In Hungaria. — In Italia.)

Petrus Guillleminus Calmeti Antagonista.

Quis verò non demiretur, *Calmetum* ex ipsa sua Congregatione habuisse antagonistam, qui ejus Commentarius pollicem non tantùm non pressit, sed planè vertit? Erat is *Petrus Guilleminus*, cui reconditæ & mysticæ interpretationes divini Codicis in amoribus fuerant. Cum verò eas à Calmeti abesse commentariis, & literalem solùm sensum in iisdem contineri adverteret, ex vasto Abbatis Opere extractus, ut vocant, facere cœpit. Equidem sensum retinuit literalem, mille tamen rebus, quæ ad illius pertinent intelligentiam, silentio prætermissis. Contra verò multas res alias intexuit, expositiones Calmeti sub examen vocavit, atque ex iisdem non paucas rejecit. Quo loco autem potuit, mysticas intrusit explanationes. Hujus sui improbi laboris tomos tres, quibus expositiones in Libros Moysis continebantur, anno 1721. in lucem protrusit, aliis septem vel novem promissis, qui, quod sciam, in lucem proferri nunquam meruerunt.

Alii Adversarii.

Quò minùs mirum videri debet, alios extra Ordinem Benedictinum extitisse, qui *Calmeti* Commentariis infestos se præbuêre. Tres nominâsse sufficiat. Præcipuus facilè est *Richardus Simon*, Benedictini nominis hostis, si quis alius, acerbus, tametsi nihil ab ejus alumnis unquam læsus fuerit, nisi quòd præ livore ac invidia illorum diligentiam, industriam, atque eruditionem injuriæ loco habuerit. Propositum huic Aristarcho fuerat, universum Opus à capite ad calcem pervolutare, atque errata minima maxima obelisco notare. Suas animadver-

Richardus Simon.

* Extat in epistolis D. Emmanuelis Marti, Viri Ecclesiastici Alonæ in Hispania, Amstelodami excusis.

siones cum *Stephano Souciet* Parisiensi Jesuita, amico suo communicavit; è quibus tamen nihil in lucem prodiit. Primùm ab ipsius obitu earum initium in libro comparuit, in quo Dupinii Ecclesiasticam Bibliothecam sua vexavit censura. Reliqua oculis usurpare datum non fuit; & fortè inter ejus manuscripta delituerunt, quæ fato proximus, flammis, ut merebantur, ipse dicavit. Vel, quod vero proximius est, suas Disquisitiones ulteriùs prosecutus non est, quòd res inconditi laboris ipsi visæ fuerint; vel, quod credere proclivius est, mors illis intercessit. Quòd enim Benedictini impressioni harum Animadversionum intercesserint, oppidò falsum, & longè à veritate remotum esse testatur vir quidem acatholicus, sed egregiè eruditus, D. *Ernestus Ludovicus Rathlefius*,* quia hoc factum alius Calmeti adversarius, Pater *Souciet*, nunquam silentio pressisset. Neque enim plus dicit, quàm quòd Criticæ hæ Animadversiones *Simonii* morte interceptæ fuerint. Et certè futurum fuisset, ut post Momi hujus decessum plura in nostras pervenirent manus, si plura in manuscripto reliquisset. Et quid tandem *Simonius* in doctissimo Calmeti Opere in reprehensionem vocat? Hoc ferè unicum, quòd Judæorum Rabbinos pro ea, qua debuisset, diligentia non evolverit.

Stephanus Souciet. *Simonium* excepit Jesuita *Souciet*, qui ad prioris librum annotationes adjecit, in quibus Benedictinos sacrarum Literarum interpretes, quanta maxima vi potuit, adortus est. Hic, si unquam aliàs, commodam nactus erat occasionem, atram, quâ laborabat, in illos evomendi bilem. Et verò id præstare neutiquam prætermisit, sed omnem Calmetici Operis nævum mordaci & acerbo scribendi genere insectatus est.

Abbas Fourmont. Tertius adversarius erat Abbas *Fourmontius*, Professor Orientalium linguarum Parisiis. Hic vir juvenis annum ætatis 26. vix emensus, beneficiarius Statûs Ecclesiastici fieri, atque ab eo annuam emendicare pensionem ambiebat. Pro qua beneficentia pollicebatur, se ad Ecclesiæ Gallicanæ commodum grandia quædã & prolixa scripturum Opera. Atque inter hæc magno hiatu perfecta & ad amussim exacta Calmetici Operis Critica promissa fuerat. Igitur ut pollicitis staret, duas Epistolas anno 1709 & 1710. in vulgus exire jussit, in quibus Calmeti Commentaria in Pentateuchum critico suo excussit calamo. Præcipuam in eo posuit operam, ut Calmeto ostenderet, ab ipso Rabbinos suo frustrari honore; deinde quòd haud satis exactè demonstrârit, Moysen ipsum suos quinque libros chartæ mandâsse; denique quòd creationem mundi non eâ, qua decebat, soliditate explanaverit. Quia verò publica hæc erat impugnatio, sui muneris Calmetus esse existimavit, ut se etiam publicè defenderet. Igitur epistolas anno 1712. Parisiis in lucem dedit, quibus Responsio ad Criticam D. *Fourmontii* continebatur. Atque hæc defensio ita solidis rationum momentis concepta erat, ut si D. *Fourmontium* impensi operis ac laboris non pœnituerit, certè manum de tabula sustulerit: ita Abbati juveni os oppressum fuerat.

Calmeti studio & opera Dictionariũ Biblicum conficitur. Post edita verò in lucem literalia in Textum utriusque Testamenti perpetua Commentaria, viris pluribus eruditis suadentibus, R.mus Abbas urgebatur, ut quandoquidem vulgata hucusque Biblica Dictionaria exspectationis vota omnia non explevissent, eidem se operi, in quo plura tum à Cõmentariis, tum à Dissertationibus aliena inseri possent, manus admoveret. Exorari se passus, arduam sanè provinciam aggressus est. Quâ tamen in re non exiguo ipsi fuit adjumento instructissima Bibliotheca Abbatiæ Medianî monasterii, ubi à strepitu & turba remotus, Opus ad id perfectionis deduxit, quod alibi nunquam minori librorum & quietis ope fultus potuisset. Ad hoc autem Dictionarium publico favore iterum exceptum, variisque traditum linguis, rogatu amicorum, Supplementum adjecit, ut Opus nobilissimum ad supremum quàm fieri potest, perfectionis gradum promoveret. Abbas verè eximius, ac illustre Ordinis nostri sidus, atque ornamentum.

In Congr. Bavarica studium S. Scripturæ reflorescit. In Bavarica SS. Angelorum Custodum Congregatione studium Sacræ Scripturæ caput iterum sustollere, & fusa quaquaversùs luce, lætiorem faciem induere cœpit. *In Statutis jubentur Superiores, ut in studiis Philosophiæ, & Theologiæ, atque linguarum, aliisque disciplinis, quæ ad sacrarum Literarum intelligentiam maximè conducunt, suos monachos sedulò exerceant.* Præ cœteris ejusdem Professoribus commemorari meretur *Joannes Evangelista Rottner*, author celebris Operis, cui

* In den Geschichten der jezt lebenden Gelehrten. Ersten Theil p. 79.

cui titulus: *Margarita Cœlestis. Thomas* verò *Aquinas Erbard*, Asceta Wessofontanus, ut primùm ex strepitu scholarum in cellulam suam teversus est, mox animum ad sacram Scripturam appulit, paucósque intra annos in ejus studio tantum profecit, ut non illam modò justo Comentario illustrâtit, sed Biblia etiam Latino-Germanica magno per totam Germaniam adplausu excepta in lucem emiserit, quæ suam ob utilitatem septenis minimùm vicibus jam prœlo subjecta fuerunt. Neque tamen versionem hanc omnium expertem nævorum dicere ausim; quorum complures cùm *Germanus Cartier*, Theologus monasterii Ettenheimmünster in Brisgoia (à quo *Dilucidationem Psalmodiæ Ecclesiasticæ*, omnibus laudatum opus, habemus) inter legendum annotâsset, pretium operæ factutus sibi visus est, si novam adornaret versionem, quæ nuper ad fastigium perducta prodiit Constantiæ ad Rhenum in fol. cum fig. & notis eruditissimis.

In Suevia Abbates Augiæ Benedictinæ Theologiæ Positivæ studio dediti.

In Suevia *Antonius Vogelius*, Abbas laudatissimus, Majoris Augiæ Brigantinæ, in volvendis, tevolvendisque SS. Patrum, Sacræ Scripturæ Interpretum & Ascetarum libris perdius ac pernox, compilavit quosdam Tractatus spiritu Benedictino plenos, atque inter hos unum de Passione Domini, reliquis luce digniorem. Successores habuit *Magnum* & *Franciscum*, Abbates Theologiæ Positivæ amantissimos, quorum posterior præter alia *Hortulum Biblico-Moralem & Asceticum* non ita multis ante annis juris publici fecit. Quæ Superiorum exempla, quantos subditis animos ad colendas sacras Literas addant, dici vix potest.

Juniores Religiosi ad Salisburgen. Univ. mittendi, ut sacris imbuantur Literis.

In Universitate Salisburgensi Cl. Godefridus Kröll San-Petrensis, Autor *Historiæ Evangelicæ ex quatuor Evangeliis collectæ*, scientiam Sacræ Scripturæ professus sparta sua præclarè functus est, qnoad in antiquissimi sui monasterii Abbatem electus fuit, ad cujus hodie sedet gubernacula. Quòd si verò (ut animi mei sensa hîc candidè aperiam) nulla alia suppeteret ratio, ut monasteriorum Germaniæ Superiores è Religiosis suis unum alterúmve ad Salisburgensem Academiam scientiis imbuendos mitterent, hæc certè sufficeret, ut sacræ paginæ addiscerent cognitionem, quò domum reversi Scripturæ rudimenta Confratribus suis sive privatim, sive ex cathedra explicare, & interpretari valerent. Nam quantùm mihi experientiâ constat, Sacræ Scripturæ studium, quod ex institutione S. P. Benedicti primas obtinere deberet, ne quidem ultimas in non paucis obtinet cœnobiis, cùm in illis ne prima quidem ejus elementa doceantur.

Neglectus studii S. Scripturæ in monasteriis deploratur.

„ Deplorandum sanè, exclamat re„ cens nec indoctus Autor Benedicti„ nus, * nonullorum nostri ævi Theo„ logorum indolem, qui neglecto hoc „ tam salubri & firmandæ nostræ Re„ ligioni adeò necessario Sacræ Scri„ pturæ studio, utpote unde potissi„ mùm solida argumenta nostræ fidei „ eruuntur, rerum non adeò utilium „ sectantur cognitionem. Quot enim „ sunt, quorum mens frivolis & vanis „ scholæ disputationibus potiùs im„ buta est, quàm certis Sacræ Scri„ pturæ argumentis? nempe præstan„ tium Theologorum munus implesse „ se arbitrantur, modò argutè de in„ utilibus juxtà ac incertis abstrusís„ que quibusdam quæstionibus verba „ facere valeant. Videas hunc ratio„ nem & ordinem, quem Deus in suis „ Decretis iniit, adeò intrepidè ex„ plicantem, ut illi à consiliis eum „ quondam fuisse jurares. Illum verò „ operosè indagantem, num essentia „ divina sine attributis vel personali„ tatibus videri possit ab intellectu „ Beati? num plures personæ divinæ „ potuissent eandem numero naturam „ assumere? num rationibus physicis „ Trinitas in Deitate ostendi possit? „ & id genus alia penè innumera.

Cujus loco multi inutiles in Theologia quæstiones sectantur.

„ Quid, amabò, confert emolu„ menti, tam laboriosam studii operam „ in his indagandis impendere, dum ea, „ quorum quotidianus est usus, & quo„ tum notitia pro suo munere necessaria „ est, negliguntur? *grandis insipientia*, „ ait Gerson noster, *quòd neglectis utili„ bus & necessariis ultrò intendimus cu„ riosis! Quid prodest magna cavillatio de „ occultis & obscuris?*

Respondetur iis, qui has quæstiones ad acuendũ ingenium juvare jactant.

„ Juvant hæc, inquis, ad acuen„ dum ingenium. Satiùs profectò dixe„ ris, ad debilitandum caput, ad atte„ nuandam memoriam, ad inflandum „ animum, quod nos satis supérque do„ cet experientia. Verùm si acutum cu„ pis ingenium, an non aliæ præstantes „ supersunt in Theologia quæstiones, „ quibus mens acui, perpoliri, illustrari, „ simul & in fide solidari, spe augeri, ju„ stitia imbui, charitate inflamari, &

ad

* Gallus Cartier in Præf. ad Tract. Theol. de S. Scriptura.

„ad alios erudiendos aptari possit ? „ Quid inutiles,vanásque venaris, quas „sola cavillandi cupido , ingeniique „ostentatio in scholas invexit ? inde „nempe ortum traxere illæ innumeræ „rerum abstrusarum ac evanidarum inter Scholasticos disputationes, ut miremur, si quis nunc cum Hippocrate „queri possit vitæ brevitatem, cùm tot „ad inutilia inquirenda tantum hodie „supersit temporis disputantibus, ne dicam, inter sese altercantibus ac litigantibus Theologis.

Scientia Media magnas longásque, neq; tamen necessarias dedit turbas.

" Quantas namque turbas ab integro, & quod excurrit, seculo civit " *Scientia Dei Media*, à Molina, ut " contendunt,in scholas invecta? hinc " ea tolli supremam in hominum voluntates Dei potestatem Thomistarum Schola vociferatur ; illinc verò, " nisi stabilita ipsa maneat , lædi humanam libertatem Molinistæ tuentur.

"Equidem hanc scholæ tricam suô " pondere haud carere facilè arbitramur, si ad propugnandum aliquem " Fidei nostræ articulum eam quidpiam " certi conferre animadverteremus; at " quando videmus Theologos illos , " dum integris voluminibus ea de re " ad injuriam usque & convitium inter sese disceptant , tandem in hoc " convenire, & quòd Deus supremam " in hominum voluntates exerceat " potestatem, & quòd hi verè liberè " suas ponant actiones, meritò hanc " scholæ quæstionem contemnimus , " ut quâ, an hæc ex Scientiâ Media, " an secùs eveniant , adeóque certi " aliquid statui non possit. Sacra Scriptura , sancti Patres , ipsáque Ecclesia nobis præclara subministrat " argumenta , quibus & Dei supremam in hominum voluntates potestatem, & horum liberum arbitrium " adversùs Religionis nostræ hostes " tueamur ; hæc nobis sufficere debent, neque curiosiùs scrutari tentemus , quem ordinem , à quo veritas hujus quæstionis unicè pendet, " in suis Decretis Deus instituerit ; " sola quippe infallibilis , & quam " Deus ipse regat , authoritas id illo " revelante assequi potest.

Idem ferè dicendum de quæstionibus in materia de Gratiâ.

„ De gratiâ item , quod ad præcedentem quæstionem spectat, mirè „inter sese disputant hi Theologi, an „videlicet præviè, an concomitanter „duntaxat homini infundatur. Id ipsum etiam profectò nescire se produnt „hi ipsi Theologi, dum post longas altercationes tandem nihil eâ de re certi ab ipsis definiri posse ultrò fatentur.

De constitutivo peccati.

"Pariter quoque de peccati constitutivo formali disceptant, an videlicet " in positivo, an in privativo sit constituendum? Nos cuilibet peccato sive " mortali, sive veniali suam deformitatem inesse, eóque Deum offendi " arbitramur; unde non minùs vitandum censemus, sive quid positivum " sit, sive privativum, quippe quod ad " ejus majorem vel minorem deformitatem nihil conferat.

De Disputatione circa gratiæ Sacramentorum qualitatem.

"Illorum etiam , ut sexcenta alia " inutilia omittamus, torquet ingenia " disceptatio , quæ de gratiâ Sacramentorum est. Nempe inter sese " litigant , num ea illam physicè, an " moraliter tantùm conferant ? Nos " tuemur , Sacramenta Novæ Legis " esse signa illa visibilia, quibus vi meritorum Christi, &, ut Scholæ loquuntur , ex opere operato ea dignè suscipientibus gratia divina infunditur. Quid autem ad illorum " excellentiam , nostrámque utilitatem facit, sive illa physicè, sive moraliter operentur?

SS. Patrum vestigiis insistendum.

" Commiseratione digna res est , " quòd neglecto , imò potiùs contempto veritatis studio brevem, quæ " nobis superest, temporis usuram in " vanis ac futilibus disputationibus " teramus , ac profundamus. Alia " sanè sanctorum Patrum , à quibus " verum factæ Scripturæ sensum tenemus, mens fuit; hi non rivulos duntaxat relicto fonte sectati sunt ; è " sacris paginis ea argumentorum fulmina depromebant, quibus hæresis " ab ipsis dejecta est; inde cœleste illud " pabulum colligebant, quo fideles pascerentur, Lege Chrysostomum , " Gregorium, Basilium, Ambrosium, " Hieronymum, Augustinum &c. deprehendes profecto , hos sanctos " viros præclaro sacræ Scripturæ studio totos imbutos ex abundantia " cordis fuisse locutos. Horum certè vestigiis nobis insistendum, si probi & veri Theologi audire velimus.

A quorum exemplo multi hoc ævo Theologi abeunt.

" Verùm nonnullos Scholæ Theologos, dolenter equidem id effamur, " nescio quo infelici fato à recto tramite abductos, non sacræ Scripturæ " duntaxat, sed frivolarum & incertarum , quos jam diximus , quæstionum delectat studium. Enimverò non adeò multos invenias, qui " sacrorum suorum studiorum curriculum

" culum emensi, vel quid sit sacra " Scriptura, vel etiam quot ejus libri, " probè sciant; nauci floccique id " studii vix non apud ipsos penditur; " inanes & dubias, quæ passim in " Theologia, ut vocant, Scholasticâ " occurrunt, edocti quæstiones, egre- " gii Opinatores & Sophistæ audire " potiùs merentur, quàm veri Theo- " logi: quis enim eos Theologos nun- " cupare velit, qui, quid super quâ- " libet quæstione doceat sacra Scrip- " tura, quid Patres, quid Concilia " definiant, ignorant?

Redeundum ad sacræ Scripturæ studium.

" Utinam ergo tandem aliam stu- " diorum suorum rationem ineant, " atque abjectis, quibus passim Scho- " læ abundant, inutilibus quæstio- " nibus, ea duntaxat expendenda su- " scipiant, quæ viros Ecclesiæ mini- " sterio deputatos deceant, & è qui- " bus tum ipsi, tum ipsorum proximi " utilitatem non modicam sperare pos- " sint; atque inprimis autem ad sa- " cræ Scripturæ studium se conver- " tant, impensè rogamus, & horta- " mur; ad quod velut introductio " quædam esse potest præsens Tra- " ctatus; quò ut omnes bene fruan- " tur, sincerè optamus."

Hæc *Gallus Cartier*, vir doctus, ac SS. Theologiæ Professor, in præfatione ad Tractatum Theologicum de sacra Scriptura; quem ante publici juris quàm faceret, ad R.mum Abbatem Calmet detulit, additis precibus, ut, si quæ emendanda, vel virgâ censoriâ notanda essent, pro sua humanitate significare dignaretur. Vidit, legit sapientissimus Præsul, atque ad Autorem sequentes dedit Literas, quæ quòd Sodales nostros ad Theologiæ Positivæ studium inflammare possint, dignæ mihi visæ sunt, quas hîc subjiciam.

Reverendissimi D. Augustini Calmet, Abbatis Monasterii S. Petri Senoniensis ad R. P. Gallum Cartier Epistola.

Reverende admodùm Pater, & Charissime Confrater, " Tractatum tuum " de sacra Scriptura, quem nuper ad " me detulisti, attentè perlegi, & " pro eâ, quam mihi contulisti facul- " tate, pauca quædam adnotavi, quæ " meo judicio paulò aliter ponenda " videbantur. Cœtetùm tibi, nec non " studio & labori tuo summoperè gra- " tulor, ac imprimis laudabili zelo, quo " Confratres tuos ad studia solidiora " ac præstantiora incitare pergis tum " exemplo tuo, tum scriptis ad publi- " cam & privatam eorum utilitatem " his velut quibusdam sacrorum Bi- " bliorum prolegomenis, quæ sanæ " Theologiæ Professoribus eorúmque " Discipulis adeò sunt necessaria, ut " iis neglectis vix ullos in studiis illis " sublimioribus progressus facere que- " ant. Quis enim nesciat, omnes " SS. Theologiæ assertiones sacrorum " Librorum auctoritate veluti basi & " fundamento niti debere? Vehe- " menter profectò falluntur ii, qui " Theologica tractantes rationi & au- " ctoritati aliorum, etiam antiquorum " Doctorum, tantum tribuendum " censent, ut omissa aut neglecta Scri- " pturæ divinæ scientia & auctoritate, " firmo & inoffenso pede sese in hac " sacræ Theologiæ palæstra exercere " posse confidant. Utinam Sodalibus " tuis, viris alioquì ingenio, pietate, & " diligentia præstantissimis, hunc di- " vinarum Literarum amorem instil- " lare, & hanc studii Theologici ra- " tionem persuadere valeas, quò de- " inceps omissis Disputationum Scho- " lasticarum tricis, bonorum libro- " rum lectioni, divinarúmque Lite- " rarum studio animum seriò inten- " dant.

S. Scripturæ studium Theologiæ Professoribus ac studiosis summè necessarium.

" Perge igitur, & eâ, qua cœpi- " sti, ratione studia, quæ viros Re- " ligiosos, & Benedictini nominis, " honoris, ac famæ studiosos vel ma- " ximè decent, promovere satage, " méque tui amantissimum, & ad om- " nia obsequia paratissimum non du- " bites velim. Effice porrò, ut si quid " officii à me tibi, tuísque Sodalibus " præstari posse existimes, id liberè " pro meo de vobis semper beneme- " rendi studio exigas. Vale. Senonis " 15. Septembris 1735.

Augustinus Calmet Abbas Senoniensis.

Quibus Abbatis Calmeti literis *Cartierus* injunctam sibi spartam credidit, ut instituendæ in Benedictinis Germaniæ monasteriis religiosæ juventuti proficuum utilémque *Theologiæ Positivæ cursum* compararet; non illum verò multis magnísque voluminibus comprehensum, sed brevem, succinctum, nihil tamen, quod ad rem necessarium est, prætermittentem, quíque manu, ut ita dicam, teri, in scholas ferri, atque à Professore prælegi & exponi possit.

Theologiæ Positivæ studiũ inexcusabile.

Martha, Martha! dicebat olim Christus D. N. *sollicita es circa plurima, porrò unum est necessarium.* An non pari modo dici posset? ô Monachi! ô Abbates! solliciti, indefessi, occupati estis in perscrutandis philosophicis, historicis, genealogicis, diplomáticis, numismaticis, criticis, antiquariis argumentis, porrò unum est necessarium: nempe studium Theologiæ Positivæ. Etsi enim priora illa nesciatis, nemo tamen sanæ mentis est, qui eâ causa in reprehensionem vos vocare velit. Ut enim non unquam aut Medico turpe habitum est, nescire leges, aut Jurisperito vel medicinam, vel astrorum scientiam non tenere; ita Monacho non est probro dandum, si complurium scientiarum non calleat disciplinas; at si in sacræ Scripturæ, atque SS. Patrum lectione minus versati sitis, quis non conviciis atque vituperiis dignus vos existimet? An non enim sanctissimus Legislator vester Benedictus hoc disertis verbis vobis præcepit? An non ab Abbate *sapientiæ doctrinam* exegit? Declarans verò, in quo consistere debeat talis doctrina, subdit: *Oportet ergo eum esse doctum Lege Divinâ, ut sciat, unde proferat nova & vetera.* An non sacræ Scripturæ studium inter monastica studia regnum obtinere debet, ad quod ceu scopum cœtera omnia monachorum studia referenda sunt? Eo enim fine cùm summi Pontifices, tum Generalia Concilia monachos literis politioribus, Philosophia ac Theologia instrui voluerunt, quò ad sacræ paginæ intelligentiam idonei reddantur. Quid verò isthoc rei est? Postquàm hisce scientiis, ceu præviis ac necessariis cognitionibus litavimus, illud solum subinde studium neglectui, & nec in postremis habemus curis, cujus unius gratia multos annos in literarum cùm inferiorum, tum sublimiorum disciplinis conterere nobis concessum fuit. Nempe *ibi desinimus, ubi incipiendum est.* Hoccine est prudens factum? Quòd si Hecuba apud Euripidem quondam mirata fuit, quòd non aliis omnibus studiis omissis, omnes homines ad studium eloquentiæ incumbant; admiratione longè majori dignum videri potest, quòd monachi, prætermisso studio primario, ad longè alia omnem animi contentionem convertant, quæ eis nullu modo necessaria sunt, nisi prout ad consequendam divini codicis cognitionem conducunt. Memini, me Philosophiæ ac Theologiæ Scholasticæ decurso stadio, à sodalium quodam interrogatum fuisse, quid illa sibi velint Psalmistæ verba: *comederunt Jacob?* Ego verò aquam mihi hæsisse, méque illorum sensum haud evolvere potuisse, ingenuè profiteor, quia nunquam sacras Literas doctus fueram. Si fuissem interrogatus, an Logica sit practica, vel speculativa? utrùm ens rationis sit illius objectum? num dentur præcisiones objectivæ? an Deus sit in spatiis imaginariis, vel oculo cerni possit corporeo? utrùm Sacramentum sit in aliquo prædicamento? num charitas augeatur per additionem gradûs ad gradum? & denique an asinus possit bibere baptismum? forsan non fuissem elinguis, sed aliquid respondere potuissem. Quis non ingemiscat, Religiosos juvenes, ante omnia in sacris Literis instituendos, juberi, ut pretiosum ac modicum illud tempus, quod à Chori & vitæ monasticæ exercitiis superest, inanibus gryphis, & difficilibus nugis, quæ non solùm impunè, sed etiam utiliter ignorantur, consecrent, nihil verò interea sciant de sacris Literis, & nedum Psalmos, quos quotidie in Choro decantant, sed ne eorum quidem titulos & argumenta calleant? Hoccíne fieri voluit sanctus Legislator, dum Regulæ capite VIII. Fratrum meminit, *qui Psalterii indigent*, intelligendi nempe atque addiscendi? Sed à quo addiscant? A Magistro sacrarum Literarum intelligentiâ prædito. Ut enim Divus Hieronymus * in exponendis sacris Scripturis Doctor maximus, emphaticè ait: *Nemo in Scripturis sanctis sine prævio & monstrante semitam ingredi potest.* Utinam igitur Decretum Concilii Tridentini de studio sacræ Scripturæ in Germaniæ monasteriis instituendo executioni daretur! Ita verò habet! ** *Ne cælestis ille sacrorum Librorum Thesaurus, quem Spiritus sanctus summâ liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat*, decernimus: *Ut in monasteriis quoque Monachorum, ubi commodè fieri queat, etiam lectio S. Scripturæ habeatur; quâ in re, si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum, in hoc, ut Sedis Apostolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis compellant* ... In quem Canonem digitum intendens celebris RENATUS CHOPINUS *** *Ne igitur monastico*, inquit, *otio ad fœda errorum trans-*

Non ferendum, ut studere ibi desinamus, ubi incipiendum est.

Concilii Tridentini Decretum executioni mandandum.

* In Epist. ad Paulinum.
** Sess. V. de Refor. cap. I.
*** In Monastico lib. I. pag. 58. n. 8. Confer. Natalis Alexand. Hist. Eccl. Sec. XVI. diss. XII. num. 41.

transfugia abutantur cucullati adolescentes, monasterii cujusque præfectus rem literariam provehere tenetur intra monasticos parietes, ut sacræ disciplinæ nervum firmissimo hoc præsidio retineat, simul & juris, beneficiique sui sacerdotiis dignos efficiat... Neque verò existiment illi, quorum solemnis est hac in re authoritas, Decretum hoc leviter tantùm stringere, nam sub lethali obligare pluribus ostendit *Petrus Maria Forti* in suo nuper edito *Venetiis* Tractatu de *Judice Conservatore Regularium....* Quia autem ad intelligentiam Scripturarum maximè conducit *peritia linguarum*, ut vocant, *originalium*, & hostis humani generis harum scientiâ singulari dono Dei hominibus traditâ, ad ipsius Largitoris contumeliam, & fidei Catholicæ detrimentum nunc quàm maximè abutitur, hinc Paulus V. Pont. Max. motu proprio, *Constitutione perpetuò valiturâ* anno 1610. die 31. Julii sub gravibus pœnis & censuris præcepit; *Ut in cujuscunque Ordinis & Instituti Regularium studiis Lectiones linguarum Hebraicæ, Græcæ, Latinæ & Chaldaicæ instituantur.* Quod Decretum S. Congregatio de propaganda fide anno 1623. die 16. Octobris seriò executioni demandari jussit ex speciali mandato Urbani VIII. præcipiens, *ut in Capitulis generalibus ejus Decreti observatio juretur; &c.* quæ in ipsis Constitutionibus pontificiis fusiùs explicantur apud *Margarinum* in Bullario Casin. *Const.* 291. 295. & 383.... Pace igitur vestrâ, *Antistites summè venerandi!* rogaverim, ut qui *inaudata vestra*, uti vocantur, *regularia* tam seriò observari cupitis, ista etiam *de S. Scripturæ studio* servari curetis. Ut autem *commodè id fieri queat*, in promptu sunt *Francisci Mezgeri* sacrarum Literarum in Universitate Salisburgensi olim Professoris, *Institutiones S. Scripturæ*, sive Principia, Regulæ, & Instructiones de modo ritè intelligendi & interpretandi S. Scripturam, quæ magna cum utilitate prælegi & explanari possunt. Quod eò magis exoptandum est, quò certiùs experientia constat, quòd in non paucis, imò ferè plerisque Germaniæ monasteriis, quibus parochiales Ecclesiæ incorporatæ sunt, juvenes Religiosi expleto Philosophiæ ac Theologiæ Scholasticæ curriculo, vel nondum etiam finito, sacrum conscendere suggestum jubeantur, quò verba ad populum faciant; tametsi nullâ sacri codicis tractatione sint præ-

Mezgeri institutiones S. Script.

parati atque præculti. Quid, quæso, isti prædicant? quid populo explicant ac exponunt? *Verbum divinum* inquis; at hujus cognitioni nunquam studuerunt; neque, ut divi Hieronymi * verbis denuò utar, *scire dignantur, quid Prophetæ, quid Apostoli senserint: Sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia. Quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem.* Quid ergo prædicant? suos, vel aliorum *Conceptus*, ut vocant, *Prædicabiles.* Unde sacerdotio initiati, more apud Parochos etiam seculares permultos in Germania recepto, primas inter curas habent, ut quàm plurium Concionatorum Opera typis excusa sibi comparent. Ex his prædicant, & postquàm (sit fas ita loqui) hos *exprædicaverunt*, de aliis circumspiciunt, sibique provident, quæ iterùm *exprædicare* possint. O præclaros Concionatores! ô eximios Ecclesiastes! sancto Hieronymo nunquam satis laudatos! Non verò hîc sementem spargo calumniarum; nam exemplis, quæ dicu, adstruere possum; quibus tamen consultò abstineo. Longè secus accideret, si Abbatibus & Superioribus curæ foret, ut eorum Religiosi juvenes ad sacrum suggestum admovendi, priùs ad Sacræ Scripturæ intelligentiam animum appellerent. In Congregatione Casinensi laudabilis mos obtinuit, ut nulli sacrum conscendere suggestum liceat, qui priùs rigido examine non excussus specimina suæ in sacris Literis peritiæ dederit. At in Germania nullo examine præmisso passim monachis juvenibus post Theologiæ Scholasticæ decursum curriculum, vel hoc etiam nondum emenso facultas impertitur, è superiore loco verba faciendi ad populum. Contingit his propemodùm, quod D. Ambrosio accidisse ferunt. Cùm enim ex Præfecto Liguriæ & Æmiliæ Mediolanensis Episcopus factus fuisset, in divinis Literis parùm adhuc versatus, Concionator apud alios evasit, dum merus discipulus in se adhuc erat: *Docere vos jubeor, quod non didici.* Hæc ejus ingenua confessio fuit. Eodem tempore & docebat & discebat: se ipsum informabat, dum alios instituebat: tam celerem verò in sacræ paginæ intelligentia progressum fecit, ut Numine cœlitùs afflatus videretur. An non idem verò hac ætate multis nostrûm faten-

* In Epist. ad Paulinum.

fatendum est? *Docere vos jubeor, quod non didici.* Utinam verò exemplo Ambrosii omne suum tempus in addiscendis sacris Literis pari industria ac contentione contererent. Etenim nunquam eum *verum* æstimaverim * *Concionatorem* Verbi Divini, quod nunquam ore usurpat, exordio promittens expositionem Scripturarum, reliquâ autem oratione nugas propinans & vanis sermocinationibus studens Auditorem suum delectare. Sic populus inani cibo pascitur, fraudatur solido, & versatur in tenebris ignorantiæ; nam aliunde quàm ex sacris Concionibus scientiam salutis non accipit, qui literis vacare non potest. Eorum autem qui arti Concionatoriæ animum adjungunt, & Scripturas sacras negligunt, ideò pejor mihi videtur error; quòd ex ditiori penu non illis suppetere possit materies, quam nec singulos dies concionando exhaurirent, si benè percepissent animo, & memoriâ complecterentur, tum sensum, tum verba sacrorum Codicum. Quot enim egregiis dictis, quot præclaris sermonibus, quot exemplis, similitudinibus, parabolis, quæ adminicula sunt & præsidia Oratorum, abundant illi Codices? Sed non solùm veram doctrinam & omnem dicendi materiam suppeditant; verùm etiam ornamenta, quibus pondus, vis, & decor adduntur orationi. Ubi enim major in docendo perspicuitas cum brevitate, quàm in Evangelio? Quis orator in carpendis hominum vitiis vehementior, quàm Prophetæ? Quis ad movendum & ad flectendum magis aptus, quàm Paulus? Unde decor ille poëticus, qui efflorescere debet in oratione, faciliùs conciliatur, quàm ex Psalmis Davidis? Ubi denique copia major sententiarum, quàm in libris Salomonis?

Nullus pro Concionatore habendus, qui non est peritus S. Scripturæ.

Statutum Henrici Abbatis Clun. de S. Scripturæ studio.

Ut ex ditissima hac penu concionum depromerent materiem monachi Cluniacenses, non postremæ curæ habuit *Henricus de Fauteriis*, monasterii Cluniacensis Abbas, atque adeò totius Ordinis, seu amplissimæ Congregationis supremus Præsidens. Durante suo regimine, quod anno 1308. inchoavit, Statutum quoddam, seu Ordinationem edidit de prospero statu studentium Parisiis in Collegio Cluniacensi. Præter alia etiam in hoc Exercitationes Concionatoriæ præscribuntur; videlicet, ut qui Theologiæ studerent, per biennium etiam Sacræ Scripturæ Professori operam darent. Quo expleto non continuò admitterentur, ut in publicum prodeuntes in Ecclesia ad populum de superiore loco verba facerent, sed domi priùs in umbratica quadam cathedra coram sodalibus, alisque viris doctis, atque artis concionatoriæ peritis conciones haberent. Statuti verba hæc sunt: „ Item ad „ habendum experimentum, qualiter „ proficiant studentes, & ad exercitationem ingenii & intellectûs eorundem statuimus, quòd omnes & singuli Bibliam audientes, postquàm biennii spatio eam audierint, sermones & collationes secundùm ordinem faciant, & temporibus hactenus consuetis. Propter verò bonum provisionis & studii debiti in sermonibus & collationibus hujusmodi faciendis, Prior vel Supprior dictæ domûs nostræ rogando, aut si sit opus, præcipiendo, & injungendo prædicare debentes excitent, & cohortentur per quindecim dies ante. Recusantes autem vel inobedientes in opere tam salubri per Superiores loci in Capitulo vel alibi regulariter puniantur. Et quia fabricando fabri fimus, redditque & facit usus hominem ad quælibet promptiorem, ordinantes statuimus, quòd post Pascha de quindena in quindenam fratres & studentes in Gallico prædicent, ut in hujusmodi usu & opere exercitati possint per ordinem & alibi promptiùs in Gallico proponere Verbum Dei. „

S. Ambrosius Autpertus exemplum boni Concionatoris.

Cùm verò exempla ex ipsius facti Ordinis historia vehementiùs Sodalium nostrorum animos afficiant, illustre prorsus ac eximium afferre licet. Sanctus *Autpertus*, qui alio etiam nomine *Ambrosius* vocatus fuit, monasterii sancti Vincentii ad Vulturnum Abbas seculo octavo magna virtutis ac doctrinæ famâ claruit. ** Ut Christianos ad virtutis studia inflammaret, non raro è sacro suggestu verba fecit. At enim quam methodum prædicando tenuerit, ipse nos doceat: *A familiari Scripturarum meditatione ad officium egredimur prædicationis, atque ab officio prædicationis ad familiarem rursum Scripturarum meditationem revertimur.* Quid magis optandum, quàm ut qui Sodales nostri gravissimum & Apostolicis viris timendum prædicationis

* Loquor hic cum R. P. Bernardo Lamy in præfat. ad Apparat. Bibl.
** Ex vit. apud Mabill. in Act. O. S. B. Seculo III. part. 2.

tionis munus exercent, hujus sanctissimi ac doctissimi juxtà Præsulis vestigiis insistant, atque quò majori cum utilitate id exerceant, *à familiari Scripturarum meditatione ad officium egrediantur prædicationis, atque ab officio prædicationis ad familiarem rursum Scripturarum meditationem revertantur.* Verùm quamdiu sacræ Literæ in Benedictinis per Germaniam monasteriis doceri omittuntur, vereor, ne frustra hæc moneamus, atque inculcemus. Quis igitur non cum Patribus * Remensis Concilii ingemiscat? *Rem nullis satis dignam lacrymis putamus, aliquot jam seculis Verbum Dei neque prælegendo, neque conciones habendo in illis locis explicari, in quibus olim omnis doctrinæ ac virtutis scholas fuisse ecclesiasticæ testantur historiæ.*

Trithemii exhortatio ad studium Sac. Scripturæ.

„ Vos itaque fratres mei, *utor & concludo verbis sapientissimi Abbatis Joannis Trithemii,* Vos inquam fratres mei! si Dominum Jesum in toto corde vestro veraciter diligitis, si complacere illi super omnia, ut veri milites desideratis, si denique ad perfectionem vitæ Monasticæ cupitis proficere, in lectione divinarum Scripturarum debetis vos semper cum affectione fervida legendo & discendo revolvere, quibus & tempus copiosum, ab occupationibus feriatum conceditur, & locus raritate occurrentium satis conveniens offertur. Ideò vos hortor & moneo, si vestram salutem diligitis, ut lectiones divinas in manibus semper habeatis, quatenus omne tempus, quod vobis post orationis cultum sine labore permittitur, ad S.Scripturæ studium expendatur. Non prætereat dies ulla, in qua monachus Christo militans, non aliquid legat & discat ex sacris voluminibus, quod eum in sancto proposito faciat meliorem ..... Non

Insulsa quorundam monachorū excusatio revincitur.

vos, precor, seducat, quorundam aliorum monachorum vesana stultitia, qui suam ignorantiam trito conantur excusare proverbio dicentes: Ad quid nobis scientia Scripturarum, qui prædicationis nullum habemus officium? Viri sapientis amplectimur consilium, qui dicit in libro Proverb. *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.* Sufficit nobis simpliciter vivere, quoniam servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, vapulabit plagis multis; qui autem non cognovit, & commisit digna plagis, vapulabit paucis. O stulti, & perditissimi petrones, qui scientia n salutarem contemnitis, & ignorantiam Divinarum Scripturarum potiùs, quàm intelligentiam amatis. Nunquid affectata ignorantia paucioribus vos plagis reddet obnoxios? Aut propterea delinquentes eritis coram Deo innoxii, quia mandatorum Dei voluntariè estis ignari? Duplici pœna cruciandi eritis, altera quòd scire viam mandatorum Dei contemnitis, altera, quòd sermones ejus non custoditis Non est, quam allegatis, simplicitas, sed duplex potiùs impietas. Nam si juxtà Prophetam *beati sunt, qui scrutantur testimonia Domini,* quis illos esse maledictos neget, qui nec Deum exquirunt, nec Scripturas ejus advertunt, sed indurato magis animo contemnunt? Audite, quid vobis Salomon dicat in Proverbiis: *Ubi non est scientia animæ, non est bonum, & stultitia hominis supplantat gressus ejus.* De vobis etiam ô stultissimi tenebriones! illud intelligitur S. Hieronymi, *quoniam ibi non est ignorantia jam excusabilis, ubi scitur, quid sit illud, quod ignoratur.* Magis autem cavendum vobis, ne cum illis tandem computemini, qui dixerunt Deo, *recede à nobis, viam scientiarum tuarum nolumus.* - Unde fratres non facit vos ignorantia divinarum Scripturarum excusatos coram Deo, sed dupliciter reos, qui ne Dei voluntatem oporteat vos facere, eam penitus cupitis ignorare. Certè homo Divinæ voluntatis non debet esse ignarus, qui ad hoc in mundo ponitur, ut per illustrationem intellectûs, & puritatem affectûs, visionis ejus sempiternam fruitionem promereatur. Utraque enim cognitio, Dei videlicet & sui, unicuique mortalium necessaria est ad salutem, quam nusquam inveniet sine notitia Scripturarum. Enimverò sicut ex cognitione sui, venit in hominem timor Dei, & ex notitia Dei, nascitur amor Dei, ita provenit ex ignorantia sui, superbia, & ex neglecta Dei cognitione, cum desperatione salutis contemptus. Nihil infelicius monachō indoctō, qui studium sanctarum Scriptura-

* Art. VI. de Regularibus. Concilium verò anno 1583. fuit celebratum.

„ rum vel negligit, vel contemnit: „ quia nunquam potest in vera cordis „ tranquillitate apud semetipsum purus consistere, sed compellitur inquietudine propriâ contra Monasticæ conversationis integritatem externis mentem & inutilibus occupare. Idcirco non cessabo vos cohortari ad sancta studia Scripturarum, „ sciens, quòd amator sacræ lectionis „ non potest carnalium esse operator „ vitiorum. Quantò enim monachus „ in perdiscendis Scripturis fuerit studiosior, tantò minùs carnalium voluptatum ardoribus inflammatur. „ *Hæc Trithemius.* O felicem verò meum laborem! qui in oratione sapientissimi hujus Præsulis transcribenda hactenùs versatus est, si fructum illum consequatur, ut S. Scripturæ studium in Familiæ nostræ Benedictinæ monasteriis non denuò tantùm resuscitetur, sed cum assidua etiam SS. Patrum, Conciliorum, Traditionum, atque antiquitatis Ecclesiasticæ lectione, quæ fuit, ut inter omnes constat, Majorum nostrorum, virorum sanctissimorum juxtà ac doctissimorum, Theologia, conjungatur.

Authoris votum de studio S. Scripturæ.

Id ut feliciùs faciliúsque à nostris Sodalibus impetremus, coronidis loco hîc attexendum duximus epilogum, quem amicissimus noster Collega R. P. *Oliverius Legipontius* suæ in artem magnam differendi de Deo rebúsque Divinis introductoriæ * subjecit. Ita enim ille *de utilitate & præstantia studii Sacræ Scripturæ* disserit: " Quanta " sit divinatum Scripturarum dignitas " & præstantia, quantúmque utilitatis, gratiæ ac commodi secum ferat " assiduum illarum studium, notius est " quàm ut pluribus debeat commonstrari; testante enim Apostolo in " sua ad Timotheum secundâ cap. 3. *Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Præclarè hinc *Magnus Basilius* ad Gregorium Theologum asserit, quòd *maxima viarum* " *ad veri investigationem ducentium* " *meditatio sit Scripturarum.* Hîc reperimus *Thesaurum cognitionis Dei*, ut " divus ait Chrysostomus; Hîc *sapientiæ* atringimus *arcem, ex qua mille* " *pendent clypei*, uti observat Clemens " Alexandrinus; Hîc *cœlestes utriusfœderis* tractamus *tabulas*, ut sanctus " ait Gregorius; Hîc *literas de cœli* " *rore madidas, & de lumine Dei luminosas* animo oculísque volvimus, ut " loquitur Augustinus: *Literæ hæ sunt*, inquit idem in Psal. 90., *quæ de cœlesti civitate nobis venerunt, in quibus profunda quidem mysteria, ... quæ ad hoc absconduntur, ne vilescant, ad hoc quæruntur, ut exerceant, ad hoc aperiuntur, ut pascant.* Et iterùm libr. 2. Doctr. Christ. cap. 42. *Quidquid homo extra Scripturam didicerit, si noxium est, ibi damnatur, si utile est, ibi invenitur; & cùm ibi quis invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multò abundantiùs ibi inveniet ea, quæ nusquam omninò alibi, sed in illarum tantummodò Scripturarum altitudine, & mirabili humilitate discuntur.* Hæc ille.

P. Oliverii Legipontii Epilogus de utilitate & præstantia studii Sac. Scripturæ.

Augustini.

"Luculentus quoque est Magnus noster Gregorius in comendatione studii Scripturarum, cumprimis verò libro 4. Epist. 39. ubi: *Stude*, inquit, *& quotidie Creatoris tui verba meditare, disce cor Dei in verbis Dei*: Fastidire enim tantum Dei munus, non solùm negligentia esset, sed maximum crimen. *Qui assiduâ meditatione sanctas coluit Scripturas*, inquit divus Bernardus, *habet signum suæ prædestinationis*, quod Dominus asseruit dicens: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Sed & præclarè omnino B. Rupertus Tuitiensis Abbas Libr. I. de operibus Spiritûs sancti: *Quid autem*, infit, *Scriptura nisi verbum Dei? .. Cùm igitur Scripturam legimus, verbum Dei tractamus, Filium Dei per speculum in ænigmate præ oculis habemus; & verè si benevoli Lectores sumus, legendo vel audiendo, ad amorem Dei proficimus.* Ecquid igitur majorem nobis parere possit in hoc mundo voluptatem, quàm lectio Scripturarum? *Neque enim sanum gaudere possumus*, inquit Augustinus, *nisi de spe regni cœlestis*; Hujus autem regni mysterium nobis explicant Scripturæ, viam ad illud aperiunt, & donec hanc viam emensi fuerimus, prægustandas præbent delicias: *ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* ad Rom. 15.

Gregorii M. & aliorum Patrum testimonia.

" Utilitas verò & necessitas hujus studii exinde luculenter apparet, quòd nemo possit evadere & audire Theologus suis numeris absolutus, nisi sacros divinæ paginæ libros legerit, & ex his cœlestis sapientiæ venis solidioris Doctrinæ de Deo rebúsque divinis Thesauros improbo labore effoderit. Quis enim nesciat omnes sacratioris Theologiæ assertiones sacrarum Literarum autho-

Utilitas studii SS. Scripturarum.

* Opus est Msc. prælo paratum, cui proximè subjiciendum speramus.

authoritate veluti basi & fundamento inniti debere? in quo namque se fundat Theologus nisi in fide? Fides autem coi innititur, in quo solidatur, nisi in Divinâ revelatione? Et hæc quid aliud nisi Verbum Dei scriptum aut traditum? Ut proinde, qui neglectâ aut omissâ Scripturæ sacræ scientiâ, firmo & inoffenso pede sese in sacrâ Theologiæ palæstrâ exercere posse confidunt, vehementer profectò fallantur, ac structuram sine fundamento moliri videantur, uti eleganter *Cornelius à Lapide* in encomio S. Scripturæ libris Pentateuchi præmisso his verbis edisserit: *Qui Scholasticam à S. Scripturæ seriâ commendatione divellere se posse putat, prolem sine matre, domum sine fundamentis, & ad instar terræ pensilem, aquæductus sine scaturigine, segetem sine semine, conclusionem sine principiis, uti desultoriâ, ita delusoriâ levitate frustra sperat & exspectat...*"

Pro Concionatoribus, & Theologis. " Immò sine Scripturâ sacra, inquit noster Doctissimus Gallus Cartier, *nec cathedræ stant, nec pulpita, sine hâc vaga est & vana omnis disputatio, insulsa omnis concio, insipida de divinis colloquia.* Pulchrè & appositè ad hoc propositum Emin. Card. Baronius * Magni Patris *Augustini* expendit exemplum: qui cùm statim à suâ inauguratione in Sacerdotem à *Valerio* Episcopo vocatus fuisset ad Evangelii prædicationem, libellum ei supplicem obtulit, quo eum obsecrat & obtestatur, ut se adhuc sacrarum Literarum ignarum ac rudem ad populum verba facere minimè compellat. Miratur hoc Eminentissimus ille Cardinalis, & post

Notanda Baronii, alia subdit: *Qui igitur talia tantáque præstiterat in hanc diem universæ Ecclesiæ, an non sufficiens erat, ut publicè populum doceret Hyponensem? Sanè quidem; sed ea præstitit, quòd sciret, nihil in Ecclesiâ Dei majoris esse negotii, quàm Evangelium prædicare, eximámque ad id munus ac profundam sacrarum Literarum cognitionem requiri.* Perstringit dein adolescentes illos Concionatores, qui nullam adhuc Scripturæ notitiam adepti, nisi quæ nondum didicerunt, alios doceant, non quiescunt."

"Acriùs adhuc Concionatorum in discendis Scripturis negligentiam exa-

Riberæ, gitat *Ribera* in caput 1. Oseæ libr. 22. ita scribens: *Ex Concionatoribus plerique studia Theologica attingunt, sed ita attingunt, ut quidquid habet aliquid ponderis aut difficultatis, exhorrescant, & fugiant, nihil exactè intelligant, flosculos tantum delibent, qui vulgo placeant, & magis grati ac venusti, quàm utiles, cúmque Scripturam nec à limine quidem salutârint, quàm audacter exponunt? quàm liberè pronuntiant? quàm multa proferunt testimonia? quàm multas figuras? Nihil aliud sonant, quàm Apostolos, & Prophetas. Videas vim Scripturæ verbis afferri, invitos Prophetas citari, figuram "gyris, & formam suam adimi, lacerari sacra verba, & in alienos sensus detorqueri, fieri libris divinis, quod in Terentio non ferrent Grammatici.* Hucusque *Ribera.* Patres verò Societatis Jesu in libro de ratione studiorum hoc eâ de re judicium pronuntiant: "Concionatores Scholasticis tantùm imbuti studiis non rarò in suis evanescunt cogitationibus. De Scripturis verò, quas vix primoribus labris degustârunt, aut nihil afferunt solidi, aut parum ad rem, alienis glossis & fucatis argumentis Scripturam adulterantes" Accedit verorum Prædicatorum Magistri *S. Dominici* suffragium dicentis: *quòd sine sanctarum notitia Scripturarum perfectus esse prædicator nemo possit.*" Patrum Soc. Jesu.

" Pari fervore alii exsibilandos docent illos *Theologiæ Magistros*, qui neglecto tam salubri, & firmandæ religioni nostræ tam necessario Scripturæ studio, rerum non adeo utilium sectantur cognitionem. *Quot enim sunt,* inquit laudatus Cartier, *quorum mens frivolis & variis Scholæ disputationibus potius imbuta est, quàm certis sacræ Scripturæ argumentis? Nempe præstantium Theologorum munus implêsse se arbitrantur, modò argutè de inutilibus juxta ac incertis abstrusisque quæstionibus verba facere valeant... Quæ tot jam seculis nullum invenerunt œdipum, qui eas solveret, nec inventuræ sunt unquam.* His teneras adolescentium onerant aures, hæc continuò ingerunt, inculcántque, & in plerisque spem atque frugem in tenerioribus annis velut in herbâ enecant. Graviter sanè in ejusmodi Theologastros pridem animadvertit *Nicolaus de Clemengis* celebris seculi XIV. Theologus in suâ de studio Theologico Dissertatione, quam noster D' Acherius Tom. VII. Spicilegii extulit, ubi his conquestus verbis, *Miror,* inquit, *Theologos nostri temporis paginas divinorum eloquiorum* Galli Cartier, Nicolai de Clemengis,

* Baron. ad an. 381.

rum ita negligenter legere, & nescio quarum satis sterilium subtilitatum indagine sua conterere, atque omissâ fertili ac fructuosâ arbore SS. Scripturarum in sylvaticis & macilentis rubis pabulum doctrinæ requirere, inter quos languere dicuntur. . . Solebant antiqui Patres & Theologi, quorum per Ecclesias approbata sunt scripta, nihil dicere vel adstruere, nisi quod Scripturarum testimonio posset confirmari; nunc autem plerosque videmus Scholasticos sacrarum inconcussa Literarum testimonia tam tenuis æstimare momenti, ut rationem ab auctoritate ductam velut inertem & minùs acutam sibilo ac subsannatione irrideant, quasi majoris sint ponderis, quæ phantasia humanæ imaginationis adinvenit, quàm quæ Divinitas cælitùs aperuit. Hæc iste. Gravis itidem & elegans est in hac eadem threnodiâ *Theophilus Raynaudus* S. J. Scriptor percelebris: *Theologia*, inquit, *subtilitatibus aristâ acutioribus, sed & debilioribus, eo deducta est, ut veterem faciem non retineat. Sordent antiqua dogmata, & pro solidis animorum dapibus, proponuntur chimæræ: planè chimæræ, & ingenii abortiones, non firmi ac perennaturi fœtus.* Omne quod in libris sacris reperiri potest, fastiditur, ac veluti rancidum quid, atque insulsum ablegatur. Novæ & antehàc inauditæ definitiones, divisiones, distinctiones, vitiligines, gerræ promuntur, de sinu phantasiæ miserè ludificantis Jovem capite prægnantem, qui fisso cerebro enititur ridiculum murem. *Moralis quo laxior est, eo probatior*; numerantur Authores, loca exscribuntur indiscussa, consarcinantur placita nullo fundamento subnixa, quæ nulli Patrum venère in mentem, tantùm ut mulceantur prurientes auribus. *Sicque*, si Diis placet, *tolluntur peccata mundi. Nec bonus reputatur Theologus, qui hâc vertigine non laborat.* Est qui plus Plutarchum in his prodesse, quàm S. Paulum dixit apud Stapletonum *orat. 4. Acad. 59.* „

Theophili Raynaudi.

„Deplorandam profectò hanc nonnullorum sui ævi Theologorum indolem, & tritam in scholis methodum suo quoque sale egregiè perfricat nominatissimus Dominicanæ familiæ Theologus *Bartholomæus Medina* * in hæc verba prorumpens: *Exsibilandus est Theologiæ Magister, qui rigidas & valdè implexas quæstiones agitat, ostentans quantum in palæstra philosophica profecerit, & in iis, quæ ad charitatem & pietatem conducunt, defecerit, sacrarum Scripturarum documenta tanquam pervia & exposita negligens ... Si quid explicandum ex divo Paulo, aut ex sacra eloquio, videtur in alium translatus mundum; si de instantibus, de ordine Decretorum Dei, de visione Beatorum, de hæcceitatibus, formalitatibus, aliisve inani strepitu crepitantibus quæstionibus metaphysicis, & perplexis disputationum ambagibus velis aliquid, plura dabit, quàm quæ tribus onerariis navibus vehi possent. . .* Hi sunt sanè de quibus dicit Apostolus: *Languent circa quæstiones & pugnas verborum conversi in vaniloquium...* „

Bartholomæi Medinæ.

„Atque inter fatales quidem miserias & noxas, quibuscum adhuc nostra conflictatur ætas, facilè princeps ea fuerit, quâ Theologus in Theologum, Frater in Fratrem, Religio in Religionem, Catholicus in Catholicum, Thomista in Scotistam, Suarista in utrumque, nullo licèt, nisi solius æmulationis, *si rem penitiùs aspicias*, studio, arma quærit stringere, ut nobilissimum inde robur Ecclesiæ, & principalis acies mutuis à se cædibus fœdissimè dilacerata, non sine graviore clade ac ruinâ turpiter succumbat. Istas Catholicorum Doctorum discordias altiori subinde animo versatus Eminentiss. noster Cardinalis SFONDRATI, *Heu!* exclamat, *heu! quàm inanibus imò noxiis occupamur bellis, quando tot alia super-sunt, & necessaria, & coronis digna, nullique pugnantium damno! Quanta ubique terrarum scelerum ac errorum messis est, quæ falcem ac calamos Catholicorum exspectat? quanti animarum fasces ideò pereuntium, quia medicis carent, quorum ope sublevandæ? Quanta rerum cœlestium & ignorantia & vilipensio? In tribunalibus fraudes, in castris impudentia, in aliis scandala & vitiorum exempla. His omnibus emendandis, his averruncandis (quæ tanto majoris momenti & curæ sunt, quòd æternitatem ac cœlum spectant) omnium vigiliæ, & ingenia Doctorum sudare oporteret, quæ stolidi tamen in semetipsos crebrò convertunt, non sine altiori eorum, qui ex adverso sunt, cachinno & scandalo..* Ita sapientissimus ille Purpuratus in Gallia vind. *Dissert. 1. §. 1. num. 1.*„

Cardinalis SFONDRATI.

„Hanc etiam Theologorum intemperiem, qui in frigidis & spinosis quæstionibus totam pænè ætatem, non solùm nullo fructu, sed etiam magno temporis dispendio conterunt, ex-pen-

* Medina Q. I. Introd. in 3. part. Summæ D. Thomæ.

Gravesonis &c. animadversiones. „pendens doctissimus *Hyacinthus Amat de Graveson* in sua præfatione ad Tractatum de Scriptura Sacra, ita ingemiscit: *Proh dolor! inquit, insurgunt undique in Christianam religionem acerrimi hostes, qui nullum non moveut lapidem, ut eam ab imis fundamentis subruant. Ethnici & Athei rationem supra fidem temerè extollunt; Hæretici sacra fidei dogmata aperto marte impetunt; sunt, qui ludicra Poëtarum amplectuntur figmenta, & cœlestia fastidiunt mysteria . . . sunt qui Ethices Christianæ integritatem corrumpunt: Uno verbo, in ea infausta & calamitosa incidimus tempora, in quibus velut effractis omnibus religionis repagulis, longè latéque grassantur vitia, exulant virtutes, periclitatur fides, mutatus est Christianismi color optimus. Unde igitur quæso! ad tot propellendum irrumpentium hostium impetum arma sumet Theologus? Unde tot filvescentibus malis præsentissimum arcesset remedium? nisi ex Scriptura Sacra, quæ arx est munitissima, ex qua mille pendent clypei. . .* Similia ferè ingeminat Eminentiss. Cardinalis *Ludovicus Gotti* in Præf. Tom. I. suæ Theologiæ. Quæ tamen omnia non eo huc retulimus animo, ac si Theologiam scholasticam prorsùs negligendam aut spernendam sentiremus; verùm id maximè contendimus, ut postquam huic disciplinæ litatum sat fuerit, ad sacros Codices excutiendus, ad criticam expendendam, ad Ss. Canones & Concilia evolvenda, ad discutienda selecta doctrinæ & Historiæ Ecclesiasticæ capita, ad illustrandos Ss. Patres, ad eruenda ex umbris, latibulis & pulveribus veterum Authorum monumenta, & alia ejusmodi sexcenta, in quæ Majores nostri tanto Ecclesiæ commodo, tantáque cum laude & omnium doctorum hominum applausu incubuêre, hodiéque incumbunt sapientissimi Sodales nostri è Congregatione S. Mauri in Gallia, principem suarum curarum ac studiorum partem impoſterùm traducant Germani, partámque à Majoribus Benedictini nominis famam, iis fervent modis, quibus eam illi comparârunt. Hæc certè studiorum si ineatur ratio, si perversa, quæ adhuc in quibusdam monasteriis recepta est, methodus emendetur, si leges à Patribus Concilii Tridentini præscriptæ seriò observentur; ego quidem non possum non solidioribus disciplinis & scientiis in Germania novos singularésque progressus, nova incrementa, & ipsi Reipublicæ ac Religioni insignia inde emolumenta ominari. Palma hîc in medio est posita, qui potest capere capiat. „ Hactenus *Oliverius*.

SECTIO II.

HISTORIA THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ.

Theologiæ Scholasticæ etymologia. THeologia Christiana si ex articulis fidei, velut principiis conclusiones per bonam consequentiam, accedente rationis discursu, deducit, comuni Theologorum * consensu *Scholastica*, sive *Argumentativa* appellatur, istam fortè ob causam, quòd id muneris sibi injunctum habeat, eáque præstet, quæ præstare nemo potest, nisi exquisitam consecutus doctrinam, quam magno studio, ingenio acri, constantique labore in scholis didicerit: usitatum quippe antiquis fuit, eos, qui eruditionis fama & ingenii laude excellerent, *Scholasticos* vocare.

jam olim à SS. Patribus tradita. Hanc porrò universam Scholasticam de Deo rebúsque divinis doctrinam jam olim SS. Patres, licèt fuso dicendi genere tradiderunt. Ut enim de solo Gregorio M. Benedictinæ Familiæ alumno, atque ut verbis Urbani VIII. utar, *Antiquo Decore*, loquar, is in suis Operibus præcipua Christianæ Religionis dogmata asseruit, quæ *Tajus* seu Tayonius, Cæsar-Augustæ Antistes, submedium seculi VII. excerpsit, & in Summam Theologicam quinque libris distinctam congessit, supplendo quosdam locos ex Augustini libris, ubi Gregorii Scripta deficiebant. In primo hujus compilationis libro, nondum typis edito, agit de Deo, ejúsque attributis; in secundo de Incarnatione, de Prædicatione Evangelica, de Ecclesiarum Pastoribus, eorúmque Gregibus; in tertio de variis Ecclesiæ Ordinibus, de virtutibus & vitiis; in quar- nominatim à S. Greg. M. Tayonii Summa Theologica ex S. Greg. M. scriptis concinnata.

* Theol. Sangall. in Proœm. in Univers. Theolog.

quarto de Dei judiciis, de tentationibus ac peccatis; in quinto demùm de Reprobis, de Judicio universali, de Mortuorum resurrectione. Hanc Tayonii Summam Theologicam ex meris S. Gregorii M. centonibus conflatam se invenisse in Codice Bibliothecæ Thuaneæ ante annos DCC. descripto Mabillonius * testatur. Sunt tamen, qui in dubium vocent, ** an hujus Summæ compilator sit habendus Tayonius. Quisquis fuerit, nobis hîc sufficit, quòd illa argumento sit, universa Scholastica de Deo, rebúsque divinis dogmata jam olim, tametsi diffusiori scribendi genere, à Benedictino fuisse literis consignata.

Summa Theologica S. Jo. Damasc. Apud Græcos seculo VIII. sanctus *Joannes Damascenus* primus extitisse fertur, qui Summam ediderit Theologicam, quæ in quatuor libros distribuitur, & inscribitur: *De Fide Orthodoxa*. In primo agit de Deo ejúsque attributis; in secundo de Creatione, de Creaturis, & de Prædestinatione; in tertio & quarto de Incarnatione, de variis Mysteriis, quorum postremum est de Resurrectione Mortuorum. Regula, quam sibi in hac Summa potissimè præscribit, hæc est: Nil aliud in Theologia investigandum esse, præter ea, quæ nobis in lege per Prophetas, Apostolos, ac Evangelistas sunt revelata; item subtrahendas esse inanes quasdam futilésve quæstiones, quæ possunt ab humana intelligendi acie confingi circa divinam essentiam, vel circa modum ejus immensæ existentiæ; quomodo Verbum & Spiritus sanctus procedant; qualiter Verbum sit incarnatum &c. Cùm hæc & id genus alia Quæsita nobis in Scripturis haud explanentur. S. Joannis verò Damasceni magister erat monachus, nomine *Cosmus* *** in Italia natus, qui cùm intra claustra monasticam vitam duceret, omnémque naturalem scientiam, Rhetoricam, Dialecticam, Arithmeticam, Geometricam, Musicam, Philosophiam, Astronomiam, Theologiam sibi comparâsset, vehementer dolebat, neminem in Syria, quò ipse captivus ductus fuerat, tunc temporis inveniri, quem harum omnium scientiarum participem faceret, ut in vita S. Joannis Damasceni legitur, qui singulas earum ab ipso didicerat.

Exordia Theologiæ Scholasticæ ad Hincmarum Sunt tamen alii, qui Theologiæ Scholasticæ exordia ad *Hincmarum* nostrum, monachum primùm S. Dionysii in agro Parisiensi, Abbatem postea Reomacensem, ac anno demùm 844. Remensem ordinatum Archiepiscopum, seculo nono celeberrimum referant. Causam hujus relationis assignat Casimirus Oudinus, suo scribens in Commentario „ in Bibliotheca Gal-
„ liarum Regia Cod. 445. pag. 89. qui
„ 500. annorum, & amplius est, inve-
„ niri *Compendium quoddam Theologiæ nascentis* sub nomine Hincmari,
„ quod ex titulo sequenti inscribitur:
„ *Assertio fidei nostræ*. Habet hoc
„ Opus quandam Theologiæ metho-
„ dum, éstque in allegandis authorita-
„ tibus Patrum perpetuus: nec mihi
„ ab ingenio Hincmari, Archiepisco-
„ pi Remensis, alienum esse videtur,
„ qui seculo IX. ubi à Benedictinis &
„ ipsis inter Benedictinos, *Paschasium
„ Radbertum, Ratramnum, Rabanum
„ Maurum, Gotefchalcum*, aliósque
„ Theologicæ materiæ acriter agitatæ
„ sunt, tentare simile aliquid potuit.
„ Hoc valde mihi probabile, nisi alius
„ quis reperiatur Hincmarus, qui sub
„ seculi XII. initium, quo Ms. Codex
„ factus, scripsisse Opusculum simile
„ legatur. „ Hæc Oudinus. Oudino referuntur.

Mihi verò eorum arridet sententia, qui prima Scholasticæ Theologiæ incunabula seculo XI. in Beccensis monasterii Academia se deprehendisse haud ex vano arbitrantur. Ejus in Normannia cœnobii monachus erat *B. Lanfrancus*, subinde Cadomensis in eadem Galliæ provincia Abbas, ac demùm Cantuariensis in Anglia Archipræsul. Huic cùm docendi provincia à B. Herluino, Abbate suo, demandata fuisset, *publicas de Dialectica*, ut verbis utar Guillelmi Malmesburiensis, scholas aperuit. Cúmque non nisi hujus disciplinæ, quæ mentis humanæ moderatrix est, subsidio ad rerum cognitionem pertingatur, nihil ad lucem literis fœnerandam excogitari salubrius potuit, quàm si Dialectica, quæ in caligine errorum cœteris liberalium artium disciplinis facem præfert, excolenda studium & industria collocentur. In ea re cùm alii B. Lanfranci exemplo excitati desudarent, sensim Theologia, quæ Scholasticæ nomen hodie obtinuit, procusa est, sacráque dogmata, quæ SS. Patres suis Operibus sparsim intexuerunt, operâ & institutione Dialectices, quæ ordinis ac methodi antesignana habetur, quasi ad artem

Veriùs ejus primæ incunabula in Beccensi schola.

* de Stud. Mon. vol. 1. part. 2. cap. 6. p. 137.
** vid. Dion. Sammarth. in vit. Greg. M.
*** Mabill. l. 1. part. 1. cap. 11. p. 44.

artem reducta fuerunt. Quò factum, ut paulò pòst in *Anselmo*, Lanfranci discipulo, jam alia tractandi sacra Dogmata ratio, nováque quasi Theologiæ facies se videndas præberent. Is enim * Dialecticâ & Philosophia speculatrice, præsertim verò Metaphysica, quæ & Theologia Naturalis dicitur, usus fuit ad exornandam doctrinam Catholicam, & ab objectionibus infidelium muniendam, eo inferiorum disciplinarum satellitio.

S. Anselmus primus Theologus Scholasticus.

Rogatus aliquando fuerat à monachis Beccensibus, quorum tum Præpositus, seu Prior adhuc erat, ut quæ familiariter iis tradiderat circa Deum, & res divinas, scripto ederet: verùm eâ lege, ut in iis tractandis non uteretur testimoniis Sacræ Scripturæ, sed rationibus duntaxat; nec detrectaret sibi objicere argumenta, quamvis vulgaria, aut enervia, eorúmque solutionem reddere. Anselmus id facere recusabat, quòd sibi difficile arbitraretur. Prævaluit tamen monachorum importunitas, & piæ preces, quibus tandem cessit: verùm *invitus*, ait ipse, *propter rei difficultatem, & ingenii mei imbecillitatem.* Novam igitur de rebus divinis disserendi rationem S Doctor præivit, quam Theologi sequentes continuàrunt. Et verò ipse est, à quo Necessitatem in *antecedentem* & *sequentem* ut distinguamus, didicimus; à quo, quòd necessitati nulla vis, nulla coactio sit adjuncta, scimus; à quo denique multa alia scimus, quæ Doctores nostri, vel ex Anselmo, vel ex Augustino, cujus vestigia Anselmus diligentissimè observabat, didicerunt. Quid plura? S. Anselmus unus ipse est, qui summæ Essentiæ majestatem eâ humilitate scrutatus est, quæ non opprimeretur à gloria, & eâ sapientiâ attigit, quæ intelligeret, quod fide credidit. Unus ipse est, qui Divini Verbi œconomiam sic exposuit, ut, quod caperet nemo, nemo non apprehendat, qui cum ipso per fidem ad intellectum profecerit. Unus ipse est, qui Angeli & hominis casum, originalísque labis traducem sic edisseruit, ut, quod cœteros occultum latuit, jam omnibus fiat manifestum, qui ideò credunt, ut intelligant. Unus porrò ipse est, qui eam, quam pauci penetrare valent, Divinæ *Præscientiæ*, *Prædestinationis*, & *Gratiæ* cum humana libertate concordiam eâ lege composuit, ut pereat necesse sit, qui sic unum defendit, ut alterum neget.

Compo-nit Menologium, &

Quâ verò occasione, aut quomodò *Menologium* suum, (quod Opusculum Theologicum in omnibus Operum ejus editionibus primo loco ponitur) scripserit, ex Eadmero Vitæ scriptore ** audire juvat: „Post hæc, inquit, incidit sibi in mentem investigare, „utrùm uno solo & brevi argumento „probari posset id, quod de Deo creditur, & prædicatur: videlicet, „quòd sit æternus, incommutabilis, „omnipotens, ubique totus, incomprehensibilis, justus, pius, misericors, verax, veritas, bonitas, justitia, & nonnulla alia, & quomodo hæc omnia in illo unum sint. „Quæ res, sicut ipse referebat, magnam sibi peperit difficultatem. „Nam hæc cognitio partim illi cibum, „potum, & somnum tollebat; partim & (quod magis eum gravabat) „intentionem ejus, quâ naturalibus, „& alii servitio Dei intendere debebat, perturbabat. Quod ipse animadvertens, nec adhuc, quod quærebat, ad plenum capere valens, „ratus est hujusmodi cognitionem, „diaboli esse tentationem, nisúsque „est eam repellere à suâ intentione. „Verùm quantò plus in hoc desudabat, tantò illum cogitatio ipsa magis „ac magis infestabat. Et ecce quadam nocte inter nocturnas vigilias „*Dei gratia illuxit in corde ejus, & res patuit intellectui, immensóque gaudio „& jubilatione replevit omnia intima „ejus.* Reputans ergo apud se hoc „ipsum, & aliis, si sciretur, posse placere, livore carens, rem illico scripsit in „tabulis, eásque sollicitiùs custodiendas uni ex Monasterii fratribus tradidit. Post dies aliquot tabulas repetit à custode. Quæruntur in loco, „ubi repositæ fuerant, nec inveniuntur. Requiruntur à Fratribus, „ne fortè aliquis eas acceperit: sed „nequaquam. Neque enim hucusque inventus est, qui recognoverit, se quidquam inde scivisse. Reparat Anselmus aliud de eadem materia dictamen in aliis tabulis, & „illas eidem sub cautiori custodia „tradit custodiendas. Ille in secretiori parte lectuli sui tabulas reponit, & sequenti die nihil sinistri su-„spica-

* vid. Card. Aguirre Præf. ad Theol. S. Ansel. Tom. 1. Disp. 1. Sect. 8. p. 869. n. 70.
** Lib. I. vitæ p. 6. col. 2. edit. Gerberon.

„ ſpicatus, eaſdem in pavimento ſpar-
„ ſas, ante lectum reperit, cerâ, quæ
„ in ipſis erat, hac illac fruſtatim di-
„ ſperſa. Levantur tabulæ, cera col-
„ ligitur, & pariter Anſelmo repor-
„ tatur. Adunat ipſe ceram, &, li-
„ cèt vix, ſcripturam recuperat. Ve-
„ ritus autem nequâ incuria penitus
„ perditum eat, eam in nomine Domi-
„ ni pergameno jubet tradi. „ Hactenus Eadmerus. Ex cujus Teſtimonio, inquit Cardinalis de Aguirre, colligitur, Opuſculum hoc Dei illuſtratione ſpeciali ſcriptum fuiſſe ab Anſelmo: ideóque diabolum generis humani adverſarium variis modis & artibus illud impedire conatum: utpote quod providebat Eccleſiæ Catholicæ fore utiliſſimum.

Proslogion. Poſt editum Menologium *Anſelmus*, cùm Prior adhuc eſſet, compoſuit (Eadmeri verbis iterum uti liceat) volumen parvulum, ſed ſententiarum ac ſubtiliſſimæ contemplationis pondere magnum, quod *Proslogion* nominavit. Verùm non omnia omnibus placent, quamvis pulchra & perfecta ſint. Ideóque cùm Proslogion in manus *Gaunilonis*, cujusdam Monachi Majoris monaſterii veniſſet, & is in quandam operis ipſius argumentationem non parùm offendiſſet, ratus eſt, eandem argumentationem ratam non eſſe: quam refellere geſtiens, quoddam contra illam ſcriptum compoſuit, & illud fini ejusdem Operis appoſuit. „ Quod ſcriptum cùm
„ ſibi à quodam amico ſuo transmiſ-
„ ſum Anſelmus conſideràſſet, ga-
„ viſus eſt, & reprehenſori ſuo gra-
„ tias agens, ſuam ad hoc reſponſio-
„ nem edidit, eámque libello ſibi di-
„ recto ſubſcriptam, ſub uno, ei,
„ qui miſerat, amico remiſit, hoc ab
„ eo, & ab aliis, qui libellum illum
„ habere dignantur, petitum iri de-
„ ſiderans, quatenus in fine ſuæ ip-
„ ſius argumentationis, reprehenſio,
„ & reprehenſioni ſua reſponſio ſub-
„ ſcribatur. „ Quod & poſtea in ipſis editionibus factum eſt. Porrò cùm in aliis ſcriptis eluceat Anſelmi humilitas, & moderatio animi, in eo Opuſculo maximè fulget, quòd acerrimo impugnatori ſuo humaniſſimè reſponderit, non tanquam inſipienti, ſed Catholico; nec ex malevolentia ſcribendi, ſed ex ſtudio inquirendæ veritatis.

Anſelmi ſtylus. Plura præter hæc Opuſcula ad Theologicum inſtitutum ſpectantia D. Anſelmus litteris mandavit, in quibus via ac ratione Scholaſtica ita procedit, ut inter Latinos, qui Theologicas quæſtiones eâ methodo pertractârunt, primus meritò habeatur. Ejus ſtylus, judice * Mabillonio, nec prorſus ad Oratorium, nec ad Dialecticum vergit, ſed videtur nonnihil ab utroque participans; Laconicus tamen potiùs eſt, ac metaphyſicam redolens. Guillelmus de Campellis, Petrus Abælardus, Anſelmus Laudunenſis, aliique plures eum ſunt imitati.

V. Hildebertus inſignis Theologus. Eisdem temporibus Venerabilis noſter *Hildebertus* ex Monacho Cluniacenſi primùm Scholiarcha Cenomanenſis, tum Epiſcopus, deinde Turonenſis Archiepiſcopus, ob ſingularem rerum divinarum ſcientiam magnis in laudibus totâ Galliâ fuit. Inter cœtera præclara Opera Tractatum etiam Theologicum edidit, ex quo non omnino temerè conjici poſſe exiſtimat V.C. Antonius ** Beaugendre, Theologiæ Scholaſticæ illius ævi Auctores non modicum ſubſidium, ſive illorum doctrinæ ſubſtantia ſpectetur, ſive etiam ordo attendatur, deſumere potuiſſe. Et vel ipſum etiam Scholaſticæ Theologiæ, quaſi Primipilum, Petrum dico Lombardum, Magiſtri ſententiarum nomine meritò decoratum, cùm pluribus annis vixerit Hildeberto poſterior, utpote qui anno 1164. obierit, Hildebertus verò anno circiter 1132. è vivis exceſſerit, triginta ſcilicet annis & ampliùs ante præfatum Lombardum. (Ex ejus libris alii Theologi, in ſpecie Petrus Lombardus)

& Robertus Pullus profeciſſe videntur. Sed nec ipſum Robertum Pullum Cardinalem, cui nonnulli Scholaſticæ Theologiæ primatum etiam adſcribunt, ambigerem, ſi ratio temporis habeatur, aliquatenus ex Hildeberti noſtri ſtudiis profeciſſe. Ipſe enim Hildebertus Scholiarcha Cenomanenſis eſt inſtitutus circa annum 1087. poſt annos circiter octo Cluniaci ſub ſancto Hugone exactos. Potuit autem Hildebertus hunc Tractatum elaboràſſe Cluniaci circa annum 1084. quo tempore *Pullus*, qui Academiam Oxonienſem non reſtituiſſe fertur, niſi anno 1133. vix annos adoleſcentiæ attigerat, cùm non niſi an. 1150. obierit, & *Petrus* ipſe *Lombardus*, qui non niſi anno 1164. è vivis exceſſit, pueriles tantùm, aut ſaltem primos ado-

* Tract. de ſtud. Mon. vol. 1. part. 2. cap. 6. p. 137.
** Legenda ejus Præfatio in Opera V. Hildeberti Pariſiis in fol. an. 1708. edita.

adolescentiæ transigeret annos. Si igitur temporum rationem spectemus, probabile est, & *Pullum*, & *Lombardum* ex Hildeberti se antiquioris studiis potiùs profecisse, quàm Hildebertum de illorum se juniorum lucubrationibus quidquam desumpsisse. Sicut & ipse plura de sancti Anselmi senioris sui didicisse potuit, ut revera ipse testatur Epistola 13. lib. 2. aliàs 22. ubi illi gratias agit, quòd ipsi suum de Processione Spiritûs sancti librum benignè transmisisset. Quod autem Hildebertus hunc Tractatum adhuc juvenis, id est, circa vigesimum quintum, aut ampliùs annum ediderit, id conjici potest è terminis, quibus initio hujus Tractatus utitur, cùm ait, se non nisi cum *modestia & timore* de fide & spe sua rationem redditurum, quod non Doctorem quasi è cathedrâ docentem, sed juvenem ingenuum condiscipulos, quibuscum agebat, alloquentem maximè decebat.

Id quod eorum non officit auctoritati. Quod verò de *Petro Lombardo*, Magistro sententiarum, diximus, tantùm abest, ut inde debito sacris celeberrimi Antistitis laboribus honori quidquam detrahi velimus; quin potiùs nobis ejus memoria summæ semper venerationi fuerit, & diligentia commendanda; utpote qui, quidquid ad illustrandam sacræ Theologiæ doctrinam conducere poterat, tam sedulò, tam luculenter undecunque publicam ad utilitatem colligere, & in ordinem redigere curaverit, ut ab Hildeberto se antiquiore, ac Theologo jam tum inter literatos nominatissimo, plura suis & discipulorum studiis commodaverit. Alterius etiam Monachi Benedictini, videlicet *Petri Abælardi* Theologiâ Petro Lombardo in compositione sententiarum usui fuisse, memoriæ prodit Joannes * Cornubiensis Episcopus, ipsius Lombardi discipulus in suo Elogio ad Alexandrum III. Papam. Sed de Petro postea plura.

Methodus Hildeberti à cœteris Theologis Scholasticis observatur. Attendat interea solers Lector, Scholasticos illius ævi Theologos non aliam in suis assertionibus observâsse methodum, quàm quæ in hoc Hildeberti Tractatu Theologico deprehenditur, licèt diversis plerumque sint usi terminis. Sicut enim in exponendâ doctrinâ sua, ut propositiones suas probet, utitur sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum & Ecclesiæ Doctorum authoritatibus; deinde quæ possunt illi objici, quolibet in articulo, seu capite ipse refert sub verbis, *Quæritur*, *Solet quæri*, *Opponitur*, & similibus, quæ deinde doctè omnino & solidè solvere non omittit. Sic Theologi Scholastici postquàm suas assertiones exposuerunt, & probaverunt, sibi ipsis ad majorem discussionem, & integritatem objectiones suscitant sub hac epigraphe; *Objicies*, quas postea ad sua principia reducunt, & diluunt. Ut verò Lectori erudito magis perspicuum fiat, quàm scitè Hildebertus sacra Dogmata in Patrum monumentis hinc inde dispersa ad artem Scholasticam revocârit, summa capita hîc breviter perstringam.

Venerabilis Hildeberti Tractatus Theologicus.

Cap. I. De Fide. II. De Fide antiquorum. III. De partibus Fidei, sive de unitate Dei & ejus in omnibus existentia. IV. De Trinitate. V. De variis nominibus Personas Trinitatis per proprietates distinguentibus. VI. De æqualitate Patris, & Filii, & Spiritus sancti. VII. De distinctione personarum sanctissimæ Trinitatis per singulares determinationes. VIII. Utrùm proprietates personarum sint ipsæ Personæ. IX. De præscientia prædestinationis. X. De voluntate Dei. XI. De omnipotentia Dei. XII. De fide Incarnationis. XIII. De iis, quæ ad Christum spectant, ut inter homines conversantem. XIV. Quosnam humanæ naturæ defectus Christus assumendo naturam susceperit. XV. Utrùm Christus peccare potuerit. XVI. Utrùm in morte Christi separata sit divinitas ab humanitate. XVII. De Angelis quandonam creati fuerint. XVIII. Quo loco creati sint Angeli. XIX. Quales in creatione facti fuerint Angeli. XX. De excellentia Luciferi ante lapsum, & ruina post lapsum. XXI. De Ordinum distinctione. XXII. De missione Angelorum. XXIII. De operibus sex dierum. XXIV. De creatione hominis. XXV. De formatione mulieris. XXVI. De statu hominis ante peccatum. XXVII. De peccato primi hominis. XXVIII. De gratia habita ante peccatum. XXIX. De libero arbitrio. XXX. In quo per peccatum immutatum sit liberum arbitrium. XXXI. Quare peccatum primi hominis imputetur posteris. XXXII. Quid sit peccatum originale. XXXIII. Quare dicatur originale. XXXIV. De pec-

* Apud Ant. Pag. in Crit. Tom. 4. p. 379. col. 2. ad an. 1113. n. 13.

catis actualibus. XXXV. Quæ sit causa peccati. XXXVI. Quid sit peccatum. XXXVII. In qua natura sit peccatum. XXXVIII. Qui sint modi peccandi, seu quibus modis peccatum fiat. XXXIX. Quæ sit differentia inter virtutes. XL. De Sacramentis. XLI. De decem præceptis, seu de Lege scripta.

Reliqua capita, quæ ad hujus Tractatus intelligentiam spectant, desiderantur ad magnum legentium, & vel etiam ipsius Catholicæ doctrinæ dispendium. Quòd si quis tamen enumerata capita vel obiter percurrerit, facile ex iis intelliget, Scholasticam methodum à V. Hildeberto accuratè fuisse observatam.

Theologia Scholastica Sec. XII. invaluit. Nomen igitur *Theologiæ Scholasticæ* duodecimo præsertim seculo invaluit, ejúsque Professores *Scholastici* fuere appellati, tum quia, ut inquit Bulæus Tom. 2. *Historiæ Universitatis Parisiensis* pag. 584. eam ex Philosophorum instituto Discipulis in scholis tradebant, tum quia etiam Scholasticorum more disputabant, altercabantur, ac sæpiùs quæstiones ventilabant, quæ extra scholas nullius, aut saltem exigui usus esse videbantur. „ Vagiebat „ tunc, inquit doctissimus *Galliæ Christianæ* Scriptor Dionysius Sammarthanus, vagiebat tunc illa Theologia, quam Scholasticam appellant; „ quæ ad tradendam fidei doctrinam, „ explicandáque divina mysteria Trinitatis, Incarnationis &c. voces huc usque ignotas cœpit adhibere, abstractiones mentis, distinctiones reales, virtuales, secundas intentiones & similia. „ Hujus introductæ Theologiæ Scholasticæ quatuor Antesignanos constituit Gualterus sancti Victoris Parisiensis Prior, insignis Theologus, videlicet *Petrum Abælardum, Gilbertum Porretanum, Petrum Lombardum, & Petrum Pictavinum*, contra quos libros quatuor scripsit, in quibus eos crebrò Scholasticos appellans, hæreseos insimulavit, quod nimirum Trinitatis, cœteráque divina mysteria Aristotelicis regulis & præceptis explicare præsumerent. Ejus quatuor libri, teste Bulæo Historiæ Universitatis Parisiensis Tomo II. extant adhuc MSs. in duobus exemplaribus asservatis Parisiis in Bibliotheca sancti Victoris, quorum Prologus sic incipit: *Quisquis hoc legerit, non dubitabit, quatuor labyrinthos Franciæ, id est, Petrum Abælardum, & Lombardum, Petrum Pictaviensem, & Gilbertum Porretanum, uno spiritu Aristotelico afflatos, dum ineffabilia Trinitatis & Incarnationis mysteria scholastica levitate tractarent, hæreses olim vomuisse, & adhuc errores pullulare.* Quin etiam S. Bernardus, qui Theologiam hauserat in sacra Scriptura, sanctísque Patribus, erroris & novitatis in rebus ad religionem spectantibus periculosissimæ arguebat hos Theologos.

Ejus quatuor Antesignani.

Abælardus docet Theologiam Scholasticam. Et quidem, quod ad *Petrum Abælardum* attinet ** is nobilis Nannetensis in Gallia, ad literarum disciplinam natus, postquam à Roscelino Compendiensi Clerico in Dialectica, à Guillelmo autem Campellensi, Canonicorum Regularium S. Victoris fundatore, ac postea Episcopo Catalaunensi in Philosophia institutus fuit, Laudunum profectus est, Anselmo, celeberrimo id temporis Theologiæ Professori operam daturus; sed exiguo illum tempore audiens, consueta sua vanitate, ac mentis elatione vilipendit, & docendæ Theologiæ, licèt in ea parùm versatus, munus ipse sibi arrogavit, at parùm felicibus auspiciis. Coactus enim ab æmulis ex ea urbe discedere debuit. Parisios igitur se contulit, ubi lectiones Theologicas Lauduni inceptas prosequutus, nominis sui famæ servivit, quam etiam non postremam brevì adeptus est. Sed cùm subinde evnuchus effectus, ac qua parte cum Heloissa nobili virgine peccaverat, crudeliter mutilatus fuisset, pudore suffusus, tantæque contumeliæ impatiens, in latebras San-Dionysiani monasterii se abdidit, ubi nulla vel exigua conversionis devotione monachum induit.

Edit Tractatum Theologicum. Hìc cum magna frequentia Theologiæ Studiosi ad eum confluere non desisterent, Adamus Abbas ab iisdem rogatus est, ut docendi facultatem Abælardo faceret; quam haud difficulter fecit. Non modò igitur Theologiam Scholasticam docuit, sed Tractatum etiam Theologicum de Unitate & Trinitate in gratiam suorum Scholarium conscripsit, erroribus tamen refertum. De sancta enim Trinitate scribens & docens, inquit Otho *** Frisingensis, tres personas, quas sancta Ecclesia non vacua nomina tantùm, sed res

* Tom. II. pag. 1175.
** Vid. Abælard. Epist. 1.
*** Lib. 1. c. 47.

res distinctas, suisque proprietatibus discretas, hactenus & piè credidit, & fideliter docuit, nimis attenuans, non bonis usus exemplis, inter cœtera dixit: sicut eadem oratio est propositio, assumptio, & conclusio: ita eadem essentia est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: ob hoc Suessione provincialis contra eum synodus, sub præsentia Cunonis Romanæ Sedis Legati congregata est, & ab egregiis viris, & nominatis magistris, Alberico Remensi, & Leuthaldo Novatiensi, Sabellianus hæreticus judicatus, libros, quos ediderat, propria manu ab Episcopis igni dare coactus est, nulla sibi respondendi facultate concessa: eò quòd disceptandi in eo peritia ab omnibus suspecta haberetur. Cùm enim fidem suam in omnium præsentia exponere, ejúsque professionem propriis verbis facere vellet, à Patribus jussus est, ut symbolum S. Athanasii in medium allatum alta voce recitaret. Quod ideò fecerunt, ut hominis novitatum studiosi, ubique in Dialecticis argutiis nimium quantum confisi, arrogantiam deprimerent. Legi, inquit ipse Abælardus, inter suspiria, singultus, & lacrymas, prout potui. Sub hæc Abbati sancti Medardi traditus est, ut illum suo in claustro, ceu honesta custodia contineret; ex quo subinde tamen ad San-Dionysianum monasterium à Legato Apostolico redire permissus est.

quem flammis abolere jubetur.

Resumit munus Theologiæ Professoris.

Ubi verò Abælardus se pristinæ libertati restitutum vidit, docendo iterum Theologiam veteres errores novis cumulavit. *Emortuis quippe omnibus penè doctrinæ ecclesiasticæ magistris*, inquit Guillelmus Abbas monasterii S. Theoderici, *quasi in vacuum Rempublicam Ecclesiæ domesticus ruens inimicus, singulare sibi in ea magisterium arripuit: agens in Scriptura divina, quod agere solebat in Dialectica, proprias adinventiones annuas novitates, censor fidei, non discipulus.* Casu autem factum, ut in hujus Abbatis manus incideret quidam libellus, cui titulus erat, *Theologia Petri Abælardi.* Curiositate motus, illum aperuit, evolvit, nec pauca reprehensione digna obelisco notavit. Quas suas annotationes, id est, errorum refutationes ad Venerabilem Gaufredum, Carnotensem Episcopum, & Bernardum Abbatem Clarævallensem transmisit: Hæc, inquit * in Literis, sunt capitula ex

Ejus Theologia literis consignata.

Errores

opusculis ejus collecta, quæ vobis ostendenda putavi. Primò. Quòd fidem definit æstimationem rerum, quæ non videntur. Secundò. Quòd impropria dicit esse in Deo nomina Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, sed descriptionem hanc esse plenitudinem summi boni. Tertiò. Quòd Pater sit plena potentia: Filius quædam potentia: Spiritus sanctus nulla potentia. Quartò. De Spiritu sancto, quòd non sit ex substantia Patris & Filii, sicut Filius est ex substantia Patris. Quintò. Quòd Spiritus sanctus sit anima mundi. Sextò. Quòd libero arbitrio sine adjuvante gratia benè possumus & velle & agere. Septimò. Quòd Christus non ideò carnem assumpsit & passus est, ut nos à jugo diaboli liberaret. Octavò. Quòd Christus Deus & homo non est tertia persona in Trinitate. Nonò. Quòd in Sacramento Altaris in aëre remaneat forma prioris substantiæ. Decimò. Quòd suggestiones diabolicas per Physicam dicit fieri in hominibus. Undecimò. Quòd ab Adam non trahimus originalis peccati culpam, sed pœnam. Duodecimò. Quòd nullum sit peccatum, nisi in consensu peccati, & contemptu Dei. Decimo tertiò: Quòd dicit, concupiscentia & delectatione, & ignorantia nullum peccatum committi, & hujusmodi non esse peccatum, sed naturam - - - Sunt, ut audio, alia ejus opuscula, quorum nomina sunt *Sic & Non: Scito te ipsum*, de quibus timeo, ne sint monstrosi dogmatis.

Errorum articulos annotâsse non contentus Abbas *Guillelmus*, nisi spectaret etiam lucubratione eosdem refelleret, libellum à se conscriptum S. Bernardo misit; quem cùm is evolvisset, in hæc verba rescripsit: ** *Motum vestrum & justum judico, & necessarium: sed & otiosum non esse monstrat libellus tundens, & obstruens os loquentium iniqua.* Nihilominùs, ne magistrum errorum temerè judicare videretur, inducias petiit, dum utrique de ea re colloquendi facultas esset. Sed, inquit, id ipsum ante Pascha fieri posse non arbitror: ne, quod præsens tempus indicit, studium orationis impediatur. Finitis feriis Paschalibus ambo, Bernardus & Guillelmus, convenerunt, Theologiam Abælardi legerunt, & accuratiore examine discusserunt. Erroribus benè multis annotatis, certóque cognitis, Bernardus *solita bonitate & benignitate*

quos notat, & refellit Abbas Guillelmus.

* apud S. Bernard. Epist. 326.
** Epist. 327.

nitate desiderans errorem corrigi, hominem non confundi, secreta illum admonitione convenit. Cum quo etiam tam modestè, tamque rationabiliter egit, ut ille quoque compunctus, ad ipsius arbitrium correcturum se promitteret universa. Promissis non stetit Abælardus; *cum enim ab eo recessisset Vir Dei, consiliis stimulatus iniquis, resiliit à proposito saniori; immò expetens Senonensem Metropolitanum, quòd in ejus Ecclesia celebrandum foret in proximo grande Concilium, Claravallensem causatur Abbatem, suis in occulto detrahere libris, additque, paratum se esse, in publico sua defendere scripta, rogatque, ut prædictus Abbas dicturus, si quid haberet, ad Concilium revocaretur.* Bernardus nec ad Concilium se accessurum, nec cum Abælardo disputaturum renuntiavit. Ex qua melliflui Doctoris modestia factus animo elatior, suos cœpit undequaque convocare discipulos, & obsecrare, ut ad futuram inter se Abbatémque Clarævallensem disputationem, unà cum illo suam sententiam simul & scientiam defensuri venirent. Hæc ideò faciebat, quia eum non latuit, quòd S. Bernardus plures ex ejus Scholaribus gravi oratione admonuerit, ut Magistrum cum libris toxico plenis missum facerent, & à Theologia, quæ cum fide Catholicâ pugnaret, sibi timerent, & caverent. S. Bernardus hæc non ignorans, & metuens, ne ex sua absentia apud Adversarium protervia cresceret, ejúsque insanæ opiniones majore dignæ viderentur authoritate, ad Concilium denique accessit, sed tristi animo, nec sine lacrymarum effusione.

Pollicetur errorum revocationem Abælardus.

Itaque præsente Rege Francorum Ludovico cum Willelmo Nivernensis Comite, & Remensi Archiepiscopo cum quibusdam suis, & provinciæ Senonensis Suffraganeis, exceptis Parisiensi, & Nivernensi, cum multis Abbatibus, & literatis Clericis, adfuit Abbas Claravallensis; adfuit & Petrus Abælardus cum fautoribus suis. S. Bernardus, cùm librum Theologiæ ejusdem Petri proferret in medium, & quæ annotaverat hæretica capitula, de eodem libro proponeret, ut ea Magister Petrus vel à se scripta negaret, vel si sua fateretur, aut probaret, aut corrigeret; visus diffidere Petrus Abœlardus, & subterfugere, respondere noluit, sed quamvis libera sibi daretur audientia, tutúmque locum, & æquos haberet judices, ad Papam appellans cum suis à conventu discessit.

A S. Bernardo in angustias conjicitur.

Hæc ex ejusdem Concilii Synodica totidem verbis depromta sunt, quam Episcoporum nomine ipsemet Bernardus exáravit, hísque subdit; "Nos autem, licèt appellatio ista minùs canonica videretur, Sedi tamen Apostolicæ deferentes, in personam hominis nullam voluimus proferre sententiam. Cœterùm sententias pravi dogmatis ipsius, quia multos infecerunt, & sui contagione ad usque cordium intima penetraverant, sæpe in audientia publica lectas & relectas, & tam verissimis rationibus, quàm beati Augustini, aliorúmque SS. Patrum inductis à domino Clarævallensi authoritatibus, non solùm falsas, sed & hæreticas esse evidentissimè comprobatas, pridie ante factam ad vos appellationem damnavimus. Et quia multos in errorem planè damnabilem pertrahunt, eas anthoritate vestra, perpetua damnatione notari, & omnes, qui pervicaciter & contentiose illas defenderent, à vobis, æquissime Pater, justa pœna mulctari, unanimiter, & multa precum instantia postulamus. Sæpe dicto verò Petro, si Reverentia vestra silentium imponeret, & tam legendi, quàm scribendi prorsus interrumperet facultatem, & libros ejus, perverso sine dubio dogmate respersos condemnaret; avulsis spinis & tribulis ab Ecclesia Dei, prævaleret adhuc læta Christi seges succrescere. Quædam de condemnatis à nobis capitulis vobis conscripta transmisimus, ut per hæc audita reliqui corpus Operis faciliùs æstimetis."

Egressus è Senonensi Synodo *Abælardus* totus in eo fuit, ut calamo suos errores propugnaret: Scripsit igitur apologiam, in qua vehementiori quidem stylo in D. Bernardum invehitur. Docet id nos Abbatis Anonymi disputatio contra Abœlardum scripta, in cujus libro secundo hæc habentur: *In Apologetico suo responsione sua super hoc capitulum furens exagitatus Petrus insanit, & sic nimis intemperanter invehitur in hominem Dei, ut non eum loqui, quæ loquitur, sed per eum Satanam, qui transformat se in angelum lucis, asseveret.* Postea ad monasterium Cluniacense se contulit, inde Romam profecturus, ut causam suam coram Pontifice tueretur, con-

Scribit errorum suorum apologiam.

fisus

fisus amicorum, discipulorúmque, quos ibi bene multos habebat, seu patrocinio, seu auxilio. Sed cùm moras traheret, certior fuit factus, errorum suorum articulos ab Innocentio II. commerita damnatione fuisse confixos. Interim venit Cisterciensis Abbas, & de pace ipsius & Claraevallensis Abbatis cum ipso egit. Dedimus, inquit Petrus Cluniacensis in sua ad Papam * epistola, & nos operam paci ejus, & ut ad illum cum ipso iret, hortati fuimus. Addidimus his monitis nostris, ut si quae Catholicas aures offendentia aut scripsisset, aut dixisset: hortatu ejus & aliorum bonorum & sapientium, & à verbis suis amoveret, & à libris eraderet. Et factum est ita. Ivit, redivit cum domino Claraevallensi, mediante Cisterciensi, sopitis prioribus querelis, se pacificè convenisse reversus retulit. Interim à nobis admonitus, dimissis scholarum & studiorum tumultibus, in Cluniaco sibi perpetuam mansionem elegit. Ubi duos annos religiosè vixit, in gratiam Apostolicae Sedis restitutus, interventu Petri Abbatis Cluniacensis. Tandem ultimae admotus lineae in coroona fratrum fidem suam exposuit, facta peccatorum confessione, cui hac protestatione finem imposuit: *Quod si uspiam per multiloquium excessi, nunquam importuna defensio me effecit haereticum, paratus semper ad satisfactionem de multis meis corrigendis, sive delendis, in quo certè proposito usque in finem perseverabo.....* Deinde singula orthodoxae fidei dogmata, errorum suorum capitulis contraria, coram omnibus professus est. Quocirca Abœlardus post fidei suae expositionem, & errorum emendationem haereticus dici non debet, ut Natalis Alexander ** commonstrat. Hanc etiam thesin inter alias defendit in Sorbona Emmanuel Theodosius de la Tour d' Auvergne, Dux d' Albret, sacrae Facultatis Baccalaureus Theologus ac Socius Sorbonicus die Sabbati 14. Maji anno 1667. Quo jure igitur R. P. Ludovicus du Mesnil S. J. in Opere suo de Doct. & Discipl. Eccl. *** Petrum Abœlardum post errorum correctionem, & fidei orthodoxae professionem in Haereticorum Sylloge primo loco nuper collocavit? Demum Abœlardus in monasterio Cluniacensi diem supremum obiit anno quadragesimo secundo supra millesimum centesimum, aetatis suae sexagesimo tertio. Petrus Venerabilis de ejus obitu ad Heloissam, conjugem quondam suam literas dedit, in quibus ejus paupertatem, animi demissionem, vitam solitariam, assiduae orationis & lectionis studium, aliásque virtutes, dum Cluniaci monasticam vitam egit, laudibus prosequutus est.

Revocat seriò errores suos.

Abœlardus non debet dici haereticus.

Atque haec sunt fata Petri Abœlardi, qui primus ex Ordine nostro Theologiam Scholasticam publicè professus est, sed infaustis adeò avibus, ut S. Bernardus Summum rogaverit Pontificem, ut ejus docendae facultatem illi adimeret; quod munus denique monitu Petri Venerabilis deposuit. Felicior longè futurus fuisset, si more majorum ex sacris Literis, ac SS. Patrum scriptis res divinas exposuisset, nec tantum humanae rationi, quae inter locos Theologicos postremum tenet locum, tribuisset; sed erat *vir arrogans*, ut nec ipse ejus defensor Otto Frisingensis negat, *suóque tantùm ingenio confisus, ut vix ad audiendos Magistros ab altitudine mentis suae humiliatus descenderet.* Unde quemadmodum de antiquis Philosophis dicit Apostolus, *evánuit in suis cogitationibus*, & à via verae Theologicae doctrinae aberravit.

Ejus temporibus, vel non ita multis post annis doctrina & virtute inclytus habitus fuit *Frowinus*, ex Monacho Eremitano Montis Angelorum in Helvetia secundus Abbas. Eximiam ejus rerum divinarum scientiam declarant Theologica Scripta ab eo relicta; scripsit enim, ut Mabillonius **** vult, in universam Theologiam, seu potiùs de praecipuis Theologiae quaestionibus, quas eruditè, solidè, & pro illo tempore eleganter pertractat *adversùs quarundam errores novitatum*, fortasse (quae conjectura est Patris ***** Martene) adversùs Petrum Abœlardum. Eodem quippe tempore Gerhohus, Reicherspergensis in Bajoaria Praepositus opusculum *contra discipulos Petri Abœlardi* scripsisse memoratur. Quò minùs mirandum, si ad Helvetos hujus sectae fama penetraverit,

B. Frowinus Abbas Theologica excellit doctrina.

* Epistola 4. l. 4.
** Dissert. de var. Petri Abael. fortuna &c. extat Hist. Eccl. Tom. 6. art. XI. p. 503.
*** Tom. IV. ad calcem.
**** Tract. de Stud. Monast. part. 2. 16. p. 139.
***** In Continuat. Annal. Ben. Tom. 6. p. 627. & 209.

rit, & Frowinum ad scribendum impulerit. Neque verò ipse solùm multa composuit volumina, sed ut multò plura ab aliis composita scriberentur, auctor extitit. Ejus volumen *de laude liberi arbitrii* in libros septem distributum in utroque monasterio, *Einsidlensi & Engelbergensi cum cura asservatur, & quovis pretio contrà meritò æstimatur. Ad Superos migravit Abbas Frowinus, vir integerrimæ conversationis, religiosissimus, sapientissimus Anno CIƆCLXXVIII. die xxvii. Martii. Successorem habuit Beatum ** *Berchtoldum*, ad quem librum in Orationem Dominicam à se compositum paulò ante miserat. Claruit B. Berchtoldus non tantùm prodigiis, & prophetiæ dono, sed eruditionis etiam & doctrinæ præstantia. Argumentum est liber, quem doctissimè simul, & fortissimè scripsit contra Abbatem S. Joannis in Turana valle gravissimum errorem defendentem, qui tamen ejus admonitiune & rationibus postea resipuit. Cœlo receptus fuit B. Berchtoldus anno 1197. exeunte seculo duodecimo.

Et successor ejus B. Berchtoldus.

Hugo Cluniac. Radingæ Abbas.

Præ Abælardi etiam Theologia multò saniorem eodem ævo in Cluniacensis monasterii schola edoctus fuerat *Hugo* *** primùm Cluniaci monachus, tum Radingæ in Anglia Abbas, ac denique Rothomagensis Archiepiscopus. Quo autem tempore Radingensis erat Abbas, Mathæo Parisiensi monasterii S. Martini à Campis Priore hortante, scribendis sex Dialogorum libris animum adjecit, quos eidem Mathæo nuncupavit, antequam ille à Sede Apostolica Cardinalis & Episcopus Albanensis crearetur, id quod juxta Ugbellum *in Italiæ sacræ Tomo I.* anno 1125. contigit. Missos sibi gratanter accepit Mathæus, legendósque omnibus passim exposuit. Qua propter Hugo ad Rothomagenses infulas anno 1130. ut scribunt Ordericus Vitalis, Robertus de Monte, & Mathæus Westmonasteriensis, sublevatus, cùm intellexisset libros suos ab omnibus passim probari, eosdem recognovit, & elimavit, addito integro libro septimo. Et in primo quidem agit de summo Bono, hoc est, de Deo ipso, in secundo de Creatura, in tertio de Libero præsertim arbitrio, in quarto de lapsu hominis, in quinto de peccatorum remediis, hoc est, de Sacramentis, in sextu de Monachis & æterna felicitate; denique in septimo varia Trinitatis vestigia in creatis repræsentat. In omnibus verò Theologicæ variæ quæstiones non minùs doctè quàm subtiliter versantur. Joannes Balæus, qui cœteroquin ex meris mendaciis & Catholicorum odio totus constare videtur, de Hugonis tamen Theologia perquàm honorificū attulit testimonium: "Hugo, inquiens, Rheadingensis, honesta olim familia genitus, relictis fortunis cum strepitu paternæ domûs, claustri quietem sub monasterialibus umbris amplectebatur. Nec alia ab eo hoc factum est ratione, quàm ut opportunè bonis artibus invigilaret. Delegit sibi in præceptores, dum monachus esset, viros doctrinâ præcellentes, quorum anxius inhærebat vestigiis, donec & ipse parem sibi cum illis & gloriam & famam peperisset. Fuit enim ex labore magno & assiduo Theologiæ consultissimus. Hanc illi virtutem, inquit Lelandus, tum educatio, tum diligentia insignem fecit. Quæstiones plures non de trivio petitas, sed potiùs ex penetralibus Scripturæ in suos numeros redegit, redactas tanto penetravit acumine, ut dedisse illis lumen potiùs, quàm aliunde petiisse videatur." Hinc colliges Petrum Venerabilem non adulatoriò ad Hugonem nostrum animo scripsisse: *Non excidit, quantum eruditio & religio vestra sacrum illum ac magnum Cluniacensium ovium gregem decoraverit.* Non vulgari igitur Theologiæ doctrina Hugonem nostrum præditum fuisse oportet, dignum planè omnibus elogiis, quibus à nominatissimis ævi sui viris, Innocentio secundo, summo Pontifice, Bernardo Claræuallensi, & Petro Cluniacensi Abbatibus ornatus est.

Edit insignem librum de rebus Theologicis.

Theologia Scholastica cùm eisdem temporibus ex Gallia in Angliam appulisset, haud difficulter in scholis Academiæ Oxoniensis & Cantabrigiensis recepta fuit. Eo verò Monachi Benedictini ab Abbatibus suis haud infrequentes missi fuerunt, ut nova theologizandi methodo instituti eandem confratres suos subinde docerent. Ita in monasterio Ramesiensi Guilielmus Monachus Theologiam Scholasticam docere cœpit, ad cujus scholam non studiosi tantùm Regulares, sed seculares etiam magno numero undique confluebant. Nec consecutis seculis Theo-

Angli Benedictini student Theologiæ Scholasticæ.

* Hartman in Annal. Erem. p. 159.
** Ibidem pag. 215.
*** Martene Tom. 5. Anecdot. pag. 890

Theologiæ Scholasticæ nuntium remiserunt. Atque ut illius studium in Congregatione Anglicana diligentiùs à Monachis excoleretur, pluta salubria, ut jam aliàs meminimus, fuerunt condita statuta. Primùm, ut pecunia doctioribus Theologiæ Candidatis pro gradu ex eadem consequendo numeretur; deinde ut cathedra Theologica semper à Professore Benedictino in Collegiis Oxoniensi & Cantabrigiensi occupetur; tum ut gradus à Professore Benedictino accipiatur; denique ut Doctores Theologiæ alios monachos in monasteriis suis præcedant. Quibus statutis ac privilegiis, ceu totidem stimulis, Abbates monachos suos incitare voluerunt, ut ad Theologiæ Scholasticæ studium acriùs incumberent.

Capituli generalis Cluniac. statutum ratione studii Theologici.

Seculo XIII. in Capitulo Generali Cluniacensi An. Dn. 1276. sequens statutum ratione studii Theologici editum fuit: * "Theologica scientia, vitia fugere, imitari virtutes, & animarum desiderare salutem, exhortans, est ab omnibus, Religiosis maximè, summis desideriis appetenda. Idcirco nos, quibus nil carius, nihilque desiderabilius animarum salute, desiderantes in hac parte his, quorum curam gerimus, pro- ut ad nostrum spectat officium, providere, de consilio Diffinitorum nostri Capituli Generalis statuimus, ut nulla omnino Ordinis nostri persona de cœtero degens scholaris Parisiis, ubi Theologiæ studium vigere & florere dignoscitur, in quavis scientia studeat, nisi tantùm in Theologica facultate, & Logica, quæ ad illam scientiam viam parat."

Monachi ad Academias missi

Seculis decimo tertio, quarto, quinto, & sequentibus multi juniores Monachi ad Universitates & Academias missi fuerunt, ut in sacra Theologia erudirentur. Felices illos, quibus tales obvenerunt Magistri, qui veram S. Thomæ Aquinatis Scholasticam Theologiam tradiderunt. Huic quippe Angelico Præceptori ptima, ac penè una cura fuit, inquirete, ac certò nôsse, quid Scriptura, quid consensus omnium Sanctorum Patrum de quaque re doceret, ut eo constituto, tanquam immoto fundamento totam illi Theologiam adstrueret. Felices igitur, inquam, illos monachos, quibus ii obtigère Magistri, qui Theologiam Scholasticam secundùm methodum D. Thomæ Aquinatis tradiderunt. At dubitare licet, quin non multi è nostris scholares in tales inciderint Professores, qui Seculis XIII. & XIV. affectata ingenii subtilioris fama inutilium & metaphysicarum quæstionum concertationibus scholas impleverunt, nodísque intricatissimis futilium controversiarum, quæ vix aliud quàm in temporis jacturam, aut quod multo periculosius, nec minùs frequens malum accidebat, pietatis fastidium afferebant, auditores suos constrinxerunt. Unde enim id genus implexæ, inutiles, ac spinosæ quæstiones in monasteria immigràrunt, nisi quòd iis juniores monachi in Academiis quibusdam & Universitatibus, ad quas mitti solebant, haud satis feliciter imbuti, eas secum dòmum reportatas, suos inter Sodales propagârunt? Testem hujus rei omni exceptione majorem adduco Eminentissimum nostrum Cardinalem de Aguirre, qui in epistola ad Joannem Mabillonium, *Quin & sæpe*, inquit, *non solùm in scholis publicis, sed etiam peculiaribus monasteriorum, magna temporis pars insumitur, jacturâ irreparabili, in quæstionibus prorsus inutilibus, & similibus aranearum telis, in quibus nihil præter subtilitatem est: Id mihi etiam evenisse pro more sæculi, qui etiam in Religiosos viros, & claustra Monastica irrepsit, fateor, non absque dolore cordis mei. Multa dictavi, scripsi, & typis expressi, parùm utilia, quamvis resecaverim plurima alia ejusdem generis. Quæcunque de cætero edere contigerit, absque eâ labe prodibunt. Quin etiam edita si recudenda sint, ab eiusmodi quisquiliis libera erunt, quantum mihi licuerit.* Hæc ille.

Card. de Aguirre hac de re testimonium notatu dignum.

Erasmus Monachus Casinas ad docendam Theologiam in Neapolitana Universitate invitatur.

Ab his verò inutilibus, ineptis, & sanctissimæ Religionis gravitate indignis quæstionibus tradendis alienum fuisse crediderim *Erasmum*, monachum Casinatem, qui ad sacram Theologiam seculo XIII. in Academia Neapolitana docendam, ab eadem hisce literis est invitatus, quæ extant in fine Codicis Bibliothecæ Casinensis sign. num. 342. quásque in lucem misit Nuceus in Notis ad Prologum Lib. IV. Chron. Casin. num. 1593.

Hone-

* Baluz. Miscell. Tom. VI. p. 510.

** Extat hæc epist. ad calcem Tract. de Stud. Mon. vol. 2. pag. mihi. 273.

Honestissimo & peritissimo Viro, Magistro Herasmo, Monacho Casinensi Theologicæ scientiæ Professori, Universitas Doctorum & Scholarium Neapolitani studii salutem, & optatæ felicitatis argumentum.

POstquàm Fratres, qui nos pane divinæ mensæ reficiebant, Neapoli recesserunt, clausus est nobis puteus aquæ vivæ, quoniam Sacræ Scripturæ non est, qui nobis aperiat mysticum intellectum. Denegata est nobis sacrarum rerum scientia, quæ corporum nobis erat ædificatio virtuosa, & animarum refectio salutaris. In defectu igitur Theologicæ Facultatis tantò nostrum studium sensit gravius detrimentum, quantò inter scientias cæteras scientia Theologica dignitatem obtinet altiorem. Ecce modo parvuli petunt panem, & qui eis possit frangere, non occurrit. Sitientes quærunt sitim restinguere, nec est, qui eis hauriat aquas de fontibus Salvatoris. Cæterùm quia vos novimus Virum peritissimum in scientia supradicta, rogamus honestatem vestram, quatenus cum doctrina vestra defectui Neapolitani studii succurratis, quia hoc personæ vestræ proficiet ad salutem. An 1240. Hæc ait Richardus à S. Germano in Chronico; *Mense Novembri, Fratres Prædicatores & Minores omnes de regno exeunt, Imperatore* [Friderico II.] *mandante, duobus tantùm relictis, qui sint de regno nativi in singulis quibusque illorum domibus omnibus ad custodiam earundem.* De qua discessione in allata epistola fit mentio. Erasmo Gattolæ novissimæ Historiæ Casinensis Authori verosimile videtur, quod S. Thomas Aquinas sub *Herasmo* Casinensi aliquamdiu Neapoli Theologiæ studuerit, quoad suscepto Patrum Prædicatorum Ordine Parisios missus, Alberto Magno Doctore eidem scientiæ operam dedit.

Jo. Algrinus Theologiam docet in Univers. Paris.

Certius illud ac indubitatum, quòd sæculo XIII. in Parisiensi Universitate Theologiam summa cum laude docuerit *Joannes Algrinus*, monachus Cluniacensis, ac Prior Abbatis Villæ, quem cùm Gregorius IX. ante summum Pontificatum in Parisiensi scholarum magisterio probè novisset, subinde in Cardinalem S. Sabinæ Episcopum delegit. Ad eandem celeberrimam Academiam atque Aurelianensem hôc ævô missus est *Guido de Mimo*, S. Germani Antissiodorensis monachus, ubi Theologiæ & Juri Canonico non ignavam operam contulit: unde reversus ad cœnobium, post varia gesta munera, ejus Abbas effectus fuit. Admontii, quod est amplissimum in Stiria monasterium, Engelbertus monachus, subinde Abbas, Paduam missus, per quadriennium post annum MCCLXX. in domo PP. Prædicatorum Theologiam sub magistris Lectoribus audivit. Ab his Thomisticam de Conceptione B. V. MARIÆ, opinionem doctus est, quæ id temporis communis adhuc erat scholarum sententia, ut S. Bonaventura año 1274. in Concilio Lugdunensi defunctus, qui eandem apertissimis tenuit verbis, in 3. Dist. 3. art. 1. quæst. 2. testatur: *Omnes ferè illud tenent, quod B. Virgo habuerit originale.* Et infra: *Nullus invenitur, dixisse de his, quos audivimus auribus nostris, Virginem Mariam à peccato originali fuisse immunem.* Ita S. Doctor S. Thomæ Aquinati coævus. Quare facilè existimari potest, quàm vero sit consentaneum, quòd veteres Theologi, Doctores ac Patres Ordinis S. Benedicti immunitatem B. Virginis à noxa originaria in scholis & scriptis suis asseruerint. Quod multis nostrûm hodie ita persuasum est, ut qui contrarium dicat, nullo eum modo ferendum putent. Sed velint nolint, cujus Majores nostri Viri sanctissimi juxtà ac doctissimi sententiæ fuerint, ex ipsis audire debent. Quid ergo dicit

Engelbertus Admontensis Theologus.

Theologi, Patres ac Doctores antiqui O.S.B. piam de Immac. Concept. sententiã haud tenuerunt.

S. Gregorius Magnus Papa ab Anno 590. ad An. 604?

S. Greg. M.

LIb. XI. Cap. ultim. in fine explicans verba Job: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es? hæc habet: „ Potest verò hoc in loco intelligi, quia beatus Job incarnationem Redemptoris intuitus, solum vidit in Mundo hominem de immundo semine non esse conceptum, qui sic in Mundum venit ex Virgine, ut nihil haberet de immunda conceptione. Neque enim ex viro & femina, sed ex Spiritu sancto, & Maria Virgine processit. Solus ergò in carne sua verè mundus exstitit, qui delectatione carnis tangi non potuit: quia nec per carnalem huc delectationem venit. „ *Lib. I, Homil. VIII, in Ezechiel. num. 21.* In solo sibi Unigenito Domino nostro Jesu Christo complacuit, quia hunc inter homines hominem creâsse non pœnituit, in quo peccatum nullum omnimodò invenit, sicut de illo per Psalmistam dicitur: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum; tu es Sacerdos in æter-*

æternum secundùm ordinem Melchisedech. In solo ergo Redemptore nostro sibi complacuit Pater, quia in eo solo non invenit culpam, in qua se teptehendat quasi pet pœnitentiam. „

S. Ildephonsus. SANCTUS HILDEPHONSUS EX ABBATE AGALIENSI ARCHIEPISCOPUS TOLETANUS ANNO 660.

Libro de Virginitate beatæ Mariæ Tom. XII. pag. 566. Biblioth. Patrum. „At verò beata Maria, licèt ipsa de carne peccati sit nata, & procreata, ipsáque quamvis caro peccati fuerit, non tunc jam præveniente Spiritûs S. gratia ab Angelo præ omnibus mulieribus benedicta vocatur? *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Alioqui si non eodem spiritu sanctificata est & emundata: quomodo ejus caro non caro peccati fuit? Et si caro ejus de massa primæ prævaricationis venit: quomodo Christus Verbum caro fine peccato fuit, qui de carne peccati carnem assumpsit; nisi quia Verbum, quod caro factum est, eam primùm obumbravit, in quam Spiritus S. supervenit, & virtus Altissimi totâ eam possedit? Propterea verè caro ejus non jam caro peccati fuit, in qua Deus totam infundit, & Verbum, quod caro factum est, sine peccato ad nos venit. „ Agnoscit nempe * sanctus Hildephonsus Virginem procreatam *de carne peccati*; at quia *sanctificata, & emundata* in utero illius cato fuit, propterea *jam non caro peccati fuit*, quum Verbum Dei in illam descendit humanam carnem sumpturus. Vide Petavium, qui hunc locum refert, & ita explicat, atque addit, legi ejusdem Hildephonsi Sermone XI. de Assumptione B. Virginis hæc verba (quæ tamen inter ejus Opera edita in Bibliotheca Patrum non invenio, sed quidem inter Sermones S. Petri Damiani) *Caro Virginis ex Adam assumpta, maculas Adæ non assumpsit.* Tum dicere pergit Petavius. *Sed de Originali, ut opinor, macula non loquitur; verùm de vitiis, quæ Adami posteros inficiunt.* Heic autem minimè prætereundum est, Opusculum nuper memoratum *de Virginitate sanctæ Mariæ*, à Petavio aliísque tribui S. Hildephonso: verùm Dacherius & Mabillonius contendunt, illud *S. Paschasio Radberto*, veteris Corbeiæ Abbati, esse tribuendum, qui Anno 840. floruit; ac propterea sub ejus nomine ab ipso Dacherio editum fuit in Spicilegio. Neque dissimulabo, illic legi hæc etiam verba de festo die Nativitatis Deiparæ: *Quia tam solemniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesiæ, quod nullis, quando nata est, subjacuit delictis, neque contraxit in utero sanctificata Originale Peccatum*: Et infra: *Nunc autem, quia ex auctoritate totius Ecclesiæ veneratur, constat eam ab omni Originali peccato immunem fuisse.* Atque hæc minimè Petavius & Salmanticenses ignorârunt, sed & ipsi tacitè agnovêre, importare tantummodò Mariam in utero sanctificatam fuisse, quum hæc alia verba præcedant: *Sic & B. Virgo Maria, nisi in utero matris sanctificata esset, minimè Nativitas ejus colenda esset.* Tum verò disertè & ipse fatetur, Christum unum ab ea lege immunem fuisse, inquiens: *Plurimùm desipiunt, qui dicunt eum communi lege naturæ esse natum, qui non ea lege constat esse conceptus; quoniam hæc lex nascendi, quæ nunc lex naturæ vocatur, ex vitio primæ damnationis est. Et ideò ait Apostolus: Fuimus nos omnes aliquando filii iræ, sicut & cæteri. Sed absit à Fidelium cordibus, ut ita Christus natus credatur filius iræ, sicut cæteri nascuntur in vitio corruptionis.*

S. Paschasius Radbertus.

V. Beda. BEDA VENERABILIS CIRCA ANNUM CHRISTI 730.

IN Expositione Epistolæ ad Romanos Cap. VIII. Ecce unde nemo sine peccato nascitur. „Ecce propter quod Dominus non sic concipi voluit, quem Virgo concepit. „ *Cap. V.* Genuit peccatores morti obnoxios primus peccatot, primus prævaricator: venit ad salvandos de Virgine Salvator, qui ad te, non quâ venisti, venit. Non enim ille de concupiscentia maris & fœminæ, nec de illo vinculo concupiscentiæ. *Sanctus*, inquit, *Spiritus superveniet in te.* Dictum est hoc Virgini in fide ferventi, non concupiscentia carnis æstuanti. „ *Commentar. in Psal. IV.* Christus nullo modo cecidit, quia neque actualiter, neque originaliter. Quòd actualiter non ceciderit, patet. Patet quoque, quòd non originaliter. Soli enim illi casum originalis peccati patiuntur, qui per pœnam ipsius originalis peccati, id est, per concupiscentiam generantur. Christus verò per concupiscentiam generatus non est, quia

* Est hæc Nota V. C. Lud. Ant. Muratorii Symbola in præcellenti Tractatu Theologico *De superstitione vitanda*, ubi ex congestis SS. Patrum testimoniis ea depromptimus, quæ eorum sunt, qui Familiæ Benedictinæ alumni fuerunt.

quia sine carnali delectatione de Spiritu sancto conceptus est. „

„ *In Libros Boëthii de Trinitate.* Item pertinet ad nostræ fidei fundamentum Verbi Incarnatio, ut scilicet credamus Dei Filium assumpsisse carnem ex Virgine, & in Virgine; quam carnem & creando assumpsit, & assumendo creavit, non de nihilo carnem sibi in utero Virginis creando vel formando, sicut quidam Hæretici senserunt; sed potiùs de substantia Virginis carnem assumpsit, quam assumendo creavit, id est, purificavit, non conceptus libidinosa lege concipiendi, & ideò immunis ab omni peccato, non tamen à pœna peccati. „ *Homilia in Feriam Quatuor Temporum, seu in Cap. Lucæ* 1. Missus est Angelus &c. Ad distinctionem nostræ sanctitatis Jesus singulariter Sanctus nasciturus asseritur. Nos quippe etsi Sancti efficimur, nun tamen nascimur: quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur, ut meritò cum Propheta gementes singuli dicamus: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* Ille autem solus veraciter sanctus est, qui ut ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, & commixtione carnalis copulæ conceptus non est. „

Etherius & Beatus.

„ Etherius Uxamensis Episcopus, et Beatus Abbas An. 790.

Libro I. adversùs Elipandum apud Canisium Part. I. Tom. II. Lection. Antiquar. pag. 340. *Edition. Basnag.* „Non potest Dei Filius tibi esse similis, quia & ipsa conceptione humana multùm dissimilis tibi est. Ille conceptus de Spiritu sancto, non de virili semine, SOLUS SINE PECCATO; Tu verò de virili semine, de massa perditionis, & concupiscentia utrorumque parentum. Et natus de muliere in peccatis conceptus, & in peccatis natus. Ille enim inter homines SOLUS natus de Virgine, & Solus sine peccato conceptus, & Solus sine peccato natus. „

Haymo

„ Haymo Episcopus Halberstadiensis Anno 845.

Commentar. in Cap. V. Epistol. ad Rom. qui ab aliis Remigio Autissiodor. de quo infra, tribuitur: „Adam exemplar est futuris posteris suis in peccato; quia sicut ille peccator; & mortalis extitit, ita omnes posteri ejus peccatores & mortales nati sunt, & nascuntur quotidie, transducto originali peccato in posteros, ut beatus Augustinus dicit, per concupiscentiam coitûs; sed per gratiam &c. Sicut enim nullus homo extra Adam, id est, extra progeniem illius, ita nullus extra peccatum illius præter Christum. „

Rabanus Maurus.

Rabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus An. 850.

In Tractatu adversùs Judæos edito à Chiffletio, & à Martene & Durand Tom. V. Thesaur. Novi Anecd. Cap. LII. *hæc ait:* „In illa generatione, quæ secundùm Adam est, Nullus absque Peccato nasci potest: in ista, quæ per Christum de Baptismo exordium sumit, omnes, qui regenerantur, absque omni delicto tam Originali quàm Actuali renascuntur. Ad exemplum videlicet Redemptoris nostri, qui Solus inter homines verus homo sine peccato conceptus est, & absque ullo delicto de Virgine est editus, ut quod primus Adam per inobedientiam contraxerat, iste secundus Adam per obedientiam non delinquendo contraheret. „

Remigius

Remigius Autisiodorensis Monachus Anno 890.

Enarratione in Psal. L. Tom. XVI. Biblioth. Patrum. „ Et vincas, scilicet omnes judicatos: omnes enim juste judicari possunt, quamquam multi justi, multum provecti: tu solus injustè, quia Solus à Peccato immunis. Cùm judicâris, ô Pater in Filio. Verbum in assumpta humanitate hoc futurum prævidit, ut Filius Dei veniret judicandus. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Quasi dicat: *Et non solùm judicatus vincis omnes judicatos in tali scelere, quale meum est,* in hoc quod illi justè, tu injustè: Sed etiam omnes homines, *quia omnes sunt peccatores, tu autem Solus sine peccato.* Et transfert in se omne humanum genus. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* In quibus subjungit, *Et in peccatis concepit me mater mea,* id est, in concupiscentia carnali concepit. Quæ carnalis delectatio ex peccato primi parentis in carne nostra viget &c. Non enim maritus, quia maritus est, mortalis est; erat enim & Dominus mortalis, sed non de peccato, suscepit pœnam nostram, sed non culpam nostram.

Sanctus

S. Petrus Damiani.

SANCTUS PETRUS DAMIANI
ANNO 1050.

IN Opusculo, sive Libro, qui appellatur Gratissimus, de Simoniacis Cap. XIX. „ Et quid alios memorem? Quandoquidem & ipse Dei Mediator & hominum de peccatoribus originem duxit, & de fermentata massa, sinceritatis azymum absq; ulla vetustatis infectione suscepit. Imo, ut expressius dicam, ex ipsa carne Virginis, quæ de Peccato concepta est, caro sine Peccato prodiit, quæ ultrò etiam carnis peccata delevit. „ Heic ait Petavius. Manifestè Petrus hoc loco beatam Virginem Originali affectam vitio fatetur, quod & ab eo significari necesse est, ut argumentationi vis & ratio constet. Adducuntur autem ex ejusdem sancti Viri Sermone XL. in Assumptione beatæ Mariæ hæc verba: „ Caro enim Virginis ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conversa est. „ Hæc ipsa verba S. Hildephonso tributa nuper Petavius commemoravit, inquiens, de actualibus peccatis esse intelligenda. Idem S. Petrus in Sermone XXIII. in Nativit. S. Joan. Bapt. „ Secundus honor est sanctificatio in ventre matris. Quicunq; de massa prævaricatrice Mundum ingredimur, longam restem Originalis Peccati trahimus nobiscum. Solus ille, qui peccatũ non fecit, excipitur, quem virginalis thalamus, ignorante viro, terris effudit. Longè quippe aliter, & dissimili modo conceptus est, Spiritu sancto tota majestate Virginem inundante atqoe mundante, superans usum carnis, naturæ ordinem, viri commixtionem. Sic quippe decebat, ut Peccatum nesciret, qui peccata tollebat, ut similitudinem carnis peccati susciperet, non autem carnem peccati. Cùm igitur omnes in iniquitatibus concepti sint, neminem unquam mortalium intra materna viscera sanctificatum legimus præter Hieremiam, & Joannem Baptistam. Quamquam & de singulari Virgine nulla sit ambiguitas, quin ipsa maternis circumsepta visceribus, sublimiore Sanctificationis genere mundata sit. „

S. Anselmus.

„ SANCTUS ANSELMUS ARCHIEP. CANTUARIENSIS ANNO 1100.

LIbro II. Operis, cui titulus, Cur Deus homo, Cap. XVI. ubi Bosonem collocutorem suum quærentem sic facit: Qualiter de massa peccatrice, & humano genere, quod totum infectum erat peccato, quasi azymum de fermentato, Deus assumpsit. Nam licèt ipsa hominis ejusdem conceptio sit munda, & absque carnalis delectationis peccato, Virgo tamen ipsa, unde assumptus est, est in iniquitatibus concepta; & in peccatis concepit eam mater ejus; & cum Originali Peccato nata est; quia & ipsa in Adam peccavit, in quo Omnes peccaverunt. „ Subdit Petavius: Cui respondens Anselmus pro confesso ponit, hominem illum absque peccato esse, de massa peccatrice licèt assumptum; & quomodo id factum sit, deinceps explicat. Ita quoque Salmanticenses, qui & aliis sancti Anselmi verbis istud confirmant. Idem Anselmus in Libro de Excellentia B. Virginis Mariæ Cap. 3. ubi de Angelica Salutatione Virgini facta ait: „ Cùm igitur in his, quæ tantopere Deo placent, sancta Virgo Maria tam excellenter illi placuit, ut nequaquam crederet quis, illam aliqua ratione excellentiùs placere potuisse; nimirùm tenemus fide, ab omni, si quid adhuc in illa originalis, sive actualis peccati supererat, ita mundatum cor illius, ut & super eam Spiritus Domini, scilicet super humilem, quietam, & trementem verba sua, totus requiesceret.

Gilbertus Crispinus

GILBERTUS CRISPINUS ABBAS WESTMONASTERIENSIS AN. 1106.

IN Bibliotheca Patrum Tom. XX. pag. 1884. legitur ejus Dialogus inter Christianum & Judæum. Ejus verba hæc sunt. „ Cùm Christum Originali Peccato obnoxium esse dicis, omninò mentiris; nam de immaculata Virgine conceptus & natus, sine virili semine genitus est, ac proinde Originalis Culpæ particeps non est &c. Quapropter omnis homo carnali delectamento genitus, cum Originali peccato nascitur, qui per luxuriam vitiatam naturam à primo patre trahens, & de corruptione carnis natus, illa placida natura caret, in qua primùm primus homo factus est. Denique dum in conceptu Christi omnis luxuria defuit, nullam de carne peccati maculam traxit; imò cooperante Spiritu sancto placidum & mundum conceptum habuit, quia omni delectamento luxuriæ caruit; & quia in terris patrem non habuit, de corruptione carnis natus non fuit. „

RUPER-

Rupertus Abbas.

RUPERTUS ABBAS TUITIENSIS, ANNO 1120.

Lib. I. Commentar. in Cant. ad Virginem hæc dicit: „ Et tu quidem veraciter dicere potueras: Ecce enim in iniquitatibus concepta sum, & in peccatis concepit me mater mea. Cùm enim esses de massa, quæ in Adam corrupta est, hæreditaria peccati originalis labe non carebas; sed ante faciem hujus amoris nec illud, nec aliud stare potuit. Ante faciem hujus ignis stipula omnis interiit, ut totum sanctum fieret habitaculum, in quo Deus totis novem mensibus habitaret. „

Herveus.

HERVEUS BURGIDOLENSIS MONACHUS AN. 1130.

IN Commentariis in Epistolas S. Pauli [quæ, ut Bellarminus & Labbeus rectè advertunt, perperàm sub S. Anselmi nomine edita fuerunt Coloniæ 1533. & iterum 1612.] in ista Apostoli verba *de peccato damnavit peccatum* sic ait; *Maria ex Adam mortua, nisi divinitùs exempta fuisset &c.* & ista; omnes *mortui sunt*, sic explanat: *omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto., dempta Matre Dei, sive originalibus, sive etiam voluntate additis.* At enim clausulæ hæ: *nisi divinitùs exempta fuisset*, & *dempta Matre Dei*, non sunt Hervæi, sed ab alio insertæ fuerunt, ut *Estio* suboluerat, atque ex fide manuscripti Codicis, qui penes Gerberonium fuit, certò liquet.

Petrus Cellensis.

PETRUS ABBAS CELLENSIS, ET POSTEA EPISCOPUS CARNOTENSIS AN. 1180.

IN Epistola ad Nicolaum Monachum S. Albani, quæ est ultima Libri VI. ejus epistolarum, B. Virginem ex communi sententia in peccato originali fuisse conceptam non modò asserit, sed neque ab eâ, hoc ipso, quòd eatenus communis fuerit, in aliam velle discedere, disertim profitetur: " Proverbium est, *inquit*, non sunt dimittendæ veteres viæ propter novas. Quis Sanctorum, quis antiquorum non ambulavit semitam nostram? Credo, & verè fateor, si in hoc erràssent, & hoc eis Deus revelâsset. Quibus enim sua tam familiariter revelavit consilia, ut etiam ad supplementum Evangeliorum, Epistolatum, & Prophetarum perpetua stabilitate canones & decreta statuetint pari penè observantia tenenda, cum Evangelio hoc solum eis tacuisset, si periculosum esset? " Hæc ille.

Nequis verò existimet, ex eo, quòd veteres Familiæ Benedictinæ Theologi, Doctores ac Patres B. V. MARIAM in peccato originali fuisse conceptam, ex communi id temporis sententia asseruerint, multùm eorum pietati, atque amori erga eandem Ss. Dei Matrem decessisse, in medium prodeat *Petrus Cellensis*, mox laudatus, atque loco omnium ardentissimi erga eandem sacratissimam Deiparentem amoris sui incendium evaporet: " *Cataractas cœli & fontes abyssi libentiùs in obsequium Virginis solverem, quàm clauderem. Et si Filius ejus JESUS aliquid omisisset, in prærogativa exaltationis suæ Matris, ego servus, ego mancipium, non quidem de effectu, saltem affectu supplere gestirem. Mallem certè non habere linguam, quàm aliquid dicere contra Dominam nostram. Ante eligerem non habere animam, quàm vellem ejus extenuare gloriam.* Qui verò ita loquitur, cui etiam zelosissimo Conceptionis illibatæ assertori pietate ac amore erga gloriosissimam Dei Matrem concedere, aut minùs devotionem erga Eandem tum in se, tum in aliis nutrire & augere velle existimandus est?

Ejus ardens erga B. Virg. amor.

Ex lite verò ac controversia, quæ Petro Cellensi Festum Conceptionis sine Sedis Apostolicæ decreto non probanti, cum *Nicolao* Monacho S. Albani in Anglia, viro non infimæ doctrinæ, intercessit, certissimò colligere possumus, seculo XII. in Anglia fuisse Benedictinos, qui Virginis MARIÆ, præservationem ab originali culpa docuerint. Nunquam enim aliàs Festum ea propter celebrâssent. *Hoc etiam ævo* (seculo XII.) inquit Fridericus Spanhemius, acatholicus author, in Hist. Christ. Sec. XII col. 1579. *Hoc etiam ævo nata doctrina est de immaculata Conceptione Virginis MARIÆ. Inseruerunt Canonici Lugdunenses in Officio quotidiano B. Virginis, quod superiore seculo in Horas Canonicas distributum Monachi Benedictini introduxerant.* Obtinuit igitur ab hoc tempore, & pedetentim prævaluit pia sententia, quam etiam *Joannes Trithemius*, Abbas Spanheimensis, scriptis asseruit. Quòd cùm *Wigandus Cauponis* ex Sacra Prædicatorum Familia iniquo ferret animo, ca-

Disceptatio cum Nicolao Monacho de Immac. Concept.

Trithemius piam defendit sententiam.

lamum

lamum contra Trithemium strinxit, à quo autem in decertatione victus herbam Trithemio porrigere coactus fuit, applaudentibus Trithemio celeberrimis Galliæ & Germaniæ Academiis. Cœterùm Trithemius Theologiæ Scholasticæ osor fuisse dicitur. Ita prorsus est. Sed cujus? illius nempe, quæ sanctissima fidei dogmata tricis involvit philosophicis; quæ auditores suos meris & inutilissimis pascit subtilitatibus, quæ in eo tantùm desudat, ut *animas novitates*, velut Theodericus à S.Guilielmo de *Petro Abælardo* ajebat, procudat; quæ sine Scripturarum, Canonum, Patrum, atque Historiæ Ecclesiasticæ luce gravissimas exponit quæstiones. Hanc hujusmodi Theologiam suo ævo in plerisque scholis tradi solitam odio habuit Trithemius, non autem veram ac sinceram, cujus dignitatem, utilitatem, atque necessitatem non modò non improbavit, sed summopere laudavit.

Petrus Rogerius non concedit in Joann. XXII. de Visione Beatifica.

Idem ante Trithemium sentiebat *Petrus Rogerius*, Casæ Dei in Arvernia monachus, postea Clemens VI. Romanus Pontifex. Is in juventute Parisios missus fuit, ubi studia Philosophiæ ac Theologiæ cum omnium peregit admiratione. Anno ætatis suæ XXXI. Magister in Theologia creatus fuit. Casimirus Oudinus veterem codicem apud se extare scribit, in quo legitur: *Scripsit lectura magistri Petri Rogerii, Prioris S. Baudilii, Doctoris in Theologia super Decretali per SS. Patrem Dominum Joannem, Dei gratia summum Pontificem edita, quæ incipit; Quia quorundam mentes* &c. Anno siquidem 1332. interfuit Determinationi Doctorum Parisiensium de *Visione beatifica* apud Vincennas contra particularem opinionem Joannis Papæ XXII. factæ (quam is tamen nunquam in fidei dogma erexit, aut toti Ecclesiæ credendam proposuit) cui cum aliis subscripsit. Eum publicè tum in Academia Parisiensi interpretatum esse librum IV. Sententiarum, legimus apud Ægidium Belliomerum in *Cap. IV. de Consuetud.* Clemens VI. Scholæ Parisiensis Doctores, quos inter ipse ante summum Pontificatum Theologiam præcipua cum laude docuit, ne vanis argutiis & inutilibus quæstionibus tractandis intenderent, sed solidam Catholicam veritatem ex sensu Patrum interpretarentur, admonuit datis Literis XXII. kalendas Junii an. 1346. Ad hunc Clementem *Johannes du Fay*, Doctor in sacra Theologia, & Abbas subinde Gandavensis ab Universitate Parisiensi Legatus missus fuit, quem ipse verò contra Sectam Flagellantium misit. Post hæc variis insuper pro eodem Pontifice legationibus functus est. Edidit etiam Quæstiones super librum Sententiarum.

Thomas Pontius ejusdem sententiæ.

Paulò antè à nobis dictum fuit, *Petrum Rogerium* non in eadem sententia *de Visione beatifica* fuisse cum Joanne XXII. quod etiam de *Thoma Pontio*, Cantuariensi Abbate in Anglia perhibet *Joannes Lelandus*, * quo teste is Præsul magnam ex eruditione laudem cùm domi, tum foris sibi comparavit. Ad aulam Pontificiam accesserat tempore ejusdem Papæ, & ibidem, quod quærebat, consecutus est, nempe Abbatis insignia. Hic illi magna intercessit cum *Thoma Gualensi*, Dominicani Ordinis Theologo, familiaritas: cujus & ingenii & doctrinæ præstantiam Pontificii Theologi magni fecerunt. Conciliavit autem hæc amicitiæ necessitudo *Pontio* non postremam gloriam: nam cùm Papa Joannes in confertissimâ Doctorum frequentia asseruisset, Deum ante supremi judicii diem se non daturum Beatorum animabus conspiciendum, & *Gualensis* huic asserto se oppofuisset, adeò a Joanne non stetit, ut Guallensis partes tuendas susceperit, & de eodem argumento luculentum postea in lucem publicam libellum emiserit.

Edmundus Bromfeldus.

Edmundus Bromfeldus, natione Anglus, Monachus Bedericensis, S. Edmundi in Suffolcia, Vir tam eminenter doctus, ut in eo monasterio vix doctiorem quemquam unquam fuisse existimet Lelandus. Ex quodam Tinensis monasterii Chronico colligunt nonnulli, hominem absolutis in Anglia studiis Romam profectum, ibi in publicis Academiæ palæstris eruditionis & ingenii periculum fecisse, ita placuisse, ut omnium publico consensu Professor electus, tanto tempore laudabiliter docuerit, ut à Doctorum senatu Comes Palatinus Academicus, & à Papa cum Consistorio Landavensis Episcopus fuerit creatus, anno Domini MCCCLXXXIX. Hæc Pitseus, ** quæ ita si se habent, is *Edmun-*

* De Scriptor. Angl. c. 344. p. 332.
** De Script. Angl. æt. 14. p. 535.

mundus Bromfeldus haud alius, ut ego suspicor, fuit ab *Edmundo*, monasterii Sylvæ majoris Diœcesis Burdegalensis Abbate. De hoc enim ex idoneis constat authoribus, * quòd inclinante hoc seculo scholarum palatii Apostolici in sacra Theologia fuerit Magister, quem anno 1389. electum Landavensem in Episcopum dictæ Ecclesiæ Urbanus VI. Summus Pontifex præfecit.

Adamus Eston. *Adamus Eston* cùm Theologiam in Academia Oxoniensi magna nominis sui fama docuisset, à Richardo II. Angliæ Rege Romam missus à Gregorio XI. an Urbano VI.? egregiis ejus animi dotibus capto, inter Cardinales adlectus est.

Seculi XV. celebriores Theologi. Seculo XV. eminuerunt præ reliquis Theologiæ Doctores *Joannes Raulinus*, *Joannes Stonus*, seu *Stonæus*, *Joannes Talangerus*, & *Petrus de Rosenheim*. Prior, antequam ad Monachos Cluniacenses se adjunxisset, erat Parisiis magni illius Collegii, quod vulgò Navarræ dicitur, Magnus Magister & Rector **, idque officium tantâ cum vigilantia ac laude doctrinæ exercuit, ut inter Theologiæ classicos diu primus haberetur. Alter *** Monachus Cantuariensis, & Theologus doctus super libros, primum & secundum, Sententiarum scripsit, quos Vossius vocat *Sententias Patrum Speculativas de Fide*, *Spe*, *& Charitate*, qui hodiedum inter Codices manu exaratos Universitatis Cantabrigiensis asservantur. Tertius etiam Monachus erat Anglus Cœnobii Wigorniensis, qui omnem tum Philosophiam, tum etiam Theologiam in Oxoniensi Academia primùm didicit, deinde docuit, sacræ Theologiæ Doctor factus & Professor. Ejus libros in Magistrum Sententiarum alio loco recensebimus. Postremus Monachus ac Prior Mellicensis in Austria scripsisse præter alia plura dicitur *Summam Theologiæ*, quæ Romæ in Bibliotheca Pontificia asservatur. Quibus annumerari meretur *Robertus de Villequier* **** Abbas Angeriacensis in Gallia, Doctor Theologiæ, & in Academia Pictaviensi sacræ Facultati actu aggregatus an. 1430. Nec silentio prætermittendus est *Christophorus*, Abbas Weichenstephanensis in Bavaria. ***** Is genere Carinthius, cùm juvenis etiamnum esset Religiosus, doctus verò & eloquentissimus, electus fuit anno 1484. absens, tempore videlicet vindemiæ in Austria Cœnobii negotiis invigilans, ac, etsi refragaretur electioni plurimùm, tamen benedictus est, & confirmatus. Resignavit post pauculos annos amore literarum & studiorum, conferens sese Bononiam, retentâ pensione annuâ tantùm 32. florenorum. Bononiæ sacram Theologiam professus, ibidem Doctor etiam Pontificii Juris effectus est. In Carinthiam deinde profectus, in Cellæ Marianæ magnifico collegio proclamator verbi Dei famosissimus extitit: Ubi & obiit & humatus est anno Christi 1507. Paucis annis antequam ex hac vita migraret, Frisingæ fuit, & magnam pecuniarum summam dono dedit monasterio in Weichenstephan ad constituendam Bibliothecam cum eleganti sacello Beatæ Virginis. Post obitum omnia ipsius ad Cœnobium hoc pervenerunt relicta bona.

Seculo XVI. Theologiæ studium viget in Monte Casino. Seculo XVI. Monachi Casinenses ****** Theologiæ Scholasticæ studio vigilias suas dicatas esse voluerunt. Et *Benedictus* quidem de S. *Germano* rerum divinarum scientiâ ita excelluit, ut suis temporibus in Casinensi Congregatione nemini fuerit secundus. Coævus vere extitit *Theophilus Senensis* in Theologia doctissimus, adeò ut suis temporibus in eadem Congregatione admirabilis haberetur. Hic bis vocatus à Romano Pontifice fuit, ut ejus operâ in quibusdam Ecclesiasticis negotiis uteretur. *Gregorius Cortesius*, Mutinensis, Abbas primùm S. Petri de Perusio, deinde S. Benedicti de Mantua, non sacræ minùs Theologiæ, quàm utriusque Juris longè erat peritissimus. Libros IV. Sententiarum, non quidem ut aliqui volunt, commentariis illustravit, plures tamen Tractatus Theologicos literis mandavit, quorum syllabum texit Joan. Bapt. Marus. Quanti autem doctrinam Cortesii, integritatem, ac prudentiam incomparabilem fecerit Paulus III. Summus Pontifex, ex miris laudibus, quas in eum congessit, quando in cœtum Cardinalium adle-

* Gall. Chr. Tom. 5. pag. 182.
** Vid. vit. part. III. cap. 3.
*** Oudin. Tom. 3. pag. 2670.
**** Gall. Chr. Tom. 2. pag. 1105.
***** Brusch. in Monast. Germ. Chronol. p. 182.
****** Petruc. in Supplem. Chron. Casin. c. 19. & 24.

adlegit, agnoſces: audi ipſum cum eo loquentem. „*Hodie in his ſacris jejuniis, atque in Conſiſtorio noſtro ſecreto, inductis ſingulari tua probitate, religione, integritate, atque doctrinâ te S. R. E. Cardinalem cum Dei nomine, de Venerabilium Fratrum noſtrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium conſilio, creavimus, &c.* Privilegium etiam Paulus Pontifex Corteſio conceſſit, ut purpureo cultu ſibi uti liceret, tametſi monachus eſſet, quod etiam idem Chriſti in terris Vicarius conceſſerat Cardinali Philippo à Camera, Gallo pariter Benedictino.

Theologi è Congr. Caſin. interſunt Concilio Tridentino.

Sub hoc Pontifice anno 1545. coeptum eſt Tridenti ſacrum Oecumenicum Concilium, cui ex Congregatione Caſinenſi magni nominis Theologi & Abbates interfuerunt, Chryſoſtomus Neapolitanus, aliàs *Gemulianenſis*, Abbas S. Trinitatis de Cajeta, Calaber, poſteà Archiepiſcopus Raguſinus; *Lucianus de Otbonibus*, Abbas S. Mariæ Pompoſiæ Ferrarienſis; *Iſidorus Clarius*, Abbas S. Jacobi de Pontida in Diœceſi Bergomenſi, ſubinde Epiſcopus Fulginei; *Simplicianus de Valle Tellina*, Abbas S. Salvatoris Papiæ; *Stephanus Cataneus*, Novarienſis Abbas S. Mariæ Gratiarum; *Auguſtinus Loſcus*, Hiſpanus, Abbas S. Benedicti de Ferraria, & *Eutichius Cordes*, Antwerpienſis, Abbas S. Fortunati apud Baſſanum; *Marcus à Brixia*, Abbas S. Vitalis Ravennæ, & *Euſebius à Parma*, Abbas S. Mariæ Gratiarum, qui omnes juſſu ſummorum Pontificum Pauli III. Julii III. & Pii IV. ob inſignem doctrinam, ac ſacræ inprimis Theologiæ peritiam, ſanctorum Patrum cùm Græcorum tum Latinorum ſtudium, ſacrorum Conciliorum notitiam, hiſtoriæ atque antiquitatis Eccleſiaſticæ cognitionem à Caſinenſi Congregatione delecti, atque Tridentum toto Concilii univerſalis decurſu, diverſis tamen temporibus, miſſi fuerunt, ubi ſæpiùs de rebus divinis, atque ad fidei Orthodoxæ puritatem, morúmque Chriſtianorum integritatem attinentibus, egregiè diſſeruerunt, orationéſque ſanè quàm præclaras poſteritati reliquerunt. Quã verò epiſtolam ad hoſce Abbates alius Abbas, ísque doctiſſimus ejusdem Congregationis Caſinenſis dedit, dignam omnino exiſtimo, ut hìc illam in gratiam Lectoris ſubjiciam.

FLAVIUS ALEXIUS UGONIUS
Reverendis Abbatibus ſancti Benedicti in Concilio Tridentino congregatis, ex Italia milites Chriſti.

Flavii Alexii Ugonii Epiſtola ad Abbates O. S. B. in Concilio Tridentino Congregatos.

„QUod ſancta Synodus Tridentina ordinavit circa Euchariſtiæ Sacramentum, & circa particulares Epiſcoporum jurisdictiones, optima cura & diligentia veſtra cognovimus, nihil tamen novi, circa fidem hujus Sacramenti, ſancta iſta Synodus nos tenere jubet, niſi quod jam in præteri tis Conciliorum decretis terminatum fuerat. Et ſi veteribus aliquid novi pro neceſſitate temporum addere viſum eſt, hoc ſolummodo apud catholicæ Eccleſiæ Patres diſputatum, non apud Sacramentarios & Proteſtantes obtentum, neque terminatum fuit. Cum his tamen, tanquam cum novis Philiſtæis, qui obſtruunt puteos Jacob, qui regi David inſidiantur, regnúmque ejus occupare contendunt, qui inconſutilem Chriſti veſtem ſcindunt, verbum Dei adulterant, ſchiſmatibus omnia implent, pugna nobis, & exinde victoria omnino neceſſaria videtur. Captis regibus, debellatis factionum principibus, expugnata tubis ſacerdotalibus Hierico, ſtatim omnia in jus populi Dei, in poteſtatem veri Iſraelis denique cedent. Non indigent, qui ſani ſunt medico, ſed qui male habent, quíque alios peſſimorum ſtudiorum, atque doctrinæ contag one male ſe ſe habere faciunt. Mediator Dei & hominum, cùm ab æterno propoſitum haberet ſervare oves, quæ perierant, domus Iſrael, inprimis aſſumpta carne vicit peccatum, vicit mundum, malignas debellavit poteſtates, vicit mortem, atque ita ſublato demum inimicitiarum pariete redemit hominem ex Diaboli poteſtate, & in priſtinum, ceu æquivalentem, innocentiæ ſtatum reduxit. Qualis eſt corporum, talis eſt utique cura animorum. Sublatis namque humoribus, qui circa vitalia peccant, paulatim omnia in optimum vitæ ſtatum reformantur. Non poteſt amari, quod impium, quod nefarium, quod blaſphemum, & alienum à veritate declaratum fuerit. Amabilis eſt Deus, amabilis eſt veritas, virtus, præclaráque ſimul omnia ſemper amabilia fuerunt. Hæreſiarchæ igitur & aſſertores hæreſum principes liberrimè, ut „ venire poſſint ad iſtam Synodum, „toto

„tota exoptat Italia: idque ut eveniat, Deum etiam, atque etiam rogat: ut Christi causa non vi, & armis, sed jure & æquitate tractetur, nullaque sit ampliùs tergiversandi facultas, nullus excusationi locus, nulla à castris Domini desciscendi potestas; sed cominus congredi, & vincere (prout Christi causa veritatisque negotium exegerit) vel vinci necessarium sit. Veritas una, mendacia multa, una Ecclesia, synagogæ multæ, una fides, unum baptisma, & unus Christus. Scythæ, Judæi, Turcæ diversa quidem fide, & ratione inter se sentiunt, atque vivunt: sic inter Protestantes. Anabaptistæ, Sacramentarii, Confessionarii, & siqui horum sunt similes, varia utique inter se dogmata sequuntur: quia sub patre mendacii, sub principe dissensionum militant. Una è contrario est columba, una speciosa, una formosa, soli dilecto suo Christo cognita: quam ipse proprio ore alloquitur, quam amplexatur, inter cujus ubera die noctúque commoratur: & idcircò multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Non aliud Petrus, aliud Paulus, sed idem omnes electi dicebant. Nunquam enim divisus fuit Christus: sed integer & ubique totus semper permansit, amator pacis & veritatis: qui fecit utraque unum, quique habitare facit unanimes in domo Ecclesiæ, pacis jura, & unitatis decreta hominibus duntaxat bonæ voluntatis benignissimè concedens. Sed dum in humanis agunt, multæ tribulationes justorum: zelantur namque potissimùm super iniquos, pacem peccatorum videntes. Hac quoque tempestate (optime Deus!) venerunt gentes in hæreditatem tuam, & armorum vi obtinuerunt populum tuum, & civitates nostras, ut victores, occupaverunt: templum quoque sanctum tuum, quod est populus Christianus, ipsi coinquinaverunt abominationibus suis, ubique schismata, ubique vitiorum portenta disseminantes; novas ubique idolatrias, nova dogmata confingentes: magísque nunc ideò temporis vigent Epicureorum dogmata, quàm Christi: omnes quærunt, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi: Hierusalem, civitas electa, meretricata est cum amatoribus suis, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo: immolaverunt ingrati homines dæmoniis & non Deo, ambitioni, luxui, carnísque „voluptatibus sese prorsùs devoventes.

"Magna jam olim Græcia, quæ præstantissimis morum institutis, quæ fide Christi, quæ sanctissimis, atque clarissimis viris super omnes mundi provincias florebat, nunc manifesto Dei judicio ita deleta est, ut in ipsa Græcia quæramus Græciam. Incolæ namque ejus ab exteris nationibus omnes penè sub peccato hæresum venundati tenentur. Sic Asiæ, atque Africæ provinciæ, quæ per beatissimos Apostolos jam olim Christo desponsatæ fuerant, quásque tot magni, atque sanctissimi viri illustrârunt, dimisso Christo ad primos amatores, per varias hæreses redierunt. Europa quoque ipsa defecit à castris Domini: tota inter se divisa est, tota nunc ardet bellico furore: quæ fuit regina gentium, nunc facta est serva dœmoniorum. Exspectavit Dominus, ut faceret uvas, & fecit labruscas. Sed quomodo conversa es in amaritudinem vitis aliena. Principes tui pessimi, tyrannidem, nullo habitu bonorum delectu, in populos sibi subjectos exercentes, nomen tantùm pietatis usurpant, sed quid ipsa valeat, ignorant. Illa cupiditas, quæ est imperii & dominationis, quàm dura in tales est domina, quàm imperiosa. Quid faciunt inter vexilla Christi gladii? quid bellorum incendia? quid hominum strages, atque undique rerum omnium interitus? quid rabies sese ulciscendi, & dira dominandi libido? sicne reformabitur Ecclesia? sicne, quæ Christi, quæ pacis, quæ verè pietatis sunt, tractabuntur? sed ô bone Deus! jam omnino immutatus est rerum ordo: contra jura naturæ omnia fiunt. Sed mala tua potissimùm deploranda est sors, ô Germania, atque Anglia, amplissima regna, nobilissimæ mundi provinciæ. Quis namque vos fascinavit? quis à Christiana veritate discedere docuit? jam olim veræ pietatis magistræ, nunc matres errorum, nunc sedes hæresum, nunc domicilia schismatum factæ estis, quia nec unus ad tempus in ecclesia sacerdos, nec unus ad tempus judex vice Christi à vobis cogitatur. Redite prævaricatores ad cor, revertimini dispersæ oves ad ovilia Christi, revertimini, obsecramus, ad unitatem Ecclesiæ, ut, quæ fuistis aliquando tenebræ, nunc lux fiatis in Domino. Una est enim Ecclesia cunctarum gentium mater; extra quam non est salus: unum Ecclesiæ Caput Christus, unus illius Vicarius Petrus, cui soli super maris „aquas

„aquas ambulare datum fuerat,& unus Electorum Deus. Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur. Jam vestræ incipiunt captivitates; propè jam sunt vestræ transmigrationes. Persæ, Medi, & Scythæ jam sedent in portis vestris, jam occupaverunt fines vestros, & inhiant super sanguinem vestrum. Sed ut quid Deus repulisti in finem? iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ: memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio. Tu enim dixisti, quòd portæ inferi non prævalebunt adversùs eam: ídque verum esse domûs exemplo declarâsti. Venerunt pluviæ, flaverunt venti, & impegerunt in illam, & non corruit, quia benè fundata est supra firmam petram. Sed dies mali sunt. Non omnes divina intelligunt mysteria. Non omnibus datum est introduci à Rege in cellaria sua, & videre, ubi pascat, ubi cubet dilectus, vel ubi commoretur, vel qualis sit ejus sponsa. Vos igitur amplissimi Patres, qui in nomine Christi congregati estis, quibus data est omnis potestas ligandi, atque solvendi quæcunque in cœlo sunt,& in terra, congregate dispersos Israël in sinum matris Ecclesiæ ad gregem Domini, ad ovilia Christi oves reducite, quæ jam olim perierunt. Filios prodigos amplexamini, date illis stolam albam & annulos fidei in manibus eorum. Filios quoque mendaces ex fornicatione natos, qui curvaverunt genua sua ante Baal, qui dirupto ventre exierunt, & pugnaverunt contra matrem, qui nunquam fuerunt ex nobis, non habentes vestem nuptialem, foras projicite, anathematizantes illos: ut qui cum Christo permanserunt in tentationibus mundi, carnis, & diaboli, tanquam aurum in fornace probati; idem omnes dicant in Christo, idem omnes sapiant, idem prædicent & intelligant, & ampliùs non sint hæreses inter nos: sed ita demùm aliquando fiat unum ovile, & unus pastor: quod ut eveniat, Spiritus, qui à Patre procedit & Filio, denique concedat.„

Disceptatio inter Abbatem Congreg. Casin. & Dominicum Soto. Parùm verò habeo exploratum, quis ille Congregationis Casinensis Abbas fuerit, cui Dominicus Soto, Dominicanæ Familiæ Theologus in Consessu Conciliari anno 1546. die 20. Maji satis acerbè oblocutus fuit. Disceptationis inter eos ortæ causam Cardinalis Pallavicinus in Historia Concilii Tridentini lib. 7. cap. 5. his verbis refert:

„ In eo prætereà consessu auditæ sententiæ de aliis jam propositis argumentis, ac primò quidem, an inter Ordines Monachorum oporteret institui in cœnobiis Latina sacrarum Literarum prælectio; & an ea reliquis anteferenda. Utrumque universè probabatur; sed primùm cum exceptione, *dummodò eorum leges haud obstarent;* Ea tamen exceptio à Berrano rejecta, affirmante, nullam Monachorum legem posse hujusmodi scholæ repugnare: exempli gratiâ; quanquàm Carthusiani severi silentii lege teneantur, nihil tamen huic silentio, quantumvis Pythagorico, adversari, quòd à Magistro Divinæ Paginæ interpretationem audiant; perinde ac nequaquam eidem obstat, quòd à Concionatore Evangelii expositionem accipiant. Verùm inclinante die Casinenses Abbates petiere, ne quid ad proximum usque conventum decerneretur, in quo sibi quoque dicendi opportunitas fieret. „

„ Hic intra biduum habitus est. Audita postmodùm cujusdam Abbatis Casinensis opinio, mirificè commendantis, cunctis monachis divinæ Scripturæ prælectionem perpetuò injungendam, cui tam assiduè, támque fructuosè navârant operam veteres illi commensi-monachi: testificari se, nullam monachis impositam legem huic repugnare; videri tamen sibi hæc verba Decreto addenda, *Omissis Scholasticorum cavillationibus;* istorum siquidem prælectiones sæpè discordias parere, adeóque à monasteriis longè amovendas. Fuit, qui existimaret, falso argumento veram ab eo consecutionem confectam. Etenim considerabat, si Scholasticorum prælectio semen discordiarum foret, æquè pariter arcendam ab ædibus Cœnobitarum, ac proinde à cœnobiis universè depellendam, adversùs quàm per tot secula consuluerat Ecclesia: aliundè igitur rationem petendam, cur Divinæ Scripturæ studium magis quàm scholasticæ doctrinæ monachorum familias deceat, magísque inter eas floruerit; quia nimirùm alterum meditationibus, lectionibúsque solùm innititur, quibus maximè aptatur monasteriorum solitudo; alterum haud gnaviter excolitur extra palæstras disputationum, at„que congressuum, adeóque nusquam

Abbas præ Theologia Scholastica Sacræ Scripturæ studium commendat.

„numeris omnibus absolvi potest intra solitudinem ac silentium. „

Cui oblo- quitur Dominicus Soto. „ Quemadmodùm verò Abbas ille eruditione, quàm scientiâ instructior suas merces evexerat, & alienas abjecerat, ita Dominicus Soto, à sui Ordinis summo Præside delegatus, idque temporis in scholasticis disciplinis nulli secundus, suæ facultatis excellentiam propugnavit: sed anteà primo etiam Abbatis asserto sese opposuit, hortatúsque est Patres, ne id oneris communiter monachis imponerent: quippe qui diuturnis precibus meditationibúsque obligati vel nimiùm gravarentur, vel à vereri institutione abducerentur, ubi sacrarum Literarum studium eisdem injunctum foret; quod Carthusianorum exemplo præcipuè confirmavit. Potiùs igitur labor hujusmodi Mendicantibus relinqueretur, quorum est & scholas & conciones habere. Posteà acriter & copiosè peroravit, ne sacrarum Scripturarum exedris supremus locus destinaretur: Divina Oracula non posse penitiùs sine acumine scholastico penetrari. Hoc appellari cavillos, aut ab eo, qui ingenii hebetudine illud percipere non valeat, tenebrásque nominat eam lucem, à qua sentit oculorum imbecillitatem sibi perstringi, aut ab eo, qui sinceram ab adulterina Scholastica non secernit; adeóque disciplinam universam dehonestat nomine partis minùs quidem propriæ, sed copiosioris, magísque sibi experimento compertæ: rem quò pretiosiorem, eò frequentiùs adulterari. Eadem ratione posse pariter posthaberi inter externas divitias adamantem sapphiro, & aurum æri, quòd ea sæpiùs simulentur; atque inter animi opes despiciendas universim sapientiam ac sanctimoniam, quòd sæpè earum specie fastus & hypocrisis lateant. Quid tandem esse Scholasticam, nisi eam disciplinam, quæ simul conjungit duo lumina homini à Deo indita, Naturæ videlicet ac Fidei; quorum alterum sæpè cum altero fœderatum, nunquam certè illi adversum se habet, & utroq; sibi affulgente, quàm altissimè potest, subit Divina mysteria, & prava Divini Verbi interpretamenta dispellit? Hæreticos in Scholasticam odium capitale profiteri; ea quippe sol quidam est, qui eorum spectra dissolvit: illi obtrectare, perinde esse, ac fœdus cum Protestantibus inire, & Ecclesiam validissimo armamentario spoliare. Ad hæc monuit *honore*, ceu lacte cunctas artes ali, & ubi à Theologis intelligeretur, prima decora tribui studio leviori meditandi suavirer sacras Literas, legendiq; ejus interpretes, adeóque pascendi potiùs ingenii, quàm emungendi, eos libenter deserturos fuisse laboriosissimas, intentissimásque *Scholasticæ* contemplationes. Primaria in militia honestamenta, incitamenta pariter esse debere, adeóque summorum summéque conducibilium laborum præmia. „

Soti orationi non omnes ex toto assentiunt. „ Soti dissertatio communem consensum obtinuit, quod ad emolumenta *Scholasticæ* pertinebat: at in reliquo alii alia opinati, cùm plerisque videretur, monachorum vita, temporis etiam opportunitatem concedere Sacræ Scripturæ studio, quod precationi non erat impedimento, sed alimento. Cúmque alii haud minùs censerent, Divinarum Literarum exedræ præcipuum locum ex argumenti dignitate tribuendum; arbitrabantur nihilominùs, stimulos minimè defuturos, quà majoris gloriæ ex ingenii præstantia, qua ob præmia solidiora atque optabiliora, quàm sit tenuis sterilisque loci prærogativa, conatúsque ad Scholasticam incitaturos. At *Montanus* controversiæ finem dedit, admonens indecorum esse tam augusto consessui, in res adeo exiguas tempus insumere: quid Germaniam dicturam, ubi cognosceret, Oecumenicum Concilium, ad hæresis eversionem, & Christiani generis sanctitatem coactum, post longas disceptationes conclusisse, an in monachorum ædibus esset sanctæ Scripturæ cathedra statuenda, eáque cœteris anteferenda. In existimatione famæ post magnos apparatus, minùs esse exilia opera, quàm nulla. „

Incertū, quid Abbas per cavillationes intellexerit. Hæc Cardinalis Pallavicinus; qui quòd Abbatem Congregationis Casinensis magis ab eruditione quàm scientia instructum laudaverit, ejus rei causam nun assequor, neque enim satis argumenti est, quòd divinæ Scripturæ prælectioni in monasteriis primas detulerit, vel quòd in Theologiæ Scholasticæ prælectione *Cavillationes* prætermittendas dixerit. Quid enim per has intellexit, nisi sexcentas futiles, frivolas, & nugatorias Quæstiones à Neotericis quibusdam Theologis excitari solitas? Quamquàm fateamur, oportet, adhuc in obscuro esse, quid Abbas nomine *cavillationum* intellexerit; neque enim id Pallavicinus in sua narra-

narratione declaravit, quod, ne incertum relinqueret lectorem, ab ipso faciendum fuisset, sed contentus fuit verba recitare Abbatis, quæ hæc fuerunt: *Omissis Scholasticorum cavillationibus; istorum siquidem prælectiones sæpè discordias pariunt, adeóque à monasteriis longè amovendæ.* Haud in facili est, ex istis verbis discernere, an Abbas monachis omnem prorsùs perceptionem Theologiæ Scholasticæ, quantumvis bonæ & laudabilis interdicere voluerit; ac proinde non omninò ab ejus partibus contra Sotum stare nobis licet; magnæ enim foret temeritatis, Scholasticæ Scientiæ, quo nomine Methodicam intelligimus, diem dicere, ejúsque solidas & profundas speculationes cavillationum loco habere; contrà verò prudens Abbatis fuisset consilium, si cavillationum numine nihil aliud exprimere voluit, quàm leviculas argutias, atque difficultatum spinis implexas subtilitates, quarum vano & inani studio sæpiùs monachi bonas comburunt horas, quas sanctis tamen & proficuis vitæ spiritualis & monasticæ exercitiis impendere eos oporteret; ut nihil dicatur, quòd pacis & religiosæ modestiæ faciant jacturam, quæ propriæ tamen sunt virtutes ejus status, quem profitentur. Scientiæ Philosophicæ, ac Theologicæ, inquit sapientissimus noster Mabillonius, * juxtà methodum, quâ nunc in scholis communiter traduntur, nonnisi curiositatem, dissipationem, cavillationésque exhibent; in jurgiis siquidem disputationibus, vocúmque obstrepentium fragore, majorum horum studiorum portio consistit. Inficiari sanè nequeo, quòd hujusmodi studiis penès se consideratis, & quoad modum, quo ut plurimùm hisce temporibus in scholis traduntur, nullo habito respectu ad finem, quem monachi ad ea incumbentes sibi debent præfigere, si totum vitæ tempus in iis insumendum esset, difficillimè, inquam, possent præfata absurda vitari. At quid amabò! nos cogit, Philosophicas, ac Theologicas scientias continuæ disceptationi, & contestationi tradere? Quidni possent positiva methodo, quâ merè necessaria cognoscimus, à nobis pertractari, singula d ntaxat principia, & potiora quæsita explanando, dubiáque occurrentia sine ulla cavillatione enodando? Quidni etiam Religiosis alumnis sat supérque fotet, scientificis fundamentis, iisque necessariotibus imbui, ut dein seipsis quodammodò possent in Scripturarum sanctarum, & Operum sanctorum Patrum lectione proficere? Quænam demùm urget necessitas ad syllogizandum jugiter (ut ajunt) in forma, & ad tot tantísque objectionibus acriter, & asperè respondendum, ut mos in scholis invaluit? „ Nos utique non fugit, Scholasticas facultates in Regularium Cœnobiis nostra hac tempestate taliter expendi; nec inficiamur, quin hæc studendi methodus propria gaudeat utilitate. Unum tamen asserimus, eandem aliqua posse moderatione leniri, ut fusiùs suo loco suadebimus. Et licet hoc impossibile foret, jam studia ista, ut novimus ad extremam usque vitæ periodum minimè protrahuntur; in ipsis namque adolescentes nostri San-Mauriani nonnisi quadriennium, vel quinquennium ad summum detinentur, postquàm tandem temporis ad ea per virtutum exercitia dispositi fuerint. Quibus tandem absolutis eorum fructibus in solitudine, silentio Scripturarum, & Patrum lectione frui poterunt. „

Quæ de hisce cavillationibus sit mens ac sententia Mabillonii.

Hæc Mabillonius. Qui cùm dixit, in Disputationibus scholasticis verba aliquando aspera interseri, nihil à vero dixit alienum. Talis, támque ardens disputantium quandóque æstus est, ut alter alterum ad helleborum, quo cerebrum purgetur, amandet. Quàm verò id genus convitia Christo D. N. qui eum, qui fratrem suum compellaverit fatuum, reum gebennæ ignis declaravit, complaceant, ex Evangelio scimus. Neque tantùm ejuscemodi convitia auribus ingeruntur, sed aliquando etiam literis ad posteritatis memoriam consignantur. Fuit, ut in illustri monasterio, quod est in Germania Ordinis nostri, non Benedictinus, sed alterius Instituti Religiosus nostrâ ætate Theologiam docet. Is in Thesibus impressis in Ludovicum Molinam cum convitiis invectus, non dubitavit eum contumeliosè Molendinum vocare, quod primum extitisset, quod rejectitium Mediæ Scientiæ furfurem infeliciter molere cœpisset. Potuisset is Professor Ordinis nostri alumnos suâ, de Gratia ab intrinseco efficaci, doctrinâ instituere, at quid opus erat, eos Molinæ contemptu, ne dicam odio imbuere?

A Disputationibus Scholasticorū non semper absunt convitia.

Quòdsi

* Tract. de Stud. Monast. Part. 1. c. 13. p. 52.

Dominici Soti supercilium.

Quòd si Abbas nihil aliud voluit, ut re ipsa nihil aliud voluisse videtur, quàm ut ejuscemodi cavillationes Scholasticæ, ceu rixarum, & multorum malorum seminaria ex monasteriis eliminentur, quis Dominici Soti supercilium, fastum, & arrogantiam ferre possit, quâ tantâ fuit, ut quò suæ professuræ decus ac prærogativam tueretur, Abbatem in amplissimorum Patrum consessu verbis parùm honorificis, ac planè incivilibus & contumeliosis incessere non dubitavit. Malim tamen credere, illum non jam vanas vulgaris Scholasticæ speculationes, sed solidissimas & utilissimas Methodicæ tuendas suscepisse; id quod ex ejus verbis elici posse videtur, cùm dixit: *acumen Scholasticum cavillos vocari ab eo, qui sinceram ab adulterina Scholastica non secernit, adeóque disciplinâ universam de honestari nomine partis minùs quidem propriæ, sed copiosioris, magisque sibi experimento compertæ.* Quòd si verò Soto reipsa sermo fuit de vulgari Scholastica, exiguo profectò ipsi laudi vertit, quòd tanta arrogantia, tantóque garritu Abbati, cui certè fungus pro cerebro non fuit, in faciem exprobraverit, quòd *subtilitates Scholasticæ ab eo appellentur cavilli, qui ingenii hebetudine illas percipere non valeat, tenebrásque nominat eam lucem, à qua sentit oculorum imbecillitatem sibi perstringi.* Hoccine non fuit arroganter, & contumeliosè loqui? Quantâ deinde cum Benedictini Ordin. injuriâ à Patribus Concilii postulavit, ut ne ejusdem monachis *sacrarum Literarum studium injungatur, sed potiùs labor hujusmodi Mendicantibus relinquatur, quorum est & scholas & conciones habere.* O singularem Theologi Scholastici, utut doctissimi, proterviam! Acsi verò Monachi Benedictini ante Soti tempora studio sacrarum Literarum oppressi elanguissent; acsi non per mille annorum decursum totâ Europâ juventuti scholas aperuissent; acsi non S. Benedictus *prædicatione continuâ* paganos, atque ethnicæ superstitioni adhuc deditos ad Christiana sacra adducere allaboràsset, felici usque adeò successu, ut *commorantem circumquaque multitudinem* iis dem imbuerit; acsi ejus discipuli hoc exemplo edocti non paria fecissent, atque innumeras gentes ad Christum convertissent. En quò subtilitates Scholasticæ doctissimos viros abripiant, ita ut cùm maximè sapere sibi videantur, minus sapere comprobentur. Sed *motos præstat componere fluctus*, atque historiæ resumere filum.

In Austria rerum divinarum intelligentiâ celebris habitus fuit *Benedictus Chelidonius*, Abbas monasterii B. V. Mariæ, vulgò ad Scotos Viennæ, qui *Bandini* Theologiam Scholasticam ex Magistro Sententiarum, ut multi volunt, abbreviatam luce publicâ donavit anno MDXIX. Hunc librum in Mellicensi Bibliotheca *Joannes Eckius* cùm in manuscripto codice legisset, Sigismundo, Abbati Mellicensi, viro, moribus egregiis & studiis optimis adprimè ornato, author extitit, ut eum typis vulgaret. Sed cùm is Præsul domesticis tunc curis omninò foret obnoxius, ejusdem revidendi, & quo maximè indigebat, castigandi provincia Abbati Chelidonio, tunc fortè minùs negotioso demandata est. Quam provinciam ille promptus obiit, & eo, quo Petrus Lombardus modo, quantum licuit, distinxit, & à mendis, quibus plenior, quàm Leopardus maculis erat, vindicavit, authoritatum denique loca pleraque adnotavit. Inter legendum igitur (verba sunt Editoris Chelidonii) comperi certissimè, Petrum eundem, suis in quatuor libris, nostro per ordinem usum Bandino. Petrus namque in suo, qui de Sacramentis est, quarto libro de Confirmatione, quamquàm parùm, non nihil tamen disputat. Quem si Bandinus, ut nonnullis putatum est, abbreviâsset, de Sacramento eodem, utpote re ad propositum necessaria, non omnino, quemadmodùm fecit, tacuisset. At Chelidonium ita conjiciendo non optimum esse vatem, suo loco ostendemus.

Bandini Theologiam in lucem profertur.

Joannes Saracenus, Monachus S. Vedasti in Belgio, cùm in flore ætatis monasticis aliquamdiu disciplinis institutus esset, studiorum causâ ad Academias Parisiensem & Lovaniensem missus fuit, in quibus decurso Philosophiæ stadio, Theologicam lauream adeptus, tantam sibi famam comparavit, ut Abbas Ulderbacensis * monasterii, tunc propè, nunc intra Lovanium urbem designatus sit. Verùm à suo revocatus Abbate ob spem majoris proprii cœnobii utilitatis, cùm apud suos Theologiam Scholasticam aliquamdiu prælegisset, præcipua domûs officia suscepit, eáque prudentia & dexteritate obivit, ut non modò Vedastini monasterii clavo, sed publicis

Joannes Saracenus fit ex Theologo Archiepiscopus.

* Fliersbach.

cis etiam patriæ negotiis pari successu admotus sit, quem postea Philippus II. Hispaniarum Rex ac Belgii Dominus sanctioris consilii Senatoribus accensuit, ac demum Archiepiscopali Sede Cameracensi donavit.

Concilio-rum decreta de Monachis rerum divinarum scientia imbuendis. Neque *Joannes Saracenus* solùm, sed alii plures juniores monachi ad Academias missi fuerunt, quò Theologiæ studio operam navarent, idque vi decretorum, quæ in variis Conciliis * hoc seculo celebratis emanarunt. Sic Concilium Coloniense anno 1536. ad Generale aliquod studium ex Monachis mitti voluit eos, qui acumine valerent ad res Theologicas. Anno 1549. quoad Regulares innovatum est in Concilio Moguntino, ut in monasteriis paulò ditioribus studia Theologiæ instituerentur, & sic è minoribus cœnobiis eò ad studia convolarent, qui valerent ingenio. In Concilio Tridentino primævo vindicata sunt vigori antiqua omnia statuta de Theologis, & prælectionibus Theologicis, vel Scripturarum in Ecclesiis Abbatialibus. In Cuncilio Aquiliensi anno 1596. præceptum est, ut prælegerentur publicè in monasterio Tractatus Theologici etiam in cœnobiis Carthusianorum, ubi fieri commodè id posset.

Crispinus Brichanteus inter Parisienses Theologos excellit. Inter Theologos Parisienses Regii Navarræ Gymnasii divinarum rerum scientiâ hac ætate excelluit *Crispinus Brichanteus*. Illustri loco natus, monasterii S. Dionysii *** Monachus, & familiæ amplitudinem, & vitæ sanctioris professionem eruditione summâ cumulavit. Hic aliquanto post emissum Religionis votum, in regiam Navarram se recepit, ibique Rhetoricis, Philosophicis, ac Theologicis institutionibus continenter se dedit. Quibus in studiis penè omnibus Carolum Borbonium, Carolum Lotharingum, & Claudium Espencæum collegas habuit familiarissimos, sed cum Espencæo ultra progressus publicas in Theologia disputationes instituit, & ambo Doctores anno MDXLI. renunciati sunt. Espencæus primus, Brichanteus secundus, quos alii XXIII. diversorum Collegiorum alumni suo quisque ordine exceperunt. Mox Brichanteus se ad præcipuum Doctoris officium accinxit: in Monasterio, in Aula Regis, in variis sacris Ædibus conciones habuit. Henrico II. per tempus aliquod fuit à confessionibus, eúmque ad pietatem & pœnitentiam erudiit. Carolus Cardinalis Lotharingus anno MDLV. per autumnum Romam ivit, & Theologos celebres quatuor secum ducere statuit, quorum operâ & consuetudine uteretur. Inter eos adfuit Brichanteus, quem Nicolaus Orlandinus Lib. XV. Historiæ suæ cùm ex aliis, tum ex hoc quoque commendat plurimùm, quòd habita coràm Cardinale de Instituto beati Ignatii Loiolæ collatione, modestas Martini Olavii Parisiensis Theologi exceptiones adversùs Parisiensem illius Instituti censuram benigne audierit, nec invitus agnitæ veritati consenserit. Reversus in Galliam boni Monachi & Doctoris vitam degere perrexit, donec eam eudem propemodùm amisit tempore, quô ab Rege Henrico III. Sylvanectensis optatus est Episcopus: nam cùm anno MDLXXXIII. sub finem Octobris, vel initium Nuvembris optatus est, ante possessionem adeptam excessit. Nangiaci sepultus est in luco majorum.

Seculo XVII. Hispani Theologi eximii. Seculo XVII. clarissima Theologiæ sidera non tantùm Hesperias plagas, sed alias quoque regiones, & inter eas Germaniam nostram sapientiæ suæ radiis illustrârunt. Obstupescimus, inquit doctissimus & ipse Theulogus, Alphonsus Wenzelinus ****, Illustrissimi *Didaci de Sylva* Collegii Vincentini Salmanticæ Regentis, Theologi ac Concionatoris Philippi IV. Hispaniarum Regis, ac demum Episcopi Asturicensis exactissimos Tomos, in quibus luculenter profundissimi ingenii sui explicavit excellentiam. Suspicimus præstantissimos Tractatus Illustrissimi pariter ac sapientissimi Magistri D. *Andreæ de la Moneda*, Cancellarii Academiæ Hyrachensis, ac demum Episcopi Almeriensis, exactam Doctoris Virginei cum doctrinâ Angelici Magistri concordiam eleganti ac profundo calamo prosequentis. Veneramur lucubrationes Theologicas Illustrissimi *Bernardi de Ontiveros*, Episcopi Calagurritani; Illustrissimi pariter ac sapientiæ laude celebratissimi Magistri *Antonii Perez*, Archiepiscopi Tarraconensis, aliorúmque plurimorum Virorum ob doctrinæ præstantiam non tantùm

Didacus de Sylva, Andreas Moneda, Bernard. Ontiveros, & Anton. Perez.

* Lud. Thomass. vet. & nov. Discipl. Eccl. Tom. 2. lib. 1. c. 91. p. 274.
** In Præfat. ad Theol. Scholast.
*** Joan. Laun. in Hist. Regii Navarræ Gymnasii part. 4. c. 41. p. 771.
**** In Præfat. ad Theol. Scholast.

tantum Magisterii laureis insignitorum, verùm etiam Tiaris Pontificalibus condecoratorum, quorum studio & indefesso labore tam præclari prodierunt defœcatissimorum ingeniorum partus, quibus nos posteri etiamnum in admirationem rapimur.

Benedictus de Pennalosa.

Ex his in Germaniam veniens, illustravit anno 1641. Universitatem Viennensem accessione suâ ad Facultatem Theologicam R.mus D. *Benedictus de Pennalosa Mondragon* * ex Monte Serrato, cœnobii Pragæ in Emmaus, & alterius anno 1633. à Ferdinando II. Cæsare extra Scotensem portam fundati Abbas Vigilantissimus. Creatus is erat Hispalensi in Academia jam 27. ante annos Theologiæ Doctor, eandémque in Monserratensi Hispaniæ monasterio annis compluribus professus est. Profectus inde in Orientales Indias annos 12. saluti animarum procurandæ operam impendit. Inde redux coronam auream, pretiosis gemmis ornatam, Philippo IV. Hispaniarum Regi attulerat, quam Religiosissimus Princeps Monserratensi B. Virgini voluit dicatam. Ducendis inde Familiæ suæ in Bohemiam Austriámque coloniis delectus, non virtutibus modò, * sed & sapientiæ fama Universitatem voluit ornatam.

Cardinalis Agvirre

Etsi verò hæc relatu non indigna sint, digniora tamen memoratu afferamus: sermonem enim ad se convertit *Josephus Saenz de Agvirre* S. R. E. Cardinalis, qui ante adeptum Purpureum Galerum in Salmanticensi Academia sacram docuit Theologiam: quantâ autem nominis celebritate, quis paucis explicet? Ipse fuit, qui primus S. Anselmi nostri, Archiepiscopi Cantuariensis, Doctoris sapientissimi, Theologiam Commentariis & Disputationibus tum dogmaticis, tum Scholasticis illustravit: in quibus subtilitatem Theologiæ Scholasticæ ex Scriptura, Conciliis, & Patribus cum eruditione Sacra conjunxit, ac contra Atheos, Ethnicos, Hæreticos, & Schismaticos in arenam noviter produxit. At enim hac de re Doctori ipsi Eminentissimo aures præbere neminem pigeat. Sic verò ** loquitur:

„ 1. Postquàm Lauream Theologiæ, sive Salmanticenses Ludos, & omnimodam Philosophiam, tum Scholasticam, tum Moralem, Commentariis & Disputationibus distinctam in lucem edidi, accingebam me ad committendum prælo integrum Cursum, ut ajunt, Theologiæ: ut ea omnia, quæ sacri homines in scholis addiscunt, aut docent, in aliquale Dei, & Ecclesiæ Catholicæ obsequium exhiberem. Verùm cùm in eum finem expolirem & augerem lucubrationes plus quàm viginti annis è suggesto discipulis traditas iteratæ quorundam doctorum hominum preces à me extorserunt, ut qualemcunque operam & studium collocarem in exponenda doctrina S. Anselmi ad literam, & exornanda Disputationibus opportunis.

animatur ad doctrinam S. Anselmi exponendam.

„ 2. Inter alios, qui id oneris, seu potiùs honoris, imposuerunt mihi, duo primi fuêre: alter Reverendiss. P. *Martinus Esparza & Artieda*, celebris Scriptor è Societate Jesu, primùm in Collegio Salmanticensi, deinde in Romano, insignis Theologiæ Professor, & illustrium discipulorum à quadraginta jam annis Magister, Sacrarum Congregationũ Universalis Inquisitionis Romanæ, & Rituum Censor: alter *R. P. M. F. Alphonsus de Mier*, olim apud nos Theologiæ Regens, & Professor Emeritus, Congregationis Benedictinæ Hispaniarum Procurator Generalis à quatuordecim annis in Urbe, ibidémque earundem Congregationum S. Inquisitionis & Rituum Censor; vir sanè multis nominibus benè meritus de Religione Nostrâ, cui tamdiu plura & insignia obsequia præstitit. Detrectabam initio, nec audebam, in me recipere opus laboris & aleæ plenum. Verùm iteratis exhortationibus, imò objurgationibus, tandem cessi. Probârunt præterea idem consilium plurimi Viri doctrinâ & eruditione excellentes, tum extranei, tum domestici: & ex his Reverendiss. P. Magister Fr. *Rosendus de Moxica*, olim Generalis Noster, Catholicorum Regum Philippi IV. & Caroli II. Concionator illustris, geniô atque ingenio amœnissimus, & multiplici eruditione dives; similitérque Reverendiss. P. Magister Fr. *Joannes de la Riba*, Generalis quondam Noster, Theologiæ Professor celebris, & doctissimus, atque jam diu emeritus Catholicæ Majestatis Concionator, & Theologus in Consessu Conceptionis Immaculatæ. „ Ambo ii, nimirum, præ aliis nobis „ anti-

Cujus Consilii authores sunt, Martinus Esparza S. J. Alphonsus Mier, aliique Benedictini,

* Ex Conspectu Hist. Univers. Vienn. ad an. 1641. part. 2. p. 225.
** Prolegom. 1. Tom. I. Theolog. S. Anselmi.

„ animos addiderunt ad tantum onus subeundum. Nec prætereundus Reverendiss. P. Magister Fr: *Antonius de Lur*, Conimbricensis Academiæ Primarius Antecessor præstantissimus, Collegii Benedictini in eadem Academia jam pridem Præfectus, & summam ingenii ac doctrinæ opinionem in Lusitania nactus, qui nos per Literas amoris plenas in id Opus aggrediendum, aut prosequendum concitavit. Visum est, eorum omnium nomina hoc loco indicare, ut, si quid fortè ediderimus publicæ exspectationi respondens, sua iis laus tribuatur. „

S. Anselmus nullum hactenus habuit Commentatorem.

„ 3. Præter alias verò causas imponendi mihi adeò difficilem provinciam, ea inprimis urgens visa est, quòd S. Anselmi Scripta Theologica, quamvis omnibus Scholasticis summoperè veneranda, & sex jam seculis celeberrima, nullum hactenus Interpretem seu Commentatorem habuerint. Longè aliter contigit Magistro Sententiarum, Doctori Angelico, & Subtili Scoto; quorum trium vix aliqua pars doctrinæ est, quæ à multis Scriptoribus ex professo, & continenti tractatione illustrata non fuerit. Cúmque tot & tam illustres Theologos à tempore S. Anselmi Religio Nostra protulerit, hodiéque indignum videbatur, neminem in id seriò incubuisse, aut periculum suæ opinionis fecisse, ut tanti Doctoris scripta ex instituto interpretaretur.

Cujus Scripta sed ex parte tantùm illustrârunt

Illustrârunt quidem saltuatim aliquam eorum partem, sive in manuscriptis, sive in libris editis, plurimi ex Congregatione Nostra Hispaniæ, ut Exteras omittam: ac præsertim ex Professoribus hujus Collegii Salmanticensis

Antonius Perez,

S. Vincentii Illustriss. D. Fr. *Antonius Perez*, Generalis postea, & Archiepiscopus Tarraconensis; Magister Fr. *Garcia del Castillo*, Cathedræ Durandi Antecessor;

Josephus de la Cerda.

Illustriss. D. Fr. *Josephus de la Cerda*, primùm Cathedræ D. Thomæ, dein Primariæ Moderator, & postea Episcop. Pacis. Juliæ;

Aliique Benedictini Hispani.

Magistri Fr. *Roseudus Alvarez*, & Fr. *Placidus de Puga*, ambo Cathedræ S. Thomæ Professores; Reverendiss. P. M. Fr. *Benedictus de la Serna*, quondam Generalis & Decanus Doctorum Theologiæ in eadem Salmanticensi Academia; Illustrissimus D. Fr. *Didacus de Silva*, Regens hujus Collegii, Generalis, Theologus, & Concionator Philippi IV. ac tandem Episcopus Asturicensis; Reverendissimus Magister „ Fr. *Maurus de Samoza*, nunc, post „ triginta annos Magisterii in hac Academia, Vespertinus Theologiæ Antecessor, & Catholicæ Majestatis Theologus à secretioribus Consiliis in supremo Fidei Senatu; aliique quàm plures in eadem Academia Doctores Laureati, aut Cathedras adepti, partim superstites, partim vitâ functi. Præterea Illustriss. D. Fr. *Bernardus de Ontiveros*, in Academia Ovetensi Primarius Theologiæ Antecessor Emeritus, dein Generalis, Theologus Philippi IV. & Episcopus Calagurritanus, in suis lucubrationibus Theologicis studuit, mentem S. Anselmi vestigare, & sequi. Denique recentiùs id præstitit Reverendiss. P. Magister Fr. *Andreas de la Moneda*, nuper Generalis Noster, olim Cancellarius Academiæ Hyrachensis, & tandem Episcopus Almeriensis, qui post editum Philosophiæ cursum, prælo commisit Lugduni Tomum I. Commentariorum in SS. Anselmum & Thomam, & posteà secundum Madriti.

Quorum nullus justæ commentationis leges implevit.

Verùm in iis nullum Anselmi librum, aut tractatum profert ordine suo, aut continenti interpretatione exponit: sed ex ipso S. Doctore saltuatim testimonia excerpit, eáque conjungit articulis D. Thomæ, ut uterque easdem omninò sententias docuisse perhibeatur. Laudandum quidem & probandum ejus consilium. Sed enim Commentatoris leges injiciunt onus longè gravius ac difficilius: ut nimirùm tota litera S. Anselmi exhibeatur, & ordine suo, ac nullo prætermisso verbo, illustretur Scholiis, & Disputationibus opportunis. „

„ 4. Itaque nemo tot illustrium Virorum hactenus communi desiderio fecit satis in hac parte, ubi nullus invenitur, qui tam severas, & difficiles interpretandi totam Anselmi doctrinam in rebus Theologicis leges subire voluerit. Potuissent certè plures iis adstringi, & partes Interpretum numeris explere suis longè exactiùs, ac meliùs quàm de me sperari possit. Sed tamẽ ubi nemo alius id onus suscepit, deserviet saltem labor noster, ut alii longè doctiores, seu domestici, seu extranei, ansam inde arripiant ad illustranda pleniùs, & eruditiùs Scripta Anselmi, cedrô, & immortalitate digna. Præterea quidquid fortè peccavimus in assequenda ejus mente, benignè corrigent, aut admonebunt, ut in alia editione meliora sapiamus. „

Quam provinciam primus suscipit de Agvirre.

„ 5. Quod attinet Magistrum Sententiarum, Alensem, D. Thomam, „ Bonaventuram, Scotum, Durandum, „ &

P. Ziegelbauer Hist. P. II.

„& reliquos ferè Scholasticos, immò & Recentiores quoslibet Theologos, palàm est, in ipsorum scriptis passim occurrere varia S. Anselmi testimonia, quibus suas theses confirmant: aut respondent sibi objectis, eô interpretationis genere, ut omnes pro se, nemo in oppositum habere tantum Doctorem, videantur. Verùm cùm id solùm obiter & saltuatim præstent, nemo illorum sibi severas illas Interpretum leges imposuit. Elaborandum itaque nobis fuit, ne fortè sicuti tot seculis retrò, ita & totidem posteà, id genus Commentariorum S. Anselmi desideraretur. Eo timore perculsi, duos priores Tomos celeriùs fortè, quàm par esset, nulli parcentes labori aut sumptui, scribere & prælo edere curavimus. Præstat enim multa in iis minùs accuratè forsan dicta fuisse, facilè à nobis, vel ab aliis corrigenda, quàm aurea S. Anselmi scripta minùs celebritatis habere in scholis ob penuriam Interpretum. „

& S. Doctoris agit interpretem.

Hanc verò S. Anselmi Theologiam Eminentiss. Cardinalis de Agvirre Innocentio XI. inscripsit, cui quantoperè illa probata fuerit, vel ex eo intelligi datur, quòd pro sua potestate Apostolicâ Professoribus Collegii Anselmo-Benedictini Romæ in Brevi suo Pontificio strictè præceperit, ne quas traderent sententias, quæ cum Divi Anselmi doctrinâ non ad amussim cohærerent. En verba Pontificis jam aliàs à nobis recitata: *Ipsi verò Lectores, seu Magistri hâc formâ electi, in Theologiæ Scholasticæ cursu eas sententias, & scripto, & voce discipulos doceant, quæ sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, ex S. Benedicti Ordine assumpti, doctrinæ ad amussim cohæreant, sub depositionis & privationis muneris, alìisque pœnis, si secùs egerint, Superiorum arbitrio infligendis.* Postquàm igitur juvenes Religiosi non quicunque, sed habito delectu præstantissimi ex variis Italiæ monasteriis Romam transmissi, Theologiam S. Anselmi edocti fuerunt, sua in monasteria reduces, scholísque, ut ferè fit, præfecti ejus placita cum aliis communicare solent. Quò fit, ut Italos inter Benedictinos haud pauci S. Anselmum in Theologia pro cynosura habeant, sequantur, ac venerentur. Cùm verò ANSELMUM passim sequatur, & impensè veneretur S. *Thomas*, sicuti & ANSELMUS ipse Augustinum, perinde ferè Theologis Benedictinis ANSELMUM exponere & sectari, atque utrumque Theologiæ Solem, Augustinum & Thomam.

Innoc. XI. S. Anselmi sententias doceri jubet.

Quâ ratione Theologia S. Anselmi per Italiæ monasteria propagatur.

Qui Benedictini Germani ANSELMUM directò sectandum in Theologia sibi propofuerint, neminem unum scio, atque *Apronianum Huber*, virum doctum, rei literariæ Benedictinæ promovendæ perquàm studiosum, atque Augiæ Brigantinæ Priorem. Cœteri Germaniæ Theologi Benedictini plerumque illas tuentur sententias, quæ à schola Thomistica traduntur, præsertim intra clarissimum Ordinem Prædicatorum Benedictinæ Familiæ tot nominibus amoris & benevolentiæ illigatum, postquàm Angelicus Doctor (mirum illud & rarum Theologiæ, immò Ecclesiæ lumen) prima literarum rudimenta didicit, & magnarum virtutum primordia hausit ex monasterio Casinensi, communi ferè à priscis seculis pietatis ac literarum scholâ. Alii, quamvis pauci cum Scotistis, alii, sat multi cum Recentioribus sentiunt: *Monachi enim Benedictini*, inquit Eminentissimus noster * de Agvirre, *nullo fœdere, sacramento, aut lege constricti sunt ad certam aliquam ex Thomistarum, Scotistarum, aut Recentiorum scholis aut opinionibus.* Quod tamen de iis Benedictinis intelligendum non venit, quos Congregationis suæ Constitutiones privatæ obligatos volunt, ut in verba S. Thomæ Aquinatis jurent; quemadmodùm in Germania est quædam talis Congregatio, quæ ejusdem Angelici Doctoris sententias doceri jubet. Mirum verò, quòd in cœteris monasteriis id fiat, præterquàm in eo, cujus Abbas, Theologus doctissimus, Constitutiones condidit. Quod quàm absurdum sit, aliorum esto judicium. Quo anno (1622.) Universitas Salisburgensis inaugurata fuit, eodem etiam Doctrina Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis unicè pro norma docendi Patribus Academicis à Reverendissimo D. Præside Universitatis *Gregorio* ** Abbate Ottoburano selecta & demandata fuit. Non ita multis ante annis Alma Congregatio Benedictino-Bavarica iteratis vicibus in Generali Capitulo sapientissimè sancivit, ac sanctè observari præcepit, ut nostri deinceps in Cathedris non aliam doctrinam discipulorum auribus & animis instillarent, quàm sanctorum Anselmi & Thomæ Aquinatis; ut scilicet Tyrones nostri

In Germania qui hoc præstiterit?

Sola doctrina D. Thomæ Aquinatis in scholis Benedictinis docenda, & quibus?

* Comment. in Theol. S. Anselmi To. I. Disp. 1. Sect. IX. n. 77. pag. 73. col. 1.
** Hist. Univers. Salisburg. lib. 1. c. 3. p. 59.

stri diviniori scientiarum lacte enutriti, discerent meliora sapere, eáque, quæ à veritatis tramite deviare videntur, aut novis opinionibus indulgere, dedocerentur. Quod præclarè præstitit Cl. *Alphonsus Wenzel* primùm per plures annos in communi studio Congregationis Benedictino-Bavaricæ, posteà verò in Inclyto & Episcopali Lycæo Frisingensi Ss. Theologiæ Professor Ordinarius, cujus *Controversiæ selectæ ex universa Theologia* an. MDCCXIII. in lucem editæ magnis nec immeritis celebrantur laudibus. " In iis verò, inquit Cl. Auctor, nolumus Recentiora " sequi, aut Magistros prurientes au" ribus; sed tergeminos illos omnium " laudibus atque encomiis celebratos " Archimagistros, scilicet Doctorem " Cherubicum, *D. Aurelium Augustinum*, Doctorem Virgineum, *D. Anselmum* nostrum, & Doctorem Angelicum, *D. Thomam* Aquinatem, " presso pede sequemur, nec immeritò: nam ab illis, velut purissimis sapientiæ fontibus, haurimus doctrinæ tum claritatem, tum puritatem, " tum soliditatem, - - Cœterùm scimus quidem, mentem eorundem " celeberrimorum Ecclesiæ Doctorum " non adeò semper esse apertam, quin " inter ipsos scholæ etiam Angelicæ " cancellos diversi diversâ nonnunquam " opinentur, ex iis ea tamen seligere " conabimur, quæ vero proximiora videbuntur: potissimùm verò, quæ à " Clarissimis Doctoribus Almæ Universitatis nostræ Benedictino-Salisburgensis (ex qua, tanquam ex Equo " Trojano Viri sapientissimi, omni doctrinæ laude celeberrimi prodie" runt) tum etiam à sapientissimis Magistris Almæ Universitatis Hyrachensis, solidissimis fundamentis munita " plausibiliter docentur. Quem enim " latent nostri Illustrissimi *D. Augustini Redingi* S. R. I. Principis S. Eremi in " Helvetia Abbatis, & olim in Universitate Salisburgensi Theologiæ " Professoris profundissimæ Controversiæ, quibus universam Theologiam XIII. Tomis illustravit? Rursùs " quis ignorat Clarissimi *P. Pauli Mezger* Procancellarii ejusdem Almæ Universitatis elaboratissimos " Tractatus, & Clariss. *P. Benedicti Pettschacher* ejusdem Universitatis " olim Rectoris Magnifici emedullatas " quæstiones, quibus potissimas Ss. " Theologiæ difficultates feliciter enodârunt. Ex prioris verò Disputa" tionibus Theologicis in unum cor" pus collectis, auctis, & dispositis pro" diit celebre illud opus *Theologia Scholastica Salisburgensis*. Ut adeò " nobis vitio vertendum non sit, si in " eo genere, in quo Majores nostri " viam nobis monstrârunt, ac doctrinæ facem prætulerunt, pro nostra " tenuitate sequamur, & gloriosis eo" rundem vestigiis insistere conemur. „ Hæc ille.

Nominantur quidam è multis illustres Theologiæ Professores in Univers. Salisburg.

Quàm difficilis ac intricata sit materia *de Gratia*, quis Theologorum ignorat? Cùm verò circa eam Patres Prædicatores, Ord. S. Dominici; & Patres Jesuitæ diu multùmque hoc seculo inter se concertâssent, Clemens VIII ut hujusmodi incruentis quidem, acerrimis tamen pugnis finem imponeret, *Congregationem de Auxiliis divinæ gratiæ* anno 1598. instituit, in qua duobus Theologis è Familia Benedictina Consultoris munus demandavit. Prior erat *Anastasius Cazanicus* Abbas S. Mariæ Farfensis, sicut in Actis ejus lem Congregationis appellatur, Vir summæ eruditionis ac doctrinæ; alter * *Jacobus Bossutius*, Gallicè *le Bossu*, origine Parisinus, monachus regiæ Abbatiæ S. Dionysii, ac Doctor Sorbonicus. Hic Dominicanorum sententiam *de Gratia* per se & ab intrinseco efficaci strenuè propugnavit, unà cum Ludovico de Creil, quem Academia Parisiensis ad Sedem Apostolicam pro iisdem Congregationibus delegaverat. Scripsit Jacobus Bossutius Congregationum de Auxiliis Diarium; & extant etiamnum ejusdem Animadversiones in viginti quinque propositiones Ludovici Molinæ, quas ille à Domno Sancio à S. Catharina Fuliensi, quô familiariter utebatur, rogatus, elaboraverat, eíque dono dedit moriens.

Consultoris munus in Congr. de Auxiliis Theologis Benedictinis demandatur.

Postquàm verò Molinæ ac Fonsecæ, Jesuitarum, doctrina nova *de Scientia media* ventilata atque ad examen vocata fuisset, Clementi VIII. adeò probata non fuit, ut censuram adversùs eam in publicum emittere cogitaret. Patres Societatis, ** dimisso Clemente VIII. cujus mentem frangere nequiverant, vim suam omnem ad flectendos Censorum animos converterunt. Salmanticæ potissimùm tentatum est. Cùm enim Romanos Censores hujus Academiæ decretis, quibus Societatis novitates proscripserat, plurimùm detulisse cernerent, vulnus ea parte curandum existimârunt. Tractari quidem illud potuit, non sanari: quippe

* Graveson Hist. Eccl. Tom. VIII. pag. 184.
** Serry lib. 2. cap. 10. col. 200. & 201.

quippe non ii erant Salmanticensis Academiæ Theologi, qui Censuras suas rescindere vel temperare ullatenus vellent. Commendatitias duntaxat Epistolas à privatis aliquibus extorserunt, qui Societatis ac Molinæ causam Censoribus commendarent, aut eam ab amicis juvari rogarent.

Benedictini Salmanticenses causæ Molinianæ patrocinantur.

Primi ad Ordinis sui Procuratorem in Romana Curia constitutum scripsêre Monachi Benedictini Salmanticenses, die 31. Julii, ut Molinianæ causæ patrocinarentur: tum ob impensa sibi à Societate beneficia, tum ob contractam ejusdem urgendæ causæ obligationem. Cùm enim Societatis opiniones, uti S. Anselmi placita publicis thesibus non ita pridem propugnâssent, in causæ communionem necessariò veniebant. Ad eundem hac ipsa die scripsit etiam Hieronymus Marton, Abbas Vallisoletanus ejusdem Ordinis, parique studio Molinæ causam suo apud Romanæ Curiæ Magnates patrocinio juvandam commendavit.

Non eodem animo erga Molinæ doctrinâ affectus fuit Congregationis Hispanæ Procurator Generalis in Curia Romana.

Æquiori stetit animo Benedictini Ordinis Procurator Generalis, commendatitiis licèt Epistolis lacessitus à suis. Ab Viro Instituti sui primæ notæ, *Antonio Cornexo*, Abbate S. Jacobi in Gallæcia, primariæ olim Cathedræ in Academia Salmanticensi Moderatore, scire voluit, quid rei esset, quóve animo in Molinæ defensionem suorum aliqui consensissent. Rescripsit eruditus Abbas totum id à nonnullis privato in Societatem studio factum, nulla cum cœteris habita collatione: Instituti Benedictini Professores maximam partem in Prædicatorum sententiam conspirare; atque idcircò nec audiendos Romæ Societatis Actores, si fortè vagos illos de impenso sibi ab Hispanis Benedictinis patrocinio rumores evulgarent; nec ferendum omninò, si universum Ordinem Molinæ partibus addictum effutirent, ob paucùlos illos suffragatores, quorum studia à cœteris minimè probarentur. Do epistolam integram (verba sunt Jacobi Serry) cujus autographum inter Clarissimi *Pegnæ* Adversaria videre contigit.

Ex Hispano Latinè redditur.

Reverendissime Pater! Castellam, atque inde Salmanticam profectus, ad examen religiosæ nostræ juventutis, quæ in Collegio nostro S. Vincentii Theologiæ tyrocinia ponit, rem didici permolestam, quæ mihi, ut verum fatear, dolorem intulit longè maximum. Romam scilicet missas audivi Theses aliquas in Comitiis generalibus proximè habitis Præside M. Salazario propugnatas, privato nomine atque sententiâ: queîs tota videtur Molinæ doctrina de divinis auxiliis, actuúmque liberorum Prædeterminatione contineri. Has Romæ palàm ab Jesuitis ostentatas audio, qui etiam hanc cōmunem Magistrorum & Professorum Instituti nostri sententiam esse, dictitent. At si sic est, temerè prorsùs id effutiunt. Novit quippe Paternitas Vestra, Instituti nostri Professores inter Divi Thomæ discipulos censeri, communi scholarum nostrarum suffragio: atque adeò Thomisticam sententiam communem Instituti nostri doctrinam reputori oportere. Quamquam verò in ea, quæ Dominicanos inter ac Jesuitas movetur hodie controversia, variæ circumferantur opiniones, tutiorem nihilominus viam init Professorum nostrorum pars nobilissima, eam nempe, quæ D. Thomæ ejúsque Discipulorum est. Primariam Cathedram Vespertinam annos non paucos occupavi: Thomistarum sententiam & ab aliis semper traditam audivi, & tradidi ipse, non eo solùm nomine, quod mihi ex Academiæ statuto S. Thomæ doctrina legenda esset, sed quòd ea mihi semper sententia probata sit, quam mihi Magistri veteres velut ex asse hæredi reliquerunt. Atque ita nostri communiter sentiunt. Quare si quid fortè Romæ hac occasione moveri atque attentari contigerit, iis firmiter hæreat Paternitas Vestra, quæ rescribo. Ita quippe se res habet. Quid de Molinæ doctrina sentiam, fusiùs scripto significarem, nisi ex publico Edicto S. Officii vetitum esset, ne quis interim pendente lite Censuram ferat. Pergratum mihi faciet Paternitas Vestra, si quo loco Auxiliorum Controversia sit hodie, rescribat; númne certa spes affulgeat, ut brevì rem totam Sanctissimus Pater judicio dirimat. Vale. Datum Compostellæ die ultima Julii 1603. Antonius Cornexo, Abbas S. Jacobi in Gallæcia.

In monasterio S. Galli scribendæ Theologiæ onere discipuli levantur.

In celeberrimo S. Galli Asceterio cùm ea seculo XVII. etiamnum consuetudo obtineret, quæ in cœteris plerisque Germaniæ Benedictinis monasteriis, ut Theologica dogmata transcribentibus discipulis traderentur, animadversum est longâ experientiâ, * quòd inter tam lenta & dictandi & dictata corrigendi intervalla non modicum fieret cum labore temporis dispen-

* Ex Præfat. Theologiæ San-Gallensis: Confer etiam Ant. Possevinum in Bibl. Select. lib. 1. c. 26. ubi ad quæstionem *Dictandis Prælectionibus num ingenia lædantur?* affirmativè respondet.

spendium, mille incommoda assiduæ scripturæ annexa, & planè cognata intercurrerent: discipulorum etiam, in unn eodémque studio insenescentium animi, motu potiùs & celeritate acuendi, laxarentur; Unde visum est ejusdem monasterii Viris cùm eruditis, tum informandæ juventutis unicè studiosis, operæ pretium futurum, si Religiosis suis discipulis, hoc scribendi onere levatis, impresso potiùs Theologiæ Cursu subveniretur. Quod etiam ab iis præclarè præstitum fuit, cùm brevi pòst Theologicum Cursum operosè juxtà ac doctè compositum, non jam calamo ampliùs excipiendum, sed typis impressum Religiosæ juventuti prælegerunt. Priùs tamen, quàm illum typis mandarent, censuræ Facultatis Theologicæ in Universitate Friburgensi Brisgoiæ subjecerunt. Et verò à Doctoribus Theologis Societatis Jesu testimonium tulerunt, quòd solidæ sublimísque doctrinæ prudens & accuratus apparatus in eo contineatur; ut plurimùm enim Theologi San-Gallenses Recentiorum sententias, maximè de Scientia Media & prædestinatione à meritis prævisis pendula amplectuntur.

Cœlest. Sfondratus Nodum Prædestinationis dissolvere laborat. Quâ doctrina etiam imbutus fuit *Cœlestinus Sfondratus* San-Gallensis Scholæ immortale decus ac ornamentum. Is cùm rerum divinarum cognitione polleret, ut sublimitate argumenti subtile ingenium exerceret, *nodum prædestinationis* dissolvere aggressus est. Verùm dum operi ad calcem perducendo insudat, ultima corporis ægrotatione correptus, supremam eidem manum imponere haud potuit. Ab ejus tamen obitu Operis impressionem Romæ in præsentia Summi Pontificis accuravit Joannes Damascenus Ord. Min. Convent. Sac. Theol. Magister, sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis Qualificator, Sacrarum Congregationum Rituum, & Indicis Consultor, & in Archigymnasio Romanæ Sapientiæ Theologiæ Dogmaticæ Lector. Vix autem prælo emerserat Opus, cùm varii Theologi varias de eodem tulerunt censuras, ac judicia extremè dissentanea. Inter

Quod Mabillonio non probatur. cœteros è nostris Joannes Mabillonius, * non magis in rebus Historicis, quàm Theologicis apprimè versatus ad amicum in Germania 19. Octob. an. 1699. hæc perscripsit. "Non dubito, quin " Emin. DD. Sfondratus bonæ me- " moriæ suos habituros sit defenso- " res, sed utinam non iis indigeret. " Utinam pro se habeat Scripturam, " vel Traditionem ad dogmata sua " comprobanda, vel etiam utrumque, " sine quorum altero, quidquid in re- " bus Theologicis asseritur, meritò " suspectum haberi debet. Quale ve- " rò est illud, quòd naturalis cujus- " dam beatitudinis & personalis inno- " centiæ compores dicuntur insantes, " quos filios iræ nasci, &, si sine ba- " ptismo decedant, in æternum per- " manere constat? Nec unquam ac- " curatis Theologis placere poterit " facilis ille modus dissolvendi *nodi a* " *Prædestinationis*, quem, Apostolo te- " ste, insolubilem esse, & non nisi ad in- " scrutabilia Dei judicia pertinere cer- " tum est. Hæc dixerim, non animo " insultandi mortuo Leoni, quem vi- " ventem colui, cujus mortui memo- " riam veneror: sed ut amico ingeu- " nuè mentem meam paucis aperiam, " cui nihil magis est in votis, quàm " ut sarta tecta sit Eminentissimi Viri " doctrina & memoria coram Deo & " hominibus." Hæc Mabillonius, omnino ad mentem & palatum illorum in Gallia Theologorum, qui Sfondrati libro unguem censorium impresserunt. Quid? quòd Gallicanæ Ecclesiæ illustrissimi quinque Præsules, *Mauritius le Tellier*, Archiepiscopus Remensis, *Ludovicus Antonius de Noailles*, Archiepiscopus Parisiensis, *Jacobus Benignus Bossuet* Episcopus Meldensis, *Guido de Seve* Episcopus Arelatensis, & *Henricus Feydau de Brou* Episcopus Ambianensis data ad Innocentium PP. XII. anno 1697. VII. kalendas Martii Epistola *Nodum Prædestinationis dissolutum* Apostolicæ Sedi, Summóque Pontifici ut gravibus scatentem erroribus, maximè Pelagianismi, denuntiàrunt. Quibus Papa in hæc verba respondit:

Nodus Prædestinationis Romæ denuntiatur.

Innocentius Papa XII.

"Venerabiles Fratres, Salutem & " Apostolicam Benedictionem. Li- " teras vestras VII. kalend. Martii pro- " ximè præteriti ad nos datas grato " animo accepimus. Ex iis enim vi- " gilem ac sacerdotalem zelum, qun " sacros Antistites in partem sollicitu- " dinis nostræ vocatos flagrare maxi- " mè decet, in vobis vigere, vósque " priscam erga hanc sanctam Sedem, " cui nos, licèt immeriti, præside- " mus, debiti obsequii gloriam constan-

* Opp. posth. Tom. I. l. 5. pag. 430. in notis.

„ ſtanter retinere deprehendimus: „ dum antiquæ traditionis exempla „ ſervantes Eccleſiaſticæ memores diſ- „ ciplinæ, ad locum, quem elegit „ Dominus, aſcendiſtis, ac ea, quæ „ in libro poſthumo bæ. mem. Cœle- „ ſtini S. R. E. Cardinalis Sfondrati de „ divina prædeſtinatione nuper edito, „ reprehenſione digna vobis viſa ſunt, „ ad noſtrum Apoſtolatum eo fermè „ tempore, quo variæ doctorum ho- „ minum de eodem libro ſententiæ „ etiam per Urbem ferebantur, detu- „ liſtis, noſtrum hac in re judicium „ eâ, quâ par eſt, reverentia, depo- „ ſcentes. Officii itaque noſtri eſſe „ duximus, librum ipſum, réſque à „ vobis in eo adnotatas, inſignium „ Theologorum diſcuſſioni committe- „ re, ut omnibus maturæ conſidera- „ tionis trutina perpenſis, quod juſtum „ fuerit, ſubinde decernere valeamus; „ non aliâ profectò quàm crediti no- „ bis divinitùs miniſterii partes, ſicut „ oportet, implendi, habita ratione; „ quod ut etiam in aliis omnibus, quæ „ ad oneroſam Apoſtolici muneris no- „ ſtri curam pertinent, ſalubriter exe- „ qui poſſimus, jugibus Fraternita- „ tum veſtrarum apud Patrem lumi- „ num precationibus infirmitatem no- „ ſtram juvari vehementer optamus, „ vobíſque Apoſtolicam Benedictio- „ nem peramanter impertimur. Da- „ tum Romæ apud ſanctam Mariam „ majorem ſub annulo piſcatoris, die „ 6. Maji, Pontificatûs noſtri anno „ ſexto. „

Signatum: Marius Spinula.

Edito etiam libro impugnatur. Hiſce quinque Illuſtriſſimis Galliæ Præſulibus neſcio quis ejuſdem regni Theologus Anonymus ſuum Opus inſcripſit, quod ſub hac epigraphe publico exhibuit: *Auguſtiniana Eccleſiæ Romanæ doctrina à Cardinalis Sfondrati Nodo extricata per varios S. Auguſtini diſcipulos, Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis Eccleſiæ Principibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cœteríſque totius cœtûs Eccleſiaſtici Ordinibus Cleri Gallicani in Comitiis Generalibus in Palatio Regio ad Fanum S. Germani proximè congregandis nuncupata. Coloniæ typis hæredum Cornelii ab Egmond cum Approbationibus* MDCC. Habuit tamen Eminent. Sfondratus ſuæ doctrinæ Vindicem Anonymum, neſcio quem perdoctum Theologiæ Profeſſorem, qui libro mox dicto alium oppoſuit in hæc verba inſcriptum: *Diſpunctio Notarum Quadraginta, quas ſcriptor Anonymus Em. Card. Cœleſtini Sfondrati Libro, cui titulus: Nodus Prædeſtinationis, quantum homini licet, diſſolutus, inuſſit.* Vindicatur. Libro Author præfixit ſupplicationem ad Beatiſſimum Patrem Innocentium XII. Summum Pontificem verbis S. Bernardi Abbatis ad Innocentium II. Romanum Epiſcopum deſcriptis contextam.

In Proloquio autem ad Lectorem iis reſpondet, qui cum Mabillonio Em. Cardinalem inanem operam ſumpſiſſe contendunt, quòd nodum prædeſtinationis teſte Apoſtolo, inſolubilem diſſolvere aggreſſus fuerit: „Siqui- „ dem, inquit, Prædeſtinationis arca- „ no non unicus tantùm implicatur „ nodus inſcrutabilia Dei trahentis „ unum, non alium judicia involvens. „ Hunc enim nexum eſſe ab humana „ mente inexplicabilem nemo rationis „ compos ambigere poteſt, ídque „ Eminentiſſ. Author in ipſa prima „ pagina ex Scriptura comprobat, & „ vel in ipſa prima periodo manifeſtè „ declarat, ac dilucidè, & luculenter „ in ſecunda pagina exponit, quem „ nodum in prædeſtinationis myſte- „ rio explicandum aſſumat, eúmque „ velut intento digito demonſtrat; „ Complures námque difficultates in- „ tricatiſſimæ, & inſuperabiles tum in „ hac materia, tum in aliis Chriſtia- „ næ religionis abditiſſimis arcanis in- „ volvuntur, quibus tamen illumi- „ nandis & explicandis SS. Patres in- „ ſudârunt, præcipui Scriptores Ca- „ tholici ſummo ſtudio invigilârunt, „ iíſque ſchola Theologica jam inde „ ab incunabulis ſuis tota virium con- „ tentione lucem aliquam affundere „ certavit, & certat etiam nunc inde- „ feſſa, avitarum traditionum, Con- „ ciliorum, & Patrum monumenta „ excutiens, magno ſacræ etiam eru- „ ditionis, & divinarum Literarum in- „ cremento. Inexhauſtum quippe eſt „ penu Theologiæ Patrum, & exinde „ in dies effodiuntur abſtruſarum re- „ rum elucidamenta nova, & vetera, „ nec ob id charitas inter Catholicos „ Magiſtros, & Doctores vel tantillum „ deterbuit, aut deferveſcit. „

Cur Gallicani Præſules Nodum Prædeſtinationis denunciârint. Poſt pauca in eodem procemio Vindex cauſam ſubindicare videtur, quâ commoti Gallicani quidam Præſules Em. Sfondratum de multis erroribus, maximè Pelagianiſmo, apud Apoſtolicam Sedem inſimulârunt. Cùm enim Clerus Gallicanus Anno 1682. quatuor

tuor propositiones, quibus infallibilitas & authoritas Christi in terris Vicarii summoperè impetebatur, procudisset, easdem Sfondratus fortiter revicit: ut igitur quidam Galliæ Præsules Antagonistæ par pari referrent, ejus librum Romæ denuntiârunt. Sed Vindicis verba afferamus. „ Nonnulli verò haud ignari, Sfondratum editis „ pluribus voluminibus singulari eloquentia, profunda eruditione, peremptorio authoritatum robore, & „ gravissimo argumentorum pondere „ præstantissimis *Regale Sacerdotium* „ Romano Pontifici asseruisse, & tam „ gloriosam Nominis sui celebrationem posteris commendâsse, adeò ut „ aliis præclaris Scriptoribus responsa „ quidem qualiacunque reddiderint, „ at nemo in Sfondratum, ejúsque „ Opera hiscere, aut mutire ausus „ fuerit; idcircò ab istis putatum est, „ quod exinde transversa quædam de „ eodem Authore quæsita fuerit vin„ dicta. „ Unde non defuit, qui commiseratione erga hujusce tincturæ Censores commotus eos his verbis S. Bernardi epist. 36. in defuncti cujusdam Episcopi oblocutores prolatis, ab incepto revocandos duxerit: *Modestiæ vestræ fraterna præsumptione consulo, quatenus* (Cardinalem pium) *& doctum, quem quietè vivere permisistis, mortuum inquietare desinatis, ne dum non valentem pro se respondere reprehenditis, magis hoc ex charitatis inopia, quàm veritatis fiducia descendere ostendatis.* Hæc & complura alia Sfondratinæ doctrinæ Vindex.

Alii insignes Theologi. Occurrunt hîc memoriæ alii tres quatuor insignes è nostris Theologi, quorum nomina silentiô involvere pe-nè nefas duco. Philippus Browerus. *Philippus Browerus* priùs in Abbatem monasterii Brauvillarii duabus horis à Colonia Agrippina remoti, quàm electus esset, sacræ Theologiæ erat Doctor, ac per duodecim annos in Seminario Benedictino Coloniensi Rector vigilantissimus, summa cum laude gubernavit. Carnis sarcinam deposuit an. 1672 ætatis 64. Prælaturæ 7. die 4. Martii, & qui dicere solitus erat, *Vivo & morior Thomista*, in festo S. Thomæ Aquinatis, in quo natus, conversus, professus, & Abbas electus erat, est etiam tumulatus ante altare S. Petri Apostoli in sepulchro, quod sibimet paraverat.

Alphonsus Mariconda. *Alphonsus de Mariconda*, vir acerrimi ingenii, exquisitæque doctrinæ, Professor SS. Theologiæ publicus in Lycæo Neapolitano, deinde Triventinus Antistes, ac tandem Acheruntinus Archiepiscopus. Hujus disciplinæ concreditus Angelus Maria Quirinus (hodie S. R. E. Cardinalis) divinæ illius scientiæ studium transmisit, tanto profectu, ut Theses Theologicas sine Professore publicè defenderit. Sed de hac disputatione ipsum Purpuratum Patrem audire præstat. Sic verò * infit:

„ Anno 1702. Perusiam, dum ibi Comitia totius Congregationis Casinensis haberentur, accessi, Theologicas Theses in eo Præsulum conventu propugnare jussus, idque præstiti absque Præceptoris mei Maricondæ præsidio, seu, ut vocatur, „ assistentia. Tanta me tenuit (quod „ valdè nunc miror) ea occasione ingenii mei fiducia, ut eundem Præceptorem propiùs ad Cathedram „ quandoque apparentem, mihíque „ aliqua in aures insusurrantem, quibus ego rebar menon indigere, objurgare quodammodò cœperim, nec „ trepidaverim multis audientibus ei „ dicere, ut, quoniam iis immurmurationibus gloriam disputationis „ absque Lectoris præsidiò habitæ extenuare conabatur; non igitur clanculùm adreperet, sed propalàm ad „ Cathedræ latus, ubi moris est in reliquis hujusmodi Actionibus, assideret. At verò dolui deinde vehementer disputationis æstum è labiis „ meis verba illa extraxisse. Æstu illo „ incandescendi causam mihi præbuerat Thesis adversùs Scientiam „ Mediam validè à me propugnata, „ contradicente Patre Ayroldo egregiu Societatis Jesu Theologo. Memini, hunc longo verborum apparatu, antequam eandem impetere „ aggrederetur, prolusisse primùm, „ ac tandem à me postulâsse, Quænam „ foret ea Scientia Media, quam ego „ rejiciebam; méque ne momento „ quidem temporis hæsitantem, animosè respondisse, Ea ipsa, quam „ Patres Societatis Jesu tuentur, ac „ docent. Subitum, & ardens dictum „ istud ingenti plausu excepit Consessus universus, at nemo magis Patre „ Burgoso, eximio inter Franciscanos „ Theologo, qui post aliquot annos „ Theologiā Patavini Athenæi Cathedram est assecutus, ex qua deinde ad Cata-

Cardin. Quirinus.

* Vid. Commentar. Vitæ part. 1. pag. 21.

„ Catanensem Episcopatum ascendit. Ad familiares ejusdem Theologi sermones admissus, multa ex eo præcepta hausi de saniori Theologia sectanda. Redii autem ad urbem Florentiam ex tradito mihi diplomate à generali Definitorio, Lectoris munere auctus, idque exordiri mihi contigit à tradenda Theologia, interpretandisque unà simul sacrorum Canonum sanctionibus. „

Claudius Mathoudius. *Claudius Mathoudius* è S. Mauri Congregatione nomen suum posteritati commendavit, typis vulgando Theologiam Roberti Pulli ante Cardinalitiam Purpuram in Universitate Parisiensi publici Theologiæ Professoris celeberrimi, quam non modò ante Petrum Lombardum, Sententiarum Magistrum ac Episcopum Parisiensem, Theologorum facilè principem docuit, sed literis etiam consignavit. Opus inscribitur *Sententiarum Theologicarum Libri* 8. qui incipiunt: *Ut in hoc volumine Lectori facilè, quod quæsierit, occurrat, hæ præmittuntur Distinctiones: Distinctio prima: Irrationabilium rationabilis progressus, & indefessus in se recursus.* Eductum illud impressúmque eruditissimis notis illustravit. Cui operi librum Sententiarum Petri Pictaviensis, veterrimi etiam Scholastici cum doctissimis pariter animadversionibus adjecit, quas eruditi spernendas non censent.

Franciscus Gefrevius. *Franciscus Gefrevius* magni nominis Theologus in Congregatione S. Mauri cùm anno 1699. in Abbatia S. Dionysii Theologiam doceret, Theses ipsius, in quibus non minori ardore, atque libertate & scientia, veritates Christianas propugnabat, fuerunt acriter impugnatæ, scripto in publicum emisso, cui titulus: *Theologiæ Scholasticæ tumulus in Thesibus San-Dionysianis.* P. Gefrevius suarum partium esse existimavit, ut temeritatem & ignorantiam aggressoris in ruborem daret, edito libro, quem inscripsit: *Theologiæ Sophisticæ tumulus sincerior.* Contigerunt hæc, fervente illa controversia, cui nova editio Operum S. Augustini à doctissimis & gravissimis Theologis Congregationis S. Mauri accurata, occasionem præbuit, ratione materiæ *de gratia.* Anno sequenti animum ad componendam *Theologiam dogmaticam* applicuit, sed cùm opus irremisso studio dies noctésque immoderatiùs urgeret, laboribus ac vigiliis brevì confectus non sine magno totius Congregationis mœrore eidem immortuus est. Cæterùm P. *Gefrevius* cum aliis omnibus Congregationis suæ Theologis in difficillima illa materia *de gratiæ intrinseca efficacia & gratuita prædestinatione ad gloriam* sanctum Augustinum sibi sequendum statuerunt. cùm ille ab Ecclesia Romana tanquam *Doctor Gratiæ* proponatur. Qua de re qui plura nôsse cupit, legat Tomum X. Operum S. Augustini Edit. Monach. Benedictin. Congreg S. Mauri.

Antonius Touttée. Non ita diu post anno 1708. in eodem Regio sancti Dionysii monasterio saniorem Theologiam per quatuor annos docuit Domnus *Antonius Augustinus Touttée*, cùm jam priùs eandem tribus annis in cœnobio Floriacensi tradidisset. Hanc autem docendi viam sequebatur, ut, missis Scholasticæ spinis, quid sancti Patres sensissent, unicè curaret, atque ex eorum libris, quos nocturna diurnáque manu versabat, omnem dictandi materiam comportaret. Hos ad usus literarum græcarum præsidium sibi paraverat, in quibus ita contritus fuit, ut cum excellentibus in hoc genere comparari posset. Sic instructus & munitus ad novam editionem S. Cyrilli adornandam accessit, suadentibus amicis, præpositis jubentibus. Eidem tres Dissertationes, Theologica doctrina refertissimas præmisit, in quarum tertia *de divinæ gratiæ efficacitate* agit. Statum verò quæstionis his verbis proponit:

Ejus Dissertatio de divinæ gratiæ efficacitate. „ Cùm Theologos inter omnes conveniat, gratiæ, ut efficax sit, nec vacua & infructuosa ad opus bonum excitatione ejus terminetur effectus, uti tam sæpè contingit, humanam cooperationem adjungi oportere, ac liberum voluntatis, quem nunquam non potest, si velit, denegare, aut supprimere consensum: illud ulteriùs quæritur, gratia-ne illam cooperationem ac consensum exspectet, an ipsa vi sua præpotenti exprimat, & expugnet; id-ne solum in nobis præstet, ut agere possimus, an ut etiam vel velimus agere, & reverà agamus, faciat; utrùm munus ejus simplici excitatione ac permotione finiatur, cui deinde voluntas de suo assensum adjiciat, an ipsa nolentem & repugnantem flectat, ut velit & assentiatur: uno verbo, determinétne & applicet voluntas gratiam, an gratia voluntatem?

Statu quæstionis ita proposito, mentem ac sententiam suam his verbis aperit:

„ Mihi

„Mihi semper definita visa res est " *ex Scripturis*, quæ humanum cor à " Deo, quocunque voluerit, inclinari " docent; Deum in nobis operari vel- " le & perficere, scribere leges suas " in cordibus nostris, facere, ut in " præceptis suis ambulemus, dare no- " bis cor novum, facere in nobis, " quod placeat coram se: *ex Ecclesiæ* " *quoque precibus*, à Deo postulantis, " ut det & faciat nos & posse & ama- " re quæ præcipit, rebelles nostras " compellat voluntates, sui amoris af- " fectum infundat, amorem sui nomi- " nis pectoribus nostris inserat, spiri- " tum cogitandi & agendi, quæ recta " sunt, largiatur, faciat nos, quæ sint " sibi placita, postulare, devotam sibi " gerere voluntatem, ejusque majestati " sincero corde servire; quibus omni- " bus non solùm possibilitas actionis, " sed ipsa voluntas & actio rogatur à " Deo. Addo *ex Conciliis*, quibus de- " cernitur, per gratiam nobis præsta- " ri, ut quod faciendum sit, facere di- " ligamus atque valeamus; Deum ju- " bere homini ut velit, sed operari & " velle; jubere ut faciat, sed ope- " rari & facere; Deum ut à pecca- " to purgemur, voluntatem nostram " non exspectare, sed facere etiam ut " purgari velimus; merita nostra esse " dona Dei, cùm meritum omne per " liberum gratiæ excitantis consensum " comparetur. *Ex Romanis etiam Pon-* " *tificibus*, statuentibus Deum in cor- " dibus hominum atque in ipso libe- " ro arbitrio operari, ut sancta cogi- " tatio, pium consilium, omnisque " bonus voluntatis motus à Deo sit; " illum agere in nobis, ut quod vult, " & velimus & agamus; gratiæ donum " esse, ut [ipsi gratiæ] obedientes & " humiles simus. *Ex Augustini tandem* " *sententia*, quæ totius Africanæ Ec- " clesiæ doctrina fuit, & à Romana, " & omnibus Ecclesiis comprobata; " qui nimirùm à Pelagio, ut Catholi- " cus demùm haberetur, exegit, ut " eam gratiam confiteretur, qua fu- " turæ gloriæ magnitudo non solùm " promittitur, verùm etiam creditur " & speratur; nec solùm revelatur sa- " pientia, sed & amatur; nec solùm " suadetur omne, quod verum & ju- " stum est, verùm & persuadetur; quæ " non solam possibilitatem, sed ipsam " quoque voluntatem & actionem, id " est, ut benè velimus & agamus, quæ " non sunt in homine, nisi quando be- " nè vult & benè agit, dono suo com- " plectatur. Divina hæc doctrina, " totius orationis & spei, atque humi- " litatis Christianæ fundamentum, mi- " rabar, si ab antiquis Patribus ac " Græcis præsertim, ut vulgata fert " opinio, ignorata aut oppugnata " fuisset. Hanc certè in Cyrillo me " deprehendisse spero non obscuris " argumentis."

Ex Ecclesiæ precibus

Conciliis,

Romanis Pontificibus,

& SS. Patribus.

Pressit igitur *Touttæus* laudatissimo exemplo Majorum nostrorum vestigia, ad quorum doctrinam de gratia men- tem si advertere velimus, ea ipsa est, quam ex Scripturis, Ecclesiæ preci- bus, Conciliis, Romanis Pontificibus, sanctis Patribus, maximè Augustino, hauserunt. Certè illa imbutus fuit Lupus Abbas Ferrariensis, uti ejus scripta evolventi palàm fit. Jam ve- rò Lupus hanc doctrinam in schola Rabani Mauri Fuldæ imbibit; Raba- nus in schola Alcuini edoctus eam fuit; Alcuinus in Eboracensi Ecclesia à Be- da informata traditam accepit; Vene- rabilis Beda cùm à præceptoribus suis, tum potissimùm ex libris S. Augustini hausit. Ut verò Lupus Ferrariensis, ut mox dictum, eam doctrinam à Ra- bano Mauro edoctus fuit, sic ipse Hei- ricum monachum Autissiodorensem, Heiricus Remigium, Remigius suos discipulos, quos plurimos cùm ex sta- tu Clericali tum monastico habuit, eàdem instruxit; per quos deinde ejus doctrina per Galliam, Belgium, Ger- maniam, Italiam, & Angliam pro- pagata fuit. Quibus seculo XI. B. Lanfrancus & S. Anselmus in Schola Beccensi celeberrimi Theologiæ Ma- gistri accesserunt. Non igitur Bene- dictini hanc sententiam noviter susce- perunt, sed à primis Ordinis incuna- bulis doctissimi quique tenuerunt. An verò Benedictinis illis laudi ducendum sit, qui hac ætate, desertâ Majorum doctrinâ, in neotericorum discedunt opinionem, nolim hîc multis disputa- re. Quid enim aliud hoc est, ut quàm modestissimè loquar, atque metum præseferre, ne pressis Majorum vesti- giis ipsi posteri à semita veritatis defle- ctant? *Vos nescitis quidquam*, dicebat olim Caiphas. Forsan tamen quis di- xerit, non ita veterum Benedictino- rum de *Gratia efficaci & gratuità, præ- destinatione* universalem fuisse doctri- nam, ut non alii diversa senserint. Certè doctissimus Sirmondus * ea causa Hinc-

Veterum Benedictinorum doctrina de divina gratia.

* Nicol. Ant. Bibl. vet. Hisp. Tom. I. pag. 367.

Hincmari nostri, Archiepiscopi Remensis *Opus de Prædestinatione* in lucem protulisse dicitur, quòd in eo Recentiorum Societatis suæ *de gratiâ & auxiliis ejus*, seu de prædestinatione doctrinam adjuvare sibi visus fuit.

Mabillonii sententia de Gratia.

Quamquàm si Mabillonium audimus, de Gratia & Prædestinatione nobis altercandum non sit. In epistola anno 1696. die 11. Junii ad Cardinalem Coloredum data pro Novis Litterariis * hæc Romam scripsit ex monasterio S. Germani Parisiensis: „Examinatur etiam libellus Gallicè editus: *Exposition de la Foy touchant la Grace* &c. cujus censuram ab Illustriss. Parisiensi Archiepiscopo apparari ajunt. O quando tandem homines de Gratiâ rixari desinent? Quàm conducibilius esset, animos aptare gratiæ recipiendæ! Verùm huminum impetiginem reprimere quis possit? Nunquam hæc absque turbis in hoc seculo tractabuntur.„ Hæc Mabillonius, cujus adhuc juvenis in concertationibus Theologicis sic eminebat ingenium, ** ut quæcunque inter disputandum proferret, non tam à discipulo, cujus nomen amabat, quàm à magistro prolata viderentur. Cùm anno MDCLXIII. in Sandionysianum Cœnobium Superiorum jussa advenisset, ibi per annum Cimeliarchæ munus ei commissum fuit: quo in munere obeundo non parum otii impenditur ac laboris, ob ingentem videlicet omnis hominum generis frequentiam, qui veneranda Regum Galliæ monumenta visendi studio adducti, eò assiduè confluunt. Ad id muneris sacras licèt Præpositorum rogatu conciones superadderet ac Catecheses, quæ per totum anni curriculum in ecclesia Sandionysiana ad populum haberi solent: haud tamen à solitis Theologiæ concertationibus aberat: immo sæpenumero scholas frequentabat. Id verò permirum omnibus videbatur, eum, etsi non alia quàm Remensis Academiæ suscepisset Theologica documenta, atque ob infirmam valetudinem seriis jam dudum studiis nuncium remisisset, Sanctorum tamen Ecclesiæ Patrum, lectissimorúmque auctorum perfectè adeò nôsse Opera, sensus intelligere, sententias aperire, déque rebus Theologiæ difficilioribus altè adeò juxtà ac eruditè disserere. In materia tamen *de gratia* *** ejus opinio peculiaris erat, atque à sententia Sodalium suæ Congregationis dissidebat. Quæcunque verò fuerit, Mabillonius de Theologia, *Positiva*, an *Scholastica?* certè saniori ac meliori præclarè meritus fuit. *Extat*, inquit Doctissimus Amat de Graveson, **** *doctissimi Patris Mabillonii, quem sacræ antiquitatis bono natum lubens hîc honoris causa nomino, aureus liber de Monasticis studiis, qui sanioris Theologiæ Magistris regiam planè viam sternit, cui maxima cum Theologici nominis commendatione utiliter insistant, quam qui secuti sunt ex Religiosissima Congregationis S. Mauri Familia viri celeberrimi eruditis suis lucubrationibus & sanctorum Patrum editionibus Theologiam & Ecclesiam illustrârunt hactenus, & modò illustrare pergunt.*

Commendatur Theologia Patrū Congreg. S. Mauri.

Et verò Patrum Congregationis S. Mauri Theologia magni facienda est, cùm illam eo modo tractent, quo Romani Pontifices illam tractari volunt. Sic enim, ut Sixtus V. in Bulla quadam, cui initium *Triumphantis Jerusalem*, inquit, si hujus tam salutaris scientiæ (nimirum Theolog.) cognitio & exercitatio ab uberrimis divinarum Literarum, Summorum Pontificum, & Conciliorum fontibus dimanant, ecquinam in eorum omnium lectione atque studio magis versati sunt, atque Patres Congregationis S. Mauri? Quod cùm multis argumentis, tum præcipuè Operibus præstantissimis magno numero ab iis in lucem editis judicari potest. Vel in sola Operum S. Augustini editione, quanta quámque sublimis Theologia ex Scripturæ, Traditionum Apostolicarum, Patrum ac Conciliorum fontibus hausta? Quàm scitè Theologica dogmata è Conciliorum Patrúmq; monumentis colligunt, & quæ universæ Ecclesiæ probentur, qúæve improbentur, in aperto constituunt? Quàm scitè ad eadem dogmata confirmanda rationes & argumenta accumulant? Quàm scitè & validè, confutatis Sectariorum objectis, fidei Catholicæ assertiones propugnant, & tuentur? Verè Theologi, qui ut verbis profundissimi Melchioris Cani utar, *de Deo, Rebúsque divinis, aptè, prudenter, doctè, è Literis, institu-*

* Vid. Opp. Posthum.
** Ruinart. in vit. p. mihi 16. & 20.
*** le Cerf Bibl. Hist. Crit. pag. 285.
**** Hist. Eccl. Tract. VIII.

stitutisque sacris ratiocinantur. Quò insulsa magis semper mihi visa est, hodiéque videtur illa vox, quæ ex ore unius alteriúsve in Germania Benedictini extitit, *Patres Congregationis S. Mauri esse quidem eruditos, sed non doctos.* Quam ineptissimam vocem absit à me, ut multis refellam. Nam ut est apud Arnobium, *ajunt sanè sententes, contradicere rebus stultis, stultitiæ esse majoris.* Ad manum sunt laudatissimæ illius Congregationis Patrum Scripta, veluti totidem argumenta, quibus clarissimè ostenditur, eos doctrinæ copia & varietate longè multúmque suis præstare obtrectatoribus, quorum dicendi libertas ab ea parùm recedit, quæ insanis tribui solet, ut cùm quidlibet in quemlibet dixerint, nemo laboret. Eximios Theologos nulla sacræ Scripturæ, quæ omnis Theologiæ fons est, intelligentia, nulla Conciliorum peritia, nulla Ecclesiæ Doctorum lectione, nulla antiquitatis Ecclesiasticæ cognitione instructos! qui plures sæpe annos docuerunt, quàm vel paginas unquam in Conciliis ac sanctis Patribus legerunt. Et se Theologos tamen videri cupiunt, & quidem ejuscemodi Theologos, ut tanquam Atlante cœlum, ita Theologia sua disputatrice totius doctrinæ medullam, atque adeò encyclopædiam niti existiment. Quis illos de Theologia malè sentire non dicat, qui homines in eruditione versatos nunquam Theologos satis bonos existimant; cùm potiùs nemo satis bonus Theologus esse aut dici possit, qui satis non fuerit eruditus. Utinam saperent, & quid discriminis inter doctum & eruditum virum intercedat; quis verus doctrinæ conceptus, quid Pedantismus sit Theologiæ, intelligerent. Sapiunt enimverò, sed cum illo nempe Theologo, de quo vir gravissimus, Fidei Orthodoxæ Athleta, ac supremus Angliæ Cancellarius B. *Thomas Morus* historiam oppidò festivam refert in epistola * ad Martinum Dorpium, Theologum Lovaniensem.

Eorum excellens doctrina vindicatur.

Historia non illepida de Theologo,

„ Cœnavi olim, inquit, apud Italum quendam, non minùs doctum, quàm divitem (erat autem ditissimus) fortè aderat in cœna Religiosus quidam Theologus, disputator egregius, qui recens è continente venerat, ut quæstiones aliquot, quas præmeditatus advexerat, Londini disputaret, experturus videlicet in ea disceptandi palæstra, quid „ Angli præstare possent, simul nomen suum jam apud suos celebre, apud nostros quoque propagaturus. Is quas conclusiones (ut vocant) affixerit, tum quàm bellè disputatio processerit homini, quamquàm longum esset, non gravarer profectò narrare, si tam ad hanc rem pertinens foret, quàm festivum fuit. Cœterùm in cœna nihil à quoquam dici tam bene munitum aut libratum, tam circumspectè potuit, quod non ille vix prolatum aliquo statim syllogismo convelleret, quantumvis res, de qua sermo erat, nihil ad Theologiam pertinens, ad Philosophiam tantundè, quantunvis deniq; ab universa ejus professione esset alienum: nisi quod initio cœnæ fecerat, ne alienum esse quicquam ab ejus professione posset (professus est enim, sese in utramque partem de re quacunque disputaturum) Paulatim cœpit mercator ad quæstiones magis Theologicas descendere: de usurâ proponebat, de decimis quædam, de confessionibus, quæ in aliena parochia Fratribus essent factæ. In omnibus nihil erat Theologo pensi, utram sustineret partem; sed utramcunque aliquis asseruisset, illam oppugnabat; ac vicissim quamcunque alius negaverat, hanc ille protinus astruebat. Tandem per jocum mercator sermonem de concubinis injecit, cœpítque defendere, minus mali unam quampiam domi habere, qnàm foris per multas discurrere. Ibi rursus Theologus instare, oppugnare ferociter, non quòd usque adeò concubinam videretur odisse, sed ne cum quoquam ei quicquam conveniret, sive quòd hominem fortassis varietas oblectabat. Cæterùm asserebat, secundùm conclusionem famosam cujusdam limpidissimi doctoris, qui fecit illum singularissimum librum, sic intitulatum: *Directorium concubinariorum*, plus eum peccare, qui unam domi concubinam, quàm qui decem foris meretrices haberet; idque cùm ob malum exemplum, tum ob occasionem sæpiùs peccandi cum eâ, quæ domi sit. Respondit mercator, doctè me herclè & acutè; quæ & longum recitare fuerit, & apud te mi *Dorpi*! supervacaneum. At cùm olfecisset Theologum non perinde in Scripturis, atque in quæstiunculis illis exercitatum, cœpit hominem ludere, argumentaríque interdum per locos ab autoritate. Effingebat enim ex tempo„ re sententiolas quasdam breves, suæ „ parti

Qui disputat in utramque partem de quacunque re.

In sacris Literis prùm est exercitatus.

* Est prima inter ejus epistolas.

„parti quæ viderentur astipulari; cúmq; ipse omnes nusquam antè auditas, pro libito fuisset commentus: hanc tamen ex epistola quapiam D. Pauli, illam ex Petri, rursus aliam ex medio citabat Evangelio: idque tam diligenter, ut ne capitulum unquam, dum citabat, omitteret, nisi quòd siquis liber in sedecim capita distinguebatur, ille datâ operâ citabat ex vicesimo. „

Earum personatas authoritates distinguit.

„ Quid ille bonus Theologus interim? ad cœtera certè strenuè, & tanquam spinis sese suis obvolvit. At personatas illas authoritates vix hercle huc atque illuc vitabundus evasit, sed evasit tamen, tantùm valet ars exercitatióque disserendi. Nam cùm quid in sacris continebatur Literis, omnino nesciret: neque dubitaret, quin quid inde citaretur, ibi esset, non deferre verò, cederéque authoritati S. Scripturæ nefas duceret, ac loco depelli, vincíque turpissimum: tantis circumseptus angustiis, vide obsecro! qua astutia tamen Protheus ille è mediis retibus elapsus est. Statim ut aliqua sententia, quæ nunquam erat, tanquam è sacris Literis adversùs eum citabatur: Benè citas, inquit domine, sed illum textum ego sic intelligo: & jam interpretabatur non sine aliqua distinctione bimembri, quorum alterum pro adversario stare diceret, altero ipse effugeret. Quòd si quando mercator instabat molestiùs contendere, ejúsque textûs non illum verum esse sensum, quem Theologus affirmabat, jurabat homo tam sanctè, ut quivis posset credere, Nicolaum de Lyra eum textum interpretari. Profectò mi Dorpi! in illa una cœna plusquàm viginti textus, totidémque poculenta glossemata inter pocula, atque ex poculis, tanquam è serpentis dentibus terrigenæ illi fratres & nati sunt & perierunt. Quid tu ais ergo Dorpi! Tu istiusmodi homines sacrarum inanes Literarum, quæstionibus illis Theologicis quantumcunque distentos, Theologorum censes vocabulo insigniendos? Non opinor. „

Novus Theologus priori non multùm dissimilis.

Neque ego Benedictinum illum inter magni nominis Theologos referendum existimo, qui annis proximè elapsis Disputationem publicam ex Scholastica Theologia habiturus, alium Ordinis Sodalem ad Opponendum invitavit, sed additâ expressâ conditione, ut ex sacro Codice non argumentaretur; sciebat enim illum esse Positivæ gnarum Theologiæ. Quam ineptam, ac Theologo planè indignam conditionem, cùm invitatus meritò abnueret, aliis locum ex humana ratione argumentandi, seu potiùs argutandi reliquit, non sine tacito risu, an gemitu? quòd in Scholis Benedictinis de rebus divinis sine Dei verbo disputaretur.

Certè *Nicolaus de Clemangis*, sive *Clamengiis*, Theologus Parisiensis è Navarræ domo, doctrinâ & pietate celeberrimus id genus rixatores Theologos, sacrarum expertes Literarum, nullo loco habendos esse censuit. Non possum ipsius verba hic non repetere, cùm hactenus narrata mirè illustrent, ac confirment. „ Quocirca miror, „ *inquit*, Theologos nostri temporis „ (*florebat sub annum* 1420.) paginas „ divinorum Testamentorum ita ne„gligenter legere, & nescio quarum „ fatis sterilium subtilitatum indagi„ne sua ingenia conterere, útque ver„bis utar Apostolicis: *Languere cir„ca quæstiones & pugnas verborum*, „ quod Sophistarum est, non Theolo„gorum. Quid est autem languere „ circa quæstiones ac pugnas verbo„rum, & quid sibi volunt illa verba „ Apostolica? illos procul dubio re„prehendere volunt, qui omissa „ fertili & fructuosa arbore sacra„rum Scripturarum, in sylvaticis „ & sterilibus pabulum doctrinæ re„quirunt, inter quas languere dicun„tur, id est, fame & jejunio, nullo „ ibi reperto fructu tabescere; & si „ quem fortè illis fructum invenire „ contingat, similis est pomis Sodo„morum, quæ exteriori quidem spe„cie pulchra & decora videntur, ubi „ verò ea manû carpes, in pulverem „ ac fumum solventur. Pulchra nam„que primo conspectu videntur so„phismata, ingeniosa, acuta, subti„lia, sed si verborum solutâ intrica„tione fructum ibi requiras, velut „ fumus evanescunt, quia intus ina„nia fuerunt. Propterea scriptum „ est: *Qui sophisticè loquitur, odibilis est;* „ *omni enim sapientia defraudatus est.* „ Non tam subtilia vult nos Deus, „ quàm utilia & discere simul & doce„re, qui per Isaiam dicit: *Ego sum* „ *Deus tuus docens te utilia.* Et iterum „ per eundem: *Confundantur plectentes & texentes subtilia, & erunt irrigua* „ *ejus flaccentia. Omnes, qui faciebant* „ *lacunas ad capiendos pisces.* Solebant „ antiqui Patres & Theologi, quorum

Reprehenduntur Theologi sacrarum Literarum imperiti.

Eorum doctrina cum pomis Sodomorum comparatur.

Antiqui Patres &

per

* Apud Achar. Tom. I. Spicileg. nov. edit. p. 476.

Theologi S. Scripturæ testimoniis innixi fuêre.

„per Ecclesiam sunt approbata scripta, „nihil dicere, vel adstruere, nisi quod „Scripturarum testimonio posset confirmari. Unde & Hieronymus ait: „*Quod de Scripturis sacris non habet „auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, quâ probatur.* Rectissimè plané illi quidem, quoniam in his, quæ „divina sunt, nihil debemus temerè „definire, nisi ex cœlestibus possit oraculis probari: quæ divinitùs enunciata de his, quæ scitu de Deo sunt „necessaria, aut ad salutem opportuna, si diligenter investigarentur, nos „sufficienter instruunt. *Omnia*, inquit „Christus ad discipulos, *quæ audivi „à Patre meo, nota feci vobis*: subaudi „ad salutem vestram, & illorum, quos „docturi estis, expedientia, aut de mea „cum eodem Patre sempiterna divinitate per vos sciri necessaria. Neque „enim omnia divinitatis arcana, quæ „à Patre & cum Patre æternaliter cognoscebat, nota illis fecerat, cùm de „tempore adventûs sui & die judicii, „quod utique compertum habebat, „vehementer rogatus indicare recusaverat, sciens, non ad salutem conferre id aperiri. Nunc autem plerosque videmus Scholasticos sacrarum „inconcussa testimonia Literarum tam „tenuis æstimare momenti, ut ratiocinationem ab auctoritate ductam „velut inertem & minimè acutam sibilo „ac subsannatione irrideant, quasi sint „majoris ponderis, quæ phantasia humanæ imaginationis adinvenit, quàm „quæ Divinitas cœlitùs aperuit, cùm, „teste Apostolo: *Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis sit ad docendum, „ad arguendum, ad corripiendum, & „erudiendum in justitia: ut perfectus sit „homo Dei ad omne bonum instructus*: „ad quæ illa sunt parùm utilia, in quibus hodie plurimi exercentur, quæ „licèt intellectum utcunque acuant, „nullo tamen igne succendunt affectum, nullo motu excitant, nullo „alimento pascunt, sed frigidum, torpentem, aridum, relinquunt. Inde „est, quòd ad prædicandum tardi adeò „& ignavi sunt, quia scientiam ad hoc „utilem minimè didicerunt, supervacuis quoque occupati utilia & necessaria omiserunt. „ Hæc adamantino ungue notanda gravissimus ille ac sapientissimus Theologus *Nicolaus de Clamengiis.*

Quæ multis neotericis Theologis nihili fiunt.

Cur Theologi Scholastici ad prædicandum sint sæpè inepti?

à quibus non rarò etiam antiquitatis

Ad alium non minùs fugiendæ ignorantiæ scopulum Theosophos quosdam Scholasticæ suæ Theologiæ cymbam appellere conqueritur *Angelus Nuceus*, veteranus cùm in Monte Casino, tum in Archigymnasio Romanæ Sapientiæ, ante adeptam Abbatialem, primùm, deinde Archiepiscopalem dignitatem ejusdem sacræ Facultatis Professor, nempe quòd cognitionem Historiæ Ecclesiasticæ nihil ad se pertinere arbitrentur. „ Me sanè, inquit, nunquam pœnituit instituti mei, qui vitæ partem majorem studiis musarum severiorum transmiserim, easque ipsas aliis tres & viginti annos tradiderim excolendas. Quamvis enim inamœnæ illæ sint, ac Dryadum more sylvas inter & dumis obsita nemora versentur, quis tamen ignorat è spinis rosas decerpi, & plerumque quantò pharmaca sunt amariora, vim iis tantò majorem inesse ad morbum depellendum? Cuduntur etiam in hujusmodi officinis arma, quæ laboranti veræ Fidei præsidio sunt, & jugulant impietatem; ut nihil mirum videri debeat, quod, qui bellum orthodoxæ Religioni indixerunt, has nostras facultates pessimè oderunt, execrantur, ac omnibus devovent. Nemo siquidem cœlum lætus suspicit, unde fulmina torqueantur; nec quisquam judicem laudat, cujus damnatur sententiâ. Eædem denique facultates aditum nobis, quoad ejus fieri potest, patefaciunt ad cognitionem divini Numinis, quam cognitionem studium virtutis, ipsiúsque Numinis cultus & amor consequatur oporret, quod pretium est nostræ felicitatis. „

& historiæ Ecclesiasticæ cognitio negligitur.

„ Illorum tamen non unquam potui probare rationem, qui toti scholarum sunt, scientiásque pertractant illotis manibus, & incompto penitus horrore, quamquàm sacrosanctò. Quo enim nomine, nisi agrestis, ac penè barbari appellem illum, qui Sibyllæ ex antro, aut Dodonæo è luco nunquam prosiliens, responsa quidem ac oracula fundat è tripode, cœterarum verò rerum ita sit rudis, ut in Æthiopiáne, an in America sit Mexicum ignoret: ideóque persæpè pueris, ut Poëtæ verbo utar, deridendum se propinet? An non vel Censorino Catoni risum moverit Theologus ille imperitus, & ineptissimus, qui, cùm publicè in urbe celebri, quadam velitatione literariâ, argumento oppugnaretur, petito ex auctoritate Concilii Florentini de Spiritûs Paracleti processione, mirabiliter sibi ad audendum mentiendúmque perfricuit frontem, ac D. Thomam eum Concilii locum, pro se ipso interpretatum fuisse pronuntiavit?

Aliarum scientiarum præsidia Theologo necessaria.

„vit? perbellè scilicet ac præclarè! cùm D. Thomas seculo sesqui altero Concilium illud præcesserit.„

Nuceus severiora studia cum amœnioribus conjungit.

„ Ergo cùm ipse me ad studia Musarum severiorum ex usu contulissem, vicem meam deflebam tacitus, quòd minùs liberum esset mihi in studiis amœnioribus, ac præsertim in Ecclesiasticis historiis, ingenium oblectare. Non raró tamen genio obsequebar, ut liberè in virentibus illis campis spatiarer, & excurrerem ad genus illud Literarum, quod amabam. Id tamen faciebam more speculatoris, non transfugæ; nam intervallo modico ipse me ad mea spatia, eóque retrahebam, quò me partes meæ ac muneris ratio revocabant.„ Hæc Angelus Nuceus,* cujus insignem rerum divinarum scientiam tanti fecit Franciscus Barberinus, S. R. E. Cardinalis & Procancellarius, ut inter suos Theologos principem ei locum assignârit. Hujus ipsius Purpurati Patris jussu Nuceus scripsit Censuram in Commentaria & Dissertationes Paschasii Quesnel, Presbyteri Oratorii D. N. J. Christi, in Opera S. Leonis M. quam cùm Cardinalis ad Quesnellium misisset, hæc ille respondit: *His annexus erat viri eruditi ac ingeniosi commonitorius libellus, pleraque momenta complectens, queis ad procudendam censuram Romanorum Theologorum succensi sunt animi.* Egregiam Nucei laudem! omnium primum fuisse, qui Martem Theologicum suo calamo accendit, ut male sanum illum profterneret turbinem, qui tantas subinde turbas in Gallia summo dedit Pontifici, ac Christi in terris Vicario.

Scribit primus Censuram in libros Quesnelii.

Udalrici Staudigel de Theologia Scholastica, quæ nunc docetur, existimatio.

Nec aures, opinor, R. P. *Udalrico Staudigel* * Monacho Andecensi in Bavaria, & SS. Theologiæ Doctori, esse denegandas. Is ex viro, quem à zelo religionis, doctrinæ peritia, prudentiæ perspicacia, aliarúmque rerum experientiâ non incelebrem fortuna ipsi aliquando obtulerat, scire volebat, quid seriò sentiret, & ex animo de Theologia, quæ nunc in Scholis docetur, postquàm omnis abiit in contentiones? „ Censerétne dignam, ut eidem studium suum dedicet juventus, saltem religiosa, & quatuor quidem integris annis?„ me certè toties horrore concuti subjungebam (sunt verba P. Udalrici) quoties verborum Apostoli recordarer. Manifestum enim esse, contentiones ab eo„dem mandari fugiendas; manifestum „verò rursus, Theologiam Scholasticam ex meris propè contentionibus consarcinatam; quidni manifestum quoque, fugiendam & hanc mandari, vitandámque saltem à Religioso, cujus tota professio ad concordiam, pacem, quietem, charitatem, & unionem debet esse composita: sed utilitas ejusdem, quæ, quantáve? quâcum certè, solâ saltem, tametsi profundissimè calleas, nec cathedram dignè vestias, nec hæreticum adoriaris, nec sanctius illud tribunal, confessionale, confidenter adeas, nec ullam conversationem religiosè condias, aut acceptabilem reddas. Suis enim hæc omnia, novis, ut egregiè præstes, propriísque studiis opus habent, & singularibus applicationibus. An fortè, quemadmodum in Philosophia, etiam in hac ad acumen recurretur, quod addat, vel addere debeat ingeniis. Pauci sunt, qui segetem amplam non promittant; pauciores, qui nesciò quâ credulitate non devorent.„

„ Me verò quod attinet, diffiteri non possum, quòd ejusmodi promissa nunquam sine fremitu, credulitas nunquam sine mentis exacerbatione fuerint audita vel excepta. Tantíne, quod pœniteas, quod tandem abomineris, prudentior factus, emas, aut ingentibus studiorum expensis compares? An non centum priùs reperias, qui post aliquot annorum curriculum disertè fateantur, lætari se, quòd quisquiliarum, quas in Theologia collegerant, essent obliti; quàm decem, qui pompam faciant, aut gloriam quærant, studii ejusdem continuati? Quid verò conjicias exinde, nisi quod idem hoc sit, ac sponte fateri, animis prudentiæ maturitate collectis oneri potiùs esse, quàm subsidio Theologiæ Scholasticæ possessionem? sed enim acumen illud, quod addat ingenio Theologia Scholastica, quale demum esse censemus? fortassis, ut versatile fit, ad struendas, rursúsque destruendas lites quaslibet? perspicax ad fallaciarum circumventiones, tam exuendas, quàm intricandas? exercitatum ad effundendas, quibus proposita quævis dubia reddantur, etiam verissima, sine numero distinctiunculas? promptum ad omnes versutias, fraudes, deceptiones, technas, quibus humana conversatio pellicitur, seu dissipandas, seu, si lubeat, etiam fabricandas? aliud quod „sub

Quòd Theologia Scholastica ingenium nihil dictum.

* Armell. Bibl. Casin. part. 1. pag. 41.
** In Præfat. ad Mabill. Tract. de Stud. Mon.

„ sub hoc ingenii concipiam acumine, lætabor vehementer, si edocear. Sed enim quis non perspiciat, magnam cum hoc acumine simul ingeniis aspergi perniciem? utpote litium omnigenarum fermentum, rixarum aviditatem, proprii judicii pertinaciam, concordiæ, mansuetudinis, submissionis, charitatis, verbo, omnis claustralis mellificii exterminationem. His auditis, ille totus apparuit alius. Nam quid contra porro diceret, tam promptè non suppetebat. Interrogatus dein, an non meritò de hujus studii cogitaretur reformatione: annuit equidem, sed à quo suscipiendum scire avebat. Reposui, tentatum id jam à nonnullis, nec sine progressûs felicitate: quæstiunculis autem futilibus, rancidis, litiúmque duntaxat otiosarum pruritum spirantibus, substitutas ab ejusmodi talibus esse serias, solidas, ac basin in sacris Codicibus, sacris Conciliis, & Patribus habentes: ceu tales, quæ & studii Theologiæ nomen condecorent, & impensum laborem, utilitate sua, quam imbibunt, non eludant. Hæc summa congressus discursûum, & opiniunum nostrarum.

Theologiæ Scholasticæ reformatio suadetur.

„ Exciderat alia occasione mihi plures, nam de unâ sermo tum erat, quæstiones inutiles in Summa S. Thomæ contineri. Audierat cœtus utcunque numerosus: tantâ verò cum indignatione, tantóque cum fremitu exceperat hæc verba mea, ut dubitem, an cum æquali fuerit ejectus ex urbe Hierosolyma Stephanus, aut ad necem à Judæis petitus Salvator. Strepitabatur, illatam S. Doctori gravem injuriam, quòd dicatur, ipsum scripsisse *inutiliter*. Laudatus ex Crucifixo, quòd *bene scripsisset*. Verùm utique tum ita sentientium clausos tenebat intellectûs oculos trabalis suscepti præjudicii fascinus; ut discernere non potuerint, multùm ab invicem differre, *inutilia* scribere, & *inutiliter*; quemadmodùm longissimè distant, doctè scribere & doctè: sanctè facere & sanctè. Scimus, horridarum olim eremorum sanctos incolas, storeas suas per diem contextas, ad vesperam dissolvisse rursus. Sed somniatum à nemine, quòd labores suos desudaverint inutiliter, quamquàm ne illi quidem, qui sentiendi libertatem sancto subdiderunt Doctori, fateri detrectent, „ quòd easdem in juventute sua concepisset. „ Hæc Andecensis ille Theologus, quæ ego cum omni veneratione & respectu erga Doctorem Angelicum relata esse cupio, non ignarus, ejus doctrinam Benedictinis Theologis summæ semper fuisse venerationi. Certè Urbanus V. Summus Pontifex, & ipse Benedictinus, inter varias rationes*, ob quas corpus S. Thomæ Aquinatis voluit deferri Tolosam, istam quoque adduxisse legitur: *Tertiò etiam, quia ibi est Universitas nova in Theologia, quam volo fundari in doctrina solida & firma illius Sancti.*

An in Summâ S. Thomæ Aquin. quæstiones inutiles contineantur.

Cujus doctrina Benedictinis summæ semper fuit venerationi.

Utinam eo modo studium Theologicum ubique locorum à Benedictinis tractaretur, quo illud in celeberrima SS. Vitoni & Hidulfi Congregatione in Lotharingia pertractari Reverendissimus Abbas *Calmetus* calendis Junii labente anno 1717. his verbis ad amicum perscripsit: *In Theologicis authoritatem Scripturæ, Conciliorum, Patrum, ac celebriorum Theologorum sequimur; vanas, inutiles, spinosas, implexas argumentationes repudiamus; ut ad Positivam potiùs, quàm ad Scholasticam normam nostra Theologia fit accommodata.* Cùm Aristippus aliquando fuisset interrogatus, quæ potissimùm adolescentibus essent discenda, sapientissimè respondit, quæ viris usui futura sunt. Jam verò quàm multæ inanes, futiles, frivolæ, implexæ, incertæ, ac metaphysicæ quæstiones in Theologia Scholastica hac etiamnum ætate nostra tractari consueverunt, quæ Viris Religiosis nec ad Religionem defendendam, nec ad hæreses revincendas, nec ad bonos mores formandos, pravos corrigendos, nec ad responsa de Divino deque Ecclesiastico jure consulentibus danda, nec ad conciones habendas, nec ad confessiones audiendas ulli unquam usui sunt, aut esse possunt; quid juvenes igitur Religiosos iisdem operosè, atque studiosè imbui & vexari curamus? Miseros nos in Germania Benedictinos, si ineptam hanc Theologiæ tradendæ methodum, quæ, nescio ex quibus Scholis in monasteria immigravit, adhuc tueamur, & diutiùs retineamus.

Studium Theologicum in Congr. SS. Vitoni & Hidulphi sobriè tractatur.

Quæ tamen ne odio Theologiæ Scholasticæ dicta videantur, per me ne mini non licet, ut iis, quæ Melchior Canus ex sacra Prædicatorum Familia Lib. 8. Locorum communium de auctoritate

Studium Theologiæ Scholasticæ non improbatur.

* Quas in Tomo I. Martii Bolland. p. 730. reperies.

ritate Doctorum Scholasticorum liquidò demonstrat penitùs acquiescat. Maximè cùm alii duo non inferioris nominis ex Societate Jesu Theologi, Alphonsus Salmeron in suis ad Evangelia Prolegomenis, & Dionysius Petavius in Prolegomenis ad Theologiam Dogmaticam palàm faciant, studium Theologiæ Scholasticæ non minimum adjumenti ad sacras adferre Literas faciliùs percipiendas, & aliis interpretandas. Quibus adjungi potest Hieronymi Vielmij Oratio Apologetica contra Theologiæ Scholasticæ obtrectatores. Absit, ut cum Erasmo Rotterodamo Scholasticas subtilitates imprudentiùs insecter. Illud solum contendo, à Monachis Benedictinis, nisi forsan Theologiæ Professores excipias, in ejusmodi subtilium quæstionum nimis enucleata & anxia inquisitione malè tempus multo cum labore, exiguo cum fructu collocari. Præferendæ sunt eæ Theologicæ Scholæ, in quibus eæ solvuntur quæstiones, quæ plus habent utilitatis, quàm subtilitatis, nisi nos æterna fallit Veritas, cùm dicit: *Ego sum Deus tuus, docens te utilia.* Optimi Professores Theologiæ, qui supremi hujus Magistri & Doctoris quàm simillimi docendo esse contendunt. Quibus ego præter alios jure annumeravero *Paulum Mezgerum*, authorem *Theologiæ Scholasticæ Salisburgensis*, quæ Professoribus filum Ariadnæ esse potest, quo discipulos ad solidam rerum divinarum doctrinam cum eruditione ecclesiastica conjunctam, haud difficulter perducant.

Benedictini qui hisce annis Opera Theologica ediderunt.

Neque tamen in aliorum Benedictinæ Familiæ Theologorum Opera Sodalibus nostris frustrationem injiciam, quin illis etiam legendis operam navent; cujusmodi sunt *Lidovici Babenstuber*, Ettalensis, Universa Theologia, Partibus octo comprehensa, *Placidi Renz* Weingartensis, Cursus Theologiæ Scholasticæ abbreviatus, *Anselmi Schnell*, itidem Weingartensis, Cursus abbreviatus, *Thomæ Schmiz*, Brauwelleriani, Theologia Scholastica ad mentem S. Thomæ Aquinatis exacta, *Benedicti Schmier*, Ottoburani, Theologia Scholastico-Polemico Practica, *Cœlestini Herman*, Theologia Selecta, *Benedicti Petschacher*, *Lamberti Veri*, *Bertholdi Vogl*, *Corbiniani Thomas Elchingensis*, & complura aliorum Opera Theologica, quæ singulis ferè annis in lucem prodeunt, quæque indubio sunt argumento, apud illos Benedictinos, quibus Mabillonii, Viri sapientissimi, monita de Theologia in monasteriis tradenda sapiunt, meliorem ejus docendæ methodum, rejectis inanibus cavillationibus, obtinere, magnóque addiscentium fructu usurpari.

Eminentissimus noster * *Cardinalis de Aguirre*, qui ante purpureo galero quàm ornatus fuisset, multos annos Theologiam in Academia Salmanticensi præcipua cum laude docuerat, dicere solitus erat, alio se prorsùs modo, si repuerasceret, studia instituturum. Quo gravissimo testimonio confirmatus Eminent. Card. *Josephus Maria Thomasius* insignem commentationem de rectè instituendis Theologicis studiis publico bono conscripsit, & quâ vir doctissimus jam penè intermortuam in quorundam animis, & ab antiquorum semiris inclinatam veram hujusmodi studiorum rationem excitare curavit. Quâ autem erat præditus humilitate, cùm ipse præ cœteris tanto operi, quod designaverat, planè sufficeret, alterum Ordinis nostri lumen *Joannem Mabillonium*, quîcum arcta ipsi intercedebat morum atque studiorum conjunctio, obsecravit, ut illud absolveret, quod tamen Mabillonius in conscribendis Annalibus Benedictinis tunc occupatissimus, præstare non potuit. Thomasius tamen animum non abjecit, sed dies noctésque Ecclesiæ commodis excubans, manum ipse operi admovit; at vix tertio volumine vulgato, eum dignitatis, ad quam fuerat evectus, publica munera illud intermittere coegerunt; cujus quidem nullum inde fructum capere potuissemus, nisi, edito priùs specimine, ad assequendum totius Operis propositum facilem nobis viam patefecisset. Porrò specimen illud, seu commentationem de Studiis Theologicis rectè instituendis Eminent. Cardinalis *Dominicus Passionei*, id temporis Nuntius Apostolicus in Helvetia Abbatibus & Visitatoribus Congregationis Benedictinæ Helveticæ dono misit, nullo alio fine, quàm ut ad ejus præscriptum juvenes suos in Theologia institui curarent.

Card. Thomasius librum edit de studiis Theologicis rectè instituendis.

quem Card. Passionei Benedictinis dono mittit.

Huc etiam spectat magnum sanè & plenum sublimioris providentiæ consilium, quod paucis ab hinc annis mente agitabat Ill.mus ac R.mus D. *Joan. Ernestus Harrachius* Nitriensis Episcopus, de quo Vir eruditus *Raymundus Cecchetus* in ejus Oratione funebri Romæ habitâ & typis vulgatâ ita rescribit;

HARRACHII Nitriensis Episcopi

consilium de studiis per Germaniam reformandis &c.

bit: " Latissimè, *inquit*, in Germania patet S. Benedicti Institutum, plurimáque extant monachorum cœnobia, eadémque frequentissima, quæ propter Magistrorum inopiam vel nulla habent studia, vel prorsùs inania. Jam diu erat, quùm *Hartzheim* iniquissimo ferebat animo, quòd cùm ejusdem Ordinis Monachi tùm in Italia, tùm in Gallia sanctorum Patrum Scientiam, Dogmaticam Theologiam, Criticen sacram, & reliqua hujusmodi summa cum laude & fructu profiterentur ac docerent, iidem in Germania, si qui Theologiæ darent operam, in solis vocularum captionibus & quæstiunculis planè supervacuis sine sua, sine aliorum prope ulla utilitate occuparentur. Animadverterat porrò sæpè accidisse, ut unius viri judicium & scientia certam hominum societatem seu provinciam vel universam ad sanctitatem moris aut Doctrinæ revocâsset. Noverat nostros etiam monachos non multis abhinc annis in eadem esse calamitate versatos, apud quos per duos tantùm vel tres homines suus sacris Studiis honor esset restitutus. Audierat præsertim Patavinum S. Justinæ cœnobium incredibili sacrarum Literarum laude florere, & vehementer admirabatur tanti ac tam præclari & fructuosi ornamenti, unum *Leonardum* " *Portiam* nunc S. R. E. præstantissimum Cardinalem, principem auctorémque extitisse. Quibus exemplis & rationibus adductus, quatuor ex Germania adolescentes monachos ingenio eximios Romam accersere constituerat, qui à doctioribus Magistris solidiorem haurirent doctrinam, optimámque rationem adepti essent. Tùm denique in patriam reversi, ibi eò magis ac magis alios consiliis confirmare, auctoritate tueri, omnibus adjumentis instruere adlaborarent. Spes injecta illi erat planè explorata, hoc pactò fore, ut optima Studiorum ratio primùm in Salisburgensium Academiam, in qua ab iisdem monachis disciplinæ traduntur, deinde non solùm in Nitriensem Ecclesiam, sed paulatim in totam Germaniam propagaretur. Id verò non uno finxerat animo, sed jam propè erat, ut reapse perficeret. Magnum profectò atque excelsum consilium, cujus rationem ubi primùm mihi declarâsset, jam inde cum maximis rebus toto orbe terrarum gestis conferendum putavi, & memoriâ hominum celebrandum sempiternâ. „ Hæc *Cecchetus*, quæ fusiùs vel ideò recensenda duximus, ut illi, quorum efficax est hac in re authoritas, salubre (*si lubet*) consilium exequi satagant.

SECTIO III.

HISTORIA THEOLOGIÆ DOGMATICO - POLEMICÆ.

Discrimẽ Dogmaticam inter & Polemicam Theologiam.

DOgmaticam inter & Polemicam Theologiam hoc solum interest discriminis, quòd illa fidei dogmatum tradat notitiam, hæc verò contra hæreticos, aliósque Christianæ Religionis hostes eadem propugnet ac tueatur. Utriusque verò hujus Theologiæ scientiam sibi Majores nostri ex SS. Patrum lectione ac studio comparârunt. Quâ cùm egregiè imbuti essent, id negotii sibi datum esse crediderunt, ut populos idolorum cultui deditos eas Christianæ fidei veritates docerent, quarum plena cognitio æternam beatitudinem, ignoratio æternum exitium ipsis esset allatura. Fecerunt id verò exemplo S. Patris ac Legislatoris sui Benedicti, qui cùm Montis Casini accolas usque eò præfractos ac pervicaces esse videret, ut, licèt tota Italia Christo manus dedisset, ipsi tamen ad extremum perire per obstinationem animi mallent, quàm fidem Christianam amplectendo servari, eorum pervicaciam expugnare constituit. Nec res ei infeliciter cessit. Nam magnam eorum multitudinem teste Gregorio M. *prædicatione continuâ* ad suscipienda Christiana sacra adduxit, in quibus ut firmi ac immoti persisterent, crebrò *pro exhortandis animabus* discipulos ad hos ipsos Neophytos submisit.

Utrâque jam olim imbuti Benedictini.

Exemplũ præeunte S. Legislatore.

Ad conversionẽ Gentium strenuè incumbunt.

Quo exemplo subinde animati consecutis seculis Familiæ Benedictinæ alumni, S. Augustinus cum triginta sociis

sociis in Angliam profectus; S. Amandus in Belgium; S. Wilibrordus & S. Wolfrannus in Frisiam & Bataviam; S. Bonifacius in Germaniam; S. Anscharius in regiones septentrionales: S. Adalbertus in Russiam; itémque hujus nominis alter in Poloniam, aliíque innumeri depravatas impurissimis opinionibus idololatrarum mentes velut de integro Christianæ fidei dogmatibus interpolârunt, ac veterum superstitionum errores dedocuerunt.

Absurda Abbatis Trappensis sententia

At enim, si Abbas * Trappensis non magnoperè fallitur, ad hoc nullâ opus erat Theologiâ, nullius sublimioris scientiæ studio. *Hujusmodi Ministerii* (inquit) *quod ut magnum quiddam atque præclarum nobis exhibetur, summa redit ad nonnullas instructiones, seu catechismos complectentes fidei rudimenta & ad id, quod præstitit S. Benedictus erga quosdam Idololatras, quos erudire curavit.*

refellitur.

„Absonum profectò & inauditũ hoc est, meritò exclamat Mabillonius **, quidquid eximium à Monachis Benedictinis gestum unquam fuit, adeò elevare, specie oppugnandi eorum studia. S. Gregorius Magnus auditâ Anglorum conversione, maximâ perfunditur lætitiâ, ut liquet ex pluribus ejus Epistolis: Et S. Augustinum in illa regione Apostolum monet, ne fortè superbiâ efferatur occasione miraculorum, quæ Deus per ejus ministerium operabatur. Eadem mente, atque lætitiæ sensu afficiuntur Gregorius II. & Gregorius III. propter Fidei in Germania progressus, quos S. Bonifacii laboribus acceptos referunt. Gregorius IV. atque ejus successores haud minora grati animi signa testati sunt erga S. Anscharium Septentrionis Apostolum. Tot populi propriam conversionem illis se debere fatentur. At si D. Abbati credimus, egregia hæc facinora, & alia quàm plurima ad nihil aliud *rediguntur, quàm ad nonnullas instructiones, seu catechismos.* „ Si ista vel ab extraneo dicerentur, vix essent æquo animo ferenda.

In Gentibus convertendis magni subeundi labores.

„ Putásne, pergit Mabillonius, sanctissimis illis viris leves quasdam instructiones, sive catecheses sat fuisse ad convertendas inhumanas gentes, ut plurimùm indociles, & omnigenis erroribus, ac vitiis obrutas. Non est opus eruditione & doctrina (fatebor enim) ad hoc, ut quis catecheses jam ab aliis concinnatas simpliciter enunciet, aut legendas tradat pueris, viris, & si lubet, etiam mulieribus. At si erudiendi sint populi, de quibus modò dicebam, si ab eorum erroribus, vanis cogitationibus, libidinibus retrahendi: si efficaci persuasione ad mysteriorum nostrorum fidem perducendi fuerint: si Gentium superstitiones evellere, mentes & corda horrore criminum, quæ falsorum Deorum exemplo fuerant quodammodò consecrata, percellere: si denique odium ejus, quod credebatur, & amabatur, fidem, metum, & amorem ejus, quod anteà ignotum erat, inferere oportuerit; nemo id conficiet, aut confecit unquam doctrinâ & scientiâ destitutus infusa aut acquisita; nec populorum millia, integras provincias, & regna ad fidem videris converti nuda & jejuna horum dogmatum enunciatione: Est unus Deus in tribus personis; Verbum homo factum est pro nobis; vitium abjiciendum est, colenda & exercenda est virtus: utut verba apprimè diserta, ab optimæ notæ catechismis deprompta adhibeas; Necesse est efficaciter instruas, urgeas, vehementer horteris, acriter objurges, validè refellas; *ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Denique jacienda sunt Ecclesiarum fundamenta, erudiendi & ordinandi sunt Sacerdotes; hæc autem omnia sine scientia & magna vi doctrinæ peragi nequeunt. „

S. Benedictus hæreticos à suis converti vult.

Quemadmodùm verò S. P. Benedictus discipulos suos ad neophytos illos, quos, depulsis idololatriæ tenebris Christianæ fidei luce collustravit, pleniùs erudiendos, ex Casinensi suo monasterio identidem submisit, ita voluisse quid ni credendum est, ut iidem sui alumni hæreticos, velut errantes oviculas ad Ecclesiæ Catholicæ reducerent ovile, ipsas verò hæreses, quæ plurimæ illo ævo grassabantur, impugnarent, everterent, extirparent? Hujus S. Legislatoris intentionis haud ignarus B. Alcuinus in prologo libri, quem Radoni Abbati S. Vedasti & Caroli M. Archicancellario inscripsit, eum monuit, ut Religiosos suos exhortetur, ut *sanctas diligentissimè legant Scripturas. Non confidant in linguæ notitia, sed in veritatis intelligentia.* " Instare " quippe tempora periculosa, quibus " multi pseudo-prophetæ surgent, no-

„vas

* Amandus Buthillerius de Rance in Respons. ad Tract. Mabillonii de Stud. Monast. pag. 357.
** Tract. de Stud. Mon. vol. 2. art. 25. §. 5. p. 177.

„ vas introducentes sectas, qui Catho-„ licæ fidei pietatem impiis assertioni-„ bus maculare nitentur, ideò neces-„ se esse, Ecclesiam plurimos habere „ defensores, qui non solùm vitæ san-„ ctitate, sed etiam doctrinâ veritatis „ castra Dei viriliter defendere va-„ leant.„ Quibus verbis Theologiæ Polemicæ utilitatem, ne dicam, necessitatem, in monachis suis satis superque probat Alcuinus.

Magno studio ac fervore id veteres Benedictini præstiterunt. Quanto autem zelò ac ardore id à majoribus nostris præstitum fuerit, audiendus est Petrus * cognomento Venerabilis, Abbas Clùniacensis. Non " potuerunt, inquit, illi pati quamlibet vel parvam jacturam fidei Christianæ, nec adversùs sanam doctrinam insanientem multiformium hæreticorum vesaniam toleraverunt. " Caverunt esse muti, ubi loquendum " erat, advertentes, imò plenissimè " scientes, non minùs se adducendos " in subtili apud Deum statera judicii " de infructuoso, vel, quod majus est, " de damnoso silentio, quàm de verbo otioso, vel noxio. Ideò epistolis, ideò libris, ideò diversis ac robustis tractatibus obstruxerunt os loquentium iniqua, & omnem, juxta " Apustolum, satanæ altitudinem ex-" tollentem se adversùs scientiam Dei, " loquente per eos spiritu Dei pro-" straverunt, calcaverunt, destruxe-" runt.

Benedictini Theologiam Polemicam tempore S. Gregorii M. docuisse feruntur. Quid? quòd si Constantino Cajetano ** fidem non abnegamus, antiquis temporibus summorum Pontificum, & præsertim Magni Gregorii cautum fuerit; " ut propter sacrilegas hæ-" resum, & schismatum, atque eth-" nicismi impietates, quæ latè per or-" bem debacchabantur, nullibi atque " à nemine, nisi in solis Benedictino-" rum monasteriis, atque à solis eorun-" dem monachis Doctoribus fideles " sacras docerentur literas. Quare ob " benè conservatum à Benedictinis " præceptoribus sacræ fidei depositum " atque ob benè communicatas ab iis-" dem scientiæ ac sapientiæ divitias " beneficentissimus Deus fidelissimè eo-" rundem Religioni concessit, ut à dn-" centis ferè supra mille annis, quibus " ipsa in Ecclesia palmites suos exten-" dit, ubique floruit, ac fructus pro-" tulit, nullum produxerit hæresiar-" cham, hæreticis bellum indixerit. " Hæc Cajetanus, quorum postrema uti non lvero inficias, ita tum demùm prioribus fidem habebo, si ipse antiquitatis monumenta, quibus innixus ea scripsit, in medium adduxerit; neque enim solâ ipsius, plura sæpiùs dicentis quàm probantis, authoritate niti volo. Certiùs illud mihi videtur, quòd quo tempore S. Gregorius M. animo agitabat, Monachos ex Romano D. Andreæ monasterio educere, quos in Britanniam ad gentes illius regni Christianis sacris imbuendas destinaret, studia Theologiæ Dogmatico-Polemicæ priùs ab ipsis haud segniter excoli voluerit. Quàm enim hæc cùm ad conversionem gentium accurandam, tum hæreses extirpandas non commodent modò, sed planè necessaria sint, paulò antè dictum. Post Benedictinorum verò in Britanniam adventum, tum Gregorius M. Britannorum Gymnasia transtulisse ad monasteria *** scribitur, ut hæresis Pelagiana, quæ tradebatur in scholis, extirparetur. Quod igitur de Benedictinis in Britannia monasteriis intelligendum venit, id Cajetanus pro more suo largâ nimis auxesi ad omnia Familiæ nostræ monasteria extendisse mihi videtur.

Eutychius Patriarcha operâ Greg. M. ab errore resipiscit. Ipsius verò Gregorii M. operâ Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus errorem de Resurrectione deposuit. Cùm enim à Pelagio Pontifice ad Tiberium Imperatorem missus fuisset, in sermonem venit cum Eutychio Constantinopoleos Patriarcha, qui tametsi vir aliàs sanctissimus esset, resurrectionem tamen, Origenis dogma secutus, minimè tractabilem fore asserebat. Hunc verò errorem tam apertè falsi convicit Gregorius, ut Patriarcha eodem anno morti proximus, manûs suæ pellem dextrâ contingens professus fuerit, se indubitanter credere, resurrectionem in hac ipsa carne futuram. Integram de hac quæstione concertationem refert ipse Gregorius libro XIV. Moralium, quam huc referre non sinit institutæ brevitatis consilium. Peractâ disputatione Tiberius Aug. qui præsens aderat, Gregorii doctrinam calculo suo comprobavit, deliberavítque de libro Eutichii flammis abolendo.

Postquàm verò Gregorius in Romanum Pontificem electus fuit, præcipua ejus sollicitudo fuit, insurgentes errores, mox ut innotescerent, discutere

* in Prolog. Lib. adversùs sectam Saracenorum num. 2. extat in Collect. Ampl. Edm. Martene Tom. IX. p. 1125. Vide etiam Felic. Egger in Idea Ord. S. B. lib. 2. Part. IV. Dissert. I. & II. prolixè.

** in Notis ad vit. Gelasii II.

*** Possev. Bibl. select. tom. 1. l. 1. c. 5. p. 4.

cutere & opprimere. Non ita pridem exorta erat Alexandriæ hæresis Agooitarū, cujus initia quidam referunt ad Themistium Diaconum, unde dicti sunt Themistiani. Hanc hæresim excitâsse quosdam Monachos ex Palæstina auctor est S. Eulogius Alexandrinus, qui adversùs hujusmodi hæreticos decertavit. Hi verò Christo ignorantiam tribuebant, ex nonnullis Evangelii locis malè intellectis. Nimirum Christo de Lazaro sepulto inquirente, *Ubi posuistis eum?* & alibi dicente: *De die autem illo vel hora, nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius*; inde asserendum putabant, ipsum ea ignorâsse. Contra hunc errorem scripsit Eulogius, & ad Gregorium lucubrationem suam approbandam mittere curavit; quam Papa valde laudavit, ut doctrinæ Ecclesiæ prorsus consentaneam: *De doctrina vestra*, inquit, *contra hæreticos, qui dicuntur Agnoitæ, fuit valde, quod admiraremur, quod autem displiceret, non fuit. In eodem autem sensu jam dudum communi filio nostro Anatolio Diacono plurima scripseram. Ita autem doctrina vestra per omnia Latinis Patribus concordavit, ut mirum mihi esset, quòd in diversis linguis spiritus non fuerit diversus.* „ *Nam hoc quod de ficulnea dixistis* „ *in eo sensu propriè beatus Augustinus* „ *loquitur, quia cum Evangelista subjunxit: Nondum enim erat tempus* „ *ficorum, aperte cognoscitur, quòd per* „ *ficum Dominus in Synagoga fructum* „ *quæsierat, quæ folia legis habuit, sed* „ *fructum operis non habebat.* „ *Non enim poterat Creator omnium nescire, quia fructum ficus non habuit; quod tum tempus ficorum non esset, omnes poterant scire.* Pergit sanctus Pater ostendere mirum consensum doctrinæ Eulogii cum Augustiniana, quam ipse sitibundus hauserat, & inebriatus eructabat. Certè sufficit Gregoriana hæc epistola ad Agnoitarum somnia refellenda, in ea occurritur omnibus, unde Christo qualiscunque ignorantia posset affingi. De hoc argumento scribendi occasionem habuerat doctissimus Papa. Quippe ante biennium Jerosolymitani quidam Monachi Constantinopolim venerant, & ea de quæstione, ut conjicere licet, Anatolium sanctæ Sedis Apocrisiarium interrogârant. At ille Diaconus respondere distulit, donec Gregorium consuluisset: *Cui*, ipse inquit ad Eulogium, *ego ante longum tempus, quàm vestra scripta susciperem, contra eandem hæresim ipsa respondi, quæ postmodùm in Epistola vestræ sanctitatis inveni; atque omnipotenti Deo magnas gratias retuli, quia de cunctis inquisitionibus Romanorum atque Græcorum Patres, quorum nos sequaces sumus, uno spiritu sunt locuti.*

Agnoitarum hæresis.

à quo etiam revincitur.

Si quis tamen de Gregorii Theologia Polemica nôsse plura cupiat, legenda ipsi est Dionysii Sammarthani, novissimi Operum ipsius editoris doctissima præfatio, ubi commonstrat, quanta sit vis ac energia Gregorianæ doctrinæ ad revincendos errores Manichæorum, Arrianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Pelagianorum, & Quietistarum: deinde quæ fuerit ipsius mens de beatitudine Sanctorum post mortem; de igne purgatorio, de pœnarum reprobis debitarum duratione; de doctrina Eucharistiæ adversùs novos hæreticos asserta, præsertim de novæ Legis sacrificio, & præsentia reali Christi in Eucharistia, de Confessionis absolutionísque necessitate, & de Ecclesiæ auctoritate, de Canone librorum Machabæorum, de ejusdem sententia, de vicino judicii die &c. Quid plura? Omnes fidei articulos *, de quibus nobis est cum Protestantibus controversia, ex S. Gregorio sigillatim probatos & assertos legere licet in Confessione Gregoriana, authore Theodoro Petreio Campensi Carthusiæ Coloniensis alumno.

Ejus Theologia Polemica laudatur.

S. Gregorio M. amicitiæ vinculo fuit conjunctissimus S. Leander, Hispalensis Episcopus, qui Arrianam hæresim in Hispania profligavit, Gentem Gothorum ad fidem Catholicam cum eorum Rege Recaredo adduxit, unde non immeritò Gothorum audit Apostolus. Cùm verò adhuc orthodoxæ fidei causâ in exilio versaretur, scripsit, ut Isidorus ait, *adversùs hæreticorum dogmata duos libros, eruditione sanctarum scripturarum ditissimos: in quibus vehementi stilo Arrianæ impietatis confodit, atque detegit pravitatem: ostendens scilicet, quid contra eosdem habeat catholica Ecclesia, vel quantùm distet ab eis religione, vel fidei Sacramentis.* Quibus non contentus elucubravit aliud laudabile opusculum *adversùs instituta Arrianorum, in quo propositis eorum dictis suas responsiones opponit.*

S. Leander hæresin Arrianam profligat.

Monachi Luxovienses cùm animarum zelo æstuarent, ad studia Polemica animum appulerunt, quò Gentiles

Viget Studium Theologiæ Pole-

*Lud. du Mesnil Doct. & Disc. Eccles. lib. 29. Tom. 3. p. 293.

micæ in monasterio Luxoviensi. tiles Evangelica lege imbuere, & qui ab ecclesia desecerant, hæreticos eodem reducere possent. Præceptore usi fuerunt ipso S. Columbano Abbate, qui rerum theologicarum scientia imprimis excelluit. * Accidit, ut cùm aliquando in pulpito consídens caput circumageret, quò, quinam præstò essent, videret, ecce monachus juvenis Walaricus se infert, pérque Gymnasium odorem ambrosium diffundit. Facilè olfecit S. Columbanus, summis viris similem aliquando futurum. Atque is ipse est, qui postmodùm doctrina instructus ex schola Luxoviensi egressus in idola movit, arma contra tartarum tulit, plurimósque in agro Ambianensi christianæ fidei rudimentis imbuit. Ejus magister S. Columbanus cùm relicto Luxovio in Italiam se contulisset ab Agilulpho Longobardorum Rege, ejúsque pientissimâ conjuge Theodolinda rogatus fuit, ut hæresim Arianam firmis radicibus Lombardiæ inhærentem, cum sociis evelleret. Ille excellens negotium promptè suscipere; in prava dogmata invehi: Arium è loco superiore premere. Cœpit deinde agitare secum, an non isthanc in rem vel maximè futurũ esset, si edito in lucem libro turpes errores detegeret, quibus impius Arius mortale genus involvisset. Fecit. Ductum viri etsi quàm plurimi sint sequuti, Lombardia tamen hoc lolio perpurgari non potuit, eo quòd nonnulli deinceps Reges steriles hujusmodi avenas præ justa segete mordicùs tenuerint. Labentibus verò annis monasterio veluti arce adversùs orcum erecto, paulatim concessit hæresis, ut neque vestigium sui reliquerit.

S. Ildephonsus literis instituendus ex monasterio Agaliensi aliò mittitur. Mos jam olim apud veteres Benedictinos obtinuit, ut monachi aliquando ad percipiendas scientiarum disciplinas ad Magistros, qui doctrinæ laude præ aliis florerent, amandarentur. Quæ res cùm multis exemplis comprobari possit, illam vel solius S. Ildephonsi institutio conficiet. Fuit is ex Agaliensi monasterio missus ad S. Isidorum, Hispalensem Episcopum, qui doctrinæ præstantiâ totius Hispaniæ ora in se atque studia hominum converterat. Ab hoc cùm rerum divinarum scientiâ probè excultus fuisset, domum remissus, primùm Abbas Agaliensis, pòst verò Toletanus Episcopus electus fuit. Fortè per id tempus perversi è Gallis hæretici vetus Helvidianæ & Jovinianæ hæreseos venenum, jam ab Hieronymo dissipatum, per Hispanias disseminare moliti fuerant. Quorum perversis conatibus ut Ildephonsus quàm primùm occurreret, libellum in lucem emisit, quem *de Virginitate S. Mariæ contra tres infideles* inscripsit. Quinam verò fuerint tres hi infideles, compellatio ipsa eos arguentis extra dubium ponit. *Jovinianus* nempe *Helvidiúsque*, noti admodùm superioris ævi hæresiarchæ, & à Maximo Doctore Hieronymo peculiaribus libris confutati, ac tertio loco Judæus quidam, sectæ suæ tantùm appellatus nomine. Primus ** olim negaverat, Mariam Deiparam in partu virginem permansisse. Secundus, *** post partum semper virginem fuisse. Tertius verò integritatem in puerpera omni tempore sacrilegus respuebat. Jovinianum igitur primo capite (*libellos* appellat Hermannus monachus Laudunensis) Helvidium altero, Judæum tertio, & his, quæ tertium sequuntur, refutat. Hic enim postremus hostis profligandus fuit majoribus copiis argumentorum, in quo etiam Jovinianus & Helvidius seorsum priùs impetiti de novo prosternerentur.

Helvidianam hæresin revincit.

Verè enim in hoc versari debuit Marianæ integritatis tota defensio, ut verum Dei Filium ex ea natum disputatio stabiliret, potuisse Deum in claustra se penetrare incorruptæ matris, atque inde formatum sibi corpus æquè inviolato pudore virginis in dias luminis oras educere. Hoc ergo inculcandum prolixiùs fuit Judæo infideli, quòd sectæ ejus maximè repugnabat; & per Judæi corpus cœterorum cœcæ mentis Antidico-Marianitarum, quomodo Epiphanius in *Panario* appellat, jugulum petendum. Hi enim posteriores Christum in ore, Christianismúmque habentes, ferè ab omnibus Mariæ propugnatoribus, Ambrosio præsertim epistolarum Lib. 10. epist. 79. & 81. Hieronymóque *Adversùs Helvidium*, tanquam asseclæ Hebraicorum dogmatum traducuntur. Ita nempe de his tribus veri hostibus hoc libro debellatis rectè sensit Alphonsus Vasquez Mirandensis, desœcati judicii ac plurimæ doctrinæ, Mercenariorum sodalis, Abbas, cùm viveret, S. Anastasiæ in regno Siciliæ, conscripto

Antidicomarianitas debellat.

* Yepes. Chron. Gen. Cent. 2. pap. 46.

** Joviniano hanc hæresin S. Augustinus adscribit, quamvis S. Hieronymus in libris adv. eum scriptis non meminerit.

*** Helvidius affirmabat, Deiparam post editum Salvatorem cognitam.

pto vernaculo libello *de S. Ildephonso, ejúsque scriptis*, agens cap. 4. libri 4. Idem Gabrieli Vasquio Jesuitæ venit in mentem in commentario ad tertiam S.Thomæ partem disput. 121. cap. 11. nisi quòd Cherintum aut Carpocratem, qui ambo fatum ex Josepho & Maria Jesum Dominum nostrum Judaica persuasione olim docuerant, ut ex Epiphanio I. *Adversùs hæreses libro*, & aliis constat, in persona Judæi, quem hîc appellat Ildephonsus, configi adseveravit. Verùm hæc ejus sententia planè impugnatur ex hujusmet Operis cap. 3. & 4. in quorum utriusque principio de Diva Virgine ad Judæum dicitur, ex stirpe sive gente ipsius eam esse: quod non benè accomodes ei, qui verè non est Judæus origine, sed sectâ aut hæresi duntaxat. Ego magis puto, verbis utor Nicolai Antonii, * non privatum aliquem, sed totam sectam Judæorum conficto sibi ex iis uno, quem argueret, tot capitibus ab Ildephonso refutari. Nec aliter rectum sensum habere capitis septimi ad Judæum verba hæc possunt: *Nam de passione, contumeliis, cruce, clavis, morte, & sepultura, quid tibi jam loquar? cùm te fecisse illa non dubites.* Et mox: *Quando de homicidio innocentis reus teneris, & hanc mortem ejus à te quidem crudeliter illatam, ab illo autem sponte susceptam, &c.*

Hi ergò sunt tres illi infideles, quibuscum in suo libro congredi voluit Ildephonsus. Minimè verò illos audiendos existimo, qui dicunt, quòd ex devotione tantùm in beatissimam Dei Genitricem novos sibi hostes ex veteribus etiam profligatis suscitare voluerit, quò stilum pietatis, veluti declamatores solent, exerceret. Nullo enim operæ pretio, aut potiùs temerè, Ildephonsus hæresin extinctam, etiam ut stilo configeret, è tumulo excitare, atque hominum advertere mentibus præsumpsisset. Cœterùm operæ ab Ildephonso navatæ merces casula fuit è cœlo allata, quam ille ** à Beatissima Virgine accepit, mense Decembri, cùm ad nocturnas preces Deo persolvendas sanctæ Leocadiæ basilicam adiisset, vigilias festi nuper à Toletanis Patribus in concepti Verbi memoriam instituti, celebraturus. Cùm verò Ildephonsus hunc suum librum Quirico *** Barcinonensi Episcopo legendum concessisset, hic, eo perlecto, non modò Ildephonso gratias egit, sed eundem etiam hortatus est ad disseminandum, cùm stilo, tum voce, Verbum Dei ad utilitatem Ecclesiæ Matris charissimæ, quæ & nunc nobiscum gemit in terra, & ad quam suspiramus in cœlum. Ad hæc Ildephonsus respondit, se id quidem cupere ex pia devotione, ut in meditatione Dei lingua simul & vita non sileant: sed temporum necessitate sic atteri vires animorum, ut nec vita propter imminentia mala in tuto sit.

Operæ navatæ mercedè à B. V. consequitur.

Quàm periculosè Pelagius hæresiarcha Catholicam doctrinam de gratia Christi, quâ Christiani sumus, impetierit, nemo eruditorum nescit. Inter alias ejus scriptiones habetur epistola ad Demetriadem Virginem nobilissimo sanguine ortam, hortatu verò S. Augustini sanctimoniam virginalem professam, anno 417. exarata. Quæ cùm ornatè elegantérque scripta esset, multos etiam à Pelagii interitu semper habuit lectores, ne dicam, laudatores & admiratores. Unde magnum suberat periculum, ne ex ejusdem lectione plures Pelagianæ hæresis venenum haurirent: neque enim pauci erant, qui epistolam illam sancti & Catholici Doctoris Hieronymi esse temerè arbitrati fuerunt. Venerabilis Beda, qui sacram Theologiam in Angliæ monasteriis docebat, operæ pretium facturus sibi videbatur, si virus variis locis reconditum lectoribus commonstraret. Nempe quòd ibi legere est, *multos Philosophorum castos fuisse, patientes, modestos* &c. atque *hominibus alienis à Deo, ista quæ Deo placent* animi *bona* non aliunde adfuisse, *nisi de naturæ bono.* Tum etiam illos, *exemplo suo sibi invicem ostendere, cùm omnium natura una sit, omnia* ista virtutum ornamenta *in omnibus esse posse, quæ vel omnia in omnibus, vel singula inveniuntur in singulis.* Deinde quod *si etiam sine Deo homines ostendunt, quales à Deo facti sunt*; inde intelligere liceat, *quid Christiani possint, quorum in melius per Christum instaurata natura est, & qui divinæ quoque gratiæ juvantur auxilio.* Præterea quod *Job aperiens occultas naturæ divitias, & in medium proferens ex se, quid omnes possimus, ostendit.* Et quòd *hâc injuriâ vindicanda* natura est, *ne ejus vitio ad malum videamur impelli, qui nec bonum sine voluntate facimus, nec malum, & quibus liberum est, unum semper ex duobus agere, cùm semper utrumque possimus.* Quod ideò alii *judicaturi sint*, alii *judicandi*, *quia cum*

Pelagius hæreseos venenum fundit.

Ab illo V. Beda lectores præservare studet.

* in Bibl. Vet. Hispana Lib. V. cap. 6.
** Mabill. Annal. tom. 1. p. 488.
*** Acher. in Spicil. tom. 1. p. 308.

cùm omnes idem possimus, diversa faciamus. Quod *non à justo Deo, aut ille puniri meruisset, aut hic eligi, nisi uterque utrumque potuisset: hócque etiam de Esau & Jacob geminis intelligendum sit; ac sciendum, solam voluntatis esse causam, cùm in eadem natura merita diversa sunt.* Quod *neque alia nobis causa difficultatem benè vivendi facit, quàm longa vitiorum consuetudo.* Tandem quia *nec impossibile aliquid potuit imperare, qui justus est, nec damnaturus est hominem pro eo, quod vitare non potuit, qui pius est.* Hæc Venerabilis Beda ex Pelagii epistola, seu libro, ut vocat S. Augustinus, non industriè magis decerpsit, quàm solidè excussit, & confutavit, uti ex ejusdem verbis mox intellecturi sumus.

Confutat Pelagii doctrinam. „ In his singulis, inquit, quas ex uno ejus excerpsi libello, sententiis, quanti sint errores, facilè cuivis docto patet. Quia ideò tam multas coacervatim posui, ut pluribus errorum probamentis convincerentur hi, qui hunc librum à catholico beati Hieronymi calamo scriptum contendunt; cautiorésque erga ejus lectionem redderentur, quem hæreticum esse didicissent. Quibus etiam sententiis pariter omnibus strictim respondere commodum duxi, utpote quæ cunctis, ut dixi, clariùs luce, quàm sint nefandæ patescant. Quod ergò dicit: *Multos Philosophorum patientiam, castitatem, modestiam, aliásque de naturæ bono habere virtutes:* constat, quia quicunque Philosophorum Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam nescierunt, hi nullam veram virtutem, nec ullam veram sapientiam habere potuerunt. In quantum verò vel gustum aliquem sapientiæ cujuslibet, vel virtutis imaginem habebant, totum hoc desuper acceperunt, non solùm munere primæ conditionis, verùm etiam quotidianâ ejus gratiâ, qui creaturam suam nec se deserentem deserens, dona sua, pro ut ipse judicaverit, hominibus, & magna magnis, & parva largitur parvulis. Quod verò dicit, *Omnia in omnibus posse esse, quæ vel singula inveniuntur in singulis:* contradicit Scripturæ, quæ ait: Omnia autem membra non eundem actum habent, & multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, habentes donationes secundùm gratiam, quæ data est nobis, differentes. At cùm „mortale hoc induerit immortalita-

Nulla vera virtus aut sapientia sine gratia Dei.

Rom. 12. 4.

1. Cor. 15. 54.

„tem, tunc demùm possunt esse omnia in omnibus bona virtutum; & ne tunc quidem de naturæ bono, sed per gratiam ejus, de quo scriptum est, *Ut sit Deus omnia in omnibus.* Sed & quotidiana nostræ fragilitatis documenta probant, non omnia in omnibus esse posse: ubi tam multi inveniuntur, qui summâ nitentes instantiâ, nequaquam ad eas, quas alios vident habere, possunt pervenire virtutes. Quòd *homines sine Deo* dicit ostendere, *quales à Deo facti sunt*: adeò longè à veritate abest, ut nec homines Deo proximi valeant ostendere in hac duntaxat vita, quales à Deo protoplasto facti sunt. Quis enim sapientiâ vel virâ major esse poterit, eo, qui priùs quàm carnis debitum solveret, usque in paradisum, vel tertii cœli adyta raptus, civium supernorum & conversationem contemplatus est, & audivit colloquia? Qui tamen dicit: Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Quod parentes generis humani, quàm diu naturæ bonum intemeratum custodiere, constat dicere non potuisse. Quod *Christianorum naturam in melius* dicit *instauratam esse per Christum; & eos divinæ gratiæ juvari auxilio*, si de his solummodò, quæ in remissione peccatorum per baptisma nobis donata sunt, vult intelligi, hæreticum est: si autem & de quotidiana ejus gratia, quâ nos in mente & corpore instaurare & juvare non cessat, catholicum est. Quod dicit: *Beatum Job aperuisse in virtutibus suis eximiis occultas naturæ divitias, & ex se, quid omnes possemus, ostendere*: quantò meliùs diceret, quòd aperuit ineffabiles divinæ gratiæ divitias, & in se, quia hæc omnibus quibuscunque vellet, dare posset, ostenderet. Quod dicit, *Nos vitio naturæ ad malum non impelli, qui nec bonum sine voluntate, nec malum faciamus*: repugnat Apostolo dicenti, Scio, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum: nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio: non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Quod dicit, *Liberum nobis esse unum semper agere, cùm semper utrumque possimus*: contradicit Prophetæ, qui Deo supplex loquitur dicens: Scio Domine, quia non sit hominis via ejus, nec viri est, ut ambulet, & dirigat gressus suos. Sed & Apo„stolo majorem se facit, qui dixit: Ego

Ibid. 28.

2. Cor. 12. 4.

Rom. 7. 22. & 23.

Rom. 7. 18. & 19.

Jerem. 10. 23.

„ igitur ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. Quod dicit, *Non aliunde alios judicare, alios judicari, nisi quia in eadem natura dispar voluntas sit, & quia cùm omnes idem possimus, diversa faciamus*: contradicit Catholicæ fidei, quæ etiam parvulos esse judicandos confitetur eos, qui in eadem natura positi, priùs quàm aliquid boni malive facere aut velle aut saltem nôsse poterant, sine baptismo rapti sunt. Quod *Esau & Jacob, cæterósque tales, solâ voluntatis causâ* dicit esse *discretos, ut in eadem natura merita haberent diversa*: contradicit Apostolo, qui de
Rom. 9. 11.12.& 13. eisdem loquens ait: Cùm enim necdum nati fuissent, aut aliquid egissent bonum aut malum, ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum
Malach. 1. 2. est ei: Quia major serviet minori: sicuti scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Quod dicit, *Non aliam causam nobis difficultatem bene vivendi facere, quàm longam vitiorum consuetudinem*: contradicit Scripturæ,
Eccl. 40. 1. quæ dicit, Grave jugum super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum. Quod dicit, *Dominum non impossibile aliquid præcepisse, qui justus est*: verum profectò dicit, si ad ejus respicit auxilium, cui catholica vox
Psal. 118. 35. supplicat: Deduc me in semita mandatorum tuorum. Si verò viribus animi sui fidit, refellit eum veridica ejusdem justi Conditoris sententia, quâ dicit: sine me nihil potestis facere.
Jo. 15. 5. Quod dicit, *Eum, qui pius est, non damnaturum esse hominem pro eo, quod vitare non potuit*: contradicit ejusdem pii Redemptoris & justi Judicis senten-
Jo. 3. 8. tiæ, qua etiam de parvulis ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu,
Lib. 5. contra Julian. non potest videre regnum Dei. Quamvis, ut sanctus Augustinus ait, mitissima prorsùs pœna vel damnatio erit omnium, qui præter peccatum quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt. Nec tamen tales à damnatione prorsùs esse possunt immunes,
Rom. 5. 14. cùm manifestè dicat Apostolus: Quia regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccaverunt. Et quasi quæreretur, quare regnaverat in omnes, qui non peccaverunt; mox rationem reddit adjungens: In similitudinem prævaricationis Adæ; id est, non propter sua propria peccata, sed quia sui similes genuit prævaricator Adam. Dicendum ergò nobis in hac parte quæstionis, quod dixisse audivimus eundem Apostolum Paulum, qui de Esau & Jacob geminorum ex uno concubitu nascentium dispari sorte disputans ait, Quid ergò dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Moyses enim dicit: Miserebor, cui miserebor, & misericordiam præstabo, cui misertus fuero. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis Dei est &c. usque dum plurimùm hac quæstione lassatus ita conclusit: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Hæc de opusculis Juliani ad cautelam legentum prælibare, commodum rati sumus. „ Ita Venerabilis Beda, celeberrimus sacrarum Literarum in Anglia Professor, cujus confutationem Pelagianæ hæresis non alio fine hìc didu-ctiùs retulimus, quàm ut ea argumento sit, scientiam rerum Polemicarum in antiquissimis Benedictinorum scholis traditam fuisse.

Rom. 9. 14.15.& 16. (margin)

Certè in ea perdiscenda Angli Benedictini industriam suam desiderari neutiquam sunt passi, maximè illi, quibus propositum erat, relicto patrio solo in Germaniam se conferre, ut ejus populos ad Christianam fidem adducerent. Divo Bonifacio autem, præcipuo Germanorum Apostolo, non cum idololatria tantùm, sed ejus etiam sorore hæresi, iteratæ pugnæ fuerunt pugnandæ. Omnium primò cum quatuor in Thuringia * hæreticis congressus est; quorum qualia perversa fuerint dogmata, etsi hodie nesciatur, pro explorato tamen habetur, quòd magnas licèt adversùs S. Bonifacium turbas cierent, illum tamen perfecisse quà modestè ac patienter omnia ferendo, quà contra illos eruditè ac sapienter disputando, ut damnationis in eos lata sit sententia. Cùm sub annum DCCXXXIII. infaustum nomen *Erenulfus* ** homo hæreticus, primus, cujus memoria inter Boios exstet, si his quoque pestibus annotandis operæ pretium facimus, flagitiosa impiorum dogmatum labe ferenda grassari cœpisset, Bonifacius, ut erat acri in divinum cultum studio, properè accurrens, ne virus latiùs serperet, auctorem sceleris maturè ex sacrorum Canonum præscripto damnatum ab Ecclesiæ communione rejicit, simul populum salutaribus concionibus admoni-

Angli Benedictini Theologiæ Polemicæ studiosi: maximè D. Bonifacius Germaniæ Apostolus.

tum

* Serar. Rer. Mogunt. lib. 3. notat. 22. p. 297.
** Welserus Lib. V. rer. Boic.

tum in viam revocat: Ernulfo quamvis represso multæ adhuc ejus generis pestes tota provincia volitabant. Pars se Episcopos mentiri, pars Presbyteros, alii alia, ut cuique commodum, fingere, Ecclesias pervertere, populum (*vulgus enim novando inprimis capitur*) seducere. Utilo, Bavariæ Dux, tantam & tam latè pateotem, támque pernitiosam improbitatem coercendam ratus, Bonifacii opem implorat. Is Româ reversus, commodùm apud Luitprandum Ticini hærens, statim, vocatus, assuit, & omni Boica perlustrata, impuros nebulones profligavit: populúmqoe pravis opinionibus corruptum, Christianis mysteriis ab ipsis iterum rudimentis instituit. Multùm ei rei operæ, multúmque temporis impensum. Quantum deinde laboris in pestiferâ Adelberti & Clementis hæresi profliganda Bonifacio subeundum fuerit, ex ejus gravissima ad Zachariam Pontificem * epistola data perspicuum fit. Mirum quid de S. Præsulis cum illis disputatione ex Hagiologo notavit Serrarius **. *Revicit S. Bonifacius disputando Adelbertum. Nam is penè seduxerat Carolum. Porrò ab eo conflictu dehortati fuerant Bonifacium sui Clerici, Lullus, Megingauzus, Sturmio, & alii. At ille responderat: Major est, qui in nobis regnat, quàm diabolus, qui illum possidet. Victus phantasta, & carcere Fuldensis monasterii reclusus diu vexabatur.* At nescio, quo posteà modo elapsus est, & novas rursùm cum Clemente, ac tertio quodam Godalschalco concitare turbas cœpit; adeò ut novum contra hydras istas prælium iterandum fuerit, prout indicat Zacharias Pontifex in ep. lib. II. vitæ cap. x. Putásne verò futurum fuisse, ut D. Bonifacius toties victor ex arena discederet, nisi armis Theologiæ Dogmatico-Polemicæ probè munitus & instructus in eandem descendisset?

Qui varios sectarios profligat.

Impia & nefanda Nestorii hæresis, exeunte seculo VIII. in Hispaniis renasci cœpit. Felix Urgellensis atque Elipandus Toletanus Antistes mali fundus, occasióque ***. Deceptus enim uterque contagione forsan insidentium cervicibus, aut è proximo blasphemantium Mabometanorum, Jesum Christum adoptivum Dei Filium appellare ac docere non erubuerunt. Redivivam hanc Nestorianam hæresin, ne radices ageret, extirpare aggressi sunt sanctus noster *Beatus* Abbas Hispanus in Asturiis unà cum *Etherio*, Episcopo Oxomensi, Religionis olim Benedictinæ consorte, emissis in lucem libris duobus adversùs Elipandum Toletanæ Sedis Archiepiscopum. Gabrieli Vasquez, celebri Societatis Jesu Theologo, res admiratione digna visa est, quòd quo tempore sub immani Saraceno rum jugo gens Hispana graviter ingemiscebat, Musis toto ferè regno exactis non defuerint, qui controversiæ adeò obscuræ ingenio ac doctrina sua tantum lucis affuderint, quod præcipuè *Beato* laudi dandum est, qui, si vera scripsit Alvarus Cordubensis, impeditiore lingua fuit, idcircóque ad scribendum, quàm ad disputandum habilior & promptior. Utrique in debellando Felicis hæretico dogmate socium se præbuit Felix alter, Abbas Obonensis cœnobii. Cùm autem Urgellensis veneni sui haustum Germanis & Gallis propinare conaretur, Caroli Magni jussu, & Adriani I. auctoritate congregata synodus Ratisbonæ, cum erroris sui auctore Nestorio præsentem anno DCCXCII. condemnavit. Nescitur, an Felix Apostolicam Sedem appellârit. Certè ab Angilperto nostro, monacho Centulensi, subinde Abbate & regio Capellano, Romam ad præsentiam Hadriani Papæ perductus fuit, ubi in Basilica S. Petri hæresin confessus, eam abdicavit, utì refert Eginhardus in Annalibus suis sub Ludovico Pio conscriptis. Sed infelix Felix ad hæresin suam unà cum Elipando tuendam denuò lapsus fuit, imò impœnitens vitâ functus in Lugdunensi relegatione, utì Ado Viennensis author est. Extat hujus Elipandi epistola, quâ pro væsana sua sententia stilum stringens, *Beatum*, unàque *Etherium* incusat, eò quòd inconsulto præsule Toletano, imò contrà sentiente, Asturiarum incolæ ipsi, quod velut oppróbrii loco jacit, quæ sibi viderentur, docerent populos; laudánsque Arcarium quendam Episcopum prudentiæ & obsequii nomine, qui super utriusque Beati atque Etherii doctrinâ officiosè eum consuluisset: ad ultimum sperare se extincturum *Beatianam* (sic à *Beato* appellat) in Asturiis hæresin. Huic sanè epistolæ reposuêre ii, quos diximus, *Beatus* & *Etherius* veræ sententiæ apologma.

Huic extirpandæ student duo Benedictini,

Beatus & Felix Abbas

Nestorii hæresis resuscitatur in Hispania.

Strinxit

* eam Othlonus in vita S. Bonifacii l. 2. c. 5. refert.
** Not. XXX. p. mihi 319.
*** Nic. Ant. Bibl. vet. Hisp. Lib. VI. cap. 2. p. 323.

Nec non Alcuinus.

Strinxit & contra Elipandum calami aciem; multisque cum eo super dogmate isto Alcuinus egit. Alcuinus, inquam, Caroli Magni magister, quem ille ab Elipando literis de suo perverso dogmate interpellatus, hoc ipso tempore propter doctrinæ existimationem è Britannia evocaverat. Leguntur namque in hujus Operibus Parisiensis editionis ab Andrea Duchesnio procuratæ, tum ejus *ad Elipandum Toletanum Epistola cohortatoria in catholica fide*; tum alia *Elipandi ad Alcuinum continens responsiones prioris alterius.* Item *libelli duo Alcuini contra Epistolam sibi ab Elipando directam, quibus evacuat pravas illas assertiones.* Nec non libri VII. sub nomine Paulini Aquileiensis, in bibliotheca veterum Patrum vulgati, quos idem Duschesnius Alcuino asserit. Voluit etiam Carolus, ut Alcuinus Concilio, quod Francofurti anno DCCXCIV. celebratum fuit, interesset. In eo Felicianæ hæresis impietas cum suo auctore Felice anathemate percussa fuit. Ad hoc quòd Alcuinus plurimùm contulisset, magnam sibi apud Concilii Patres gratiam conciliavit. Unde ipsi ab Elipando vitio datum, ac si Carolum erroribus imbuisset. Hujus convitii Alcuinus meritò impatiens, in libro primo adversùs Elipandum scripto, respondit, se eo consilio in Franciam advenisse, non ut Carolum perverteret, sed ut ei in fide orthodoxa stabilienda adjumento esset, quam ille à prima ætate imbibisset, & in quâ tum à christianis progenitoribus, tum catholicis præceptoribus optimè fuisset institutus. Illud verò memoratu dignum, quòd idem Alcuinus in epistola, ejusdem libris præmissa, asserat, se non sine divinâ providentia, utì animum inducebat, ad Regem Carolum iter suscepisse; quemadmodum sibi à quodam sanctissimæ vitæ viro, prophetiæ spiritu prædito, id divinæ esse voluntatis, prædictum fuetat; subjicitque, se à venerabili præceptore suo Ælberto, sc. Eboracensi Antistite in mandatis accepisse, ut sicubi novas disseminari doctrinas intelligeret, quæ cum iis, quas Apostoli tradiderunt, pugnarent, mox eisdem bellum indiceret, ac propugnandæ orthodoxæ fidei quantas maximas posset vires, impenderet. Quod monitum Alcuinus non sibi tantùm dictum putavit, sed aliis etiam nostri Instituti Sodalibus, ut suprà diximus, inculcavit.

Feliciana hæresis anathematizatur.

S. Benedictus Anianensis Abbas contra Felicianam hæresin insurgit.

Etsi verò Felix Urgellensis cum hæresi sua proscriptus esset, ejus tamen impium dogma deletum non erat. Gothiæ Hispanicæ vicina erat Septimania Galliæ provincia, in quam pestifera hæc lues se inferre moliebatur. Sed à sancto Benedicto, Anianæ Abbate, strenuè repulsa fuit. Is enim adversùs nefandam hæresin disputationum jaculis, uti Smaragdo loqui libet, armatus sæpe congressus est. Quò factum, ut sanctissimus juxtà ac doctissimus Abbas non suos tantùm cœnobitas, sed multos etiam Ecclesiæ Antistites, nedum rudes ac infirmos ab Secta, saniè ac veneno plenâ, immunes præstiterit.

Seculi IX. Controversiæ.

Ut bella seculo IX. reipublicæ statum afflixerunt, ita haud leves controversiæ per id tempus Ecclesiam perturbârunt. Prima attinet ad Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, de cujus veritate dubitari nonnihil cœptum est. Quam etiam ob causam, inquit* Eminentiss. Cardinalis Stanislaus Hosius, à Carolo Calvo Rege jussus „ Presbyter quidam *Bertramus*, libtum scripsit, in quo quale corpus in „ Eucharistia contineretur, explicate „ conatus est: atque ita perplexè materiam hanc tractavit, ut quid sentiret, vix intelligi queat: ac magis „ in eorum sententiam propendere sit „ visus, qui præsentiam Christi corporis in hoc Sacramento negant. „ Nil tamen is egit ea de re pertinaciter. Quin suam inscitiam propemodùm confessus, libellum suum „ his verbis clausit: *Si hæc minùs „ placuerint, id nostræ deputetur insipientiæ, quæ quod optavit, minùs efficaciter valuit explicare.* Neque desunt, qui negent hunc librum à Bertramo scriptum unquam „ fuisse. Pertinacior autem paulò „ fuit in ea sententia *Joannes Scotus* „ Monachus Benedictinus, æqualis „ Bertrami. Cujus librum ea de re „ scriptum nobis videre non contigit. „ Verùm adeò non fuit hæc illius opinio recepta, ut cùm eam in auditorio publicè defendere conaretur, „ graphiis discipulorum priùs excœcatus, deinde confixus, justam impiæ suæ doctrinæ mercedem accepit. Quoniam autem vixit eodem illo seculo *Paschasius*, librum „ &

Bertramus seu Ratramnus Corbeiæ Gallicæ Monachus,

* Operum Tomo I. de Sacram. Euchar. cap. 29. pag. 99.

„ & ipse scripsit de Corpore & Sanguine Domini in Sacramento Eucharistiæ, quo quæ minus catholicè „ dicta fuerant à Bertramo & Scoto, „ confutavit.„ Hæc Eminentiss. Cardinalis, quem tamen hîc notitia historicæ veritatis fugit. Imprimis enim *Joannes Scotus Erigena* nunquam fuit professione Monachus Benedictinus, sed vir aulicus, Philosophiæ quidem & Græcæ linguæ peritus, sed sacrarum Scripturarum penitus ignarus; contra cujus librum, in quo docebat, quòd *Sacramenta altaris non verum corpus & verus sanguis sit Domini; sed tantùm memoria veri corporis & sanguinis ejus.* Adrevaldus Floriacensis Monachus auctoritates Patrum collegit de eodem argumento, sub hac epigraphe: *contra ineptias Joannis Scoti.* Quem verò Cardinalis Bertramum presbyterum vocat, sequutus undecimi seculi scriptores (quo Francica vocabula corrumpi cœpta) fuit *Ratramnus* veteris Corbeiæ Monachus & Theologus. Hujus asserta de Sacramento Eucharistiæ non Paschasius Radbertus confutavit, sed ipse potiùs contra Paschasium in calamum incumbens librum vulgavit. Occasionem scribendi sibi datam fuisse autumavit, satione libri de Corpore & Sanguine Domini, qui à Paschasio elucubratus fuerat. In hoc doctrina de reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Altaris Sacramento, & de Transsubstantiatione tantâ perspicuitate ob oculos constituitur, ut Paschasius ab Ecclesia Romana laudem tulerit, quòd sit in hoc dogmate velut Apostolicæ traditionis fidelissimus interpres, & eximius assertor. Nec hoc Ratramnus in contentionem vocabat, ut anili commento hæretici fingunt, sed de hoc disceptabat, an *Corpus Christi in Eucharistia esset illud idem corpus*, quod ex virgineo Mariæ utero editum fuit; quod Paschasius fidenter adstruebat, Ratramnus verò inficias ibat. In eadem cum Ratramno sententia erant Rabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus, Herigerus Abbas Laubiensis, aliique Benedictini. Non igitur inter utramque partem controversia de se ipsa, Corpore scilicet & Sanguine Dominico agitabatur, sed adversa sententia erat de vocibus tantùm ac modo loquendi. Frustra proinde sunt Calvini asseclæ, cùm Rabanum, Herigerum, Ratramnum, aliósque è nostris in fronte constituunt, quò eorum scriptis evincant, novum dogma de Transsubstantiatione contra receptam de Sacramento Altaris fidem ussisse proculum à Paschasio Radberto.

Jo. Scotus Erigena non fuit Benedictinus.

Eum refutat Adrevaldus.

S. Paschasius laudatur ob assertum dogma de SS. Eucharistia.

Libri à *Ratramno* scripti & sub nomine *Bertrami* primùm typis vulgati duæ sunt partes. * In priori expenditur, *an quod in Ecclesia ore fidelium sumitur corpus & sanguis Christi, in mysterio fiat, an in veritate. Id est, utrùm aliquid secreti contineat, quod oculis fidei solummodò pateat: an sine cujusque velatione mysterii hoc adspectus intueatur corporis exteriùs, quod visus mentis inspiciat interiùs, ut totum quod agitur, in manifestationis luce clarescat.* Uno verbo, an hoc Sacramentum *nulla sub figura, nulla sub obvelatione fiat, sed ipsius veritatis nuda manifestatione peragatur.* Posterior pars est, *utrùm in Eucharistia ipsum corpus sit, quod de Maria natum est?* Hæc contra Paschasium pugnat, non illa prior, quippe qui dedita opera tum in libro suo, tum in epistola ad Fredugardum probat, hoc Sacramentum veritatem simul esse & figuram; &, siquis contrarium dixerit, totum Sacramentum dissipare ait. Non ergo Paschasium in illa priori parte aggressus est Ratramnus, sed fortè Haimonem ex Monacho Fuldensi & sacræ Theologiæ Prælectore Abbatem primùm Hersfeldensem, tum Episcopum Halberstadensem, aliósque cum eo consentientes, qui, quemadmodum apud Græcos Joannes Damascenus, figuræ vocabulum ab Eucharistia removeri volebant, ne veram Christi corporis præsentiam negare viderentur. In Haimonis sententia *panis ille sacratus & calix* signa dicuntur, *non quantum ad carnem Christi & sanguinem, quod tamen quidam erronei, sensibus carnis omnino dediti, mente cæcati stolidissimè putant. Jam enim,* inquit, *corpus & sanguis Christi non essent.* Quippe *nullum signum est illud, cujus est signum; nec res aliqua sui ipsius dicitur signum, sed alterius. Corpus ergo Christi & sanguis Sacramenta dicuntur, non sui ipsius, sed ad similitudinem sumentium.* Ex his intelligimus, tempore Haimonis, qui Rabani & Ratramni æqualis erat, hac de re controversiam fuisse in Ecclesia Gallicana & Germanica, aliis dicentibus, panẽ & vinum consecratione facta esse signa carnis & sanguinis, tametsi hæc continesent, quos Haimo *erroneos* vocat; aliis negantibus esse figuram ac signum relatè ad corpus Christi, quos impugnat hoc

In quo Ratramnus ab eo dissenserit.

Haimonis sententia.

* Ex Mabillonii Annal. Tom. III. pag. 68.

hoc loco Ratramnus. Neque tamen negabat Haimo, corpus Christi eucharisticum, ejúsque sanguinem speciebus alienis velatum esse, immò id disertè in suo tractatu confitetur: sed tamen nolebat dici figuram corporis & sanguinis Christi, hoc adductus argumento, quod *nullum signum est illud, cujus est signum.* Quâ sententia impugnanda Ratramnus eò progressus est, ut diceret ex ea consequi, nullum esse in Eucharistia mysterium, nihil velatum; sed totum *ipsius veritatis nuda manifestatione peragi.* Quam tamen consecutionem adversarii pernegabant. Hinc Ratramnus ait eos negare, quod affirmare creduntur, & quod credunt, destruere. *Corpus etenim sanguinémque Christi fideliter confitentur: & cum hoc faciunt, non hoc jam esse, quod prius fuere, procul dubio protestantur.* In his ergo Haimoni non contradicebat Ratramnus, quod *fideliter* confiteri eos dicit, nempe cùm & corpus sanguinémque Christi in Eucharistia confitebantur; & cùm post consecrationem panem & vinum *non hoc jam esse, quod prius fuere protestabantur.* Atqui Haimo veram & substantialem conversionem panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi asserebat. *Credimus*, inquit, *& fideliter confitemur & tenemus, quod substantia illa, panis scilicet & vini, per operationem divinæ virtutis, substantialiter convertatur in aliam substantiam, id est, carnem & sanguinem.* Hanc verò confessionem probat Ratramnus, dum eos id *fideliter* confiteri dicit. Itaque hac in re cum Haimone consentiebat; in eóque tantùm diffidebat, quod Haimo figuram in corpore Christi admittere nollet, ex quo consequi ait Ratramnus, ut destrueret, quod credebat. Huc tota incumbit prioris partis vis ac moles, in qua nihil reperias, quod ad fidem catholicam, hoc præmisso scopo, non reduxeris. Denique auctoris catholicam sententiam probat hujus prioris partis conclusio, quæ sic habet: *Ex his omnibus, quæ sunt hactenus dicta, monstratum est, quod corpus & sanguis Christi, quæ fidelium ore in Ecclesia percipiuntur, figuræ sunt secundùm speciem visibilem: at verò secundùm invisibilem substantiam*, id est, *divini potentiam verbi, corpus & sanguis verè Christi exsistunt.* Ad hanc confessionem, ad hunc scopum religanda, & restringenda sunt, quæ in posteriori parte duriuscula videntur, ut certè restrinxêre in indice librorum expurgatorio Doctores Duacenses, qui nihil reprehensibile in Ratramno agnovêre, *præter obscuritatem elocutionis, & vocum quarumdam sententiarúmve ineptam vel usurpationem vel interpretationem*; & qui duo illa difficillima auctoris, qui videtur sensisse, non magis corpus Christi in Eucharistia esse, quàm populi, & quod mysterio geritur in Ecclesia, non posse Christum dici, *de externa specie* tantùm esse accipienda censuêre: *cùm toties*, inquiunt, *verum Christum post consecrationem asseveret, & transsubstantiationem doceat* **. Nec planè inficiantur ipsi Centuriatores Magdeburgenses, qui *transsubstantiationis semina* in Bertramno, ut illi vocant, agnovêre.

Ejus argumentum.

In Ratramni doctrinâ nihil reprehendum meretur, nisi obscuritas.

Altera controversia excitata fuit occasione doctrinæ, quam *Gothescalcus*, Monachus Orbacensis apud Suessiones in subtilibus & implexis quæstionibus tractandis studiosè versari solitus circa geminam prædestinationem, unam bonorum ad vitam, alteram malorum ad interitum per Italiam, Germaniam, & Galliam vulgavit. Se verò S. Fulgentii sententiam de gemina prædestinatione tueri prætendit: cui alias de libero hominis arbitrio, divina voluntate salvandi omnes homines, ac pretio sanguinis, quem pro hominum salute Christus Dominus in ara crucis effudit, postea superaddidit. Quæ quidem de prædestinatione controversia per se satis intricata valdéque abstrusa, non seculo tantùm nono diu multúmque Ecclesiam Gallicanam vexavit, multis non viritim modò, sed publicè in Synodis pro Gothescalco pugnantibus, verùm patrum etiam nostrorum ætate recruduit, aliis etiam ex Catholicis in gratiam Gothescalci ejúsque doctrinæ apologias concinnantibus, aliis ex adverso ejus doctrinam ceu hæreticam proscribentibus. Et verò, uti sapientissimè monet Dionysius Petavius *, Gothescalci primùm quis verus de prædestinatione ac reprobatione sensus exstiterit, non tam est accuratè scire facile, quàm si illius scripta superessent, quibus opinionis suæ capita comprehendisse dicitur. Nunc tantum de illius dogmatibus novimus, quantum ex aliorum contra ipsum editis libris eruere, ac pervestigare possumus. Quæ veri inquirendi ratio tali in re fallax est & incerta propter odia quamlibet justis suscepta de causis, & studia partium, quibus non affici

Gothescalcus docet geminâ prædestinationem.

Quæ fuerint ejus dogmata, non satis liquet.

* Theolog. Dogmat. Tom. VI. lib. 13. cap. 8. n. 5. p. 178.
** Mabill. in Præf. II. ad sæc. IV. Bened. n. 126.

affici, offundique litigantium, & altercantium animos, difficile sit: tum quo quisque propter eruditionem acutiùs videt, & quid ex quaque re consequens sit, acriùs perspicit; eò magis ad illa, quæ disertè contrariarum auctores partium asserunt, annectit ea, quæ ex positis & confessis ratiocinando ducuntur. Non est autem consentaneum id reverâ, explicatéque sentire aliquem, quod ex aliis ejus dictis argumentando concluditur: eò quòd sæpenumerò fit, ut qui prima concesserit, posteriora, quæ cum illis obscurè nectuntur, minùs animadvertat.

Ejus duæ confessiones de prædestinatione. Supersunt duæ Gothescalci de prædestinatione confessiones, una brevior, altera prolixior; in utraque verò Catholica ejus est sententia*. Sic quippe Gothescalcus prædestinationem ad interitum in prolixiori asserit, ut eam Deo, ac divinæ ejus præscientiæ coæternam asserat: & in utraque confiteatur, quòd Deus, ut electos *ad vitam gratis æternam*, sic diabolum cum omnibus suis apostaticis & hominibus reprobis, *propter præscita certissimè ipsorum propria futura mala*, *prædestinavit pariter per justissimum judicium suum in mortem meritò sempiternam*, ut in priori confessione legitur; seu quod posterior habet, *quos præscivit, per ipsorum propriam miseriam in damnabilibus perseveraturos esse peccatis, illos, tanquam justissimus judex, prædestinavit ad interitum justè ac meritò*, quod sanctorum Augustini ac Fulgentii, aliorúmque Patrum doctrinæ, imò & Catholicæ veritati omninò consentaneum est.

Ejus Adversarii. Contra Gothescalcum tamen steterunt plures Theologi, è nostris præcipuè duo Archiepiscopi, *Rabanus* Moguntinus, & *Hincmarus* Remensis. Ille, cùm à Gothescalco libellum, quo summam suæ doctrinæ complexus est, sibi oblatum perlegisset, Synodum Moguntiæ anno Christi DCCCXLVIII. coegit, in qua Gothescalcus auditus, &, ut Rabanus loquitur, inemendabilis repertus, in Gallias ad Remensem diœcesin, cui præerat Hincmarus, remissus est. Hic anno proximo DCCCXLIX, aliam synodum in Carisiacensi palatio congregavit, in qua Gothescalcus hæresis accusatus, ab assertione geminæ prædestinationis frustra revocatus, virgis cæsus, & in carcerem retrusus est. In eadem synodo, auctore Hincmaro, quatuor Capitula, contra Gothescalci dogmata, procusa fuerunt.

Partes ejus tuendas qui susceperint. Non defuerunt tamen Theologi, doctrinâ non minùs, quàm morum probitate eximii, qui Gothescalci partes contra utrumque Archiepiscopum Rabanum & Hincmarum tuebantur. A S. Remigio Lugdunensi Archiepiscopo ** Rabanus incusatus fuit, quòd non necessariam, nec ad rem, de qua agebatur, pertinentem disputationem assumpserit. Neque enim illud quæri, utrùm impios Deus, & iniquos prædestinaverit ad ipsam impietatem & iniquitatem, quod nullus dicere vel dixisse invenitur, cùm sit immanis & detestabilis blasphemia: sed illud potiùs quæri, utrùm eos, quos veraciter omninò præscivit, proprio vitio impios & iniquos futuros, & in suis impietatibus atque iniquitatibus usque ad mortem perseveraturos, justo judicio suo prædestinaverit æterno supplicio puniendos. Aurem Rabano vellicandam esse, *ne sub istorum personâ, quos tam facilè hæreticos vocat, sanctos potiùs & venerabiles patres, qui ita docuerunt, & definierunt, damnare inveniatur*. Contra Hincmarum & Carisiacensem synodum pro Gothescalco in arenam descendere non dubitavit Ratramnus in Academia Corbeiæ veteris magni nominis Theologus. Is & geminam prædestinationem asseruit, & duo alia capita exposuit duobus libris, quos Carolo Calvo, Galliæ Regi inscripsit, præfatus, se regio jussu id operis perfecisse. Cujus lucubrationi Hincmarus aliud magnæ molis volumen, plures in libros distributum opposuit. Cujus libri superest sola Præfatio ad Carolum Regem, quam Flodoardus nobis servavit.

Gothescalco favet Lupus Ferrar. Gothescalco etiam favit Lupus doctissimus Abbas Ferrariensis. Fortè iis temporibus Carolus Calvus post captam Tolosam, ad urbem Biturigum accessit, anno DCCCXLIX. Aberat ab ea urbe *Lupus* Abbas Ferrariensis itinere tantùm unius, aut alterius diei. Itaque quoniam facilis erat accessus ad Regem, illuc accessit. Carolus verò *post solennem exceptionem*, ut Lupi verbis utar, quæsivit haud dubiè ab eo, quid novi ferret. Ille verò habitam synodum distulit in causa Britonum, tum excitatas graves controversias de libero arbitrio, de prædestinatione, déque sanguine Christi. Quippe nonnulli ajebant liberum arbitrium sic homini

* Mabill. Annal. tom. 3. pag. 21. Utramque verò Gothescalci confessionem exhibet Præses Magrinus in Vindiciis Gratiæ & Prædestinationis tom. II. pag. 7. seq.
** in lib. de trib. Epist. cap. 41.

mini redditum per Christum, ut nihil tamen homo vi liberi arbitrii possit absque gratia Christi; quosdam ab æterno prædestinatos esse ad gloriam, alios autem ad pœnam, ita ut id, quod Deus se præsciverat esse judicando facturum, haud dubiè eventurum sit. Tertiò sanguinem Christi pro fidelibus tantùm esse fusum, non autem pro infidelibus. Quartò neminem salvari nisi per Christum, omnes autem salvari, quoscunque ipse voluerit, ac per hoc quicunque non salvantur, penitus non esse voluntatis illius, ut salventur. Addidit haud dubiè Lupus, ex ea occasione in partes distrahi ingenia hominum eruditorum. Erat Katolus talium curiosus. Itaque ex Lupo quæsivit, quænam ipsius in his quæstionibus esset opinio. Usus est Lupus facilitate Caroli; librúmque ea de causa tum scripsit, anno nimirùm DCCCXLIX. uti ipse testatur initio hujus Libri (*de tribus Quæstionibus*) sed is libet adversùs illum concitavit odium plurimorum; qui ex eo collegerunt, & in vulgus sparserunt, Lupum de Deo non piè fideliterque sentire, & ostentandæ eruditionis causa recedere à receptis opinionibus. Ea de causa epistolam apologeticam, quæ est velut epitome * quædam Libri *de tribus Quæstionibus*, ad Carolum scripsit anno sequenti.

Librum edit de tribus Quæstionibus.

Ratione cujus postea apologiam scribit.

In hac verò epistola **, quæ est inter Lupinas centesima vicesima octava, respondit Lupus Carolo, à quo ut audivimus, interrogatus fuerat, quid de controversis Gothescalci Capitulis sentiret. *Dudum*, inquit, *in urbe Biturigum quæsistis de prædestinatione, ac libero arbitrio, ac redemtione sanguinis Christi, quid sentirem: & ego, quæ in divinis literis didiceram, & in maximis authoribus inveneram, vestræ majestati strictim aperui. Et quoniam aliter videtur quibusdam, qui me putant de Deo non piè, fideliterque sentire; ipso Deo, cui ab intelligibili ætate plurimùm confisus sum, sensum & stilum meum regente, memoratas quæstiones, quas audacter multi ventilant, intelligenter pauci capiunt, breviter, veraciterque perspicuéque dissolvam.* Superioribus verbis notare videtur Hincmarum, eique adhærentes, qui Lupum non rectè de his quæstionibus sentire putabant, quòd Gothescalci sententiæ accedere videretur. Etsi verò Lupus cum Hincmaro in doctrina consentiens non erat, non tamen Gothescalci partibus occæcato animo assentatus est, sed ejus nimiam quæritandi pruriginem gravi epistola, ut alio jam loco diximus, repressit.

Disputatur de Partu Virgineo

Alia hoc seculo in Academia Fuldensi quæstio de Partu Virginis di sceptari cœpit; Non equidem Beatæ Virginis integritas in partu in contentionem vocabatur, sed de modo, quô Christus ex utero processerit, disputatum fuit. Cùm verò Benedictini ex Gallia Fuldæ rerum divinarum scientiis operam navarent; factum est, ut hæc quæstio postea in Galliæ monasteria invecta fuerit. Forsan non erravero, si *Lupi Servati* operâ id contigisse dicam; qui tamen nullo modo inficias ibat, MARIAM in partu virginem mansisse, ut ex ejus libro de tribus Quæstionibus constat: ubi de Christo: *Hic virgine satus*, inquit, *virgine natus, ut absque delicto conceptus & ortus, sic absque ulla offensæ macula conversatus.* Utcunque sit, in Academia Corbeiæ veteris hac de re doctissimos duos inter Theologos *Paschasium Radpertum*, & *Ratramnum* disceptatum fuit. Uterque enim cum S. Leone Papa *virgineæ integritati nihil corruptionis intulisse partum salutis*, asserebat, sed non uterque perpetuam Dei Genitricis virginitatem rectè explicabat; unus enim Virginis uterum in partu patefactum fuisse, alter occlusum mansisse affirmabat. Contentionis principium Ratramnus in libello de Nativitate Christi ***, quem ignoto cuidam Monacho; & quidem, (ut credere pronum est) Germano nuncupavit, obsecrans, ut sibi hoc de argumento respondere non gravaretur, sic breviter exponit: *Fama est, & quorundam non contemnenda cognovimus relatione, quòd per Germaniæ partes serpens antiquus perfidiæ novæ venena diffundat, & Catholicam super Nativitatem Salvatoris fidem, nescio quâ fraudis subtilitate subvertere molitur, dogmatizans Christi infantiam per virginalem januam vulvæ, humanitatis verum non habuisse ortum, sed monstruosè de secreto ventris incerto tramite luminis in auras exiisse, quod non est nasci, sed erumpi.* Hoc in libello, quem Ratramnus *de more studentium* lusit, ut in fine testatur, liberiùs aliquando invehitur in

Paschasium inter & Ratramnum.

* Baluz. in not. ad Epist. Lupi.
** Mabill. Annal. Tom. 3. pag. 3.
*** Ex Mabill. l. c. cap. III. Confer. etiam Graveson Colloquio tertio in Histor. Eccles. Sec. IX. & Dissert. 1. § 2. p. 26. de mysteriis & annis Christi.

in Adversarios suos, quos novæ hæreseos insimulare audet, sed majore, ut dicebam, libertate, quàm decet. Verè articulus Catholicis nunquam controversus, quòd sicut in conceptione, ita & in partu MARIÆ integritas servata fuit: quod autem ad miraculi formam attinet, quâ fœtus divinus è claustro virginali fuit solutus, unicuique argutari liberum & integrum fuit; licèt quam hodie sententiam de miraculo penetrationis Recentiores tuentur, passim in Scholis obtineat. Mox in Ratramnum insurrexit Paschasius Radbertus, ratus ex eo libro Deiparæ virginitatem ex obliquo, seu consequenti impugnari. Unum erat, in quo conveniebant diversæ partes, nimirum Deiparam perstitisse virginem ante partum, in partu, & post partum; sed tamen Radbertus id ita ab Adversariis adstrui dicit, ut id ipsum, quod confitentur, evertant.

Photius bellum movet Rom. Ecclesiæ.

Quarta contentio fuit Græcorum adversùs Latinos, quibus illi varia capitula suggerente Photio Pseudopatriarcha objecerunt. Photius quippe cùm deturbato Ignatio, sanctissimo viro, in Sedem Constantinopolitanam à Michaele & Basilio Impp. intrusus fuisset, nec intrusionem suam Romano Pontifici potuisset approbare; in tantum contra Latinos excanduit, ut quidquid sinistri corradere potuit, ipsis objiceret ad faciendam invidiam Ecclesiæ Romanæ. Capitula illa numero erant omnino decem, nempe de processione Spiritûs S. ex Patre Filióque, de jejunio Sabbati, de cœlibatu Presbyterorum, de chrismatione fontis baptizatorum vetita, de abstinentia octo hebdomadarum ante Pascha non inchoata, de barbæ rasione Clericorum, de Episcoporum ordinatione per saltum, de primatu Romani Pontificis, de confectione chrismatis ex aqua fluminis, & de oblatione agni in festo Paschæ. Hæc capitula Nicolaus Papa Galliæ Episcopis transmisit, dato mandato, ut de his singuli in suis diœcesibus propriis unà cum Suffraganeis *convenienter tractarent*, & sibi, quæ reperissent, ad respondendum *suggerere curarent*. In provincia Ormensi hæc cura demandata est Odoni, ex Monacho & Abbate Corbeiensi Episcopo Bellovacensi, qui, teste Flodoardo, contra Græcorum errores librum scripsit. Id muneris etiam Ratramnus *, doctissimus ejusdem Corbeiæ veteris Theologus, sibi ab Episcopis impositum, accuratè, eleganter & prorsus eruditè quatuor libris peregit.

Cujus errores refutant Benedictini.

Disceptatio de cultu imaginum.

Nec levis etiam, sed peracris iisdem temporibus fuit contentio agitata de cultu sacrarum imaginum, quæ ex Oriente in Occidentem propagata est. Cùm enim Synodus Nicæna septima nomen adorationis προσκυνήσεως sacris imaginibus tribuisset, ea re non bene intellecta Synodus Parisiensis offensa fuit. Post hæc Claudius Taurinensis Episcopus, natione Hispanus, Felicis Urgellitani discipulus, auctoritate, qua apud Ludovicum Augustum pollebat, nimis quàm elatus, Imagines & Cruces ex parochiæ suæ ecclesiis abegit, confregítque. Ea re comperta, Theodemirus Gallus, Abbas cujusdam monasterii, in quo centum quadraginta Monachi sub Regula S. Benedicti vivebant, Claudio cœteroquin familiaris admodùm & acceptus, adversùs eum ob istud factum commotus, conquestus est scripta epistola, quâ retinendas Imagines, non tamen adorandas asserebat. His literis ab amico directis superbè ac protervè Claudius respondit apologetico (quod vocant) edito adversùs Theodemirum, cujus defensionem *Dungalus Reclusus* ** monasterii San-Dionysiani in agro Parisiensi suscepit, biennio post Synodum Parisiensem, edito Scripto, in quo Claudii errores confutavit.

Dungali sententia.

Ad calcem libri de cultu Imaginum hæc habet: *His ergo omnibus superiùs comprehensis certissimè & evidentissimè patet, picturas sanctas, & sanctam Domini Crucem, & sacras Electorum Dei Reliquias dignis & congruis honoribus à Catholicis & Orthodoxis in Deo & propter Deum venerari oportere, non ut sacrificando eis divinus honor & cultus soli Deo omnium Creatori debitus, sit à quoquam deferendus: sed ut in ejus amore, honore, laude & gloria sua sancta insignia & venerabilia vasa, pro ut decet, singula eorum à fidelibus & religiosis salva fide & non ficta honorentur, & amplectantur.* Ubi nemo non videt, Imaginibus à Dungalo tribui religiosum cultum, qualem sanctæ Cruci & Reliquiis Sacris tunc temporis impendebat Gallicana Ecclesia.

Eun-

* Acher. in monito ad horum librorum editionem Spicileg. nov. edit. Tom. I. p. 61.
** Nat. Alex. Hist. Eccl. Sec. VIII. Dissert. VI. Tom. V. pag. 799.

Walafridi. Eundem etiam cultum sacris Imaginibus tribuerunt *Walafridus Strabo*, Abbas Divitis Augiæ, & *Hincmarus* Remorum Antistes. Et Walafridus quidem in libro de Rebus Ecclesiast. cap. 8. non tantùm eas retinendas censet, sed etiam ob amorem eorum, quorum similitudines sunt, animis videntium arctiùs imprimendas. Et quidem in eo *devotionem & utilitatem, qua commoveri vel instrui appetimus, non esse culpandam; sed in his colendis superstitionem & hebetudinem, quâ spiritualem cultum ad corporalia traducere erronei nituntur, esse damnandam.* Itaque tam eos improbat, *qui easdem imagines ultra quàm satis est venerantur; quàm qui illas ut quasdam idololatriæ species penitùs respuunt.* Unde intelligitur à Walafrido non damnari quemlibet imaginum cultum; sed tantùm immodicum, maximè *spiritalem.* Quod omnino consonat Nicænæ Synodi Decreto, quæ *honorarium* duntaxat cultum, id est, externum Imaginibus tribuit.

Walafridus rectè sentiebat de honore Sanctorum. Præter ea Walafridus *ne ipsos quidem sanctos homines*, vivos vel mortuos, divinis colendos honoribus vel honorandos ait: Quæ certè doctrina sana est, maximè si ad ejus interpretationem extendatur: *Rogamus enim*, inquit, *Sanctos, non ut ipsi præstent per se, quæ saluti nostræ necessaria sunt; sed ut ab Auctore bonorum, utpote illi proximiores meritis, & ideò certiùs audiendi impetrent, quæ saluti petentium opportuna non nesciunt. Deum autem oramus, ut sua bonitate gratuita meritis & intercessionibus Sanctorum, quæ pro nobis judicat commoda, largiatur. Et huic quidem ut Deo, Domino, Judici, Creatori, Omnipotenti & Salvatori supplicamus; illos verò ut Dei amicos, Domini famulos, Patronos verè honoratos, & pleniter salvatos in adjutorium vocamus. Tales esse preces fidelium, qui publicas Ecclesiæ orationes considerare norunt, dubitare non poterunt.* Ex his patet Walafridum de Sanctorum honore & appellatione rectè sensisse, eos nempe honorari, precibus interpellari posse, ac debere: at nequaquam iis uti Deo, ac Judici supplicandum, quasi ab ipsis petita accipere possimus; qua in re divinos honores reponit. Post hæc demum tam Sanctorum, quàm sacrarum Imaginum cultum ita concludendo exponit: *Cùm itaque talis sit Christiani perfecti sensus; non sunt omnimodis honesti & moderati Imaginum honores abjiciendi.* Hæc tam clara sunt pro religioso, ac legitimo cultu Imaginum, ut mirum sit aliquos dicere, cautè hoc in loco legendum esse Walafridum. Nam etsi divinos Imaginibus, ipsisque Sanctis honores negat, honestos tamen & moderatos concedit.

Ejus mens ab aliquibus malè explicatur. Neque audiendus Petavius in lib. 15. Dogmatum cap. 16. num. 8. scribens, *Walafridum* in hoc tantùm illos honores reposuisse, ut minimè conculcentur, aut deleantur. Etsi enim id subinde admonet; tamen aliquid amplius desiderat, cùm agit de moderato Imaginum Cultu, quo aliquam externi honoris significationem omninò designat. Imò non tantùm in externo cultu Walafridus reponit hunc honorem; sed & in affectu interno, ut patet ex ultimis ejusdem capituli verbis: *Sic itaque imagines & picturæ habendæ sunt & amandæ, ut nec despectu utilitas adnulletur, & hæc irreverentia in ipsorum, quorum similitudines sunt, redundet injuriam; nec cultu immoderato fidei sanitas vulneretur, & corporalibus rebus honor nimiè impensus arguat nos minùs spiritalia contemplari.* Itaque ex Walafridi sententia *amandæ* sunt Imagines, non despiciendæ, ita ut amor ille externum à nobis honorem in picturas sacras exigat, & in exemplaria dirigatur internus affectus.

Hincmari doctrina de cultu Imaginum. Eundem etiam cultum picturis sacris Hincmarus Remorum Antistes, qui *flagitantibus Coepiscopis fratribus suis librum scripsit, qualiter Imagines Salvatoris Nostri, vel Sanctorum ipsius venerandæ sint*, testante Frodoardo in Historiæ Remensis lib. 3. cap. 29. quod Hincmari Opus etsi exciderit, tamen ex Frodoardi verbis intelligitur, *Hincmarum* Imaginibus non denegâsse cultum omnem, sed saltem qualemcunque concessisse. Itaque inter omnes Auctores Gallicanos, inquit celeberrimus Criticus & Theologus *Antonius Pagi* *, hactenus commemoratos nulli sunt, qui propiùs ad Nicænæ Synodi Decretum accesserunt, quàm Hincmarus, Dungalus, & Walafridus Strabus, omnes ex Ordine sancti Benedicti.

Cùm singulari Numinis providentia seculo decimo vel nullæ, vel certè quidem perpaucæ hæreses, quæ Ec-clesiam

* Crit. Hist. Chronol. in Annal. C. Baronii Tom. III. ad an. 825. n. 17. 18. 19. 20. & 21. pag. 522.

clesiam aliis malis sat oppressam magis affligerent, fuerint enatæ studio TheologiæPolemicæ, non ita, atque cœteris labentibus seculis opus fuit, nisi quòd conrra Anthropomorphitas, qui Deo humani corporis ac membrorum speciem attribuebant, pugnandum fuerit. Quæ hæresis non primùm circa Theodosii prima tempora in Ægypto, ut Petavius * credebat, sed jam secundo seculo à veteribus Ebionitis ** exorta est. Postea verò à Monachis pæne omnibus magno ardore fuir suscepta, repugnante contra illos Alexandrino Præsule Theophilo, & Paschalibus suis literis eos incessente, ut inter alios auctor est Gennadius, & Cassianus. Ac præcipuum firmamentum dementissimæ illius opinionis ex eo Geoesis loco petitum esse, quo factus homo dicitur *ad imaginem & similitudinem Dei*, omnes illi, cœteríque confirmant: ut eo nomioe jure ab *Audio*, vel *Audæo*, qui sic interpretatus est, nata Secta ista dicatur. Et quamvis Theophili, aliorúmque, qui tunc eruditione claruerunt, operâ, & scriptis hæresis illa profligata sit, non sic tamen est obtrita, ut non superstites ejus reliquiæ ad posteriora tempora pervaserint. Etenim in Italia presbyteri quidam Vicentinæ Diœceseos, ad crassum hunc & supinum errorem credendum projecti & faciles, longo postliminio illum revocârunt. Quem verò Ratherius ex Monacho Lobiensi Episcopus Veronensis, verbo scriptísque, ur Sigebertus & Trithemins testantur, impugnandum suscepit, tum in Sermone I. de Quadragesima, tum in defensione ejusdem Sermonis. Ibidem etiam Ratherius carpit superstitionem quorundam, qui ad ecclesiam S. Michaelis satius ducebant ire feria secunda, quàm cœteris, rati sanctum Michaelem ipsa die Missam cantare solitum. Erant etiam in Italia, nempe in Diœcesi Patavina reliquiæ quædam Arrianorum, quas ut eliminaret Ratherius, nulli operæ pepercit.

Anthropomorphitarum hæresis,

quam Ratherius impugnat.

Sub mediũ verò hujus seculi Walfredus quidam *** hæresim negantem immortalitatem animæ in Occitania publicaverat: quam Durandus Castrensis Abbas validè ita impugnavit, & confutavit, ut hæreticus rationum & eloquentiæ pondere obrutus cedere coactus fuerit, & nascentis erroris cursus continuò substiterit, ut testantur versus fronti majoris januæ ecclesiæ S. Benedicti Castrensis inscripti:

Immortalitas animæ à Durando asseritur.

Walfredus spargit doctrinæ semina falsa:
Corpus & unà animam morte perire docet.
Insurgit contra verò sermone Durandus,
Et gladio linguæ dogmata falsa secat.

Apud Treviros Rathbodo **** Monachus, scholæ S. Maximini Magister præfectus, magnum eruditionis suæ in rebus Polemicis palàm experimentum dedit. Nam *Peregrinum* doctrinâ hominem hæreticum, cunctis, ut putabatur, invincibilem, primo disputationis congressu vicit, & mox ad pœnitentiam convertit. Qui in eodem cœnobio S. Maximini factus Monachus in omni sanctimonia vitam consummavit. Rathbodo enim Præceptor juvenum Monachorum non solùm scientiâ Scripturarum fuit illustris, sed etiam vitæ merito præclarus, & ideò non solùm ad scientiã discipulorum intellectum illuminare studuit, sed multò magis affectum ad Dei amorem inflammare curavit.

Peregrini hæretici conversio.

Ecclesiæ fides de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento seculo XI. flammante studio contra Berengarium Sacramentariorum parentem, erat defendenda. Is enim aperta perduellione insurgens præsentiam realem Corporis & Sanguinis Christi negavit. Hanc verò pestiferam ejus hæresin continuò Viri è nostris doctissimi, alii vivâ voce, alii stilo impugnârunt. Præcipui fuerunt *Hugo* Lingonensis Epis. *Durandus* Troarnensis Abbas, *Lanfrancus* Archipræsul Cantuariensis, *Guitmundus* Aversanus Archiepiscopus. Et Lanfrancus quidem anno MLV. in Concilio Turonensi contra Berengarium disputavit, ita feliciter, ut eum saniora sapere docens, ad ejurandam coram Sedis Apostolicæ Legatis hæresin suam adduxerit. Quatuor post annis, nempe an. MLIX. cùm Nicolaus II. Concilium centum & tredecim Episcoporum Romæ coegisset, præsens Berengarius adfuit. Hæreticum tamen suum dogma propugnare adeò non fuit ausus, ut illud etiam publicè revocârit. Ad hæc cùm formula fidei ab Humberto Cardinali conceptis verbis studiosè scripta, jussu Nicolai Summi Pontificis ipsi proposita fuisset, eam sacra-

Berengarii Sacramentariorum hæresis à Benedictinis validissimè impugnatur.

* Theol. Dogmat. Tom. I. lib. 2. cap. 1. n. x. pag. 88.
** Theophil. Alet. in Notis ibidem.
*** Nat. Alex. Hist. Eccl. Tom. VI. p. 933. & Mabill. Tract. de Stud. Mon. vol. 2. art. 20. p. 117.
**** Trith. Annal. Hirsaug. ad an. 999.

sacramento confirmare, eidémque propriâ subscribere manu non recusavit. Ut primùm verò Concilii Patribus terga vertit, fidem jurejurando firmatam scripto in lucem emisso denuò abnegavit, multis contumeliosis verbis in Cardinalem Humbertum, istius formulæ fidei auctorem invectus. Erat is è Lotharingia oriundus, Tullensis cœnobii Ordinis nostri monachus, & propter singularem, quâ pollebat, eruditionem à Leone IX. SS.mo Pontifice creatus Episcopus Sylvæ Candidæ, inter S.R.E. Cardinales cooptatus, ac Legatus Constantinopolim missus, ut Orientale schisma componeret, causam Ecclesiæ strenuè propugnavit adversùs Michaelem Cerularium, Patriarcham Constantinopolitanum, Leonem Acridanum, & Nicetam Pectoratum, quorum calumnias in Latinos, editis libris, egregiè confutavit. Post hæc Gregorius VII. Pontifex Maximus iterum eidem Berengario audientiam in duabus Synodis concessit, in quarum prima anno 1078. habita Berengarius fidei professionem composuit, in qua de industria subdolis *veri Corporis ac veri Sanguinis* verbis Catholicam fidem profiteri videbatur. At cùm hæresim suam sub ejusmodi speciosa larva occultare soleret, minùs sufficiens visa est hæc Berengarii confessio, eíque alia fidei formula in secunda Romana Synodo celebrata anno MLXXIX. proposita fuit, cui, insistente Alberico, Diacono Casinate, & S. R. E. Cardinali SS. Quatuor Coronatorum, vox *substantialiter* * addita fuit. Hujus rei testem habemus Berengarium ipsum, quem in refutatione novissimæ istius formulæ ab ipsomet facta, quam ex veteri codice Gemblacensi descripsit Mabillonius, Albericum acriter, imò petulanter sugillat, quòd vocem illam *substantialiter* prædictæ formulæ addendam curavisset, contra sanctos, ut hæreticus ait, Patres, & contra ipsam veritatem. *Non enim realiter*, inquit ille, *eorum quisquam*, *non substantialiter*, *quia nec ipsa veritas addendum putavit. Erravit potiùs*, *faciliùs planè erravit Casinus ille*, *non monachus*, *sed dæmoniacus Albericus* (hæ sunt hæretici hominis amœnitates) *mentitúsque est errare me de mensa Domini*, *nisi cùm dicerem*, *Panis sanctus in Altari est Corpus Christi*, *adderem substantialiter*. Ex quibus, aliísque intelligitur, Albericum contra Berengarium decertâsse in posteriori synodo Romana anno MLXXIX. habita, in qua hæc vox *substantialiter* ultimæ Berengarianæ fidei professioni inserta est.

Inter quos excellit Humbertus Card.

Albericus hæresiBerengarii larvam detrahit.

Berengarii discipulus fuit in prima adolescentia *V. Hildebertus* noster, Monachus primùm Cluniacensis, tum Episcopus Cenomanensis, ac denique Archiepiscopus Rotomagensis: non incautus tamen, ut pnerilis ætas solet, magistri errorem hausit, nihil quippe ex pestifera ejus circa sacram Eucharistiam doctrina immutatus, intemeratam sanámque in Scriptis suis de tanto mysterio præfert sententiam.** Sermone V. in Cœna Domini TRANSSUBSTANTIATIONEM EUCHARISTICAM his clarissimis verbis asserit: *Nec dubitare debemus*, *quin panis per sacra verba benedictionis Sacerdotalis*, *in verum corpus immutetur*, *ita ut panis substantia non remaneat*, *sed colorem & saporem panis voluit* (*Christus*) *remanere*, *& sub illa specie verum Corporis Christi substantiam latere*, ne, si in ea qualitate, in qua verà est, appareret, verum hominem animus hominis sumere abhorreret: Unde cùm Dominus diceret: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, *& biberitis ejus sanguinem*, *non habebitis vitam in vobis*; hæc audientes quidam abierunt retrorsum, abhorrentes & putantes eum sub ea specie, quæ eis apparebat, jubere comedi. Debet autem necessariò credere Christianus, manibus sacerdotis cujuslibet, tantummodò sacerdotii Ordinem habentis, sive boni sive mali, æqualiter per verba potestativa benedictionis, Corpus Domini posse consecrari, & tunc Spiritum sanctum in consecratione illa adesse.„ In Tractatu verò de Sacramento Altaris humanam rationem in nullo virtutis divinæ effectu sic deficere, ac in Eucharistia, his verbis docet: *Nunquid sensui humano capabile est*, *qualiter substantia panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis Domini conversa*, *non tamen conversa sunt pariter*, *sed manent immutata sine panis & vini substantia*, *tam panis*, *quàm vini accidentia? Quomodo accidentia sine subjecto*, *vel hæc accidentia*, *in quo nata sunt sine subjecto? Via in istis est ignota rationi*, *sed non penitus ignota fidei. Ratio hic totum ignorat*, *sed fides præsumit*, *quod ratio non capit. Ex rationis defectu proficit fides.* Novit

Hildebertus Berengarii discipulus contra magistri veram de Eucharistia doctrinam astruit.

* Mabill. Annal. Tom. V. lib. 65. pag. 139.
** edit. Beaugend. pag. 422.

Novit fides per gratiam, quod ratio per nullam scire potest experientiam. Quò autem ratio hic infirmior, eò fides fortior. Quid? quòd Hildebertus voce TRANSSUBSTANTIATIONIS Berengario, ejúsque sectatoribus tantoperè exosa primus Theologorum usus fuit. Ita enim Sermone VI. de Diversis, *cùm profero*, inquit, *verba Canonis, & verbum* TRANSSUBSTANTIATIONIS &c. Quo verbo nonnisi post ipsum usi sunt Petrus Cellensis, Stephanus Augustodunensis, & alii. Sanè unicam hanc ob vocem Hildebertus in magna apud Theologos Catholicos celebritate versari meretur.

Roscelini error circa mysterium SS. Trinitatis

Alium errorem eodem seculo ertavit *Roscelinus*, natione Britto, seu Armoricus, qui circa Mysterium sanctissimæ Trinitatis lapsus est. Asserebat quippe Novator *in Deo tres Personas tres res ab invicem separatas, sicut sunt tres Angeli, aut tres animæ; ita tamen, ut una sit voluntas & potestas: aut Patrem & Spiritum sanctum esse incarnatum, & tres Deos verè posse dici, si usus admitteret*, sicut testatur Dodechinus in Appendice Mariani Scoti ad annum MXCIV. Raynaldus Remensis Archiepiscopus Synodum habuit Suessione, & ad eundem *Roscelmum* epistolam scripsit S. Anselmus tunc Abbas Beccensis, rogans eum, ut se apud synodum purgaret, mentémque suam de sancta Trinitate omnibus Prælatis aperiret. Verebatur siquidem S. Anselmus, ne Roscelinus publicè assereret, quod in scriptis, & in privatis conventibus falsò dictitare solebat, *Lanfrancum & Anselmum* idem secum sentire. Hæc S. Anselmi ad Roscelinum epistola legitur in Operibus ipsius lib. 2. ep. 41. Citatus in hoc Suessionensi Concilio Roscelinus, ut fidei suæ rationem redderet, errorem suum fassus abjuravit. Sed post solutum Concilium ad vomitum rediit, asserens, se non ob aliam rationem decantâsse palinodiam, atque sententiam suam damnâsse, quàm quia pertimescebat, ne ab ignaro populo lapidibus obrueretur, séque in eadem, quam ejurare coactus fuerat, sententia semper permanere velle. Obstinato animo erroti suo adhærentem Roscelinum egregiè confutavit S. Anselmus in Tractatu de Incarnatione * quem contra ipsum edidit, & Urbano II. Pontifici Maximo nuncupavit. Qui sanctus Archipræsul, teste Eminent. Card. de Agvirre **, quamdiu vixit, Fidem Catholicam Ecclesiæ Romanæ constantissimè defendit, ac docuit aureis scriptis adversùs Atheos, Ethnicos, Judæos, Hæreticos, & Schismaticos. Hos contra definitiones Sedis Apostolicæ pertinaciter negantes processionem Spiritûs sancti ex Filio in Concilio Barensi adeò nervosè & manifestè erroris convicit anno 1097. ut Urbanus II. coram cœteris Patribus, qui synodo aderant, conversus ad Anselmum dixerit ipsi: *Benedictum sit cor, & sensus tuus, & os, & sermo oris tui sit benedictus.*

confutatur à S. Anselmo.

Græcorum error de processione Spiritûs sancti:

Eadmerus, *** testis oculatus, rem paulò pluribus enarrans in ipso Concilio, inquit, dum plurima de Fide Catholica Summus Pontifex, facunda ratione, rationabilíque facundiâ disseruisset, mota est quædam quæstio ex parte Græcorum Evangelicâ auctoritate ptobare volentium *Spiritum sanctum processionem non habere, nisi tantùm à Patre.* Huic errori tum multis argumentis, tum plurimis rationibus Papa contraire jussus, inter alia quiddam de Epistola sibi olim ab Anselmo *de Incarnatione Verbi* edita & directa, exempli gratia, intulit, quod suæ disputationi non parùm claritatis ac firmitudinis attulit. Verùm cùm nonnulla objicerentur, & redditæ rationes, quemadmodùm instabilibus mos est, disquisitæ enucleatiùs exponi peterentur, imperatum silentium primus ipse Pontifex rupit altâ voce dicens: *Pater & Magister Anselme, Anglorum Archiepiscope ubi es?* Sedebat enim idem Pater in ordine cœterorum inter primos Concilii Patres, & ego ad pedes ejus; Ubi ergò se requiri audivit, surrexit continuò, & respondit: *Domine Pater*, quid præcipis? Ecce me! at ille: *Quid quæso facis? cur in aliorum silentio degis? Veni, veni obsecro, ascende usque ad nos, cui suam integritatem vides Græcos istos conari adimere, & nos in id ipsum nefas, si facultas eis tribuatur, præcipitare. Succurre igitur quasi verè pro hoc à Deo missus huc.* Videres itaque circa solium Papæ quosque perstrepere, sedes mutare, locum sedendi viro parare, & sic demùm honorificè levatum ad se propè Papam collocare. Concilio stupente ad hæc, & percunctante, quis esset, aut unde? Tum comptesso tumultu, omnibus in commune viri sanctitatem atque industriam Papa exposuit; & quia propter justitiam multas persecutiones passus

eum S. Anselmus confutare à Papa jubetur.

* Graveson Hist. Eccl. Sec. X. colloq. 3. p. 51.
** in Dedicat. Theolog. Tom. I.
*** Hist. Nov. lib. 2. p. 53.

fus, atque injuria de sua sit terra expulsus, reverenda voce innotuit. Cum igitur ad imperium ejus Anselmus præstò esset, motæ quæstioni mox respondere, visum nonnullis est, melius fore in crastinum rem differri, quò liberioribus animis dicenda expeditiùs proponerentur. In crastino itaque maturiùs conventu disposito, Anselmus ex condicto debitum solvere postulatus est.

Surrexit ergò & coram universis in edito stans, sic de negotio, regente cor & linguam ejus Spiritu sancto tractavit, disseruit, absolvit, ut in ipso conventu nemo existeret, qui non in-de sibi satisfactum consentiret. Sed quibus hoc argumentis, quibus rationibus, quibus vel divinæ Scripturæ authoritatibus, & exemplis egerit, scribere supersedemus, eò quòd ipsemet Anselmus postmodùm indè diligentiùs atq; sublimiùs tractans egregium Opus scripsit; idque per multa terrarum loca, ubi ejusdem erroris fama pervenit, ab amicis suis rogatus direxit. Ergò ubi finem dicendi fecit, intendens in eum Summus Pontifex, ait: *Benedictum sit cor & sensus tuus, & os, & sermo oris tui sit benedictus.* Hinc in laude viri demoratum est, & fides ejus atque prudentia divulgata, magnificata, nec non eorum perfidia, si qui forent, qui ea, quæ de proposita quæstione docuit, suscipere, & credere nollent, exprobrata, atque perpetuo anathemate percussa atque prostrata.

quod is egregiè præstat.

laudatur ea propter à Papa.

Ne Monachi in legendis Joannis Cassiani Operibus, in quibus assidui erant, in erroneam de libero arbitrio doctrinam impingerent, curæ habuit *Berno* Divitis Augiæ doctissimus Abbas, è vivis anno 1048. sublatus. Is cùm aliquando Coloniæ Agrippinæ esset, cum *Friderico*, Monacho, an Clerico? certè quidem viro rerum Theologicarum summè perito in sermonem venit. Inter disserendum de variis Sacræ Scripturæ argumentis mentio Cassiani injecta est. Tum verò *Fridericus*, quæso, inquit, ô Bernu! quid causæ est, quòd Cassianus, qui de Institutione Monachorum & multa & utilia composuit, in multorum reprehensionem incurrerit? Cui interrogationi Abbas Berno doctè respondit. Ut verò Friderico rem adhuc magis gratam faceret, in Augiam reversus, responsionis suæ momenta scripto complexus est. Literas igitur * his verbis scriptas ad eundem dedit:

Cassiani errores refelluntur à Bernone Abbate.

Bernonis Epistola ad Fridericum.

Suus suo Bern Friderico, ut veræ pacis diviti cum misericordia & veritate semper osculanti bonum, quo non præstantius.

" Ignis ille perpetuus, de quo Legislatori à Domino præcipitur, ut nunquam de altari deficiat, in ara cordis tui jugiter flagrat, ex quo thymiama devotæ orationis adoletur. Cujus ego inter cœteros amicitiæ tuæ viros odore attractus, etiam si volo, immemor tui esse nequeo, præsertim cùm tui verba sapientis, juxtà illud Salomonis sint apud me *quasi clavi in altum defixi*, quorum ego vel memoria ipsa recreor. Igitur dum præsenti anno *Coloniæ* convenissemus, ibique dulcis quædam de sacra Scriptura inter nos habita esset collatio, subitò quæstionem intulisti, cur *Cassianus*, qui de *Institutione Monachorum* multa composuit utilia, idem reperiatur, † qui præcipuè ejusdem reprehensor esse videatur. Ades ergò animadvertens, quæ dico.

† *Loc. corrupt. f. quedam de S. Prospero omissa sunt, qui præcipuè ejus reprehensor &c.*

„*Cassiodorus* ex Senatore monachus, vir in divinis & humanis literis eruditus, cùm Psalmi sexagesimi noni primum versum, qui incipit: *Deus in adjutorium meum intende*, exposuisset, adjunxit: *Sed non sequendus in omnibus generaliter hunc locum facundissimus Cassianus in decima Collatione plurima de ejusdem versus hujus utilitate edisserens, tanto honore concelebrat, ut quicquid monachi adsumpserint, sine hujus versiculi trina iteratione non inchoent.* Item in alio Opere ad monasterii sui Fratres: *Cassianum*, inquit, *Presbyterum, qui conscripsit de institutione fidelium monachorum, sedulò legite, libenter audite, qui inter initia ipsa sancti propositi octo principalia vitia dicit esse fugienda.* Et paulò pòst: *Qui tamen de libero arbitrio à beato Prospero jure culpatus est. Unde monemus, ut in talibus rebus excedentem sub cautela legere debeatis. Cujus dicta Victor Martyritanus Afer Episcopus, ita Domino juvante, purgavit, & quæ minùs erant, addidit, ut ei rerum istarum palma meritò conferatur.*

de Instit. Divin. c. 29.

„Qui à tribus reprehenditur, quorum

* Bernonis epistola asservatur manuscripta in Bibliotheca Augiæ Majoris Brigantinæ, ex qua Bern. Pezius eam typis vulgavit Anecd. Tom. VI.

rum testimoniis errâsse convincitur, dum Cassiodorus dicit, eundem *non in omnibus sequendum*, & *beatum Prosperum jure de libero arbitrio eum culpâsse* adfirmat, & *Victorem Episcopum ejus dicta purgâsse* conaudat. Et quantum, à quibus, vel unde reprehenderetur, hoc est: de libero arbitrio jam aliquatenùs audîsti. Nunc ubi locorum in scripturis suis hæreticus ille error lateat, charitas vestra diligenter advertat.

Cassianus in libro DE PROTECTIONE DEI à vero aberrat. In Libro ipsius, qui prætitulatur *de Protectione Dei*, introducit idem Cassianus quendam *Cheremonem* nomine, de gratia & libero arbitrio disputantem, cujus per omnia se probâsse ac suscepisse ostendit sententiam. Ubi ab eo loco, in quo dicit: *Adest igitur nobis inseparabiliter semper Divina protectio*, usque ad ejusdem penè Collationis finem, à veritatis linea exorbitare videtur, dum alternò quodam sensu ex Sacra Scriptura adversa sibi quædam colligit, ex quibus generali omnium fidelium divisione habita affirmare contendit, quòd alii sint, quos Deus per gratiam salvet; alii, quos natura per liberum arbitrium justificet. Unde de Deo infert: *Qui cùm in nobis ortum quendam boni voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit evenisse &c.*

Si verò objicis, nil jam reprehensionis in illo reperiri posse, eo quòd suprà diximus, Auctore Episcopo eundem emendatum fuisse, Cassiodoro teste, noveris, illum emendatum penes nos minimè haberi: sicut nec ipse Cassiodorus tunc temporis habuit, quando hæc scripsit. Unde & dicit: *Quem, librum* videlicet, *inter alios de Africæ partibus citò nobis credimus esse dirigendum. Sed vos*, inquit, *carissimi fratres Deo juvante eas partes legite, quas salubriter cognoscitur ille laudâsse*, nisi fortè tu illam habeas, in quo inter odoriferas suavium sententiarum rosas spinas errorum inveniri non metuas: nec illud Virgilianum ibi putes auribus admittendum: *Fugite ô pueri! latet anguis in herba.*

Oppugnatur à S. Prospero. Verùm ne fastidium lectori videamur ingerere, si omnia hujusmodi falsitatis dogmata in hac epistolari brevitate volumus detegere, præcipuè cùm contra easdem hæreticæ pravitatis ineptias, Dei gratiam impugnare nitentes, liber extet Catholicus, à beato sæpè jam dicto *Prospero* editus: Libet pauca de multis ejusdem gratiæ divinæ defensoris verba ponere, ut clareat ex adverso, quis horum meritò ferat palmam ex hoc certaminis campo.

Postquàm enim Doctor prædictus in Catholica acie constitutus inimicum gratiæ Dei Sacræ Scripturæ armatura expugnavit, murúmque infidelitatis fidei ariete contrivit, ante finem Libri sic ait: *Necessarium nunc sanè æstimo ante conclusionem voluminis ea, quæ ostendimus non congruere catholicæ veritati, breviter conjunctímque digerere, ut quæ interjectis responsionibus nostris possunt recordationem legentis effugere, fideliùs simul decursa recolantur.*

Prima ergò diffinitione dictum est, *non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque operationem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Qui & incipit, quæ bona sunt, & exsequitur & consummat in nobis.* Quod & nos valde amplectimur, Catholicúmque esse profitemur. Prosper.

Secunda diffinitione dictum est: *Adest igitur inseparabiliter nobis Divina protectio, tantáque est erga creaturam pietas Creatoris, ut non solùm comitetur eam, sed etiam præcedat jugiter providentia. Quam expertus Propheta confitetur dicens: Deus meus misericordia ejus præveniet me. Qui cùm in nobis ortum quendam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emersisse.* Cassianus.

Jam hic à præmissa diffinitione descenditur, & quod totum gratiæ fuerat datum, ex parte nunc libero arbitrio deputatur. Prosper.

Tertia diffinitione dictum est: *Nisi quòd in his omnibus & gratia Dei & libertas declaratur arbitrii: quia etiam interdum suis motibus homo ad virtutum possit extendi appetitus, semper verò à Domino indigeat adjuvari. Nec enim cùm voluerit quis, sanitate perfruitur, aut de ægritudinis morbo per arbitrii sui desiderium liberatur.* Quasi medicus noster non etiam hoc donet morbidis, ut veram desiderent sanitatem. Cassian.

Quarta diffinitione dictum est: *ut autem evidentiùs clareat, etiam per* Prosper.

naturæ

naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia (quæ tamen nisi à Domino dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt) Apostolus testatus est dicens: velle adjacet mihi, perficere autem bonum non possum. Quasi Apostolus ex naturali affectu, & non ex gratiæ bono bonam habeat voluntatem, qui profitetur ex Deo sibi esse sufficientiam cogitandi.

Prosp.

Cass. Quinta diffinitione dictum est: *Et ita sunt hæc quodammodo indiscretè permixta atque confusa, ut quid ex quo pendeat, inter multos magna quæstione volvatur, id est: utrùm, quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, misereatur nostri Deus: an quia Deus miseretur, consequamur bonæ voluntatis initium. Multi enim hæc singula credentes, ac justo amplius asserentes, variis sibique contrariis sunt erroribus involuti. Si enim dixerimus, nostrum esse bonæ principium voluntatis, quid fuit in persecutore Paulo, quid in publicano Mathæo, quorum unus cruore ac suppliciis innocentùm, alius violentiis ac rapinis publicis incubans attrahitur ad salutem? Sin verò pro gratia Dei semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus, quid de Zachæi fide, quid de illius pietate in cruce latronis dicemus, qui desiderio suo vim quandam regni cœlestis inferentes specialia vocationis monita prævenerunt.*

Prosp. In errore esse dicitur & is, qui ex gratia nasci bonam voluntatem, & is, qui dicit gratiam ex bona pendere voluntate: Et tamen utraque sententia suscipienda decernitur, dum unius in Paulo & Mathæo, alterius in Zachæo & latrone forma præfigitur.

Cassian. Sexta diffinitione dictum est: *Hæc ergo duo, id est: gratia vel liberum arbitrium sibi quidem invicem videntur adversa: sed utraque concordant, & utrumque nos pariter debere suscipere pietatis ratione colligimus, ne unum horum homini subtrahentes, Ecclesiasticæ fidei regulam excessisse videamur.*

Prosp. Quasi ita utrumque recipiendum sit, ut in aliis hominibus voluntas gratiam, in aliis gratia præveniat voluntatem: & non ita, ut in omnibus voluntas gratiam subsequatur: quoniam secundùm ipsos si aufertur liberum arbitrium, cùm gratiâ prævenitur, aufertur gratia, cùm libero arbitrio prævenitur.

Cassian. Septima diffinitione dictum est: *Concepit ergo Adam post prævaricationem, quam non habuerat, scientiam mali: boni verò scientiam, quam acceperat, non amisit.*

Prosp. Cùm utrumque sit falsum; quia & à quanto malo Adam cavere deberet, Deo monente prædidicit: & in quanto bono esset constitutus, dum diabolo credidit, oblitus est. Sicut autem pessima scientia mali est, malum esse; ita pessima ignorantia boni est, bonum non esse.

Cass. Octava diffinitione dictum est: *Unde cavendum nobis est, ne ita ad Deum omnia Sanctorum merita referamus, ut nil nisi quod malum est, humanæ naturæ adscribamus.*

Prosp. Quasi natura ante gratiam non sit in damnatione, non sit in cœcitate, non sit in vulnere, aut non gratis justificati sint, quorum inde sunt merita, unde justitia.

Cass. Nona diffinitione dictum est: *Dubitari ergo non potest, inesse omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio Creatoris inserta. Sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire.*

Prosp. Quasi de spiritualibus bonis nihil Adam prævaricando perdiderit, & virtus non ut habeatur, danda, sed ut faciliùs perfectionem apprehendat, hortanda sit.

Cass. Decima diffinitione dictum est: *Quod etiam in Job, probatissimo Athleta suo, cùm eum Diabolus expetisset ad singulare certamen, Divinam legimus providisse justitiam. Si enim contra inimicum non sua virtute, sed Dei solius fuisset gratia protegente congressus, & absque ulla virtute patientiæ suæ divina tantùm opitulatione suffultus, multiplices illas, ac tota inimici crudelitate quæsitas tentationum moles & exitia pertulisset, quomodo non illam calumniosam diabolus, quam priùs amiserat, vocem adversùs eum justiùs iterâsset: nunquid Job gratis colit Deum? Nonne tu vallâsti eum, & universam substantiam ejus per circuitum? Sed aufer manum tuam, id est: sine eum mecum suis viribus decertare, nisi in faciem tuam benedixerit tibi: Sed cùm nullam hujuscemodi querimoniam calumniosus hostis post conflictum audeat iterare, non Dei, sed illius se victum viribus confitetur. Licèt enim gratia Dei non in totum illi defuisse credenda sit, tantam tentatori tentandi tribuit potestatem, quantam & illum resistendi noverat habere virtutem.*

Prosper. Si Deus scivit tantummodò, quòd Job posset, non etiam donavit, ut posset, testis patientiæ ejus, non auxilia-

„ xiliator fuit. Et in quo erit neceſſarium gratiæ adjutorium, ſi humanis ſolis viribus tanta illa eſt patrata victoria?

Caſſ. Undecima diffinitione dictum eſt de Centurionis fide: *Miratur eum Dominus atque eum laudat, cunctísque illis, qui ex Iſraelis populo crediderant, præfert dicens: amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſrael. Nullius enim laudis ac meriti eſſet, ſi id ideo Dominus, quod ipſe donaverat, prætuliſſet.*

Proſp. Impius ſenſus, qui putat beatiorem eſſe hominem, cui Deus nihil dederit, quàm cui univerſa contulerit.

Caſſ. Duodecima diffinitione dictum eſt: *Inde eſt, quòd orantes non ſolùm protectorem, ſed etiam ſuſceptorem Dominum vocamus. In eo enim, quòd prior advocat, & ignorantes nos atque invitos attrahit ad ſalutem, protector atque Salvator eſt. In eo autem, quòd annitentibus nobis opem ferre, refugientéſque ſuſcipere ac munire conſuevit, ſuſceptor ac refugium nominatur.*

Proſp. „ Huic ſententiæ is poteſt præbere conſenſum, qui ſe à Chriſto non vult eſſe ſalvatum. His itaque diffinitionibus hoc docetur, hoc ſcribitur, hoc editis diſputationibus prædicatur, quòd Adam peccante anima ejus læſa non fuerit, ſanúmque in eo manſerit, unde peccavit: ſi quidem ſcientiam boni, quam acceperat, non amiſerit, nec potuerint poſteri ejus perdere, cujus damnum nec ille pertulerit. Ineſſe autem omni animæ naturaliter virtutum ſemina, beneficio Creatoris inſerta, ut poſſit, qui voluerit, judicio naturali Dei gratiam prævenire, & adjutorium ejus, quò faciliùs ad perfectionem perveniat, promereri, quia nullius ſit laudis ac meriti, qui donatis bonis, non propriis adornatur. Cavendum quoque eſſe, ne ita ad Deum omnia Sanctorum merita referantur, quaſi per ſe nil boni poſſit agere humana natura, cùm tanta ſit virtutum ejus integritas, ut etiam ipſum diabolum ſævitiámque ejus usque ad extrema ſupplicia ſine auxilio Dei valeat dimicare. Hanc autem poſſibilitatem in omnibus hominibus eſſe naturaliter, ſed non omnes ingeneratis ſibi uti velle virtutibus. Tantam autem circa univerſos homines bonitatem eſſe Creatoris, ut alii ab eo, quia ſponte veniant, ſuſcipiantur laudati; alii autem quia reſiſtunt, attrahantur inviti: Atque „ ideò volentium ſuſceptor, no„lentium verò Salvator ſit. Et cùm pars Eccleſiæ ex gratia, pars autem juſtificetur arbitrio, glorioſiores ſint, quos natura provexit, quàm quos gratia liberârit: quia ad omne opus bonum tam libera ſit voluntas in Adæ poſteris, quàm in Adam fuerit ante peccatum. „

„ Hæc interim tibi ad ea, quæ in„ terrogâſti, dilectiſſime, ſufficiant. „ Cœterùm ſi quid plenius ſuper hoc „ noſſe deſideras, ipſum Librum bea„ ti Proſperi inde compoſitum lege, „ & liquidò comprobabis, Caſſianum, „ virum licèt in aliis probatum, in „ hac parte jure culpatum. „

Jam verò quis ex hac *Bernonis* epiſtolâ non intelligit, Monachos Benedictinos Opera Caſſiani, quæ S. P. Benedictus ſuâ in Regula *Collationes Patrum* indigitavit, ſuíſque diſcipulis ſemel atque iterum impensè commendavit, non ita manibus verſaſſe, ut quæ cenſuram & confixionem merebantur, non obeliſco notarent. Equidem non neſcio, quòd *Joannes Franciſcus Buddeus* in Academia Jenenſi Doctor Theologiæ in Inſtitutionibus Theologiæ Dogmaticæ Lib. 3. c. 2. nulli religioni ſcribere ſibi duxerit, *Monachos ex Caſſiani Collationibus unà cum ſanæ doctrinæ lacte etiam Pelagianæ aut Semipelagianæ hæreſis hauſiſſe venenum.* Sed hæc contumelia eſt, quam nobis certè quidem Benedictinis nullatenus ferendam exiſtimo. In medio ſunt Gregorii M., Ildephonſi, Aldhelmi, Bedæ, Bonifacii, Ambroſii Autperti, Alcuini, Rabani Mauri, Paſchaſii Radberti, Lupi Ferrarienſis, Petri Damiani, Lanfranci, Anſelmi, Petri Venerabilis, Ruperti Tuitienſis, aliorúmque complurium Benedictinorum Opera; ſed in quonam illorum Pelagianum aut ſemipelagianum virus deliteſcit? Oſtendat hoc *Buddeus*, aut ſe non ſine gravi aliorum injuria ſcripſiſſe fateatur. An non Venerabilis Beda, uti ſupra audivimus, Pelagii hæreticam doctrinam non fusè magis, quàm ſolidè confutavit? An non Abbas *Berno*, utì ex modò allata liquet epiſtolâ, Semipelagianos errores doctè confixit? An non *Alardus Gazæus*, ut ad tempora noſtris propiora veniamus, Caſſiani Opera caſtigata, & cenſuris ſuo loco ſubjecta, magna cum laude evulgavit. An non Theologi è Congregatione S. Mauri in caſtigatiſſima Operum S. Auguſtini editione Pelagianæ hæreſis errores annotant,

Buddei criminatio notatur.

perstringunt, refellunt? Nolim igitur *Buddeo*, Theologo aliàs inter suos Acatholicos percelebri, istam excidisse criminationem.

Judæi cur non penitùs deleti.

Si necesse sit, esse hæreses & schismata, *ut qui probati sunt, manifesti fiant*, non sine singulari Dei providentia factum, ut Judæorum perfida natio, ac propter horrendum in Christum scelus perpetratum omnibus exsecranda, non omnino deleretur, ut vel paganis ipsis de sacrorum Codicum veritate testimonium perhibens, fidei lucem aliis præferret, quam nec ipsa vult aspicere. * Hinc bellè *Petrus Blesensis* cap. 1. Lib. contra perfidiam Judæorum post S. Augustinum, & V. Bedam: *Ideò etiam Judæis hodie vita indulgetur, quia capsarii nostri sunt, dum ad assertionem nostræ fidei Prophetas circumferunt, & Legem Mosaicam, nec solùm in eorum codicibus, sed in vultibus eorum Christi legimus passionem.* Cùm autem implacabili odio Christianam religionem persequantur, nec eam aliquando & factis & dictis impugnare destiterint, frequentes cum ipsis concertationes non habere non potuerunt Ecclesiastici Doctores. Sed cùm seculo præsertim XII. Christianis essent infensi, perplures eo tempore scriptores, eósque omnino insignes calamum adversùs eos exacuere necessarium fuit. E nostris verò quatuor præcipuè Abbates *Gilbertus Westmonasteriensis*, *Rupertus Tuitiensis*, *Petrus Venerabilis*, *Guibertus de Novigento*, cùm habitis disputationibus tum editis scriptis Judaicam perfidiam fortissimè oppugnârunt.

Eorum perfidia à Benedictinis oppugnatur.

Petrus Ven. præterea & Mahometanos infectatur.

Quem verò tertio nominavi loco, *Petrus Venerabilis*, non Judæos tantùm singulari libro confutavit, sed ætatis etiam suæ hæreticos prostravit, scripto adversùs *Petrobrusianos* egregio Tractatu. Sed nec infensissimos Christiani nominis adversarios, Mahometanos dictos, reliquit intactos. Anno MCXLI. profectus negotiorum causa in Hispaniam in tres incidit Scriptiones. Prima erat Disputatio quædam adversùs impiam Mahomedis doctrinam. Altera erat ipsius Mahometis Alcoranus. Tertia fuerant ejusdem Pseudoprophetæ fabellæ cum Judæis habitæ. Hæc tria Scripta ut Latinam converterentur in linguam, omnem adhibuit curam, advocatis ad hoc negotium tribus Arabicæ linguæ peritissimis viris, Roberto Kecenensi, Armeno-Dalmata, & Petro Toletano, quibus, ut versio ipsa omnibus esset numeris absoluta, quartum addidit Saracenum nomine, utpote patriæ linguæ magis gnarum, nullis omnino pecuniarum expensis parcens. Et quia minùs familiaris erat illis lingua Latina, dedit etiam eis adjutorem *doctum virum*, *dilectum filium*, *& fratrem Petrum*, *Notarium suum*. Reversus in Gallias ex his tribus Scriptis non Alcoranum, ut Scaliger & post eum Edmundus Martene frustra existimant, ad D. Bernardum transmisit, sed Disputationem adversùs Mahometis deliria. Fecit verò hoc, ut Mellifluo Doctori *ad scribendum contra tam perniciosum* errorem animos adderet, atque collatam ei divinitus *Doctrinæ magnificentiam* animaret. Quòd si facturus esset, se Alcoranum etiam ad ipsum transmissurum esse, fidem suam obstrinxit. Colligimus id ex Petri epistola anno MCXLIII. data, quam habes in Bibliotheca Cluniacensi pag. 1109. Bernardi ad eam responsum hactenus desideravimus. Sed neque aliquid unquam eo de argumento, ab illo tractatum fuisse apparet, relicta Abbati Cluniacensi hac provincia. Igitur *morem illum Patrum sequutus, quo nullam unquam suorum temporum vel levissimam hæresim silendo præterierunt, quin ei totis fidei viribus resisterent, & scriptis disputationibus esse detestandam ac damnabilem demonstrarent*, egregium Opus adversùs nefandam sectam Saracenorum elucubravit. Unde ejus indefessum zelum in confutandis Ecclesiæ hostibus Petrus Pictaviensis bis verbis celebravit: „Solus enim vos estis nostris „ temporibus, qui tres maximos sanctæ Christianitatis hostes, Judæos „ dico, & hæreticos, ac Saracenos, „ divini verbi gladio trucidâstis, & „ matrem Ecclesiam, non ita orbatam, vel desolatam bonis filiis ostenditis, quin adhuc Christo propitio „ tales habeat, qui possint omni poscenti rationem reddere de ea, quæ „ in nobis est, spe, fide, & humiliare omnem arrogantiam & superbiam diaboli, extollentem se adversùs altitudinem cœli.„

Eckberti Abbatis disputatio contra hæreticos.

In Germania *Eckbertus* ** ex Canonico Ecclesiæ Bonnensis Monachus & Abbas cœnobii S. Florini Schœnaugiensis, in finibus Trevirensis diœcesis, frater Beatæ Elisabethæ Abbatissæ,

* Apud Martene Thes. Anecd. Tom. V. pag. 107. Præfat. in Anonymi Tract. contra Judæos.
** Trith. de Vir. Ill. O. S. B. l. 2. c. 121. & in Chron. Hirs. ad an. 1163. pag. 451.

tissæ, cœnobii monialium ibidem, tantæ eruditionis & facundiæ fuit, ut hæreticum quendam Cardensem, malè de Corpore & Sanguine Domini sentientem, & subtiliter dogmatizantem, omnibus formidabilem primâ (*congregatis multis viris doctis*) disputatione devicerit. Denique anno Domini millesimo centesimo sexagesimo tertio, indictione undecima, secunda die mensis Augusti, quæ fuit sexta feria, in civitate Coloniensi tres hæresiarchas Cataphrygas, seu Catharos, *Arnoldum*, *Marsilium*, & *Theodericum* disputando convicit, ut nihil contra mutire possent. Qui pertinaciter in errore permanentes, combusti sunt cum sex viris & duabus mulieribus extra civitatem, juxtà sepulturas Judæorum in colle, qui dicitur *Judaicus*, & contra talium hæresin nonnulla scripsit Syntagmata. Claruit anno Domini 1170.

Albericus Card. voce & scriptis hæreticos impugnat. Inter tres celeberrimas legationes, quas *Albericus* * ex Abbate Viceliacensi S. R. E. Cardinalis jussu Sedis Apostolicæ seculo XII. obivit, tertia fuit, quâ functus est in Gallia anno 1145. mandante *Eugenio III.* assumptis secum duobus Collegis D. Bernardo Clarevallensi & Gaufrido Carnotensi contra *Henricum Petrobrusianum*, qui primò Baptismum Infantibus collatum inutilem esse contendebat; secundò verum Christi corpus in Eucharistia non existere, ac tertio mortuis suffragia fidelium non patrocinari: Hunc cum suis asseclis Pontificio nomine damnavit, & execratus est. Et cùm esset in Theologia Polemica versatissimus, scripsit primò *de realitate Corporis Christi in Eucharistia*; tum contra *Petrobrusianos*. Albericum Baronius *hominem* vocat *doctrinâ potentem, ac sanctitate conspicuum, columnámque Ecclesiæ.*

Godefridi Abb. Vindoc. doctrina de baptismi necessitate. Et quia baptismi mentio facta est, jam olim Donatistæ & Pelagiani necessitatem illius inficiati fuerunt, Achilles eorum erat exemplum boni Latronis, qui paradisum adeptus est, quin priùs baptizatus fuerit. Hoc argumento S. Augustinum lacessebant, cujus quæ fuerint responsiones, me hîc non attinet dicere. Præ ipso tamen nodum hunc feliciùs extricasse videtur, qui hoc seculo ætatem egit, Godefridus noster Abbas Vindocinensis, & S. R. E. Cardinalis Sermone X. de Latrone salvato in cruce. Sic verò loquitur: *Huic beato & mirando viro nullum salutare defuit Sacramentum. Nam quod per vicarios Christus visibiliter agit in aliis Christianis, hoc invisibiliter egit in illo per semetipsum. Per Christum itaque baptismum in cruce percepit, & cætera Sacramenta. Nisi enim à Christo baptizatus esset, & factus omnino perfectus Christianus, ei Christus minimè diceret: Hodie mecum eris in paradiso. Jam enim dixerat: Non intrabit in regnum cœlorum, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto.* Quibus verbis Godefridus nihil aliud dicere volebat, quàm quòd Christus suprema authoritate per seipsum Sacramenti baptismatis effectum Latroni sine Sacramento baptismi contulerit. Hoc ad revincendos hæreticos quid solidius? Quamquam ab iisdem frustra ac ineptè Latronis boni exemplum ad infirmandam baptismi necessitatem adducatur, cùm quô tempore Christus cruci affixus fuit, nulla adhuc ejus suscipiendi data fuerit obligatio.

Disputatio Petri Cas. cum Græcis de Processione Spiritus S. Negotia monasterii Casinensis per hæc tempora expetebant, ut *Petrus Diaconus* Monachus Casinas ad ea componenda in aula Lotharii II. Imperatoris versaretur. Quàm acris disceptatio fuerit cum Græcis de Processione Spiritûs sancti à Patre, Filióque, ipsius verbis ** referre juvat: „ Legati, „ inquit, Johannis Constantinopolitani Imperatoris ad Augustum Lotharium pervenerunt, congratulantes, & munera magna deferentes propter victoriam contra Rogerium à Deo sibi collatam. Inter quos „ quidam Philosophus veniens, & „ ante Imperatorem eminùs astans, „ canino latratu sanctam Romanam, „ & Apostolicam Sedem, totámque „ Occidentalem Ecclesiam corrodere „ cœpit, dicens, Romanum Pontificem, non Episcopum esse, Clericósque Romanos excommunicatos, „ azimitas vocare: contra quem *Petrus Diaconus* conversus, opportunè importunè contra eum altercare „ modis omnibus cœpit. Sed cùm „ non supradictæ disputationi finem „ daret, Lotharius Imperator præcepit, ut summo manè ante Imperiale consistorium convenirent, & „ si quid Græcus contra Romanam „ haberet Ecclesiam, in medium proferre non morigeraret. „

„ Quod

* Eggs Purp. Doct. lib. 1. pag. 66. Item M. B. E. pag. 194.
** In Continuat. Chron. Leon. Marf. lib. IV. cap. 113.

„ Quod dum factum fuisset, Græ-„ cus in hanc vocem prorupit: Viri „ cordati, & sensu vigentes, adver-„ tite, & in vestræ mentis solio æquâ „ libratione decernite, si excomuni-„ catus cum Catholico debet confer-„ re sermonem. Petrus autem Diaco-„ nus reputans, Græcum contra se „ jaculum excommunicationis protu-„ lisse, dixit ad eum: Contra quem „ anathematis jaculum intulisti, si „ placet, edicito, contra me, an con-„ tra omnem Occidentalem Eccle-„ siam? Græcus respondit: & contra „ te, & contra omnem Occidentalem „ Ecclesiam. Petrus Diaconus dixit: „ Cur? Græcus respondit: Quia De-„ creta Nycæni Concilii transgressi „ estis. Petrus Diaconus dixit: in quo „ transgressi sumus statuta Nycæni „ Concilii? Græcus respondit: in eo, „ quod adjunxistis, quia Spiritus san-„ ctus procedit à Patre & Filio; nam „ in eodem Concilio scriptum est, quia „ Spiritus procedit à Patre. Petrus „ Diaconus dixit: Si nos excommu-„ nicatos appellatis pro eo, quod ad-„ junximus, quia Spiritus procedit à „ Patre & Filio: ergò & vos excom-„ municati estis, qui adjunxistis, quod „ procedit à Patre *solo*.

Concilia de Processione Spiritûs sancti

Jugulans profectò fuisset, inquit *Angelus de Nuce* *, *Petri redargutio, dummodò absolutè vera*. Pro quo notandum: Concilium Nicænum primum in Symbolo Fidei proposuisse credendum, *In Spiritum sanctum*. Concilium verò Constantinopolitanum primum addidisse: *Qui ex Patre procedit*: Concilium autem dixit, id quidem assertivè, non tamen exclusivè; & quòd ea fuerit synodi mens, patet, quia tunc ex Græcis etiam plerique docebant, Spiritum sanctum habere esse *ex Filio*, & *per Filium*, Athanasius, Basilius, Nyssenus, aliique. Particulas verò *ex* & *per* originem importare Theologi probant. Non ergò hi Patres potuerunt verba Concilii accipere in sensu exclusivo. Quoniam tamen Ecclesia non consuevit definire dogmata; nisi cùm opposita urget hæresis, tunc autem nondum orta erat difficultas de processione Spiritûs sancti à Filio: ideò Concilium nil de hoc proposuit, sed verbis tantùm Scripturæ *Qui à Patre procedit*, Joan. 6. Paracleti originem symbolo addidit. Hinc Nazianzenus epist. 2. ad Celidonium ait, Nicænam Synodum non tradidisse perfectam doctrinam de Spiritu sancto, quia nondū exorta erat quæstio de Spiritu S. Exorta dein ea controversia de processione Paracleti à Filio circa annū Domini 430. acriùsque agitata anno 860. Ecclesia Latina ipso sancto Spiritu edocta, existimavit sibi licere, dogma illud declarare credendúmque proponere, addendo symbolo, *Ex Filióque*.

à Patre

Filióque.

Quandonam autem fuerit addita Nicæno symbolo particula illa *Filióque*, & cœptum de Spiritu sancto in Ecclesia dici, *Qui ex Patre Filióque procedit*, non satis liquet, inquit *Petrus Annatus* ** *Tractatu de sacris Ecclesiæ Conciliis*. Volunt enim aliqui, additam fuisse in Concilio quodam in Occidente congregato, non assignando locum, neque tempus ejus; alii [*ut novissimè Abbas noster Petitdidier Tractatu de Auctoritate & Infallibilitate Summorum Pontificum cap. IV. p. 26.*] additam credunt à *Damaso* Papa anno 381. in habito Romæ Concilio; alii verò à II. Nicæno Concilio anno 787. alii denique anno 858. à Nicolao Romano Pontifice hujus nominis I. additam fuisse, probabiliùs esse contendunt. 1. Quia non potest certò dici addita in Concilio quodam Occidentali, cujus nec nomen, nec locus, nec tempus assignatur. 2. Non potest pariter dici à Damaso addita in Concilio Romano; nam si à Damaso Papa fuisset addita, illam non improbâsset, nec rejecisset sine dubio Leo III. consultus à Gallis, & rogatus à Carolo Magno, ut hæc præfata adderetur symbolo particula; Leonem autem III. illam improbâsse & rejecisse constat. Non denique dici potest in II. Nicæno Concilio ab Orientalibus addita; quia si ita esset, sine dubio non latuisset Græcos, & aliqui saltem Codices (præter eum, quem Græcis opponebant Occidentales) ita habuissent, quod tamen falsum esse constat; ergò in illo II. Nicæno Concilio addita dici nequit, ac proinde multò probabilius est à Nicolao I. Romano Pontifice fuisse additam, anno circiter 858. eo videlicet tempore, quo cœpit Photii Græcorum Antesignani schisma; quia id colligitur 1. Ex Encyclica Photii ad sedes Orientales epistolâ. 2. Ex eo, quòd Nicolao exprobret Photius, ipsum ob additionem illam incurrisse anathema ab Ephesina synodo latum contra quoscunque Nicænæ fidei symbolo quidquam addentes. Dixi à Nicolao I. fuisse

* in Notis ad loc. cit. Pet. Diac.
** Artic. III. de Concil. Constantinopol. I

fuisse 1. additam, auctoritate videlicet Romani Pontificis; nam præter Romani Pontificis auctoritatem, longè antè additam fuisse tenent eruditi ferè omnes, à Concilio Toletano VIII. circa annum 553. in Hispania celebrato, ante ortum Græcorum schisma.

Græcorū Schisma. Ægrè verò id tulerunt Græci, & arrepta occasione antiquas cum Latinis simultates exercuerunt, politicísque motivis hanc additionem prætendentes, schisma fecerunt, dicentes, non licuisse Occidentalibus addere symbolo Nicæno, quin etiam eos excommunicationem incurrisse, eò quòd in Concilio Ephesino vetitum fuerat, quidquam addere vel demere Nicæno symbolo, & anathemate plectendos, qui id præsumpsissent. Ideóque Ecclesiam Romanam à dignitate primæ Cathedræ cecidisse. Gliscentibus demùm partium studiis Græci conati sunt defendere, Spiritum sanctum à Filio non procedere, quò magis pateret, illicitum fuisse Latinis id credendum proponere. Cœterùm quamvis ita opinarentur, symbolo tamen non addiderunt paticulam *solùm*, seu *solo*, ne viderentur Ephesini Concilii sanctionibus & ipsi contraire, quod Latinis objiciebant, & reverà si id ausi fuissent, aliqua hujus audaciæ mentio facta fuisset in Concilio Florentino, in quo acerrimis studiis de hac controversia hinc inde actum est; & tamen Græcis nunquam in ea synodo repetitur id exprobratum à Latinis.

Petri igitur nostri redargutio: *Ergo & vos excommunicati estis, qui adjunxistis, quòd procedit à Patre solo*, ad sensum potiùs, quàm ad factum referenda videtur Græcorum. Unde potuisset Græcus negare, id à suis adjunctum. Quia tamen Petrus ad eorum mentem rectè responderat, ideò Græcus conticuit, conscientiæ pudore convictus. Nisi fortasse Græci aliqui particulam illam *solo* tunc addiderunt symbolo, quod certè posteà fecisse videntur; de quo videndus Bellarm. to. 1. Contr. 2. lib. 2. cap. 23.

Henricus Abbas S. Ægidii Brunswic. Eandem de Spiritûs sancti processione quæstionem *Henricus* Abbas S. Ægidii Brunswicensis, vir rerum divinarum scientiâ perinde ac vitæ sanctimoniâ insignis, ac posteà Episcopus Lubecensis in aula Græcorum Imperatoris fortiter contrivit. Cùm enim in comitatu esset Henrici Leonis, potentissimi Saxoniæ & Bavariæ Ducis, qui iter votivum in Palæstinam susceperat, cum eo Constantinopolim pervenit. Hic die quâdam contra Græcos, apertos Processionis à Patre & Filio hostes decertavit. Summam disputationis Arnoldus noster Abbas Lubecensis * his ce verbis refert. Græcos confutat. " Post meridiem cùm " Rex cum Duce lætior esset, movit " quæstionem Dominus Wormaciensis una cum Lubecense, cum literatioribus Græcorum, de processione " Spiritûs sancti. Dicunt enim Græci, " Spiritum sanctum procedere tantùm à Patre, & non à Filio, verbis " Domini nimis adhærentes, qui de " processione Spiritûs sancti loquens, " ait: *Cùm venerit Paracletus, qui à Patre procedit &c.* Opponentibus autem " nostris, Quia Spiritus sanctus procedit à Filio, sicut à Patre, quia Spiritus " sanctus est Patris & Filii, & cùm Spiritûs sancti gratia datur hominibus, " profectò mittitur à Patre, mittitur & " à Filio, procedit à Patre, procedit & " à Filio. Quia ejus missio ipsa processio est. Græcis verò adhuc contradicentibus, quasi plenis authoritatibus nondum essent conclusi, Abbas " *Henricus*, vir literatissimus & facundissimus, modestè inchoans: Nunc " erratis, inquit, ô catholici & religiosi viri, dicentes Spiritum sanctum " tantùm à Patre procedere, & non " à Filio, quia planè procedit à Filio, " sicut à Patre, quod negare hæreticorum est. Quod enim de utroque " procedat, divinorum eloquiorum " testimoniis comprobatur. Dicit enim " Apostolus: *Misit Deus Spiritum filii sui in corda nostra.* Ecce hîc dicitur " Spiritus Filii. Et ibi: *Qui autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Ipse etiam Filius de Spiritu sancto in Evangelio ait: *Quem ego mittam vobis à Patre.* Patris autem spiritus dictus est, ubi legitur: *Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis.* Et ipse Christus dicit: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et alio loco: " *Quem mittet Pater in nomine meo.* " His & aliis authoritatibus ostenditur, " quòd Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio. Ad illud autem, quod " de Evangelio opponitis, *qui à Patre procedit*, ita respondemus: quia cùm " dicat in eo Veritas, Spiritum sanctum à Patre procedere, non addidit *solo*, & ideò etiam à se procedere " non negat, sed ideò Patrem tantùm " nominat, quod ad eum etiam solet

" referre, quod ipsius est, quia ex illo " habet. Vestri etiam Doctores unam " eandémque sententiam esse intelli- " gentes, quâ Spiritus sanctus dicitur " procedere à Patre & Filio, & esse Spi- " ritum Filii sicut Patris, professi sunt, " Spiritum sanctum procedere à Filio, " sicut à Patre. Unde *Athanasius* in " symbolo fidei: *Spiritus sanctus à pa-* " *tre & filio, non factus, nec creatus, nec* " *genitus, sed procedens.* Ecce Spiri- " tum sanctum à Patre dicit procede- " re, & à Filio. Item Joannes Chryso- " stomus in Homilia quadam sic ait: " *Iste est procedens à patre & filio, qui* " *dividit dona propria prout vult.* Item " Cyrillus Episcopus, *Spiritus*, inquit, " *sanctus intelligitur per se, secundùm* " *quod spiritus est, & non filius, sed ta-* " *men non est alienus ab eo. Spiritus* " *enim veritatis nominatur, & profluit* " *ab eo, sicut à Deo patre.* Ecce etiam " à vestris Doctoribus aperta habetis " testimonia, quibus Spiritus sanctus " à patre & filio procedere ostenditur. " Omnis ergò lingua confiteatur, Spi- " ritum sanctum procedere à Patre & " Filio. His aliisque authoritatibus, " maximè suis, non valebant contra- " dicere Magistri Græcorum, conce- " dentes, Spiritum sanctum procede- " re à Patre & Filio. Et magnificatus " est Abbas Henricus in conspectu Re- " gis & Pontificum collaudantes do- " ctrinam ejus, & *fidem non modi- " cam adhibentes verbis illius."

Wicleffi hæresin impugnant Benedictini. Cos utì ferrum, ita Wicleffiana hæresis seculo XIV. exorta studium Theologiæ Polemicæ in Benedictinis Angliæ monasteriis exacuit. Cùm *Joannes Wicleffus* sua contra Ecclesiæ Catholicæ fidem venena evomere cœpisset, continuò è nostris, ne latiùs ea serperent, nobiliáque etiam & vitalia Ecclesiæ membra inficerent, omnem operam dederunt. Imprimis Simon Langham Archiepiscopus Cantuariensis ex ungue, quod ajunt, leonem, & ex cauda draconem agnoscens: jam tum illius ferox ingenium prævidit, & ne diutiùs majori damno venena sua occultando noceret potentiùs, detexit, ut caveretur. Quam ejus providentiam, si reliqui Episcopi diligentiùs fuissent æmulati, nec impedivisset Joannis Lancastriæ Ducis, sequaciúmque illius in Clerum invidia; certè Wicleffica anguina soboles in ipso, quod ajunt, ovo fuisset extincta.

Sed cùm jam Principum potentiâ fretus hæresiarcha cœpisset palàm contra religionis Catholicæ sanctissima secreta furere; tunc à nostris etiam monachis validissimos sensit antagonistas. Fuit enim circa annum Domini 1370. de Abbatia cathedrali Nordovicensi *Guilelmus Bingham*, de quo Doctor Joannes Pitseus hæc habet: „ Vir pius, ingeniosus, & doctus, zelo etiam divinæ gloriæ plenus. Hunc in eo sanè felicem meritò pronuntiârim, quod inter primos inventus, si non omnium primus, qui, ut Leandri verbis utar, antiquorum rituum observantissimus, Wicleffo novarum rerum cupido se constanter opposuit. Nam saltem inter primos erat, qui deprehendit, & aliis detexit pestilentem hominis doctrinam, ejúsque perfidas machinationes scripto doctissimo libro refutavit. Oxonii contigerunt ista: nam illic uterque simul studebat; illic Binghamus perspicaci oculo vidit lupum venientem, & non fugit, ut mercenarius, nec oves prædoni dilaniandas reliquit; sed ut bonus pastor strenuè restitit, & ab insidiatoris rabie Christi gregem, quantum potuit, defendit. Erat vir alioquin modesto, quieto & tranquillo ingenio, constanti tamen, & veritatis tenacissimo. Scripsit igitur Opus omni sanâ eruditione refertum contra positiones Wicleffi. — Guilelmus Bingham.

Eodem tempore floruit *Utredus Boltonus* in Anglia Transabrina, ut Lelandus ** loquitur (ait D. Pitseus) natus, Ordinis S. Benedicti, monachus Dunelmensis, vir cujus tum doctrina, tum pietas suo tempore multùm illuxit. Infelicia etiam, in quæ incidit, tempora felici hominis ingenio per occupationes pessimas exercitium dederunt, & incrementum. Nam divina, ut interpretor, providentia, tum florere, & inter viros doctos eminere cœpit, cùm Joannes Wicleffus pestilens errorum suorum venenum, & in scholis inter doctos spargere, & è suggesto in concionibus imperitæ multitudini nequiter propinare, & impudenter obtrudere satagebat. Cui se strenuè, constanter, magnanimiter opposuit *Utredus*, & de eo tanquam de hoste publico superato non semel triumphavit. — Utredus Boltonus.

Hujus socius & cooperarius erat in palæstra *Simon Southraius*, monachus Ord. S. B. ex cœnobio sancti Albani, — Simon Southraius.

De

* Clem. Reyner. in Apostolat. Benedictin. Discept. Hist. Sect. 2. § 4.
** quem vide cap. 449. pag. 392. ubi libros ejus contra Wicleffum editos recenset.

De hoc ergo D. Pitseus. „ Erat sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Hunc pietas, doctrina, divinæque gloriæ zelus celebrem in Anglia reddiderunt. Cùm verò per id tempus Wicleffus errores suos spargere inciperet, hic omni, quâ potuit, ratione illi obstitit, & communicato consilio cum quodam Dunelmensis cœnobii monacho, Doctore etiam Oxoniensi (nimirùm *Utredo Boltono* jam dicto) multum laboravit, & publicis disputationibus, & privatis colloquiis, & libris tandem scriptis contra præfatum Wicleffum, ut impiam ejus doctrinam refutaret, & ab Ecclesia Christi periculum hæresis propulsaret. Scripsit igitur in hac Dei, & Ecclesiæ causa librum unum contra Wicleffistas, alium de auctoritate Ecclesiæ, & alium de Sacramento Altaris. „ Hæc D. Pitseus, qui etiam de *Joanne Wellio* Ramesiensis cœnobii monacho, testatur, fuisse hæreticorum omnium, & præsertim Wicleffi, suorúmque sectatorum juratum hostem, & unum ex illis duodecim, qui primi omnium illum & illius errores damnaverunt.

Joannes Wellius.

Eodem tempore floruit *Nicolaus Radeliffus* Ord. S. B. monachus (verba sunt D. Pitsii) ad S. Albanum, & ibidem Archidiaconus. Joannes Lelandus à piis studiis & à pietate studiosa admodùm laudat, & quidem non immeritò. Nam quicquid ingeniô, industriâ, doctrinâ poterat, id omne ad Dei gloriam, animarum salutem, fidei propugnationem, & hæresum extirpationem totis viribus applicabat. Et quoniam incidit in illa infelicia tempora, quibus hæresis Wicleffiana cœpit invalescere, nullum non movit lapidem, ut perfidum illud dogma (sic loquitur Lelandus) & impium ejus progressum, perniciosúmque Reip. Christianæ incrementum impediret. Wicleffum igitur in privatis colloquiis, in domesticis exhortationibus, in scholasticis disputationibus, in publicis concionibus, & tandem in libris scriptis tanquam novarum doctrinarum inventorem, antiquarum desertorem, veritatis oppugnatorem, mendaciorum artificem & fabricatorem, inimicum Crucis Christi, & Ecclesiæ juratum & publicum hostem, semper insectabatur. Scripsit contra eum doctissimos dialogos de sanctissima Eucharistia, quod Opus inscripsit *Viaticum animæ salubre* &c.

Nicolaus Radeliffus.

Et ita satis opinamur, fidelibus testimoniis demonstratum, Wicleffianam hæresim in suis exordiis à Monachis Congregationis Anglicano-Benedictinæ inter primos fortissimè fuisse oppugnatam.

Cùm verò Joannes Hufs Wicleffiana somnia seculo XV. in Bohemia suscitâsset, facémque non ad Bohemorum modò, sed totius Orbis Catholici interitum accendisset, Benedictini non postremi fuerunt, qui eam extinctum iverunt, quo factum, ut ferè cuncta per Regnum Bohemiæ monasteria martyrio exhausta monachorum sanguine stillatent. Præ cœteris Brevnovienses Ascetæ à Georgio Ctugerio * Soc. Jesu docto Presbyteto *in sacris Regni Bohemiæ Memoriis* commendantur, quòd, ut populares suos è laqueis hæreseos exsolverent, non verba modò disputando fecerint, sed proprium etiam sanguinem fuderint, ne sanguis Jesu Christi frustra pro eis esset effusus. Henricus verò Abbas ad S. Lambertum in Stiria genere & doctrina clarus in Concilio Basileensi contra Hussitas disputando acriter decertavit, acceptus propterea Eugenio IV. ab eo privilegiorum monasterii confirmationem accepit.

Joannes Hufs hæresiarcha adversarios habet Benedictinos.

Innumeræ hæreses, ferô hiantes rictu cùm seculis duobus proximè superioribus venenum ad præsens animorum exitium spargerent, Abbates sapientiores omninò è re catholica futurum existimârunt, si monachos suos Theologia Polemica institui curarent, quos deinde è monasteriis emiserunt, ut in orthodoxa fide suos præsertim subditos retinerent, alienos saniora sapere docerent, omnibus contra hæreticorum fraudes, conatus, & dogmata consulerent, à semita veritatis exerrantes, in eam reducerent, alios, ne abduci se paterentur, sedulâ institutione præmunirent. Atque hoc ab illis præcipuè Abbatibus est factum, qui nullius alterius Domini, quàm Augustissimi Imperatoris jussa reverentur; vel novam omnem doctrinam execrati, aditu suas in provincias prohibuerunt, seu denique quorum monasteria in Republica libera sita fuerunt. Quâ re est factum, ut in tanta támque exitiali tot mortalium à vera fide per utramque Germaniam defectione, non minima planè illius pars Christo & Ecclesiæ à Benedictino Ordine fuerit conservata. Ne verò sine exemplis verba faciamus, pauca è multis afferemus.

In sectis seculi XVI. debellandis laborant Benedictini, speciatim

In

* menf. Junio die 6. pag. 35.

Joachimus Abbas S. Galli.

In Helvetia * Joachimus S. Galli Abbas LXII. è cathedrâ in Zwinglii dogmata perversa strenuè invectus, ad subjectum sibi populum verba facere, eúmque sacrâ doctrinâ imbuere, aliquando per totam Quadragesimam non est dedignatus. Non excelsi minùs animi fuit *Laurentius de Heydegg* ** Abbas Murensis, qui indefesso prorsus studio Romanæ fidei integritatem sartam tectámque ita servavit, ut ex iis, quos Pater Sanctus tradidit ipsi, non perdiderit quemquam. Ubique irrepentem Novatorum sectam strenuè expugnabat, & expungebat: quem etiam in finem binos è monachis suis ad publicam fidei disceptationem Badenæ indictam ablegavit. Adeò zelum Catholicæ Religionis temperare non potuit, ut adversariis extremam sibi, ni cum suis deficeret, ruinam minitantibus, insultare non dubitârit, nec illorum priùs cesserit comminationibus, quàm armatâ manû Muros jam irrupissent Bernates, quorum vix reliquerunt rudera, qui tamen singulari Abbatis industria pristinum ad splendorem brevì rediére.

Laurentius Abbas Murensis.

Joannes Turbeyt.

In Bavaria Joannes Turbeyt *** Schirensis Cœnobii Abbas, Alberto Bavariæ Duci, ob egregias virtutes intimè charus, in ejusdem provinciæ monasteriis literarum non minùs studia, quàm pietatis cultum promovit, quibus Religiosos ad ridendos & exsufflandos hæreticorum assultus obarmaret, & Catholicum populum in fide confirmaret. In eadem Bavaria **** quo anno (erat millesimus quingentesimus decimus septimus) Martinus Lutherus novi Evangelii præco esse cœpit, Wolfgangus Sedelius ad monasterium Tegernseense venit, absolutóque de more tyrocinio vota Benedictina nuncupavit. Erat Ss. Theologiæ Doctor, ac simul Hæbraicæ, Græcæ, aliarúmque linguarum peritissimus. Monachii in ædibus Augustinianis ultra viginti annos munus egregii Concionatoris implevit. Nihil illo in sacro suggestu eloquentius, nihil in orthodoxa contra hæreticos tuenda fide ardentius, atque vehementius. Unde ipsi postmodùm ad multorum preces ab Abbate suo potestas facta est per speciale indultum, ad alia etiam transmigrandi loca, & verbum Dei prædicandi, aut etiam Theologiam tradendi &c. prout & rei catholicæ & fidei nostræ contra sectarios defendendæ exigeret necessitas. Quâ provincia ita præclarè functus est, ut à multis locis hæresin repulerit, ac quàm plurimos in gremio Catholicæ Ecclesiæ conservârit.

Wolfgang. Sedelius.

Ut verò ex Germania in Italiam tantisper transeamus, Romæ hoc tempore, aut paulò seriùs degebat Isidorus Clarius ***** cum Gregorio Cortesio Abbate ad S. Georgium Maj. Venetiis, quem ad eam urbem comitatus fuerat, dum iste cum Contareno, & aliis à Paulo III. Pontifice accersitus eò fuisset, ut in rebus ad Christianæ Reip. emendationem pertinentibus versatentur. Itaque ne sibi videretur otiosus comes additus, ex omni parte Patri, & Præceptori suo (ita Cortesium vocabat) suum in illo negotio obolum offerre cogitavit cum Evangelica muliere. Is autem fuit *Adhortatio ad concordiam*, quam exaravit ad eos, qui à communi Ecclesiæ sententia discessêre. Ista autem à capite ad calcem adhibitos à nostris in reparanda Christiana Republica conatus ita collaudat, ut unà simul maximè damnet captam, ut à communi ejus sententia discederetur, occasionem ex vitiis, quæ in eandem irrepserunt. Unum & alterum locum Card. Quirinus in Diatriba ad Epistolas Reginaldi Poli exscripsit, ut Romanæ Ecclesiæ hostes intelligant, eorum partibus Clarii dicta nihil minùs, quàm favere. *Verum*, inquit, *nulla tamen existere debuit tanta perversitas, quæ nos provocaret, ut vetustissimum, sanctissimúmque morem à Christi Ecclesia tolleremus, qui cum per se optimus sit, id tantùm enitendum fuerat, ut ad veterem formam priscámque institutum revocaretur, & tanquam auro suus color, & species restitueretur. Etenim tutius multo est, ea instaurare, quæ experti antea fuimus recta, atque honesta, remotis, quæ hominum negligentia obrepserant, vitiis, quàm incertis eventibus sese committere. Quam cogitationem plerique vestrum si habuissent, non fuisset, opinor, necessarium, tam invidiosè, & tanto cum stomacho Romanam Sedem insectari, & optare dejectam esse, ac dirutam.* Et paulò pòst: *Quare utilior omnibus & vobis honorificentior, & summo cum Principum, tum populorum favore excepta ratio*

Isidorus Clarius.

* Dion. Sanmarth. Gall. Chr. Tomo V.
** Loc. cit. pag. 1042.
*** Gab. Bucel. in Bened. Rediv. pag. 61.
**** Vid. monum. antiq. Tegernse. apud Pezium Thes. Anced. Tom. 3. part. 3. col. 554. & 555.
***** Card. Quirinus in Diatriba ad Epist. Regin. Poli part. 2. p. CXVII.

vatio fuisset, si postulatum esset, ut staret quidem suo gradu Romana Sedes, neque ulla ex parte illius dignitas imminueretur, verùm ad priorem speciem, pulchritudinémque revocaretur. Ita Isidorus Clarius, ob virtutis & doctrinæ præstantiam subinde ad Episcopalem evectus dignitatem; cujus autem *Adhortatio ad Concordiam* anno 1540. typis Mediolanens. exscripta, & Cardinali Contareno inscripta fuit.

Hæretica pestis cùm ex Gallia & Germania undique in Belgicas etiam provincias irreperet, contra nascentes atque adolescentes hæreses, earúmque præcones, defensor ac propugnator inter alios à Deo datus fuisse videtur *Ludovicus Blosius*, Abbas Lætiensis *. Visuntur inter Opuscula ejus duo illa adversùs Novatores scripta, ex quibus luculentum zelui sui pro domo Dei testimonium Blosius habet, *Collyrium hæreticorum duobus distinctum libris & Facula illuminandis & ab errore avocandis hæreticis accommoda.* Brevia illa fortassis & primo aspectu tenuia videri tela possint, si cum omni illa conferantur armatura fortium, quam postea Deus in Ecclesia sua suscitavit: sunt tamen omnino solida, vímque omnem & quasi succum ac medullam habent eorum, quæ fusiùs solent contra nostræ hostes religionis disputari. Estque id ad Blosii laudem eximium, potuisse eum sub ipsum perniciosissimi schismatis exortum, tam dextrè in omni ferè quæstione, immanis illius belluæ jugulum configere. Nec verò scriptis Blosianis pro seductorum ad Ecclesiæ gremium reductione, vel Catholicorum confirmatione, inferiora sunt facta illius. Multa enim in vita sua egit pro reducendis ovibus ab ovili Ecclesiæ, & à salute æterna seductis, & pro Catholicis stabiliendis. Serenissima Hungariæ Regina Maria, Caroli Cæsaris soror Provincias Belgicas gubernabat. Ea cùm probè nôsset Blosii insignes ardores, quibus inflammabatur ob zelum Ecclesiæ Dei; & à nonnullis deinde Episcopis didicisset, duabus illum manibus pollere, virtute videlicet & doctrinâ, ad retrahendum à perfidiâ Novatores; illius prudentiæ & pietati credidit claros quosdam nobilitate viros, qui à Majorum fide turpiter desciverant, ut domesticis Blosianæ vitæ exemplis, & quotidianis, dum in monasterio essent, dissertationibus impulsi, ad viam salutis, unde per devios errores abiverant, reducerentur. Inter hos unus ante alios eminuit eximia nobilitate Vir, de cujus conversione Blosii literæ ad Reginam Mariam datæ in ejus vita leguntur.

Lud. Blosius Abbas Lætiensis. — *Libros Polemicos edit.* — *Ejus in convertendis hæreticis labores.*

Cùm anno 1588. Andreas Jacobus Schmidelius Lutherani verbi præco, & *Formulæ Concordiæ* fabricator famosus Ratisbonam venisset, suam sectariam visitaturus ecclesiam, disputationem de puro Dei verbo adversùs Catholicos proposuit. Reverendissimo Ordinario Ratisbonensi è re Catholica fore visum est, si par disputatio contra heterodoxos celebraretur. Ex omnibus verò *Joannes Jacobus Albus*, Monachus primùm, tum Abbas monasterii Scotorum ad D. Jacobum omnium dignissimus est visus, cui hoc munus imponeretur. Disputatum fuit 31. Jan. & 10. Febr. ejusdem anni in palatio Episcopi, ad quod invitatus comparuit Doctor *Schmidelius*, multis trivialibus objectis nostra oppugnare, & sua statuere connisus, sed ita repressus, ut confusione atque dedecore obrutus, confessum deseruerit, & urbe eo ipso die ad suos Wittenbergenses excesserit. Qui verò arena excedit, victas dare manus cognoscitur. *Joannis Albi* disputatio typis edita fuit primùm Latinè, deinde Germanicè in solatium plebejorum Ingolstadii eodem anno MDLXXXVIII.

Joannis Jacobi Albi disputatio cum Schmidelio.

Constantiæ ad Lacum Podamicum cùm Magistratus, populúsque maximam partem Lutheri dogmata amplexus esset, incredibile dictu est, quanto fidei ardore animíque constantia, Monachi è Domo S. Petri, & nominatim P. *Antonius*, insignis verbi Divini Ecclesiastes, Augustanam illam Confessionem noviter procusam ex urbe eliminare contenderint. Si quod manuscriptum hac de re multis ante annis evolvi, ad manum mihi esset, nonnulla scitu dignissima ex illo excerpturus essem, ut huic intexerentur historiæ.

Lutherani à nostris Constantiæ subacti.

Augustæ Vindelicorum *Bernardus* Abbas ad SS Udalricum & Afram præclara eruditione, ac rerum polemicarum scientia præditus, unica ferè Religionis Catholicæ anchora fuit: pulso siquidem XIV. Cal. Junii anno MDCXXXIII. universo Clero Vicarius

Bernardus S. Udalrici Abbas rei Catholicæ fulcrum.

* Vitæ cap. XXVI.

rius Generalis Episcopi, prinsquam ex urbe discederet, Abbati Bernardo amplissimam dedit potestatem solvendi quoslibet casus Episcopales, approbandi, & admittendi ad regimen animarum, quotquot necessarii forent, & alia disponendi pro Religionis utilitate, demum etiam causas Matrimoniales unà cum Advocato Consistoriali judicandi, siquæ aliunde ad urbem fuissent conjectæ. Itaque quatuordecim erant Monachi Benedictini, & præter Abbatem quatuor ad animarum regimen idonei. Cùm verò Parœciæ Catholicæ sex essent, easdem Abbas ad quatuor redegit, quarum prima erat D. Virginis Mariæ; Altera S. Udalrici & S. Mauritii in unam contracta; Tertia S. Crucis & S. Georgii; Quarta S. Stephani cum suburbio S. Jacobi, & singulis suum præfecit Curionem; ipse Concionibus in Templo S. Udalrici, ubi solummodò permissum erat publicum Exercitium, intentus. Fœminarum etiam Cœnobiis, quorum tria erant sacris adhuc cœtibus referta, S. Catharinæ & S. Ursulæ Ordinis S. Dominici, & Stellæ S. Francisci Conventualium, suos præfecit Capellanos, qui statis diebus Sacra coram iis facerent, itémque Confessores, qui earum curam haberent. Ita igitur liberam habebant potestatem eundi Religionis causa ad quoscunque ægrotos, quæcunque loca, tam die quàm noctu, ubi opus erat, nemine sive cive sive milite hæretico impediente aut molestiam inferente. Primâ die Solis, quæ erat sanctissimæ Trinitati sacra, primam Concionem habuit Administrator, ad populum tam frequentem, ut mirarentur etiam Adversarii, tot Catholicos adhuc in urbe esse. Et quia manè non omnes ad sacra venire poterant, ne scilicet domus Catholicorum vacuæ periculis exponerentur, ad instantiam quorundam Civium etiam post prandium festivis diebus Conciones institutæ fuerunt, quas alii quidam Patres per vices habuêre maximo * rursus Auditorum numero auscultante. Quâ ratione factum, ut Catholica religio ab unis Benedictinis San-Udalricanis conservaretur ad usque annum MDCXXXV. quo à Cæsareo milite occupata urbe Augustana, Clerus suis ecclesiis restitutus est VIII. Idus Aprilis.

Eidem Lutheranæ sectæ multi Monachi & Abbates per Sueviam, Austriam, Bohemiam, aliásque Germaniæ provincias quà concionando & catechizando, quà disputando, & libros scribendo fortiter se objecerunt. Aliquos in exemplum adduxisse me non pœniteat. *Paulus Neccarus*, Abbas Ursinensis in Suevia, non pietate minùs, quàm eruditione insignis, in circumjacente provincia plurimùm laboravit, ne Kaufburæ, urbe Imperiali, invalescens hæreseos venenum latiùs serperet, multósque retinuit jam in præceps agendos. Paulus Neccarus Ursinensis. *Benedictus* Abbas Faucensis finitimos populos in fide corroboravit Catholica, lapsos verò ad eandem reduxit. Benedictus Faucensis. *Henricus Clausius*, Abbas Wiblingæ propè Ulmam, doctrinæ & fidei luce illuminatissimus, hæreticorum oculos perstrinxit. Henricus Clausius. Alii Cœnobitæ Wiblingenses quantos in Ducatu Wirtenbergensi labores rei catholicæ causâ subiverint, quantásque molestias, difficultates, atque ærumnas perpessi fuerint, quem non ignorare delectat, eorum evolvat Annales. *Jacobus Gruessius*, Majoris Augiæ Brigantinæ Cœnobita hæresin Anabaptistarum, quæ in Jaghausen, perantiquo sylvæ Brigantinæ pago, invaluerat, labore per novem annos continuato, extinxit. Jacobus Gruessius. *Henricus Vredensis*, cognomento *Boinck*, Abbas Tuitiensis meritissimus, juratus hæreticorum omnium, & Buceri inprimis hæresiarchæ hostis, quocum sæpiùs feliciter conflixit, & disputando convictum, confusúmque elinguem reddidit. Henricus Vredens. Vir zelo religionis & avitæ propugnandæ fidei incomparabilis, cui plurimi in ipso servati præcipitio immortaliter debent suam post Deum salutem. *David Georgius Cornerus*, sacerdos erat secularis, cùm Monasticen Benedictinam in Gotwicensi inferioris Austriæ monasterio amplexus est, cujus postea gubernacula, ad Abbatis dignitatem evectus, prudentissimè moderatus fuit. David Cornerus. Adhuc Novitius ad reducendam ab hæresi Lutherana Austriam superiorem missus, rem egregiè gessit. Non longè à martyrii palmâ abfuit. Cùm enim Freystadii, laboribus Apostolicis intentus, degeret, hæreticorum & perduellium rusticorum globus urbe potitus, *Cornerum* cum quinque Capuccinis Patribus in arcis sacello deprehensum, pugnis ac calcibus impetitum, inverso sclopo ferociter adeò ceciderunt, ut humi pro-

* Histor. Basilicæ SS. Udalrici & Afræ part. IV. p. 36. & P. Corbin. Kham. Hier. Aug. part. III. Regul. cap. 1. Sect. XXXIII.

prostratum, semianimem reliquerint, interfecissentque penitus, nisi sociorum Patrum quispiam lapsu suo jacentis corpus contexisset, excepissetque ictus, qui *Cornero* parabantur: quam luctuosam sanè scenam *Cornerus* ipse in epistola ad Abbatem suum data, quæ etiamnum Gotwici asservatur, describit: plebe inde ad arcis direptionem conversa, ipse paullùm ad se rediit; verùm mox à reduce furentium manu vestibus spoliatus in carcerem conjectus est, nec antè dimissus, quàm à Cæsareo milite Freystadium denuò caperetur. Nondum abiit biennium, cùm Gotwico adhuc præfuit Amplissimus Abbas * *Godefridus Besselius*, cujus Opus Polemicum est illud, quod *quinquaginta Romano-Catholicam fidem omnibus aliis præferendi Motiva* complectitur, ac Latinè primùm, dein etiam Germanicè prodiit 1710. 8. Moguntiæ, ubi Auctor Electoralis & Archiepiscopalis Officialis ac Consiliatius fuit. Liber hic non uni Serenissimo Brunsvicensi Duci *Antonio Ulrico*, qui in eo loquitur, sed sine dubio plurimis aliis cum luce salutem attulit. Authoris amplum elogium edidit Æmilianus Kazi, vir doctus, ac Professus Gottwic, qui his verbis suum Præsulem post cœtera affatur: „*Si ab exemplis Oratorum eloquiis* „ *major est radius, nervus, & emphasis,* „ *splendidissima hujus veritatis demon-* „ *stratia, & Augustissima Panegyris* „ *meæ figura erit Serenissimus gloriosiss.* „ *memoriæ Princeps & Dux Brunovi-* „ *censis Antonius Ulricus, qui vera san-* „ *ctioris tuæ industriæ & laboris evase-* „ *rat Proles, quem sanctissimo partu* „ *Ecclesiæ Romano-Catholicæ genuisti,* „ *genitum verò solidissimis veræ fidei* „ *documentis excoluisti, & ita excul-* „ *tum depositis priùs in aures tuas huma-* „ *nis noxis, & dicto in manibus tuis* „ *Ecclesiæ sacramento ad ubera Ecclesiæ* „ *applicuisti, & tandem ut verus ejus-* „ *dem spiritualis Pater Pane Angelorum* „ *refecisti, & Angelum perfecisti: Alte-* „ *ra Proles, quam Ecclesia Romana non* „ *minùs zelo tuo, quo in salutem ani-* „ *marum ardes, debet, est Augustissima* „ *invictiss. Imperatoris nostri Caroli VI.* „ *consors Elisabetha Christina, cui &* „ *tu Brunswicum & Guelfenbutelam* „ *ùt Legatus Moguntinus missus cum* „ *reliquis famosissimis Controversiarum* „ *Proceribus etiam sapientiæ & doctri-* „ *næ tuæ radiis veræ fidei diluculum ac-* „ *cendere in tantum collaborâsti, ut tan-* „ *dem Augustissima hæc Proles errori* „ *suo denata, & veræ fidei renata tan-* „ *dem in Orthodoxa Ecclesiæ gremium* „ *concesserit &c*:

Godefridus Besselius.

Ejus encomium.

Antonius Ulricus.

Elisabetha Christina.

Quanto catholicæ fidei zelo Abbates & Monachi Brevnovienses ** in Bohemia flagrârint, argumento est, quòd pro ea defendenda alii sanguinem profuderint, alii exilia subierint, & asperrima quæque perpessi fuerint. Eorum indefesso labori, atque ardori debetur, quòd Brauna civitas, oppidum Policense, pagi quadraginta, & omnis latè vicinia, damnata hæresi, orthodoxam fidem hodie profiteantur. Mentis verò inops est, qui hæc sine ardenti Theologiæ Polemicæ studio fieri potuisse dixerit.

Brevnovienses Abbat. & Monachi in evertenda hæresi impigrè desudant.

Angli *** ex Gentilismo operâ Monachorum Benedictinorum, ad fidem Christi conversi, plurima monasteria iisdem grati animi argumenta erga suos Apostolos construxerunt. At postquàm à vera fide recesserunt Angli, monachos stirpitùs eradicare sunt conati, multósque diverso mortis genere, qui ibi pro Catholica Religione firmanda & conservanda studebant, cruciârunt. Mihi hîc solùm sermo erit de Joanne Feckenamo **** Abbate Westmonasteriensi, ac fidei orthodoxæ Confessore. Quo tempore is in carcere tenebatur, septem autem annis supra viginti tenebatur, aliquando ex eo eductus septem solennes habuit disputationes circa præcipuos fidei articulos: primam in ædibus Comitis Bedfordiæ in hospitio Sabaudico Londini; alteram in ædibus D. Guilielmi Cecilii, in vico, quem vocant Canonicorum; tertiam in ædibus D. Joannis Checi, in domo, quæ fuerat olim Carmelitarum, & in tribus colloquiis habitis de religione propter nobilium virorum, in quorum ædibus habebantur, reverentiam satis benigniter habitus fuit. Sed disputationem hanc Londini inchoatam finire coactus fuit in agro Wigorniensi, ubi beneficio Ecclesiastico adhuc potiebatur: ibi igitur D. Philippo Hobbio, qui eum ex turri pro aliquanto tempore, ut ipsius Feckenami verbis utamur, quasi mutatum acce-

Benedictinorum in Anglia labores pro tuenda Catholica fide.

Jo. Feckenamus Abbas Westmonasterii.

* Pez Bp. Apol. pro Ord. S. B. p. 166. & 176.
** Vide Epist. Historic. Regii hujus Monasterii, quam an. 1740. typis vulgavimus.
*** Stanisl. Sczyelski Aquilam Polono-Bened. p. 520.
**** Clem. Reyner. in Apostolatu Benedictin. Sect. 3. §. 2. p. 234.

accepit, satagente, comparuit in disputatione Feckenamns, ubi Hooperus Pseudo-episcopus Wigorniensis quatuor diversis disputationibus solemniter habitis præsedit, quarum prima fuit in visitatione Hooperi Pershorensi (fuit olim Abbatia percelebris Congregationis Benedictino-Anglicanæ) ultima in Cathedrali Ecclesia Wigorniensi fuerat celebrata; opponente inter alios Joanne Ivellio Sarisburiensi, ita solidè respondit Hoopero Feckenamus (inquit Stapletonius) ut non immeritò Hooperus sibi satisfactum esse fateri cogeretur, & Feckenamus inde dimissus ad carcerem suum in turrim Londinensem reductus fuerit, in quo perseveravit usque ad primum annum Reginæ Mariæ.

Quemadmodùm verò ipse in carcere, velut egregius fidei Catholicæ athleta post viginti septem annorum decursum vitam absolvit, ita & multi alii Angli Benedictini martyriis, carceribus, exiliis, laboribus plurimis fidem Catholicam promovere & amplificare conati sunt, & adhuc conantur. Quod ut expeditiùs faciant, specialis Congregatio Anno Christi 1598. instituta est, quæ scilicet post tria Religionis vota ad acceptandas Missiones in Angliam ultrò se obstringit & offert. Ejus author fuit V. P. Augustinus, qui cum aliis quinque Anglis in monasterio sancti Martini Compostellano, vestem monasticam Ord. S. Benedicti suscipiens, expletisque sex annis in monasterio cum iisdem sociis in Angliam missus per tres ibi annos, inter aliquos occultos Catholicos, eos verbo & exemplo in fide Orthodoxa confirmando, latuit. Postmodùm idem Augustinus, relictis ibi sociis, ipse in Belgium veniens, monasterium Duaci, & aliud Mussiponti in Lotharingia ædificanda curavit, eáque solis monachis Benedictinis Missionis Anglicanæ dicavit. ipséque recentis Congregationis Generalis, approbante Pontifice, per suos constitutus, insignes viros perplures aggregavit, qui nunc soli pænè insignem Universitatem Duacenam regunt, virique doctissimi ab omnibus jure habentur.

Primordia Congregationis Anglicano-Benedictinæ pro tuenda Catholica fide.

Abbates etiam & Superiores Congregationis Vallisoletanæ * in Hispania præter Collegia antiqua, duo nova excitârunt sub annum 1604. ubi soli Angli Benedictini acciperentur. Designati etiam Professores, qui in uno artibus liberalibus, in altero Ss. Theologia, præsertim controversiis, quæ Catholicis cum hæreticis de fide intercedunt, bonos discipulos instituerent, facinore æri incidendo, à quo magnos fructus Ecclesia Anglicana cepit. Non pauci enim ad cruentam Calvinistarum arenam ineundam firmati CLEMENTE VIII. Pont. Max. probante generosos spiritus, spreto periculo tentârunt vadum. Anglia verò potiti sparsos Catholicos adierunt; corroborârunt: metu mortis discusso eosdem Ecclesiæ Catholicæ agglutinârunt; transfugas alios in viam revocârunt; catenæ sancti Petri iterùm innexuerunt. In tanta spe lucri Congregatio Casinensis sibi haud oscitandum rata, cordatos Monachos Theologiæ Polemicæ peritos submisit, qui grassantem hæresin premerent: retia Principis Apostolorum Petri piscatoris hominum, solicita fronte explicarent: vagos pisces in vasa Christi colligerent, cùm tanto sudore olim ac sanguine Ordini nostro constitissent.

Ejusdem Collegia & Studia Polemica in Hispaniis.

URBANUS verò VIII. merita nostrorum ex tot laboribus & periculis pro eruditione Angliæ exantlatis, & tot gloriosos videns successus, solenni Diplomate Congregationi Anglicanæ Collegium Gregorianum in Urbe à CLEMENTE VIII. Collegio de Propaganda fide unitum transcripsit, ut plures educarentur Alumni diversarum Nationum ad eandem Catholicam fidem propagandam addicti & obstricti. Quibus cùm ad hunc finem assequendum scientia Theologiæ Polemicæ ut cùm maximè necessaria sit, cum cura in eadem instrui hactenùs consueverunt.

Collegiũ Gregorianum Congregationi Anglicanæ incorporatur.

Qui primus verò *Collegii Gregoriani* fundamenta jecit, fuit *Constantinus Cajetanus* Abbas S. Baronti è Congregatione Casinensi. Catholicæ enim religionis zelo æstuans illud Romæ in Transtyberiana regione propè Ecclesiam S. Benedicti in Piscinula est adortus; eo quidem consilio, ut Religiosi Alumni sub D. Benedicti institutis militantes, exemplo Majorum adversùs Catholicæ veritatis hostes calamo, & voce indè in aciem prodirent, quarto propterea ad id voto constricti. Cujus etiam Collegii anno 1621. ipse *Constantinus* Præsidens à Pont. Max. est constitutus. ** Licèt autem opus adeò egregium variis de causis perficere ac stabilire non potuerit, ejus tamen occasione, ut refert Antonius Mongitore in

Quod sua primordia debet Constantino Cajetano.

* Yepes. in Chron. cent. 1. p. 477. col. 1.

** Bulla Gregorii XV. extat in Bullario M. To. 3. Const. 6. & in Casinensi Const. 287.

in Bibliotheca Sicula verbo *Constantinus Cajetanus*, Gregorius XV. Collegium de Propaganda Fide Romæ erigi ad radices Montis Pincii, eique superiùs laudatum Collegium à *Constantino* cœptum uniri jussit, ingenti adeò Catholicæ fidei utilitate & amplificatione, ut omnes nôrunt, institutæque à se ibidem Sac. Cardinalium Congregationis *Cajetanum* Consultorem creavit; cui propterea moriens idem Constantinus libros suos, aliáque omnia, quæ habuerat, testamento legavit; cùm jam pridem Summi Pontificis auctoritate extractus è claustris, & à Regularium Prælatorum subjectione exemptus fuisset, ut prædicti *Collegii Gregoriani* ædificationi, ac regimini commodiùs ac faciliùs vacare posset; quod quidem laudabile opus molitum se esse non satis existimans, calamum quoque contra heterodoxos validè strinxit, libris haud vulgaris doctrinæ in lucem editis.

V. Leander à S. Martino. Quàm illud verò memorabile, quod Venerabili P. *Leandro à S. Martino*, * Congregationis Anglicanæ insigni ornamento, juveni etiam tùm, nec quò spectaret, intelligenti contigit. Erat parentibus editus hæreticis in Britannia, & cùm ingenio esset florentissimo, præmaturè studiis literarum applicitus, & quòd tenui marsupio parentes essent, magnámque de ipso spem Magistri conciperent, ad studia pseudo-Theologica traductus, mira & magna olim, uti Professores ominabantur, contra Catholicos præstiturus. Insignierat ipsum natura, & naturæ parens eâ vultûs gratia, formæ elegantia, ut quod Gregorio Magno primo contuitu Anglorum visum, Angelos appellandos, hoc in *Leandro* conduplicatum appareret. Accessit ingenii subtilitas, judicii acrimonia, vis tanta eloquentiæ, quæ supra penè hominis naturam viderentur. Contigit sæpiùs, ut propter eximiam eruditionem, in Disputationibus publicis, in summa frequentia Universitatis, de industria sæpè juveni, & quidem ex tempore disputandi & argumentandi occasio & licentia à Professoribus præberetur, tanta omnium cum admiratione, ut famâ dein latiùs sparsâ, magni etiam Principes, tantùm ut juvenem hunc audirent, Disputationibus interesse volupe ducerent, & qui audîssent, vix satiari possent. Verùm quàm gratum id cœteris, ita deinceps Professoribus odiosissimum fuit, cùm juvenis dictante procul dubio Numine talia in medium afferret argumenta, & quidem summè Theologica, quibus solvendis nemo omninò Professorum sufficeret, & perurgente juvene omnes obmutescerent, obstupescerent, tanto majore Principum plausu, quanto majore Academicorum Doctorum confusione. Evocatus ab his non semel, & graviter objurgatus, quod Catholicus esset, & libris atque Magistris uteretur Catholicis, negavit, & pro virili se purgavit, imò ad sui purgationem testium satis, & quotquot haberet domesticos, omniúmque suorum gressuum conscios adduxit. Exarsere in curiositatem majorem, quotquot de hoc juvene audierant Britanniæ Magnates, ita ut quotiescunque disputandum theologicè & publicè esset, certatim & frequentissimi maximi undecunque Proceres concurrerent, & vel ab invitis extorquerent, ut in arenam Leander committeretur, ipso enixè deprecante, donec vel invitus, etiam ab invitis & in speciem simulantibus cogeretur, eodem semper successu, ut hoc triumphante, Doctores omnium sibilo exponerentur. Conclusum proin secreto consilio, juvenem innocentem Universitate solenniter excludere, imò ut hæreticum ejicere, frustra illo deprecante, & veniam rogante. Ita mœrore absorptum, rubentibus & turgentibus oculis Angelica facie juvenem contuitus & miseratus, quidam Societatis Jesu Theologus, secularem indutus vestem, amanter alloquitur, causas tristitiæ sciscitatur, nihilque non, ut mœrorem solaretur, pollicetur, donec captus ille benevolentia viri, sese totum expectorat. Rogavit argumenta Pater, & mirari satis non potuit, adeò docta, firma, prævalentia. *Et non potuêre hæc solvere tui Professores?* inquit. Ille: *Non potuerunt. Atqui*, ait, *Tu fortè poteris, qui sic argumentabaris. Minimè*, respondit: *nam ideò proposui, ut mihi solverentur. Sed quid mi juvenis*, ait Pater, *si reapse insolubilia sint, si Dictata divina, si meræ veritates?* Ita attentum, attonitum, & benevolentia captum, cùm domum reverti præ erubescentia ipse dubitaret, facilè ad suum persuasit hospitium, & prolixiùs informavit, optimè habitum, propriis-que

Ejus adhuc heterodoxi disputationes de rebus Polemicis graves accidunt Professoribus.

Universitate ea propter excluditur.

* Ex Bucelini Benedicto Redivivo.

que jam suis, imò Divinis captum argumentis, convictúmque, ut facilè persuaderet insidias & odia Professorum declinare, & quò digitum intenderet, eò verti, asserens in portu proximo navem consistere, quæ prima nocte secundiore vento aspirante in Hispanias vela factura esset, ibi non minùs, quàm inter navigandum, à se omni modò providendum. Annuit promptissimè juvenis, & vespere ductus ad navim, paulò pòst feliciter appulit in Hispanias, in Collegio Patrum Societatis Vallisoleti optime accommodatus, perbenignè habitus, & studiis Theologicis adhibitus, in quibus ad miraculum profecit. Divino autem monitu nomen subinde dedit Familiæ Benedictinæ in Congregatione Anglicana, cujus postmodùm Præses Generalis creatus fuit. Docuit etiam in Academia Duacena linguam Hebraicam, inter Theologos ejusdem Universitatis nulli secundus. Quo tempore in lucem edidit Biblia sacra cum glossis, in cujus utilissimi Operis dedicatione *Philippo Caverellio S. Vedastino apud Atrebates celeberrimo Abbati* facta, foris, inquit, in florentissima & Catholicissima Academia Duacena (quæ ipsa Tuo Monasterio multò maximum debet suæ celebritatis firmamentum) magnificum erexisti Collegium triplex, seu tripartitum, ad pietatem, & literas, & fidem propagandam; ad doctrinam tuis, aliorumque „ monasteriorum alumnis, & secularibus etiam adolescentibus affundendam; ad fidem & pietatem, ac doctrinam Anglis per Anglos Monachos, alumnos tuos refundendam. „ Quid Anglis dico? etiam aliis Nationibus contra hæreticos ex Gregoriano hoc Collegio tuo operarios non contemnendos mittere potuimus, per quos & conscientiis medelam, & erroribus emendationem allatam fuisse non solæ Britannicæ, verùm etiam aliquæ Gallicanæ, & Germanicæ civitates, cum celeberrima Collegii hujus tui Gloria testabuntur &c. „ Hæc ille in Dedicatione. Nec vana, more Dedicantium, de suis prædicâsse, præter cœteros fidem facere possunt *Serenus Cressius, Maurus Corkius, Eduardus Levellinus, Petrus Sybenius, Richardus Hudlestonius*, qui vel voce vel calamo hæresin strenuè aggressi fuerunt. Nec semper infeliciter. Certè quem postremo loco nominavi, doctissimum Opus *de Brevi & recta via ad Fidem & Ecclesiam* in lucem emisit, ex cujus lectione Carolus II. Rex Angliæ primam suæ conversionis facem accendit. Cùm igitur Ven. *Leander à S. Martino* optimè intelligeret, quantoperè rerum Polemicarum scientia non modò proficua esset, sed eâ etiam opus haberent, qui Anglos heterodoxos ad Catholicæ fidei veritatem reducere vellent, neminem suorum eam in Insulam ablegavit, nisi qui in Polemica Theologia optimè institutus esset. Unde hujus scientiæ studia in tota Congregatione Anglicana magnoperè ejus ævo fervebant, nec hodie tepent. Testem hujus rei laudare possum Em. Card. Quirinum, qui in sui literarii itineris per Belgium descriptione: *Duaci*, inquit, *hospitio me exceperunt Monachi Angli, qui in ea urbe congregantur, ut iis præceptis, & institutis formentur, unde idonei reddantur ad Hæreticos suæ gentis Catholica fide, ac doctrinâ imbuendos.*

In Hispanias abit.

Fit Benedictinus & Professor publicus in Academia Duacena.

Ex Collegio Atrebatensi prodeunt insignes fidei Catholicæ Athletæ.

In Congreg. Anglicana florent studia Polemica.

Gallia seculo XVI. Calviniana hæresi, ceu infernali furia gravissimè exagitari cœpit. Unde Theologiæ Polemicæ Doctoribus opus erat, qui nominando pro virili parte debellarent, vel certè quidem Catholicos ab orcino ejus rictu defenderent. E nostris, qui laboranti Gallicanæ Ecclesiæ opem tulerunt, tres nominabo Episcopos. Primus est * *Antonius*, aliàs *Arlandus de Vienna*, ex Monacho & Abbate Firmitatis Cabillonensis Episcopus. Joannes Chen ipsum appellat *Doctorem subtilem in his, de quibus nunc ferè omnis inter Theologos controversia versatur.* Et in Colloquio Poisiaco *cœteris præcelluisse dicitur.* Alter est *Gilbertus Genebrardus*, Archiepiscopus Aquensis, hæreticorum juratissimus hostis, verbo & sapientia incomparabili mirâ rationum, argumentorum, & demonstrationum vi eos felicissimè convincebat, sed & Scriptis doctissimis consutabat. Hinc Scaliger ille, cymbalum mundi, Genebrardum ausus est nominare *maledicentissimum pecus*, *insolentissimam bestiam.* At hæreticorum convitia sunt Catholicorum encomia. Fallitur verò Gabriel Bucelinus, ** cùm Regem Navarræ, posteà Henricum IV. Gallarum Regem, à Genebrardo fuisse per-

Sectam Calvinianam in Galliis Benedictini extirpare conantur.

Præ cœteris Antonius Ep. Cabillonensis.

Gilbertus Genebrardus Archiep. Aquensis.

* Bucel. l. c. p. 81.
** Bucel. l. c. p. 154.

morum

motum scribit, ut de ejuranda hæresi serias susciperet cogitationes, donec tandem Catholicum sese publicè profiteretur. Certius illud, quòd Genebrardus contra Henricum Sectæ Calvinianæ etiamnum adhærentem vehementer è sacro declamârit suggestu. Unde hoc regium solium conscendente, ille Avenionem exul abiit, Archiepiscopatu amisso, & ad alterum translato. Felicior fuit *Joannes Gobelinus* *, monachus Regiæ Abbatiæ ad S. Dionysium in Francia. Ex numero enim illorum erat Doctorum, quos Henricus IV. delegit, ut ab iis in religione Romano-Catholica instrueretur. Tantam verò magnus ille Rex de Gobelini doctrina, cœterísque præclaris ejus dotibus existimationem conceperat, ut abjurata hæresi continuò illum iis Doctoribus associârit, qui Legatum ipsius Ducem Nivernensem Romam comitaturi erant. Auctor est Doubletius, quòd Rex Joannem Gobelinum adhuc constiturum in itinere, Archiepiscopum Turonensem denominârit; quia is verò in rediru, cùm Mantuam delatus esset, ex morbo inreriit, dignitate, ad quam Rex illum evecturus erat, perfrui haud potuit. Hujus ipsius Monarchæ Capellanus, Theologus, ac Concionator fuit *Joannes Garnier* ** ejusdem Regiæ Abbatiæ San-Dionysianæ monachus, qui tantam sibi eruditione singulari, nativóque facundiæ robore famam conciliavit, ut sacris in pulpitis verba facientem haud semel demiratus sit Henricus IV. Galliæ Rex. Ubicunque verò se dabat occasio, hanc suam præstantem eloquentiæ vim cum pari rerum Theologicarum doctrinâ conjunctam contra Calvini asseclas asseruit. Factus, favore Regis Henrici IV. Episcopus Monspeliensis hæreticos acriùs insectatus est; cúmque suo fano hunc titulum præfixissent VERÆ RELIGIONI SACRUM, hanc illatam Ecclesiæ juriam non ferens Præsul, ad Regem hac de re scripsit; quo accepto sectarii alium substituêre.

Jo. Gobelinus designatus Archiep. Turonensis.

Joannes Garnier.

Nihilominùs Henricus *Edicto Nannetensi* potestatem fecit hæreseos exercendæ. Quod edictum ab ejus nepote Ludovico XIV. sublatum fuit, qui præcones hæreticos, omnésque, quibus volupe non esset valedicere Calvini Sectæ, solum vertere ac regno migrare jussit.

Edictum Nannetense à Ludovico XIV. abrogatur.

Cùm verò hæretici ob hanc emigrationem æquissimas de Rege Ludovico se habere querelas sine fine dicerent, Dionysius Sammarthanus *** è Congregatione S. Mauri responsionem ad eorum querelas vulgavit, in qua palàm facere contendit, *Francicam persecutionem*, ut vocant hæretici, non usque adeò acrem fuisse, quin imò longè adhuc ab ea acerbitate abfuisse, quâ Imperatores hæreticos ad mortis supplicium condemnârunt. Vel ipsos sectæ antesignanos **** *Calvinum, Farel, Jurieu*, huic veritati testimonium perhibere, ut qui sententiam propugnârint, quòd gladio in hæreticos animadverti possit. Denique querelas Protestantium ob Edicti Nannetensis violationem omni favore ipsos complectentis, haud solido niti fundamento, cùm illud armatâ manu à Regibus Galliæ extorserint. Hæc Dionysius Sammarthanus, qui cùm magno Calvini religionem exscindendi, eáque imburos gentiles suos ad Catholicorum castra traducendi desiderio semper flagraret, ejus rei gratiâ plura Scripta Polemica vulgavit, quæ virum non minùs in Scriptorum à Catholicorum sensu recedentium, quàm veterum Patrum ac Conciliorũ monumentis apprimè versatum esse demonstrant. Et verò utrumque illi pernecessarium est, qui nomen Theologi Polemici cum dignitate tueri velit.

Quemadmodùm verò Dionysius Sammarthanus causam Regis sui Ludovici XIV. contra Protestantes strenuè egit, ita alii Benedictini contra eundem Galliæ Regem partes Romani Pontificis in gravissimis Controversiis non minùs impigrè defendendas suscepe runt. Præcipui fuerunt Cardinales *Sfondrati* & *Aguirre*, *Angelus Nuceus* ex Abbate Casinensi Archiepiscopus Rossanensis, atque *Augustinus* Abbas Einsidlensis, & S. R. I. Princeps. De primo duntaxat loquar.

Pontificis Romani causam tuentur Benedictini.

Quo tempore Ludovicus XIV. tam ob extensionem Regaliæ, quàm alia Capita graves cum Innocentio XI. simultates susceperat, Gallia, ut Regi suo assentaretur, ægrè etiam Summo Pontifici facere volebat; unde anno 1682. coacto Clero Gallicano octo Archiepiscoporum & viginti quatuor Episcoporum in Nationali Synodo qua-

* Felibien in Hist. monasterii S. Dionysii Gallicè scripta l. 7. p. 426.
** Gall. Chr. Tom. 6. col. 816.
*** le Cerf Bibl. Hist. Crit. pag. 460.
**** Cùm anno 1554. Calvinus, subscribentibus Collegiis omnibus, copiosam Servetanæ Doctrinæ refutationem edidisset, rationes etiam adjecit, cur & quatenùs à Magistratu quoque legitima præeunte cognitione, puniri hæreticos oporteret. *Mastricht apud Placcium de Pseudon. pag. 116.*

quatuot propositiones Romanorum Pontificum authoritati & infallibilitati summoperè adversas procudit, quas Ludovicus non ratas tantùm habuit, sed per universas Regni sui provincias doceri etiam & propagari jussit. Erant verò illæ. 1.mò *Nulli Principum secularium in rebus temporalibus à Romano Pontifice quidquam seu directè seu indirectè præcipi posse.* 2.do *Concilium Universale esse suprà Pontificem.* 3.tio *Pontificiæ potestati per cujuslibet Nationis privilegia & statuta limites poni posse.* 4.to *Edictum Pontificis sine consensu Ecclesiæ, etiam cùm de rebus fidei agitur, nullius omnino esse valoris.* Provocatum etiam te ipsa fuerat à Senatu Parisiensi ad Concilium Universale. Archiepiscopus verò Parisiensis singulos quosque Ecclesiasticos Ordines, ut factæ provocationi assensum præstarent, seorsim convocari jussit. Adfuit etiam intet cæteros Prior monasterii San-Germanensis, qui inconsultis & insciis Congregationis suæ Sodalibus assentiri non dubitavit. Re Romam perlata Eminentissimus Cardinalis Leandet Coloredo graviter de eâ, epistola ad Joannem Mabillonium data, conquestus est, cui hic sequentibus literis respondens, S. Mauri Congregationem ab Appellatione ad Concilium injecta an. 1682. purgavit.

Gallicani Cleri IV. propositiones.

EMINENTISSIME DOMINE.

Mabillon. Epistola ad Card. Coloredo.

„ Etsi multa sunt in postremis literis „ tuis, quæ me mirificè recreârunt, „ inprimis quòd & te valere, & mei „ memoriam, immò & tuam in me „ benevolentiam post tam diu intermissa literarum officia, integram „ etiam nunc apud te vigere intelligam; unum tamen est in iisdem literis, quod cor meum lancinavit, „ nimirum dolor ille, qui pectus istud, „ pectus inquam tuum ita commovit, ut lacrymas ex oculis tuis expresserit. Tanti verò doloris causam hanc esse significas, quòd non „ solùm nostrates Episcopi, de quibus tam præclara coram disserueramus, sed etiam religiosissimus (*ita enim vocas*) Cœtus noster secessionem quandam à S. P. Innocentio „ palàm ac publicè facere non dubitaverit. Nempe, si bene conjicio, „ quod provocationi ad Concilium „ factæ subscripsisse nos persuasum habeas. Id si ita E. T. relatum est, atque creditum, cum bona tua venia dicam, rem longè aliter se habete. Hìc non disputo, an omnis à Pontifice ad Concilium provocatio injusta sit; neque etiam an legitima sit illa, quæ nuperrimè à Senatu Parisiensi facta est, quæ quidem longiorem exigunt, quàm epistolaris brevitas sinit, tractationem. „ Sufficiet hoc loco exposuisse E. T. „ historiam facti, ut quæ fuerint nostrorum hac in re partes, intelligas.

„ Post sancitam à Senatu Parisiensi „ provocationem Ill. Parisiorum Archiep. singulos Ecclesiasticos Ordines seorsim convocavit, ut factæ „ provocationi assentitentur. Vocati primùm Ecclesiæ majoris Canonici, deinde Parochiarum Rectores acquievêre. Demum accetsiti „ Supetiores, seu Præfecti omnium Religionum, quos inter & Prior noster „ interfuit, nobis plerisque ignorantibus, omnibus inconsultis. Cùm „ ad locum Comitiorum advenisset, „ rogatus est ab Ill. Archiepiscopo, „ ut nomine non solùm nostri monasterii, sed etiam omnium aliorum „ sententiam diceret. Paruit ille non „ obtentâ deliberandi facultate, & „ nullorum suffragiis requisitis, dixit, „ se tum sui Cœtûs, tum aliorum, „ qui aderant, nomine, factæ provocationi acquiescere. Nemo contra „ mutire ausus est. Nullus porrò „ erat ex nostro Cœtu ad illa Comitia cum Priore nostro deputatus. „ Quibus verbis id expresserit Prior „ noster, novit E. Tua, cùm ad te ejusdem acta pervenerint. Ubi primùm „ hæc in Sodalium nostrorum cognitionem venerunt, mox omnes reclamare cœperunt, & factum Prioris nostri improbare, non modò, „ quòd verbis usus esset, quæ non „ ipsi & nobis conveniebant, sed quòd „ nomine omnium sententiam dixisset, tametsi omnibus inconsultis. „ Verùm res uti transacta fuerat, publicata est, ægrè ferente ipso Priore „ nostro, quem mox facti sui pœnituit, sed seriùs. En facti series, „ ex qua videat E. Tua, quid ad hanc „ provocationem contulerit Cœtus „ noster. Et doleo quidem vicem „ Prioris nostri, qui aliàs vir religiosus est, & optimè affectus in summum Pontificem; verùm in lubrica & ancipiti occasione non pati aliquid humanum, maximè ubi deest „ consilii capiendi & deliberandi facultas, difficile est. Ad me quod „ attinet neque deliberationis parti-

„ ceps,

„ ceps, neque provocationis factæ „ conscius fui. Unum est, quod in „ his rebus periculosissimis me conso- „ latur, nimirum, quòd eum habea- „ mus Pontificem, qui moderatè ferat „ auctoritatem suam, quòd eum ha- „ beamus Regem, qui filiali observan- „ tia in Pontificem affectus sit. Sed ne- „ scio quo fato nostro tanta moderatio „ cum tanta observantia simul con- „ venire non possint. Scilicet inimi- „ cus homo superseminavit zizania. „ Eradicari ea vetat Christus Domi- „ nus, immò potiùs vult ea ad tempus „ dissimulari. Id enimverò postulat „ afflictæ Gallicanæ Ecclesiæ status, „ ad quem restituendum sola Ponti- „ ficis & Regis nostri concordia te- „ stat. Faxit Deus, ut tandem si- „ mul conveniant. Excusatum me „ habeat Eminentia Tua, quòd „ longiori epistola ipsi tœdium affe- „ ram, quo paucioribus verbis litera- „ rum tuarum particulæ respondere „ vix potuerim. Salutem plurimam „ E. Tuæ mecum offert noster Mi- „ chaël Germain, téque ambo vale- „ re plurimùm optamus. Parisiis 6. „ Januarii 1689.

Quatuor Propositiones CleriGallicani refellendas suscepit Cœlestin. Sfondratus.

Opportunè verò factum, quòd eodem adhuc anno quatuor illæ Propositiones è Gallia in Germaniam Salisburgum delatæ fuerint.* Coëgit ea res sæpiùs Senatum Academicum, qui ut suadente Archiepiscopo easdem propositiones validis argumentis oppugnaret, doctam Cœlestini Sfondrati id temporis SS. Canonum Professoris pennam animavit. Nec fefellit eventus bonorum omnium exspectationem. Primùm lucem aspexit *Regale Sacerdotium* Romano Pontifici assertum, ac quatuor Propositionibus explicatum in 4.to Anno MDCLXXXIV. cui dein An. MDCLXXXVII. subjunxit *Galliam Vindicatam*, in quâ testimoniis exemplísque Gallicanæ præsertim Ecclesiæ, quæ pro Regalia ac quatuor Parisiensibus Propositionibus à Ludovico Maimburgo Jesuita, aliísque producta sunt, refutantur. Unde Clerum Gallicanum easdem propositiones vel semel edidisse, meritò pœnitere debuisset.

Propositio de Infallibilitate P.M. in Gallia deteveretur, nuò oppugnatur.

Verùm non semper candor vincit ruborem, sed plerumque accidit **, quòd ii, qui authoritate & famâ cœteris præminent, quósque vulgus tanquam Magistros, Doctorésque suos teveretur, nunquam aut saltem raro, errâsse videri volunt; ita planè in causa Infallibilitatis & authoritatis Pontificiæ evenit. Quamvis enim propositio illa Cleri Gallicani, quâ Summo Pontifici in rebus fidei decernendis Infallibilitas adimitur, irrefragabilibus, ac invictis ex omni demonstrationum loco petitis argumentis per Cardinalem nostrum funditùs eversa fuerit, Gallia tamen hâc in parte adversùs dictam Summi Pontificis Infallibilitatem mentem hactenus obstinâsse videtur; dedecus fortè arbitrata, si tot & tam defœcata, quibus Conventus anni 1682. conflatus erat, Gallicana ingenia errorem protulisse fatetur: vel forsan quòd opinionem suam obscuris quibusdam, nec sufficienter examinatis ac discussis factis ab Historiæ Ecclesiasticæ memoriâ petitis adhuc fulciri autumet.

At verò quantis turbis ac discordiis erronea hæc doctrina januam longè latéque panderit, ipsa suo damno Gallia, hac, quâ vivimus ætate edocta est; testes sunt conventiones illæ, quæ occasione Constitutionis *Unigenitus* à p. m. Papa nostro Clemente XI. adversùs 101. propositiones ex *Quesnelli* libro excerptas ad Regis Galliarum Ludovici XIV. instantiam vibratæ, Prælatorum ac Theologorum Gallicanorum mentes fatigarunt, fatigabúntque deinceps, stante videlicet debili illo fallibilitatis Pontificiæ principio.

Constitutio *Unigenitus* habet in Galliâ adversarios.

Vix enim dicta Constitutio Gallias appulerat, cùm statim inventi sunt, qui hoc principio fulti, non modò se ei palàm opposuerunt, sed & ab ea, quòd variis erroribus scatere, præcipuáque Christianæ Religionis Dogmata pessumdare inauditâ temeritate assererent, ad Oecumenicum Concilium appellârunt, ibi subitura lituram.

Hem! quò audaciæ præstans illa opinio in Conventu Cleri Gallicani anno 1682. adversùs Pontificiã authoritatem prolata Prælatos Theologósque Gallos impulerit, ut Constitutiones dogmaticas & circa Fidei quæstiones à Sanctâ Sede emanatas repudiare, imò quod horribile est, erroris criminari non vereantur.

Cùm

* Hist. Salisburg. Univers. l. 1. c. 9. p. 144.
** R. P. Gallus Cartier, interpres Latinus Tractatus Theologici Abb. Petitdidier De Auth. & Infall. P. M. in Præfat. ad Lector.

Cùm enim apud Gallos fixum ratúmque sit, nullum Papæ judicium in materia Fidei irreformabile esse, nisi universa Ecclesia, id est, omnes totius terrarum orbis Episcopi illud suo calculo approbârint, quid obsuit, quominùs non tantùm quivis Episcopus, Pastor, Doctor, aut Theologus, sed & quivis plebeius calo aut lixa Constitutionem *Unigenitus* rejicere valeret, donec ipsis demonstratum fuisset, ab universa Ecclesia acceptatam esse, in eáque omnes totius orbis Episcopos antiquæ ac primitivæ Ecclesiæ fidem agnovisse?

Et verò magnæ notæ nominísque in Galliâ Antistites, qui in Summi Pontificis Constitutione Catholicam veritatem agnoverunt, reliquorum eandem acceptare detrectantium audaciam repressuri, innumera ferè testimonia, quibus totius pene Europæ Episcoporum dictæ Bullæ acceptatio comprehendebatur, produxerunt.

Advertantium vana effugia. His tamen aliud nihil effectum est, quàm ut ii, qui priùs Summum Pontificem erroris proditæque Catholicæ veritatis arroganter insimulaverant, nunc quoque Episcopos illos, quorum ingenti numero testimonia proferebantur, imperitiæ ac ignorantiæ, exemplo à Pelagianis ducto, arguerent, testimonia hæc esse vociferantes ab indoctis & ignavis extorta Episcopis, quorum mentis aciem longè superaret damnatarum propositionum profunditas, ideóque non multùm curanda. Addebant insuper, per ea totius Ecclesiæ unanimem consensum illum, quem Ecclesia Gallicana ad conficiendum Fidei articulum reqnireret, sufficienter non probari; quo subterfugio tutè Constitutionem eludebant: in hoc quippe & ab acceptantibus Episcopis in contrarias abitum opiniones, quibusdam ad conficiendum fidei articulum sufficere asserentibus, modò potior totius orbis Episcoporum pars Papæ de Fide definienti assensum præberet, reliquis verò principium istud rejicientibus, omnimodámque aut saltem quasi - Unanimitatem totius Christiani Orbis Episcoporum requiri contendentibus. Quid autem, aut in quo consistat hæc quasificata Episcoporum unanimitas, donec Gallia unanimiter, aut saltem quasi unanimiter definierit, avidè exspectamus; necdum enim inter partes convenit, quotus quantúsque Episcoporum numerus ad eam constituendam necessarius sit, istis minorem, illis majorem adstruentibus; ita ut totam hanc tam magni momenti quæstionem ad litem de numeris, solo Anti-Constitutionistarum res suas inde promoventium commodo, tandem per Gallos abductam videamus.

Abbas Petitdidier partes infallibilitatis Pontificiæ tuendas suscipit. Hæc cùm R.mus Mathæus Petitdidier Abbas S. Petri Senonensis Ord. S. B. & Congregationis SS. Vitonis & Hidulphi Præses, qui triginta jam ante annis adversùs Doctorem Eliam Dupinium Cathedræ Apostolicæ in toto terrarum orbe unitatem propugnârat, hæc, inquam, cùm serio apud semetipsum revolveret, istóque *quasi-Unanimitatis* debili argumento, quod nullum antiquitatis exemplum fulciret, contentiones foveri potiùs quàm finiri pervideret; ad Infallibilitatem Summorum Pontificum, principium toto terrarum orbe, si exiguam Galliæ partem excipias, tantoperè celebratum, quóque semel probè stabilito, momento lites terminatas iri perspiciebat, se convertit.

Proinde & veritati & Ecclesiæ Gallicanæ tantis vexatæ discordiis prodesse cupiens Tractatum Theologicum edidit, Summóque Pontifici p. m. Innocentio XIII. dedicavit, in quo repetitâ omnium seculorum Historiæ memoria Infallibilitatis Pontificiæ Doctrinam in Ecclesia semper traditam, & agnitam fuisse demonstrat. Difficultates, quibus obscurari videbatur, mirâ perspicuitate enucleat; objectiones adversùs eandem formatas summâ soliditate diluit; & Conventus Parisiensis anni 1682. propositionem dictæ Infallibilitati infestam incredibili energia explodit, ac confutat. edito Theologico Tractatu.

Quis igitur non crederet post hæc tam clara solidáque argumenta, Galliam tandem ad se ipsam reversuram veritatique manus daturam? at nihil minùs factum est; quin potiùs liber mille injuriis impetitus; supremi Galliæ Senatus excitati, qui illi aquâ & igni interdicerent, Decreta ab ipsis procusâ, libellus in publicis urbium compitis per carnificum manus flammis injectus, totóque regno proscriptus, cunctis prætereà Bibliopolis, ne eundem penes se retinerent, aut venum exponerent, sub gravibus interdictum pœnis. Hæc in Gallia libri sors fuit; livido quippe furore compensandum erat, quod veritas ratióque nega- qui pessimè in Gallia habetur.

negabant; tantùm quoque apud Gallos præconcepta de fallibilitate Summi Pontificis opinio valuit, ut illios gratiâ veritas etiamnum ex ipsorum finibus amandari debuerit.

alibi verò communi plausu excipitur,

Verùm bruta vanáque hæc supremorum Galliæ Senatuum fulmina minimè obsuerunt, quin rarum, præstánsque Opus ab omnibus cordatis sincerisque veritatis amatoribus communi lætitia & applausu exceptum sit. Ipsimet Sumo Pontifici Benedicto XIII. ita acceptum fuit, ut quàm primùm in linguam Italicam illud vertendum, & prælo dandum curârit, gratúmque insuper sui animi erga Authorem affectum literis per modum Brevis Apostolici ad eundem datis, quarum Apographum hic in tui gratiam Amice Lector subjicio, testari dignatus sit.

Romæ præsertim.

BENEDICTUS
PAPA XIII.

Breve Apostolicum Benedicti XIII. ad Ab. Petitdidier.

„Dilecte Fili, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Quòd eruditionem tuam ad ornamentum Domûs Dei conferre gestias, in tui quidem nominis ac pietatis laudem, animi verò nostri singularem lætitiam cedit, ac fore etiam confidimus, ut infirmis aot errantibus strenui labores tui doctrinâ confulant, ac proficiant exemplo. Itaque dignum tuâ virtute ac religione erga hanc Sanctam Sedem studium gratissimo paternæ benignitatis sensu complexi sumus, tibíque persuasum esse optamus, Nos ad omnem gratificandi tibi occasionem libenter incubituros; præsertim autem, ut jurium toorum in causa Abbatiæ Senonensis ratio (sicuti par est) habeatur, diligenter curabimus. Neque ullas benevolentiæ partes omittemus, ut à laudabili cura, utiliúmque studiorum proposito, ulla te aut molestia aut necessitas avocet. Perge igitur Pontificiam tibi benignitatem, bonorum laudem, ac divina potissimùm beneficia demereri, quorum pignus esse cupimus Apostolicam benedictionem, quam tibi dilecte Fili peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 24. Decembris M. DCC. XXIV. Pontificatûs nostri anno primo.„

P. Ziegelbauer Hist. P. II.

Qui olim Pontificiæ Infallibilitati adversatus fuerat.

Quòd verò haud obiter notandum, R.mus Abbas *Petitdidier* non semper ab Infallibilitate Romanorum Pontificum steterat, sed in illorum castris, qui acriter eam oppugnabant, aliquando militaverat. Id quod ipse sequentibus nos docet verbis: „Equidem ipsius ingenuè fateor, me ex horum numero fuisse; cùm enim sub Dominio, ubi opinio doctrinæ, quam modò stabilio, contraria in Statûs quasi legem transierat, educatus fuissem, eandem veriorem esse persuasum mihi cùm multis aliis habebam, hinc authoritate Illustris Cleri cujusdam, celebrisq; Universitatis illectus, illinc autem quibusdam ex antiquitate erutis factis, quæ non satis extricaveram, adductus. Cùm verò huic articulo funditùs examinando animum adjecissem, deprehendi, quòd Galliæ Episcopi, qui Conventum anni 1682. composuerunt, antiquam suarum Ecclesiarum Traditionem deseruerint, facultásque Parisiensis Theologica doctrinam suorum primorum Magistrorum mutârit.

Ejus exhortatio ad Gallos Benedictinos.

Post hæc Reverendissimus Abbas Ordinis nostri Religiosos, in Gallia nempe, obtestatur, ut recogitent, quod inter omnes Religiosos Ordines nullus sit, qui Sanctæ Sedi magis obstrictus sit, aut majori zelo illius Privilegia, præcipuè quæ Infallibilitatem spectant, propugnârit, quam Ordo S. Benedicti.

Ex quo hic Ordo cœpit habere Scriptores Ecclesiasticos, tum in illo Sancta Sedes Privilegiorum suorum testes Prærogativarúmque suarum Defensores adversùs Hæreticos aut Schismaticos, qui ei desuper litem movere attentârunt, invenit. Profectò qoin etiam de D. Gregorio Magno, aliísve, qui hunc Ordinem professi sunt, Summis Pontificibus, quidquam dicam, inter testes *Infallibilitatis*, sanctæque Sedis authoritatis Defensores reperientur plures, videlicet septimo & initio octavi seculi Ven. Beda; nono seculo, Hincmarus Archiepiscopus Remensis, & Rathramnus Monachus Corbeiensis; decimo Ratherius Episcopus Veronensis; undecimo S. Petrus Damiani Cardinalis, & Episcopus Ostiensis, S. Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis, & S. Anselmus illius tam in Abbatia Beccensi, quàm Sede Cantuari-

ensi successor; duodecimo Divus Bernardus, præclarum illud Ecclesiæ Sidus, S. Thomas Cantuariensis, Petrus Abbas Monasterio-Cellensis, Rupertus Abbas Tuitiensis, Potho Abbas Prumiensis, Episcopatûs Trevirensis. Plures adhuc alios tum ex iisdem, tum sequentibus seculis adducere possem, sed isti sufficinnt ad ostendendum, quòd, cùm doctrina de infallibilitate Summorum Pontificum in Ordine Divi Benedicti quasi hæreditaria fuerit hucusque S. Patriarchæ filiis, turpe sit, horum sui Ordinis præclarorum Siderum doctrinam deserere, atque à zelo, quem semper pro Ecclesiæ Capite testati sunt, degenerare. Hæc dum ita eloquor, illud duntaxat intendo, ut scilicet illos Benedictinos ad hanc reducam sententiam, qui ab ea se fortè elongârunt, suorum prædecessorum exempla ipsis ob oculos ponendo.

Doctrina de infallibilitate Pontificia in Ordine S. B. receptissima.

Doluit certè nobis in Germania Benedictinis, quòd V. C. *Renatus Massuet* in literis suis IV. Non. Octob. MDCCXV. ad R. P. Bernardum Pezium è Gallia datis, Pontificiæ Infallibilitatis assertores per contemptum *Infallibilistas* nominârit. Doluit etiam aliis, quòd vir ille Religiosus, non Mellicensis, sed alterius monasterii, cui velut amico Cl. Pezius hasce literas dederat legendas, ipso inscio, non clàm tantùm descripserit; sed per summam impudentiam, an nequitiam? cum *Schelhornio* *, Viro docto, sed Lutheri asseclа, communicârit. Etenim is continuò illas in Pontificiæ authoritatis contemptum typis publicis exscribendas curavit. Ut primùm verò in *Christophori Heumanni*, celebris in Academia Göttingensi Acatholica Professoris, pervenerunt manus, conclusit is continuò, licèt minùs scitè, *Massuetum* equidem esse, nt doctissimum quemque Pontificium *in* Ecclesia Romana, sed non *de* Ecclesia Romana. En Heumanni verba: ** *Quàm ex animi sententia Pontificius fuerit Renatus Massuetus Benedictinus Parisiensis clarissimus, ex eo apparet, quòd in epistola quadam nuper à Schelbornio evulgatâ verè Pontificios appellat contemptim Infallibilistas. Dividi igitur oportet Ecclesiam ipsorum in partem* γνήσιως *Pontificiam, & in partem Nicodemicam.* Hæc ille; sed ut dicebam, minùs scitè, atque ex arenâ funem texens. Ac si verò fieri possit, ut *Massuetus* existat in Ecclesia Romána, neque tamen sit de Ecclesiâ Romanâ; cùm inter hæc duo nihil intercedat discriminis: quid enim est, esse *in* & *de* Ecclesia Romanâ, nisi iis, quæ credenda ab ipsa proponuntur, firmiter adhærere, & assentiri? Jam verò Ecclesiâ Romana, Pontificem Maximum esse infallibilem, nondum hactenus suis asseclis credendum expressis verbis proposuit: in casû verò, quô id à suis credi exigeret, neque eorum tamen quispiam fidem illi adhiberet, tum is neque *in* neque *de* Ecclesia Romanâ ampliùs foret, sed futurus esset *sicut Ethnicus & Publicanus*, eò quòd Ecclesiam non audiret. Esse possunt dogmata quædam adhuc inter Scriptores dubia, atque ab Ecclesia nondum calculis postremis definita. Hæreticum nomen alterutram partem tuentibus tunc tribuere non licet. Ubi Ecclesia sententiam tulit, tunc aliter sentire quàm Ecclesia, nefas est. Ex quo quis non intelligit, inscitè ab Heumanno concludi, Massuetum esse quidem in Ecclesia Romana, sed non de Ecclesia Romana; cùm is ejus doctrinæ nunquam non assensum præbuerit, neque, quod ipsa ceu fidei articulum credendum proposuit, unquam negaverit. Sed mittamus disceptationes.

Renati Massueti literæ ad Ber. Pezium.

defenditur contra Heumannum.

Alius Auctor anonymus, quem *Jourdainum* *** vocari audio, vir eruditus, sed à Sacris Romanis alienus, ut festivus sit, ludósque lectoribus Acatholicis faciat, lepidam narrat fabellam. Etenim in succinctа, sed erudita descriptione Itineris Literarii, quod paucis retrò annis (1733.) in Galliam instituit, de *R. P. D. Alidon*, Congregationis S. Mauri Præposito Generali refert, quòd, cùm acceptationem Constitutionis *Unigenitus* apnd suos ursisset, his verbis usus fuerit: *Allons recevoir la Bulle; nous en ferons penitence aprés; Agedum, recipiamus Bullam, pœnitentiam eâ causâ posteà acturi.* Quam fidem verò doctus hic fabularum architectus promereatur, ex Cl. Anselmi Banduri verbis intelliges, quæ ad calcem Historiæ Studii Antiquarii subjiciemus.

Hîc partem Epistolæ ****, quam Vir Cl. *Jacobus Martinus* ex monasterio San-Germanensi, nomine Sodalium suorum, inter quos hodie familiam in re literaria ducit, ad Eminent. Cardinalem Quirinum anno 1742. exaravit, ad-

Epistolæ pars San-Germanensium ad Card. Quirinû.

* Amœnit. Liter. Tom. XIII. pag. 303.
** Conspect. Reipubl. Liter. Cap. V. n. 55. p. 265.
*** *Jourdain* est nomen personatum, *Richey* genuinum est.
**** Exitat Epistolar. Decad. III. Em. Card. Quirini Epist. 1. pag. 10.

adduxisse sufficiat: „ *Cavemus inprimis, uti oras atque obtestaris, quin charitate Christi urgente commones, ne scientia illa Majorum nostrorum, quam nobis Momfauconius in exemplum proposuit, unquam à justitia & reliqua virtute sejungatur, ne calliditas & versutia, non sapientia fit.* πανουργία enim, *quâ tamdiu jactatam fuisse Ecclesiam Gallicanam* dicis, ut plurimùm con-" fossa est Scriptis San-Germanen-" sium; quos inter (*si gloriari oportet, non expedit quidem*) gloria qualiscun-" que mea mihi parta est. Sicque eve-" nit, ut quod de industria Ludovicus " decimus - quartus, re & nomine " *Magnus*, dum in vivis esset, fieri " jusserat, paulò post mortem ejus fa-" ctum sit. In ejusdem gloriosi Prin-" cipis proposito, susceptóque consi-" lio tres Ecclesiæ Gallicanæ Purpura-" ti Patres permanentes, Historiam " Constitutionis *Unigenitus* potissi-" mùm à nobis confici texíque volue-" runt. Unus etiam è nostris, Unus, " inquam, Epistolis Theologicis mi-" racula à Jansenistis contra Doctri-" nam Constitutionis *Unigenitus* con-" ficta, afferta, atque ad cœlos usque " elata, ita explosit, ut nunc ab om-" nibus exsibilentur. Tela etiam in " eandem Constitutionem intenta & " contorta acriter fortitérque retudit, " eáque re Episcopalibus Infulis do-" natus est. Quanti autem sint hæ " Epistolæ Theologicæ, probant plu-" ra testimonia, quæ ex iis Sanctissimus " Dominus noster Benedictus XIV. " Pontifex Maximus in doctissimum " suum uberrimúmque de Sanctorum " Beatificatione & Canonizatione O-" pus cum Auctoris elogio traduxit. " Hinc fit, ut à Rege, aliisque Regni " & Ecclesiæ Proceribus è nostris eli-" gantur ad sedandas dissensiones, quæ " in Religiosorum Monialiúmq; Con-" ventibus à Sedis Apostolicæ hosti-" bus excitantur.

In Congreg. S. Mauri una fides mentium, & pietas actionum.

" Quanta autem nos observantia, " quantóque nexu Ecclesiæ Romanæ, " utpote Christianæ Religionis centro, " adhæreamus, adglutinemúrque, pa-" tet ex ea, quâ factum est diligentia, " ut intra Congregationem nostram " una ferè sit nunc fides mentium, & " pietas actionum. Adeóque dicemus " obiter, inopinatam illam Benedicti-" norum San-Maurinorum in melius " commutationem Clero Gallicano, " Regi Christianissimo, ipsíque Sum-" mo Pontifici instar miraculi admira-" tioni esse, eámque Christianis omni-" bus & singulis in testimonium debi-" ti redditúque Sedi Apostolicæ obse-" quii proponi. Si qui autem etiam-" nùm apud nos secùs sentiunt, præ-" terquàm quòd ii de die in diem ad " bonam frugem se recipiant, ac ma-" gna est spes fore, ut brevì ultróque " unius moris inhabitent in domo Dei: " tacent illi quidem, ac in Dei Eccle-" sia scissuras esse nolunt: respuunt " enim dici esse Pauli, aut Appollo, " aut etiam Cephæ, cùm Christi esse " debeant. Urget inprimis exemplum " eorum, quos Beatissimi Papæ BENE-" DICTI XIV. ad summi Pontificatûs " apicem promotio ad saniorem men-" tem certatim revocavit. Mirari enim " nobiscum, & revereri non desinunt " Virum, cujus laus dudum est in " Evangelio, cujus Electio Spiritûs " sancti opus est & fructus, cujus mo-" res Apostolorum tempora respirant, " cujus virtus animi supra dignitatem " est, cujus actus salutis sunt docu-" menta, cujus charitas nos omnes " cupit in visceribus Christi, cujus sol-" licitudo omnium Ecclesiarum Lai-" cis est norma Justitiæ, Clericis san-" ctitatis forma, Episcopis vigilantiæ " pastoralis delineamentum, Regibus " & Principibus rectæ administratio-" nis exemplar; Qui non quærens quæ " sua sunt, Dei æmulatione Deum " ipsum Ecclesiámque Sponsam dun-" taxat æmulatur; Qui Legum & Ca-" nonum est Defensor, orphanorum " Pater, & Judex viduarum; Qui Pe-" tri navem regendam non suscepisset, " si extra eam salvari quis posset; Qui " tandem de Sanctorum Beatitudine " & Canonizatione scribens, Beatitu-" dini & Canonizationi suæ viam stra-" vit."

" Hæc, ut nos amas, Antistes Præ-" stantissime, Summo Pontifici, meo " & Congregationis nostræ nomine " quàm primùm in memoriam revo-" ces velim. Nam uti Ille Superiori " nostro Generali significavit, *sæpiùs auditum Romæ fuit de ejus in Apostolicam Sedem singulari obsequio, de studio retinendæ monasticæ disciplinæ, de sollicitudine evellendæ à Sodalibus nostris perversæ doctrinæ, quæ pristinum ipsorum Decus inobscuraverat.* " Hinc Sanctissimus Dominus noster " mirificè delectari se testatur, vete-" rem tranquillitatem exercendis in-" geniis fovendæque pietati nimis uti-" lem, nobis tandem restitutam fuisse. " Hæc, inquam, sedulò in memoriam " revoca, ut Apostolicam Benedictio-

" nem nobis ac Ordini nostro, quem " præstantissimum dicere haud gravatur, peramanter impertiri pergat." Hæc Cl. *Jacobus Martinus*. Quæro jam ex Jourdaino, Nunquid & hujus animum acceptatæ Constitutionis pœnitentia subiit? Nugæ! ne dicam, calumniæ.

Benedictini Germani Summi Pont. infallibilitatem tuentur.

Nos Benedictini in Germania nunquam non fortiter stetimus ab infallibilitate Summi Pontificis in ferendo judicio de rebus, quæ ad fidei & morum doctrinam pertinent. Id enim genus scientiæ illi necessarium est, quem Christus D. N. ad sui Vicarii dignitatem evexit. Omnia Concilia, atque adeò Tridentinum divinam & humanam Legem distinxerunt. In priori Infallibilitas Papæ extra controversiam posita est, non verò in posteriori. Lex divina tam immutabilis est, atque Deus ipse; at verò Canones, & mutari & tolli possunt, prout temporum & personarum exigunt circumstantiæ. Papa non habet potestatem in iis dispensandi, ad quæ Deus nos obligat; neque potest vel formam vel materiam Sacramentorum immutare, vel eorum numerum augere, aut imminuere. Neque ejus definitio in rebus fidei arbitraria est; sed solùm Dei mentem & voluntatem declarare & exponere valet; multò minùs novum fidei articulũ condere & statuere potest. Neq; enim hic valet Brocardicum Juris Civilis: *Illius est interpretari, cujus est jura dare*. Ad expositionem necessaria lux divinitùs illi affulget, juxtà promissionem Christi: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*. Deus illius mentem illustrat, ut optimam deligat opinionem; & in hoc ejus Decisionem sequi omnes tenentur Christiani. Ejuscemodi Infallibilitas cum Pontificia Dignitate devincta est, quæ verò ad Decisiones Canonicas se non extendit, in quibus Papa falli potest, ac proinde Successori abrogare licet, quæ ejus Antecessor ordinavit.

Ab hac, & non alia Summi Pontificis Infallibilitate uti nos Benedictini in Germania nunquam non fortiter stetimus, ita Bullam *Unigenitus* unanimi consensu, nemine refragante, ac debita cum reverentia suscepimus.

Præcipuè Gallus Cartier.

Non ita pridem verò V. C. *Gallus Cartier*, Congregationis Argentinensis in monasterio D. Ettonis propè S. Landelinum, vulgò Ettenheimmünster dicto in Brisgoia, Ss. Theologiæ Professor, & Prior, Opus in lucem dedit,* in quo nec Historiæ & Antiquitatis peritiam, nec Theologicæ doctrinæ soliditatem desideres: in hoc verò præclaro Tractatu Auctoritatem & Infallibilitatem Summorum Pontificum in Fidei & Morum quæstionibus definiendis stabilivit, & adversùs *Benignum Bossuet*, Episcopum Meldensem, nec non D. *Honoratum Tournely*, Theologum Sorbonæ, stabilivit.

Benedictus Schmier.

Sex annis antea, anno vid. 1732. in lucem prodierat Cl. *Benedicti Schmier*, Ss. Theologiæ Professoris in Universitate Salisburgensi ampla Disputatio, sive liber *de Militante Ecclesia*, in quo Primatus atque Infallibilitas Romani Pontificis asseritur. Inter cœtera argumenta, quibus Author usus est, etiam ad Epistolas Anacleti, Evaristi &c. provocavit. Sed brevi ex Acatholicis eum excepit adversarius personatus Lutheranus, sub nomine, *Sinceri Pistophili*, qui ex his epistolis, cùm sint fictitiæ, Summi Pontificis infallibilitatem minimè adstrui posse, non malè ostendit. Et verò si etiam nos Catholici, quod res ipsa est, fateri velimus, Decretales Pontificum Epistolas usque ad Papam Siricium spurias, & & maximam partem commentitias esse, vel illud solum nobis Benedictinis argumento esse debet, quòd Rabanus Maurus, & Abbas adhuc Fuldensis, & posteà Archiepiscopus Moguntinus, easdem nunquam receperit. Quam fidem mereantur, præter aliòs legi potest *Petrus Coutantius*, ex Congregatione S. Mauri in Prolegomenis ad Epistolas Romanorum Pontificum. Eximius tamen P. Schmier doctrinam suam de Infallibilitate Pontificis minimè deseruit, sed Sincero Pistophilo in Theologia Polemica posteà respondit.

Sinceri Pistophili critica.

De pœnis inferni.

Jam olim, seculo XII. de pœnis apud inferos, sintne æternæ, inter Mathæum Laudunensem & Ægidium Delphensem in utramque partem disceptatum fuisse legimus: illo æternas esse inficias eunte, & contrà isto affirmante. At hoc ludicrum erat tantùm certamen, ab utroque ad fundenda susceptum carmina. Nunc verò hac nostra ætate res seriò agitur, Anglo heterodoxo post plures jam alios, in publicum prodeunte, atque librum in vulgus spargente, quo pœnarum æternitas, quæ immensæ Dei bonitati repugnet, præfractè negatur. Quod exitiale, ac planè pestiens Scriptum cùm Dom. *Sinfartus*, monasterii in valle S. Gregorii è Congregatione Lotharin-

Sinfart Abbas

* Prodiit Augustæ Vindel. 1738. in 4to.

tharingica doctissimus Abbas legisset, continuò intellexit, illud ita comparatum esse, ut omnem Christianam religionem funditùs evertat. Quare ad tuendas ejus partes contra Adversarium in arenam descendit, atque libro Gallicè scripto, înque lucem dato, ejus sophismata detexit, errores profligavit, dogmáque Catholicum tantâ argumentorum vi, atque robore astruxit, ut omnium confessione, nisi eorum fortè, qui sceleribus suis pœnas sine fine duraturas irrogari nolunt, à fidei hoste palmam reportârit.

Biennio verò antequam cum Anglo congressus fuit, omnes in Germania Protestantes adortus, Librum *de veritate Catholicæ Religionis* doctissimè conscriptum, illis objecit, quem, ut solent, magis neglectui aut contemptui habere, quàm revincere possunt.

Cùm plures verò sint Benedictini, qui hoc sæculo ad studium Theologiæ Polemicæ incumbentes, calamum cum fidei orthodoxæ hostibus conseruerunt, eorum nomina & Opera in lucem data Parte IV. hujus Historiæ non tacebimus.

SECTIO IV.

HISTORIA THEOLOGIÆ MORALIS.

Clericatus & Actio in Ordine Benedictino.

BEnedictinæ Familiæ Institutum, natalésque & propagines deputato à præjudiciis animo si quis penitiùs inspexerit, fateri omninò debebit *Clericatum* & *Actionem*, seu *Sacerdotium*, & *prædicandi officium* inde à primis illius exordiis non minùs inter nostros, quam alterius cujusque stemmatis sacri alumnos perpetuò viguisse ac etiamnùm florescere. Relucet primùm ex ipsa divi Benedicti regula cap. 62: ubi sanctissimus Legislator ita decernit: *Si quis Abbas sibi Presbyterum vel Diaconum ordinare petierit, de suis eligat, qui dignus sit Sacerdotio fungi.* Alterum inde luculenter apparet, quòd *S. Benedictus*, teste Doctore Angelico opusc. 19. cap. 4. *divino judicio reputatus fuerit idoneus, cui immediatè à Deo committeretur prædicationis officium; & sic tam verbo, quàm exemplo suos discipulos imbuit utraque vitâ, ut scalam quam erexerat in regula, ascenderent contemplativi ad Deum, & Angelorum more descenderent per compassionem ad proximum.* Quod idem S. P. *Benedictus* Sublacensibus extremum valedicens, his expressit verbis: *Audite me Fratres! nam mihi Dominus meus* JESUS CHRISTUS *præcepit, ut ad culturam idolorum exterminandam castrum petam Casinum.* * Quo autem zelo, quantóque cum fructu Apostolicum hoc munus obiverit S. P. *Benedictus*, satis prodit Gregorius M. in ejus vita: *Contrivit enim idola, subvertit aras, lucos succendit, & commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continuâ ad fidem vocabat, à vitiis revocabat...* Ut verò universæ posteritati indubitato demonstraret argumento, institutam à se Religionem ad idem prædicationis Evangelicæ munus destinari, non solùm sanctioris vitæ legibus ipse neophytos erudivit, sed discipulos sublimioribus sapientiæ moralis præceptis à se imbutos in diversas misit provincias *pro impertiendis verbis exhortationis, & Deum precatus est, ne permitteret suos ab infidelibus interimi; quoniam decreverat, ut illi nomen ejus per totum orbem terrarum prædicando circumferrent.* ** Quo deinde factum, ut posteri tam luculenta pii Patris vestigia presso pede secuti longè latéque verbi divini sementem spargerent, gentes barbaras fidei lumine illustrarent, ubique vitiis, corruptísque moribus bellum indicerent. Longum foret ac etiam superfluum vel illustriores diversarum provinciarum Apostolos hîc enumerare; *Quis enim nescit*, inquit Browerus, *** *Benedictinæ familiæ laudem hanc esse propriam, ut ambiat meritis & rectè factorum gloriâ, quàm latè patet, orbem Christianum? Etenim ut palmas taceam & adoreas in reliquo Occidente partas, certè innumeras abstulit ex hac Germania nostra magna, cujus inferæ, superæ Regionibus tot retrò seculis, hæc unica ferè dedit scientiæ, veræque pietatis Doctores, Duces, Magistros; Unica*, inquam, *Boreæ populis citimis, extimis in magna errorum nocte*

Prædicationis munus S. Benedicto divinitùs commissum.

Benedictinorum in Ecclesiam merita.

* Vid. Gordianus in vita S. Placidi apud Surium 5. Octobris & Decretum Gratiani Causa 16. q. 1. Can. generaliter.

** S. Gregor. libr. 20. cap. 17.

*** Brovverus in Antiquit. Fuldens.

ĉte prætulit veri honestique facem. Scilicet hâc virtutis arduâ viâ, & non mortali Doctrinarum curriculo, communem Mortalium mensuram supergressa, pondera tot Cathedrarum ingentia suorum humeris, velut Atlas cælum sustulit; excelsóque loco in Republicâ Christianâ non populis duntaxat, & urbibus, sed Principibus, terrarum Dominis, benè beatéque vivendi leges & præcepta dedit. Hæc ille S. J. Scriptor non inglorius, niméque de partium studio suspectus.

Theologiæ Moralis cultus. Jam verò si Apostolicum *prædicationis Evangelicæ* officium Benedictinis conveniat; si qui Sacerdotes, presbyteri, conscientiarum arbitri, verbi Dei præcones, atque animarum Rectores, & salutaris Doctrinæ Magistri in monasteriis fuerunt, uti semper fuisse palam est, hos suo ut ritè fungerentur ministerio, eâ utique scientiâ imbutos esse oportuit, quæ humanas operationes secundùm divina præcepta, Sacrorúmque Canonum ac Legum decreta, & purioris Ethices regulas dirigit. Talis verò scientia est *Theologia Moralis*, quæ versatur potissimùm in salutis humanæ negotio, & ad mores instruendos, Casúsque Conscientiæ explicandos maximè conducit. Huic igitur disciplinæ Benedictinos jam inde ab antiquissimis temporibus sedulam navâsse operam credere pronum est. Licèt enim inter alta claustrorum silentia, inter prolixas nocturnæ quietis vigilias, inter dulces lacrymarum imbres, in pulchritudine divinæ contemplationis, elevatis cum corde ad astra manibus deliciari nostris persolenne semper fuerit, ita ut in secretiori ascesi salubriùs eruditi, *propter eminentem scientiam JESU CHRISTI*, *omnia* cum Apostolo, *arbitrarentur ut stercora*; huic tamen Theologiæ, seu primario Stratûs religiosi proposito, non ita continuò incubuere affixi, quin subindè alienæ etiam saluti procurandæ intenti, *Angelorum more*, uti superiùs diximus, *descenderent per compassionem ad proximum*. Illustre omnino hujus rei specimen edidit *S. P. BENEDICTUS*, quando montis Casini, viciníque agri incolas communi errore vagos in regiam viam revocavit, prædicatione suâ ut vero Deo cervices submitterent, persuasit, rudes, ignaros, nobiles & ignobiles instruxit, saluti suæ ut consulerent, à vitiis recederent & ad Deum tenderent, admonuit, suæque orationis suadâ stimulos admovit, calcaria subdidit.

Derogare igitur aliquid videremur honori & cultui, quem Sanctissimo Patriarchæ nostro debemus, ninisi primo eum *Theologorum Moralium* S. BENEDICTUS Theologorum Moralium antesignanus. choro adscriberemus; idque exemplo *Trithemii*, qui dum seriem Scriptorum Ecclesiasticorum Ordinis nostri digessit, S. *Benedictum* velut *summum Theologum*, ac principem & institutorem Monachorum, *divinâ sapientiâ præditum*, supremo loco reposuit; quem profectò facilè eidem concedent, qui de re magis ipsâ disipiciunt, quàm de voce litigant. Cùm enim *Cassiodorus, Dionysius Romanus, Equitius*, & alii quos, ætas illa ab eruditione celebrabat, ad subsellia *S. Benedicti* sese dimiserint, & capto discipulorum loco ipsum habuerint pro Magistro, ad discendum prompti, in proclivi est credere, sapientiâ & doctrinâ ab ipso fuisse superatos, uti appositè observat *Jepesius* *. *Non enim est discipulus supra Magistrum.* Qua de causa D. Gregorius *verbo doctrinæ non mediocriter eum fulsisse* dixit. Non equidem multa *Benedictus* lucubravit volumina; sed lineam duxit, è quâ Apellem cognoscas, *Regulam* nempe *sermone luculentam*, quæ tot moralis doctrinæ documenta complectitur, ut, ni livor linguam strinxerit, fatendum sit, plus in hoc libello esse quod veram Theologiam, morúmque disciplinam spiret, quàm in mille veterum Philosophorum, aut sequiorum Scholasticorum voluminibus vepreta nobis, tribulósque & spinas exhibentibus. Felix igitur penna, quæ unâ hac lineâ integram virtutum syllogen velut in nuce iliadem complexa est, atque regiam ad superos viam tot millibus mortalium fideli ductu commonstravit subdens: *Facientibus hæc, regna patebunt æterna* **. Hinc appositè Poëta:

Quæ dedit ad superos multis tentare volatum,
Pneumate divino penna referta fuit.

Alter in Ordine nostro Moralis Gregorius Magnus. Theologiæ cultor eminet Doctor ille sanctissimus GREGORIUS MAGNUS, *qui*, teste Sarisberiensi ***, *melleo prædicationis imbre totam rigavit & inebriavit Ecclesiam, & Mathesin ab aulâ recedere jussit.* Is inquam zelo succensus Apostolico tollendis inutili-

* Jepes Chron. gen. O. S. B. Tom. I. p. 45. Egger. in Idea lib. 3. pag. 51.
** Cap. ultimo Reg. S. Bened.
*** Libr. II. cap. 6. pag. 128.

utilibus & noxiis Philosophorum gentilium libris, quibus à verâ pietate levia seducuntur ingenia, curam omnem & operam impendit, iisque sublatis meliora & pietatem Christianam magis decentia Ethices præcepta surrogavit. Hinc puriorem doctrinam aggressus celebratissimos illos *Moralium libros* conscripsit, qui cùm ab auctore profecti essent, cujus summa erat authoritas, & tum pietatis, cùm eruditionis opinio maxima, maturè summam sibi famam fidémque conciliârunt, plurimíque habiti sunt. His verò fontibus usa est à seculo VII. Ecclesia, ut moralis doctrinæ præcepta disceret & doceret. Nec dubium est, quin Monachi illius ævi Christianæ disciplinæ amantissimi, iisdem sanctioribus præceptis animos strenuè excoluerint. Quo denique factum, ut monasteria essent veluti totidem Seminaria, è quibus desumerentur salutaris doctrinæ Magistri, verbíque Divini præcones, Confessarii, & Sacramentorum administri, *qui*, ut Browerus ait, *non populis duntaxat, & urbibus, sed Principibus etiam ac terrarum Dominis benè beatéque vivendi leges & præcepta propinabant.* Vix autem hanc sibi provinciam vindicaverant nostri, quùm monastici nominis hostes, qui nullo nnquam ævo defuerunt, ipsos ab eâ deturbare & arcere moliti sunt, quos verò *Bonifacius IV.* P. M. congregatâ Romæ Synodo an. DCX. graviter coërcuit, ita decernens *: „ Sunt nonnulli

Decretum Bonifacii IV. contra veteres Monachomastiges.

stulti dogmatis, magis zelo amaritudinis, quàm dilectionis studio inflammati, asserentes Monachos, quia mundo mortui sunt, & Deo vivunt, sacerdotali officio indignos, neque pœnitentiam, aut Christianitatem seu absolutionem largiri posse, per sacerdotalis officii injunctam gratiam. Sed omninò falluntur: Nam si ex hac causâ *veteres æmuli* vera prædicarent, Apostolicæ Sedis compar Beatissimus *Gregorius* monachico cultu pollens, ad summum apicem nullatenus conscenderet, cui ligandi solvendíque potestas concessa est. *Augustinus* quoque ejusdem sanctissimi Gregorii discipulus, Anglorum prædicator egregius, & Pannoniensis *Martinus*, aliique quamplurimi sanctissimi Viri, pretioso Monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo pontificali subarrharentur. Neque enim BENEDICTUS monachorum præceptor hujus rei fuit aliquo modo interdictor, sed eos secularium negotiorum dixit expertes esse debere; quod quidem Apostolicis documentis & SS. Patrum institutis, non solùm Monachis, sed etiam Canonicis summoperè imperatur: utrisque enim perspicacibus SS. Patrum exemplis, ut mundo mortui sint, præcipitur. „

Monachi sacra ritè administrant.

„ Credimus igitur à Sacerdotibus Monachis ligandi solvendíque officium dignè administrari, si tamen dignè contigerit ad hoc ministerium sublimari. Quod evidenter affirmat, quisquis statum Monachorum & habitum consíderat. *Angelus* enim græcè, latinè *Nuncius* dicitur. Sacerdotes igitur Monachi & Canonici, qui Dei præcepta annunciant, *Angeli* vocantur; sed unusquisque angelicus ordo, quanto viciniùs Deum contemplatur, tanto sublimiùs dignitate firmatur. Nunquid non ut Cherubim monachi sex alis velantur? duæ in capitio, quo caput tegitur, veris demonstrantur assertionibus; illud verò quòd in brachiis extenditur, alas duas esse dicimus; & illud quo corpus conditur, alas duas. Sic sex alarum numerus certissimè conficitur. „

Contra dicentes privantur officio Sacerd.

„ Decertantes igitur contra Monachos in hac re, sacerdotali officio carere præcipimus, ut ab hujusmodi nefandis ausibus in posterum reprimantur, quia quanto quisque excelsior, tanto potentior. „

Ritus consecrandi Monachos.

„ Ex Decreto Gregorii Papæ, Episcopus debet missam celebrare in ordinatione Presbyteri, & Abbas in consecratione Monachi, & quatuor Evangelia super caput ejus dicere, ut sicut per quatuor Evangelia docetur, ita per quatuor orationes consecretur, & ita usque in diem tertium, velatum habeat caput, cum summo silentio, & debitâ Deo reverentiâ, figuram gerens Dominicæ passionis. Die tertio tollat Abbas capitium de capite ejus, ut depositâ tristitiâ veteris peccati, revelatâ facie gloriam Domini speculetur. „

Monachus plus valet quàm presbyter secularis.

„ Secundò ergo baptizatus est, & emendatus ab omnibus peccatis. Unde oportet eum majorem habere sollicitudinem, & pro peccatis hominum orare, & plus valere peccata eorum solvere, quàm presbyteri seculares; quia hi secundùm regulam „Apo-

* Vid. Rom. Hay in Auleis pag. 562. Mabillon. Præf. in Sec. I. Bened. n. XCIV.

„ Apostolorum vivunt, & eorum sequentes vestigia, communem vitam ducunt. „

„ Ideo nobis videtur, his, qui sua pro Deo relinquunt, & à passione ejus & morte sumunt exordia mutatæ conversationis, digniùs licere baptizare, communionem dare, pœnitentiam imponere, peccata solvere. Tribus diebus sunt in silentio juxta Apostolos, qui ob metum Judæorum in conclavi residebant, usque dum die tertiâ Dominus resurgens diceret illis: *Pax vobis.* Sic Abbas pacem det Monacho, & capitium de capite ejus auferat.... Censemus ergo eos prædicare, baptizare, communicare, pœnitentes solvere, juxta constituta trecentorum decem & octo Patrum in Concilio Nicæno... „ Hæc *Bonifacius* albo sanè notanda lapillo.

Monachorum æmuli reprimuntur.

Cùm verò hæc contra Monachos æmulatio aliquot post secula recrudesceret, *B. Petrus Damiani* Cardinalis & Episcopus Ostiensis Apologeticum Monachorum contra Canonicos scripsit, hos ita affatus *: *Multum, Fratres charissimi! si digni estis audire, miramur, quomodo & ob quam causam conamini nos à consortio, & unitate universalis Ecclesiæ separare, cùm constet à Monachis, non à Canonicis universalem Ecclesiam fundatam, gubernatam, & à diverso errore cribratam.* Tùm verò Synodus Nemausensis anno 1096. *Urbano II.* præside Monachorum æmulos severis iterùm verbis; editóque gemino Canone fortiter repressit: *Censemus*, dicebant Patres, *eos, qui Apostolorum curam tenent, prædicare, baptizare, communionem dare, suscipere pœnitentes, peccata solvere &c.* ** Huc etiam pertinet Decretum *Eugenii* Papæ I. quod in Concilio Romano Ludovici Augusti anno XIII. sancivit, de Abbatibus canone XXVII. ita statuens: *Sacerdotalem quoque honorem sint adepti, ut peccantium sibi subjectorum valeant omnimodis refrenare & amputare commissa.* Sed magis ad propositum facit, quod probati referunt Historici, *Monachos nimirùm in Anglia in locum Canonicorum & Curatorum incontinentium, in Cathedrales & Parochiales Ecclesias authoritate* Joannis XIII. *Pont. Max.* & Edgari *Regis passim fuisse introductos.* Nec hoc mirum cuiquam videri debet, cùm Monachi quàm plurimi non ad Episcopale tantùm munus, sed ad Pontificiam quoque Dignitatem magno numero assumpti ***, successores illius facti fuerint, cui Christus aliquando dixit: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Unde etiam jam Æræ Christianæ seculo *octavo*, Ordinis *tertio*, potentissimi Magnates, Principes, Reges, ac Imperatores Monachos delegerunt, apud quos de suis peccatis confessi, ea, salutari acceptâ pœnitentiâ, ritè expiarent ****.

Regum & Principum Confessarii.

Sic *S. Ansbertus* Fontanellensis Abbas ac postea Rothomagensis Episcopus Regi *Theoderico* à consiliis & confessionibus erat. *Carolus* cognomento *Martellus*, MARTINUM Corbeiæ veteris Monachum, vitæque continentissimæ Virum, apprimè eruditum in summa habuit veneratione, eidem peccata sua confiteri solitus. *Carolo* autem *Magno* à confessionibus erat sacris *Waldo*, Abbas Divitis Augiæ. *Waldericus* Ludovici Pii Confessarius, ab eo primus Abbas Murhartensis constitutus fuit. *Rudolpho* Fuldensi Monacho ætatis suæ longè doctissimo Theologo, *Ludovicus* Germaniæ Rex conscientiæ suæ latebras aperire solitus erat. *Donatus* Scottus Fesulanæ Ecclesiæ Episcopus, *Ludovico* & *Lothario* Imperatoribus à Confessionibus fuisse perhibetur in Tomo III. Italiæ sacræ. *Humbertus* seu *Bertus*, Offæ Regis Merciorum Capellanus, *conscius* ejusdem *Secretorum & Confessor* appellatur apud Spelmannum in Conciliorum Angliæ Tomo primo. *Dunstanus* Regii palatii Capellanus *Turketulo* Cancellario *à secretis familiarissimus & Confessionum suarum communicator confidentissimus* dicitur apud Ingulfum. Sic etiam *Theodericus* Abbas cœnobii sancti Petri apud Carnutas Confessor *Richardi* Normannorum Ducis; *Avicius*, Prior monasterii Eoveshami, Confessor Comitis *Leofrici*, uti & *Lanfrancus* Comitis *Waldeni*, apud eundem Ingulfum appellantur. *Bertinus* Sithivensis Abbas *Walberto* Comiti *Pater Confessionum* fuisse dicitur. *Adelhaidis* Imperatrix Ottonis M. conjux apud B. *Sanderadum*, Abbatem Gladlacensem, & Weissenburgensem animi noxas expiabat. *Mathildis*, celeberrimæ illius Heroinæ, ac Comitissæ conscientiam *Anselmus Lucensis*,

Vir

* Petrus Damiani Tom. III. opusc. 28.
** Vid. S. Thomas 2. 2. Q. 187. art. 4. ad X.
*** Gregorii XV. Constitutio *Salvatoris nostri...*
**** *Vid. Mabillon. Præf. I. ad Sec. III. Bened. n.* 86.

Vir sanctissimus moderabatur. *Margaritæ*, sanctissimæ Scotorum Reginæ, confessiones *Theodericus* Monachus Dunelmensis excipiebat, quem ipsa ob singulares ejus virtutes ac doctrinam præ cœteris magni faciebat. *Frideboldus* Abbas ad SS. Udalricum & Afram Augustæ Vindelicorum, Vir inprimis religiosus, & præclarè doctus *S. Henrico* Imperatori à confessionibus fuerat, quem ille tanto amore pariter & honore prosequebatur, ut quotiescunque curiam Imp. adiret, ei cum primatibus assurgeret, & nunquam priùs ipsi daret licentiam abeundi, quàm aliquod clenodium acciperet à Rege. *Conradus I.* ejusdem monasterii Abbas doctrina & prudentia singulari conspicuus *Ludovici Bavari* Imperatoris confessiones excipere solitus erat; cujus etiam omnes liberos de fonte levavit baptismatis. *Maximilianus I.* Joanni ejus nominis primo, Abbati Cremifanensi ob insignem doctrinam & vitæ integritatem intimos animi recessus aperire non dubitavit, & sacræ confessionis administrum, cujus in sinum arcana conscientiæ deponeret, elegit. *Antonius* aliàs *Arlaudus de Vienna* ex Monacho & Abbate Firmitatis Cabillonensis Episcopus, cùm aliquamdiu *Catharinæ Medicææ*, Galliarum Reginæ à confessionibus piacularibus extitisset, ab eo munere absolvi petiit, & non nisi post enixissimas preces obtinuit. *Henricus II.* & *Franciscus II.* Galliarum Reges apud *Crispinum de Brichanteau*, Monachum San-Dionysianum, postea Sylvanectensem Episcopum conscientiæ maculas pœnitentiæ Sacramento eluerunt. *Petrus Aimericus de Campo*, Valentiæ in Hispania natus, sacræ Theologiæ Doctor, ex Familia Patrum Prædicatorum Audomarensi, deinde Benedictinæ religionis alumnus, cùm esset verbi divini præco facundissimus, & *Alexandro Farnesio*, Duci Parmensi, ac Provinciarum Belgicarum Gubernatori, à sacris confessionibus, ejusdem operâ factus est Abbas S. Andreæ Brugensis. *Hieronymi Ruscelli* è Congregatione Casinensi eximia virtus & doctrina Clementi VIII. ita probata fuit, ut eum in conscientiæ arbitrum expetierit; quem tamen honoris gradum vir modestissimus deprecatus est.

Eorum Rigor. Quàm verò hi animarum rectores, atque conscientiæ arbitri ad peccata summorum etiam Principum, minimè conniverint, nullis blanditiis ac poppysmis demulserint, nec in eodem usque luto hærere permiserint, juvat gemino eóque illustri exemplo declarare. Primum est, quod refert *Osbertus* * in vita *S. Dunstani* nostri, Archiepiscopi Cantuariensis. cujus specimen edidit Dunstanus.

"Hostis malignus accendit animum " *Edgari* Christianissimi Regis in amo" rem Deo devotæ virginis, ut quem " à tramite justitiæ Dunstanum deji" cere non potuisset, eum, quem præ" cipuè Dunstanus diligebat, & super " quem totius religionis vigor incum" bebat, dejicere tentaret. Perpe" trato itaque in virginem velatam " peccato, atque ad publicam populi " audientiam perlato, Dunstanus tam " pro culpa quàm pro infamia Regis, " gravissimo dolore affectus, mox il" lum veluti alterum David cum Bet" sabee dormientem, alter ille, sed " longè severior Nathan, intrepidus " adiit, furibundus ad eum introiit. " Assurgens autem Rex venienti ob" viam Pontifici extendit manum, ut " eum ad regium deduceret thronum, " qui renuens manum dare, oculos " cum quadam animi indignatione in " illum torsit, & ait: *Tu Pontificis " manum audes contingere, qui vir" ginem Deitatis munere arratam non " timuisti præripere? Sponsam Condi" toris tui adalterâsti, & amicum spon" si aliquo tuo obsequio existimas posse " placari? Nolo amicus esse, cui Chri" stus fuerit inimicus.*"

" Territus ergò verborum tonitruo " Rex objurgantis se pedibus Pontifi" cis prosternitur, extemplo scelus fle" biliter fatetur, veniam humiliter " precatur. quod ut vidit Pontifex, ex" pavit, persusúmque Regem lacry" mis, lacrymis & ipse madens, tellure " levavit. Deinde cùm magnitudinem " peccati per amplificationem expo" suisset, & paratum illum ad omnem " satisfactionem reddidisset, septenem " ei pœnitentiam indixit, ut in toto " hoc spatio coronam regni non gesta" ret, jejunium in hebdomada bidua" le transigeret, avitos pauperibus " thesauros largè dispergeret. Super " hæc sacrandis Deo virginibus mona" sterium aliquod fundaret, quatinus " qui unam per peccatum Deo virgi" nem abstulisset, plures ei per plura " seculi

* *Mabill. Sæc. Ben.* V. *pag.* 680.

" seculi volumina aggregaret. Clericos etiam malè actionales de ecclesiis propelleret, monachorum agmina introduceret, justas Deóque acceptas legum ratiunes sanciret, sanctas conscriberet, conscriptas per omnes fines imperii sui populis custodiendas mandaret. Nihil ergò residuum erat, quod minus aut segnius Rex impleret, quàm à rectore vitæ suæ præceptum fuisset. Septimo autem anno, cùm tedeunte quasi Jubilæo termino, pœnitentiæ tempus exactum fuisset, sacer Pontifex, accitis omnibus imperii Anglorum Principibus, Episcopis, Abbatibus, & universis Ecclesiasticæ dignitatis Ordinibus, imposuit Regi coronam coram omni multitudine populi Anglorum, lætantibus cunctis, & ineffabilibus jubilarionis vocibus Deum in Dunstano laudantibus."

Item Romualdus Classensis Abbas. Alterum piæ severitatis exemplum præbuit S. *Romualdus* Classensis Abbas. OTTO III. Imperator Crescentium Senatorem Romanũ contra promissam sub jurejurando securitatem interfici curaverat. Quod perjurium cùm S. Romualdo confessus fuisset, severam jussus est agere pœnitentiam. Igitur jubente * sancto Confessario " nudis pedibus de Romana urbe egrediens, sic usque in Garganum montem ad sancti Michaelis perrexit ecclesiam. Per totam etiam Quadragesimam in Classensi monasterio beati Apollinaris, paucis sibi adhærentibus mansit. Ubi jejunio & psalmodiæ, prout valebat, intentus, cilicio ad carnem indutus, aurata desuper purpura tegebatur. Lecto insuper fulgentibus paliis stratu, ipse in storea de papyris confecta delicati corporis membra terebat. Promisit denique beato Romualdo, quod Impetium relinquens, monachicum susciperet habitum: & cui innumeri mortales erant obnoxii, jam ipse paupetculo fratri cœpit esse subjectus."

Quid verò hîc magis admirer, an Apostolicam *Romualdi* libertatem, vel *Ottonis* submissionem, anceps hæreo. *Hincque documentum datur*, inquit NATALIS ALEXANDER **, *Magnatum Confessariis, non esse cum iis minori severitate agendum, quàm cum cæteris*: siquidem apud Deum, cujus vices agunt in tribunali pœnitentiæ, non est personarum acceptio: & eadem est, imò sæpè major in Magnatibus, quàm in plebeis peccati gravitas, quia scandalum majus: idem Deus, qui offenditur, eadem Dei justitia, cui fieri satis necesse est. Documentum etiam datur Principibus, quò intelligant, se à Christi sacerdotibus, apud quos peccata deponunt, secundùm Dei, Ecclesiæque leges debere judicari, & pro gravissimis peccatis gravissimos austerioris pœnitentiæ labores subire.

Utriusq; agendi ratio probata Francolino. *Justa fuit*, inquit FRANCOLINUS ***, *ea pœnitentia, quam* EDGARO *Angliæ Regi* S. Dunstanus *inflixit, eáque, quam* S. Romualdus *imposuit*. Sed id factum fuit à sanctissimis illis viris, non ex lege communi, sed Deo interiùs impellente, ut in Ecclesia, sicut reliquarum virtutum exempla, ita extaret aliquod pœnitentiæ rigidioris exemplum: cùm cœteroquì humano judicio culpandus non videretur Otho Imperator, ejúsque exercitûs Dux, dum Crescentium teceptum quidem in fidem, sed iniquissimum tyrannum, & nova semper contra S. Sedem molitu-rum, ipso impellente, qui factum probare posse videbatur, neci dederunt. Ita laudatus ille Theologus, qui anno 1704. Romæ edidit *Clericum Romanum* contra nimium rigorem munitum duplici libro. Quod verò dicat, Othonem *humano judicio culpandum non videri*, Guidoni de Grandis, Theologo Camaldulensi, ejúsque sacræ Facultatis Professori doctissimo non probatur; unde Dissertatione II. Camaldulensi cap. 2. n. 9. p. 25. exclamat: *In hæc quippe devenimus probrosa secula, quibus & magna scelera* (adulterium, homicidium & perjurium) *suos inveniunt Patronos. Sicque*, si Superis placet, *tolluntur peccata mundi*; *nec bonus reputatur Theologus*, *qui hac vertigine non laborat*.

Allorũ in pœnitentes benignitas. Ut ne verò solam in Confessariis severitatem atque rigorem boni consulete videamur, exempla, in quibus insignis erga pœnitentes benignitas ac mansuetudo elucescat, in medium afferamus. S. Vulstanus. S. *Vulstanus* ex monacho cathedralis monasterii Wigorniensis ejusdem Ecclesiæ Episcopus mira in confessionibus excipiendis erat lenitate. „ Homines, inquit author vitæ, ad „ confessionem peccatorum venientes „ jocundè suscipiebat, benignè refo„ vebat, confitentes gratissima huma„nitate

* in vit. apud Mabill. in Act. SS. O. S. B.
** Hist. Eccl. Sec. IX. & X. c. IX. Art. VII.
*** Disput. IX. n. 53. p. 221. editionis Monacensis an. 1707.

„ nitate audiens, non arroganti gestu „ fastidiens; lacrymabiliter coode„ scendens illorum delictis, noo resi„ liens sicut inauditis. quae res effece„ rat, ut ex tota venientes Anglia, ea „ quae nulli alii crederent, illi confi„ teri non erubescerent. Non pude„ bat ergò illi duntaxat dicere, quod „ pigebat fecisse. Ipse quoque parem „ in confitentes refundebat gratiam, „ sedulò, ne desperarent, admonendo, „ qualiter peccata caverent, qualiter „ comissa diluerent, instruendo. Nec „ illud minori, nescio an majori prae„ dicatione dignius, quòd eos semper „ familiariores in posterum haberet, „ quorum peccata & poenitentias „ nôsset. „

S. Odilo, *S. Odilo* * Abbas Cluniacensis, in promulgandis porrò judiciis ac modis poenitentiae praefigendis, tam pius erat, & tantâ moerentibus humanitate compatiens, ut nequaquam districtum patris imperium, sed maternum potiùs exhiberet affectum. Unde se reprehendentibus hujusmodi verbis solebat eleganter alludere: *Etiamsi damnandus sim*, inquit, *malo tamen de misericordia, quàm ex duritia vel crudelitate damnari.*

S. Ignatius Loyola Joanne Clanone confessario usus. *S. Ignatius Loyola*, inclytae Societatis Jesu Fundator, cùm à vulnere, quod in propugnatione Pampelonensi acceperat, utcunque convaluisset, Montem Sertatum, Instituti Benedictini Asceterium totâ Hispaniâ celeberrimum, adiit. *Ibi*, inquit Petrus Ribadeneira **, *Joanni Canoni, optimo confessario, totius vitae suae crimina per triduum ex scripto confessus est*. Fuerat is Mirapicensis olim Ecclesiae Vicarius, qui veneraturus Deiparam, cùm se aliquando illuc contulisset, religiosis captus monachorum exemplis, & innocentia, valedixerat seculo; abdicatâque à se officii dignitate, & facultatibus, monasticam vitam professus fuerat anno aetatis trigesimo altero: inde ad octavum & octogesimum, eodem quo primùm ardore, in eo Ordine duravit. Valens, aut aegrotus, juvenis aut senex decrepitos carnes attigit nunquam, & ex diurno quoque dimenso, partem in pauperes tertiam divisit. Vestitus illi vilissimus, ptomissum ad genua sub veste cilicium, noctes, demptis paucis ad quietem horis, precando pervigiles, partim cum coeteris in choro, partim in cellulae secreto transegit. Morbis diurnis, & gravibus viri patientiam excoxit Deus, annis praesertim decrepitis, qui vel uni pro gravi morbo sunt: in iis dolores aequissimo semper animo excepit, semper Dei laude & gratiis rependit. Demissione verò sui & obedientia tam sublimi fuit, tótque aliis eminens dotibus, ut ad instaurandam Ordinis disciplinam multis per Hispaniam & Lusitaniam domibus exemplar auctórque fuerit. *Prosperè itaque*, inquiunt Hagiographi Bollandiani ***, *ac feliciter, ita rem moderante divina providentia, accidit, ut S.* IGNATIUS *in hujusmodi conscientiae suae arbitrum inciderit*; cujus praestantissimi coenobitae laudes recensuisse paucis, haud nos poenitet, non inmemores utique, quàm praeclarè is tunc de sancto Patre nostro meritus fuerit, *primus*, ut cum Quartemontio loquamur, *in cujus veluti patris ac magistri sinum consilia sua, intimásque animi cogitationes effunderet.*

Monachi in curae animarū partem assumti. Cùm igitur Ecclesiae Praesules viderent, Sacramentum Poenitentiae à Monachis Benedictinis praeclare administrari, sapientet se facturos crediderunt, si eos in partem curae animarum assumerent. Cujus rei cùm multa suppetant exempla, ex iis pauca in medium afferre liceat. In Gallia Leidradus **** Lugdunensis Archiepiscopus *S. Benedictum* Lirinensis Insulae Abbatem ampla instruxit jurisdictione totam dioecesin visitandi loco Archiepiscopi, tum ob conservandum penitus illibatam fidei orthodoxae candorem, tum etiam ad impediendum, ne perversorum errorum dogmata illuc aliquando intruderentur. Nec primus Abbatum fuit S. Benedictus, cui hoc fungi munere licuit. Ut enim *Leidradus*, mox laudatus Archipraesul in Epistola ***** ad Carolum Magnū testatur, Abbates Monasterii *Insulae Barbarae* ad Ararim fluvium Vicarii Generales fuerunt Lugdunensium Archipraesulum, & Sede Vacante illius Rectores. *Monasterium Regale Insulae Barbarae*, inquit, *ita instauravi, ut tecta de novo fuerint, & aliqua de maceriis à fundamentis erecta; ubi nunc Monachi secundùm regularem disciplinam numero nonaginta habitare videntur. Cui etiam Abbati tradidimus potestatem ligandi &*

Benedictus Lirinensis. Abbates Insulae Barbarae.

 sol-

* S. Petrus. Dam. in vit.
** in vita S. Ignatii de Loyola.
*** Comment. praev. ad vit. S. Ignatii §. IV. n. 34. & 35. Julii Tomo VII. p. 415.
**** Mabill. Tract. de Stud. Mon. pag. 13.
***** extat Tomo XIV. Bibl. PP. edit. Lugdun.

salvendi, uti habuerunt prædecessores sui, scilicet Ambrosius, Maximinus, Licinius, clarissimi viri, qui ipsum locum rexerunt: quas Eucherius, Lupus, atque Genesius, cæterique Episcopi Lugdunenses, ubi ipsi deerant, aut non poterant adesse, mittebant cognituras, utrùm Catholica Fides rectè crederetur, ne fraus hæretica pullularet. Quibus illis in tantum erat commissa cura, ut si Ecclesia Lugdunensis viduaretur proprio Patrono, ipsi in cunctis adessent Rectores & Conservatores, quousque Ecclesia à Domino dignissima illustraretur pastore. Nos similiter posteris illarum hanc potestatem tradimus. Ex antiquis Abbatiæ Lobiensis * monumentis discimus, Lobienses Abbates Leodientium Episcoporum Vicarios Generales fuisse, & Lobiensem Ecclesiam inter cœteras totius amplissimi Episcopatûs Ecclesias, post Matricem primæ Sedis Ecclesiam primatum habuisse. *Keraldus* monachus Sangallensis sub annum 973. Constantiensis Episcopi in illis partibus Vicarius ac plebis Rector erat. *Petrum* Abbatem vulgò Cellensem nuncupatum, tametsi id temporis in Archicœnobio S. Remigii Abbatem, tanti faciebat Henricus à Campania Remensis, & anteà Senonensis Archiepiscopus, ut cum Alexandrum Papam III. honoris causa anno millesimo centesimo sexagesimo quarto comitaretur, pastoralis sui officii vices per totum Remensem Archiepiscopatum commiserit, ut patet ex lib. VI. epist. IX. Hoc etiam perspicuum fit ex epistola VIII. Libri I. quâ Petrus Abbas Regem Sueciæ, Duces quoque ac Principes precatur, ut se habeant excusatum, quòd *Fulconem* Episcopum, monachum quondam suum, ac in disciplina monastica ab ipso enutritum apud se justo forsan diutiùs retinuerit; id enim per eam duntaxat causam esse factum, quòd Domino Archiepiscopo Romam iter faciente, ejus operâ ipse *Petrus* Vicarius Generalis constitutus opus habuerit. Cùm enim in Dedicatione ecclesiarum, vel in ordinatione Clericorum, aut in Confirmatione Christianorum, Abbatis non assurgat dignitas, per Fulconem Episcopum, quod per se non potuerit, implere curaverit. Quibus peractis *Fulco* ad suum in Suecia Episcopatum reversus est. *Guillelmus de Ulma* Abbas Casæ Dei in Arvernia, cùm nondum esset in Abbatiali constitutus dignitate, legitur ** Licentiatus in Decretis, & Vicarius Generalis in Spiritualibus & Temporalibus R. in Christo Patris & D. Claromontensis Episcopi in remotis agentis anno millesimo trecentesimo quadragesimo nono. In Episcopatu Florensi Vicarii Generales erant *Guillelmus* Abbas monasterii de Mauricio, *Maurus* anno 1361. & *Bertrandus* de Monte Claro, Prior Villæ Dei 1371. *Antonius Teralias* Abbas Athanacensis fuit Vicarius Generalis Archiepiscopi Lugdunensis anno 1445. *Baldericus* in Chronico Cameracensi de Ansberto Hadulfi Episcopi successore hæc in literas retulit: *Sequitur Ansbertus, vir videlicet liberalibus disciplinis eruditus, qui tunc Atrebatensis monasterii æquè monachus atque Cameracensis Ecclesiæ Archidiaconus, postmodùm verò prarebus sancti Vedasti, quas in pago Baduensi pravidebat, Imperatori notus culmen episcopalis cathedræ adeptus est.* Idem verò olim *Archidiaconi* officium erat, quod hodie *Archi-Presbyteri*, *Officialis*, aut *Vicarii Generalis* est. *Ussuardus* Abbas, cui Lupi Ferrariensis epistola 80. inscripta est, idem etiam Archidiaconus erat. Singularis fuit hac de re *Willeberti* Catalaunensis Episcopi ad *Hincmarum* Remensem epistola, quem interrogat, an ex *monacho, necessitate cogente, Archidiaconum constituere possit*? Eandem ferè quæstionem, seu potiùs murmur, non ita multis ante annis moverunt viri quidam Ordinis Ecclesiastici in Archidiœcesi Moguntinâ. Cùm enim Eminentissimus Archipræsul & Elector Franciscus Lotharius *Godefridum Besselium* (postea Reverendissimum Abbatem Gotwicensem) Officialem constituisset, indignè quidam tulerunt, quòd ad id muneris monachus evectus fuisset. Ex quibus cùm Eminentiss. Princeps sciscitaretur, quis *S. Bonifacius*, quis *Rabanus*, ante Archiepiscopatum fuissent? non potuerunt non respondere, monachos fuisse Benedictinos. Tum ille: *Si potuit monachus fieri Archiepiscopus, quantò magis Officialis.* Quô dictô æmuli in ruborem dati conticuerunt... Celsissimis Principibus & Reverendissimis Episcopis Monasteriensibus & Paderbornensibus, Christophoro Bernardo, Ferdinando, Hermanno Wernero a Consiliis Ecclesiasticis & in Spiritualibus Vicarius Generalis

Lobienses Abbates Leodientium Vicarii Generales Leod. Episc.

Alii aliorum Episcoporum Suffraganei.

Archidiaconi & Officiales.

Godefridus Abbas Gottwic.

* extant Tomo VI. Spicilegii.
** vid. de his Vicariis General. Gall. Christ. Dionysii Sammarth.
*** Mabill. Præfat. in Sec. V. Ord. S. B. §. VI. n. 130.

Laurentius à Dript. lis fuit *Laurentius à Dript* Monachus Gladbacensis, antehac Ss. Theologiæ Lector, doctrinæ moralis & SS. Canonum peritissimus, ùt ejus libri typis vulgati luculentum ferunt testimonium. Sic etiam *Adamus Adami* Brauweilerensis Professus à *Maximiliano Henrico* Coloniensium Archiepiscopo Vicarius in Pontificalibus per Diœcesin Hildesiensem constitutus est, totiúsque Episcopatûs satis ampli cura, eidem ob eminentem doctrinam est demandata. Taceo alios propè innumeros, ne prolixior fiam.

Adamus Adami.

Theologiæ moralis necessitas ex obligatione comparendi in Synodis.

Eo etiam ex capite *Theologia Moralis* Abbatibus præsertim erat necessaria, quòd non solùm conscientias dirigere, mores lævigare, disciplinam doctrinâ excolere, sed & sæpenumerò Conciliis & Synodis interesse, mentem suam explicare, ínque illis subinde Episcoporum vices fungi juberentur. Sic in septima synodo generali, quæ Constantinopoli sub *Agathone* Papa, & *Constantino Prognato* Imperatore A.681. celebrata est, Abbates & Monachi pariter ad suam sententiam ferendam vocati sunt, & in Actione quarta cum Episcopis sua nomina Decretis subscripserunt. Sic tempore *Caroli M.* & *Ludovici Pii* Abbatibus post Episcopos jus suffragii concessum ex ipsis Conciliorum Actis discimus. Sic in Moguntinensi Synodo A. 813. Abbates suas dixère cum aliis sententias. Sic & in Aquisgranensi A. 817. celebrata interfuère *Benedictus* Anianensis, *Arnulfus* Heriensis, *Apollinaris* Casinensis, *Euticius* Balmensis, *Alveus* Andaginensis, *Apollinarius* Flaviniacensis, *Josue* S.Vincentii ad Vulturnum, & alii benè multi Abbates cum suis monachis, *ubi communi consilio, ac pari voluntate*, septuaginta duo capitula, disciplinam & mores concernentia, *à Regularibus inviolabiliter conservari decreverunt.* Inde verò obinuit consuetudo, ut & Abbates cùm inaugurantur, sese jurejurando obstringant ad comparendum in Conciliis, ubi à Pontifice advocantur. Sic *Roberto de Monte* Abbati doctissimo *Alexander III*, qui Ecclesiæ præfuit ab anno 1159, speciali mandato injunxit, ut Synodo Turonensi adesset. Prætereo alia ejusmodi exempla. Istam autem consuetudinem ab antiquis retro temporibus introductam, usúsque confirmatam, & in Conciliis Lateranensibus, Lugdunensibus, Constantiensi, Basileensi, Florentino, aliisque approbatam, novissimè Paulus III. in ipso convocationis ad Concilium Tridentinum diplomate sartam tectámque voluit, dum *omnes ex omnibus locis tam Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates, quàm alios quoscunque, quibus jure aut privilegio in Conciliis generalibus residendi, & sententias dicendi permissa est potestas*, solenni ritu convocavit.

Ad Curam animarum & concionandi officium.

Quid jam dicam, quòd multis ante seculis facultas à Summis Pontificibus & Conciliis facta sit Benedictinis, quò Laicorum confessiones tam in monasteriis, quàm parochiis excipere, curámq; animarum administrare possent; Patet id ex variis diplomatibus, quibus parochiales ecclesiæ, unà cum decimis & proventibus, monasteriis administrandæ subjiciuntur: Hinc & in Concilio Moguntino sub *Rabano* Archiepiscopo jubetur Canone XIV. *Ut qui Monachi Parochialibus Ecclesiis præfecti fuerint, rationem Episcopo reddant, & convocati ad Synodum veniant.* Nec etiam pauci in ipsa Romana Curia *Pœnitentiarii munus* obiverunt. Sic teste Trithemio, *Andreas* ex monacho nostri Ordinis Episcopus Megarensis, & Civitatensis, ac deinde Ajacensis natione Hispanus, Romanæ Curiæ Pœnitentiarius scripsit *de Pœnitentia* librum unum. *De modo & forma confitendi* Tractatum brevem, sed utilem. Ad hæc concionandi munus adeo Monachis non inhibetur, ut potiùs, *ad id ipsum ritè persolvendum reliquis*, teste S.Thomâ *, *magis idonei sint ex exercitio Sanctitatis, quod assumpserunt.* Oportet autem illos, qui alios docere tenentur, esse doctos in Lege divina, continuos in lectione Patrum, Dogmatum, Canonum, ac præsertim in disciplina morum, ut possint sanam aliis instillare doctrinam. Oportet, ut ex eo, quod pro concionibus multo labore & studio congerunt, in seipsos spiritualis profectus redundet: *Ne dum aliis prædicaverint, ipsi reprobi inveniantur*, & dum alienæ saluti prospicere satagunt, suam negligant, aut dum aliis virtutes persuadere gestiunt, cor proprium torpescat aridum, iisque virtutibus vacuum remaneat. Quæ de his fusiùs ac solidiùs rescribit *Mabillonius* in Tractatu de Studiis Monasticis, quilibet legere potest cap. 6. & seq.

Veterum Benedictinorum Libri Morales

Fuit verò nostrorum Theologia Moralis conscientiæ puritas & vitæ innocentia, doctrina Evangelii, Patrum ac Conciliorum dogmata, Libri Morales

* S. Thomas 2. 2. Q. 187. art. 3.

rales Divi Gregorii Papæ, atque Episcoporum decisiones, ex quibus ad dubia, quæ occurrere solebant, resolvenda, affatim luminis hauriebant. Id magis ut elucescat, libet tractationis filum altiùs repetere. Et quidem quæ fuerit ipsius *Gregorii M.* Theologia Moralis, abundè ejus lucubrationes, præsertim *Expositio in Job*, *Liber Pastoralis*, & *Homiliæ in Evangelia*, testantur. Etenim Lib. xix. in cap. xxix. in Job num. xxx. instruit Ecclesiæ rectores, quo nomine Confessarii ut cùm maximè veniunt, quî se in sacro pœnitentiæ tribunali gerere debeant; nempe vigore sint non rigido, nec mansuetudine dissolutâ. *Sunt namque*, inquir ille Doctor, *nonnulli ita districti, ut omnem mansuetudinem benignitatis amittant: & sunt nonnulli ita mansueti, ut perdant districti jura regiminis. Unde cunctis rectoribus utraque summoperè sunt tenenda, ut nec in disciplinæ vigore benignitatem mansuetudinis, nec rursum in mansuetudine districtionem deserant disciplinæ; quatenus nec à compassione pietatis obdurescant, cùm contumaces corrigunt, nec disciplinæ vigorem molliant, cùm infirmorum animos consolantur. Regat ergo vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem, & sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.* Juxtà hanc sapientissimam S. Gregorii M. regulam debent pastores & rectores animarum à rigidiori, sicut & à mollioti motum disciplina ex æquo abhorrere, & in medio consistere, ne ad extrema impingentes auctores sint ruinæ & damnationis multorum. Sunt enim nonnulli, *ut doctissimus Amat de Graveson* * *inquit*, qui in regimine animarum, quod S. Gregorius M. *Artem artium* appellat, se ingeniosos præbent in evellendis spinis pœnitentiæ, in dissipanda lege Christi, in excutiendis conscientiæ scrupulis; solertes in excogitandis lenociniis, & flexibilibus quibusdam regulis, quò peccatores, sarcinâ licèt criminum gravati, commodiorem vitam agere, & in utramvis, ut ajunt, aurem dormire possint; sagaces in præscribendis vivendi formulis, quæ in malis bona, in ambiguis certa, in laboribus otium, in dubiis securitarem, in periculis promittunt tranquillitatem, quin stupenda rerum mutatione efficiunt, ut dulcescat, quod amarum est, blandiatur, quod horrendum est, formosum fiat & suave, quod deforme & fœtidum est. Sunt verò ex adverso alii nonnulli, qui nimiâ morum asperitate peccatores adeò terrent, ut in causâ sint, cur in desperationem suæ salutis adducti prorumpant ad præcipitium, & cum infelice Juda ad funestum laqueum confugiant. Ab utroque itaque extremo saluti animarum perinde noxio ut sibi caveant rectores animarum, *debent* juxtà hanc regulam à S. Gregorio M. prudentissimè statutam, *esse erga peccatores mansueti æquè ac severi*, ut possint infirmos lacte nutrire, ne periclitentur, robustis solidiorem cibum porrigere, ut in virtute adolescant, alios mansuetudine allicere, alios rigidioris disciplinæ virga à vitiis deterrere, sicque omnibus omnia facti omnes peccatores Christo lucrifaciant.

& præsertim Gregorii M. Theologia Moralis.

Notantur Confessarii nimiùm laxi,

& nimium austeri.

Præterea S. Gregorius M. Homilia XXV. in Evangelia docet Pastores, & eos, quibus incumbit cura animarum, quò pactô ligandi atque solvendi potestate uti debeant: *videndum est*, inquit, *quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam; ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cùm interni arbitri sequitur judicis.* Quà alterâ sanctissimi Pontificis regula damnantur latè illi animarum rectores, qui consuetudinariis & inveteratis peccatoribus toties impendunt absolutionis beneficium, quoties ipsi, quasi canes ad vomitum revertentes, peccata sua confitentur, etiamsi nulla in illis veræ pœnitentiæ ac sinceræ conversionis signa appareant.

Absolutio non semper, nec omnibus impendenda.

Tertiò *S. Gregorius M.* Homilia XX. in Evangelia peccatoribus jam ad meliorem frugem conversis modum constantem ac veram pœnitentiam agendi præscribit his verbis: *Aliud namque est pœnitentiæ fructum facere, aliud dignum pœnitentiæ fructum facere. Ut enim secundùm dignos pœnitentiæ fructus loquamur, sciendum est, quia quisquis illicita nulla commisit, huic jure conceditur, ut licitis utatur, sicque pietatis opera faciat, ut tamen si noluerit, ea, quæ mundi sunt, non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod gravius est, in adulterium lapsus est, tantò à se licita debet abscondere, quantò se meminit & illicita perpetrâsse.* Ad hanc S. Gregorii

Modus agendi pœnitentiam à S. Gregorio præscribitur.

* Hist. Eccl. Sec. VI. colloq. V. pag. 142.

gorii moralem doctrinam si peccatorum conversiones, quæ nostris temporibus fiunt, exigantur, quàm paucæ proh dolor! inveniuntur veræ, sinceræ ac diuturnæ. Mitto brevitatis ergo alia quàm plurima utilissima morum præcepta, quæ S. Gregorius passim tradit in suis libris Moralibus, videlicet in libris xxxv. Moralium in Job, in duobus libris in Ezechielem, & in duobus libris in Evangelia, in quibus totus est SS.mus Pontifex, ut Christianos adhortetur ad amorem Dei super omnia, ejúsque mandatorum observantiam, ad dilectionem proximi, ad timorem judiciorum Dei, ad dignam celebrationem Festorum & Sacramentorum susceptionem, ad tolerantiam malorum in adversis, ad omnium vitiorum fugam ac detestationem.

Seculo VII. Theodori Archiep. Pœnitentiale.

Seculo VII. vixit *Theodorus* Cantuariensis Archiepiscopus, qui scripsit insigne *Pœnitentiale*, Opus satis amplum, & omnibus fermè Pœnitentiæ casibus accommodatum, quod cùm Spelmannus * reperisset in codice manuscripto S. Benedicti Cantabrigiæ, nec ei liceret per custodes eum exscribere, notum tamen esse voluit, ut potuit, descriptis scilicet Capitulorum titulis Tomo I. Conciliorum Angliæ. Verùm cùm pro comperto non penitùs habeatur, Theodorum Ordinis Benedictini professionem emisisse, haud plura de ipso dicenda mihi videntur.

S. Ildephonsus excellit morali doctrinâ.

Certius illud atque omnino exploratum, quòd S. *Ildephonsus*, Archiepiscopus Toletanus, à puero in Agaliensi monasterio educatus, sumpto sancti Benedicti Ordine, solemnia vota nuncuparit. Ejus Operum non contemnendam partem, quam eruditi non sine dolore putabant interiisse, è tenebris superiore seculo eruit Cl. Stephanus Baluzius **. Est verò *liber adnotationum de cognitione baptismi*, & alius *de itinere deserti, quod peragitur post baptismum*, sive, ut vocat Julianus Hildephonsi successor in cathedra Toletana, *de progressione spiritualis deserti*. Putavit autem Baluzius, illos placituros hominibus eruditis, imprimis verò magistris Theologiæ, & iis, qui pro suo in Christi gregem affectu suscipere amant curam & sollicitudinem dirigendi conscientias fidelium ejus in viam salutis. Nobis ex libro *de cognitione* baptismi unam tantùm moralis doctrinæ strictúram adduxisse sufficiat. Capite igitur LXXXII. in peragenda pœnitentia non considerandam esse mensuram temporis, sed doloris, & nonnisi in Ecclesia remitti peccata posse, his verbis præclarè docet: „In actione autem pœnitentiæ, „ubi tale commissum est, ut is, qui „commisit, à Christi etiam corpore „separetur, non tam consideranda „est mensura temporis, quàm do„loris. Cor enim contritum & hu„miliatum Deus non spernit. Ve„rùm quia plerumque dolor alterius „cordis occultus est alteri, nec in „aliorum notitia per verba vel quæ„cunque alia signa procedit, cùm sit „coram illo, cui dicitur, *Gemitus* „*meus à te non est absconditus*; rectè „constituuntur ab his, qui præsunt „Ecclesiis, tempora pœnitentiæ, ut „fiat satis Ecclesiæ, in qua remittun„tur ipsa peccata. Extra eam quip„pe non remittuntur. Ipsa enim „propriè Spiritum sanctum pignus „accepit, sine quo non remittuntur „ulla peccata, ita ut quibus dimit„tuntur, vitam consequantur æter„nam.„

Seculo VIII. Beda insignes tradit morales doctrinas.

Seculo VIII. quàm pura & illibata apud nostros fuerit doctrina moralis, ex Venerabilis Bedæ non modò *libro Pœnitentiali*, sed *Epistola* *** etiam *ad Egbertum* Eboracensem in Anglia Archiepiscopum scripta colligi potest, in qua ipsum rogat, „ut populis suffi„cientes Doctores vitæ salutaris ad„hibeat, & hoc eos inter alia disce„re faciat, quibus operibus maximè „Deo placere, à quibus debeant se „abstinere peccatis, quàm frequenti „diligentia signaculo se Dominicæ „Crucis, suaque omnia munire: „quàm salutare sit omni Christiano„rum generi quotidiana Dominici „Corporis ac Sanguinis perceptio, „juxta quod Ecclesiam Christi per „Italiam, Galliam, Africam ac to„tum Orientem solerter agere nove„rat. Quod videlicet genus religio„nis, inquit, ac devotæ sanctifica„tionis tam longè à cunctis pæne Pro„vinciæ nostræ laicis per incuriam „docentium, quasi peregrinum ab„est, ut hi, qui inter illos religiosio„res videntur, non nisi in Natali Do„mini,

* Acher. Tom. I. Spicil. nov. ed. p. 486. veteris IX. p. 52.
** Mitrell. Tom. VI.
*** Edita fuit Dublini an. 1664. 8. quam recudi fecit Henricus Warthon Londini 1693. 4.

„ mini, & Epiphania, & Pascha sacrosanctis Mysteriis communicare „ præsumant: cùm sint innumeri innocentes, & castissimæ conversationis pueri ac puellæ, juvenes & virgines, senes & anus, qui omni die Dominico, sive etiam in Natalitiis sanctorum Apostolorum & Martyrum, quomodo ipse in sancta Romana Ecclesia fieri vidisti, mysteriis cœlestibus communicare valeant. Ipsi etiam conjugati, si quis sibi mensuram continentiæ ostendat, & virtutem castitatis insinuet, idem & licenter possint, & libenter facere velint. „ Venerabilis itaque Beda *non omnes promiscuè Christianos octavi seculi ad frequentem communionem hortabatur; sciebat enim Sanctum non esse dandum canibus, neque margaritas ante porcos projiciendas, id est, sacram communionem hominibus in peccata mortifera relapsis non esse impertiendam statim, ac è cœno emerserunt, vel sua crimina adhuc fumantia præcipiti confessione, in aurem sacerdotis insusurrârunt; sed duntaxat eos invitabat, *qui erant innocentes*; ait enim: *cùm sint innumeri innocentes & castissimæ conversationis.* An non his verbis sanctissimæ vivendi regulæ præscribuntur, nec minimum extat vestigium harúmce opinionum, quas ad excusandas excusationes in peccatis invenerunt moderni quidam Casuistæ à Sede Apostolicâ non semel proscripti; quorum nomina, nedum libros, utinam orbi Christiano nescire licuisset?

Ejus doctrina de frequenti communione.

Eandem de *frequenti communione* doctrinam in Hispaniis hoc seculo tradiderunt, *Etherius* & *Beatus*, uterque Benedictinus, ille Episcopus, hic Abbas; qui sub octavi seculi finem celebres Fidem Catholicam (ut in Historia Theologiæ Polemicæ audivimus) adversùs *Felicis* & *Elipandi* hæresim strenuè propugnârunt. Eorum verba, Venerabilis Bedæ aliorúmque dogmati consona, quæ regulæ instar Fidelibus esse possint, hæc sunt.* „ Dicunt aliqui: semper communicare debet Christianus, nisi aliquo intercedente peccato, Corpus Domini quotidie accipiendum: Hunc enim panem dari quotidie nobis, jubente Domino, postulamus dicentes: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quod quidem bene dicunt, si hoc cum religione, & devotione, & humilitate suscipiant; nec confidendo de justitiæ præsumptione, superbiendo faciant. Cæterùm si talia fuerint peccata, quæ quasi mortuum ab altari removeant, priùs agenda pœnitentia est, ac sic deinde hoc salutiferum medicamentum suscipiendum: *Qui enim manducaverit indignè, judicium sibi manducat & bibit.* Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore quis accipiat, quô debet agere pœnitentiam. Cœterùm si tanta non sint peccata, ut excommunicandus quisque judicetur, non se debet à cœna Dominici Corporis separare: ne dum fortè diu abstinens prohibetur, à Christi corpore separetur. Ipse enim vivit, qui Corpus Domini semper comederit. Et manifestum est enim, eos vivere, qui corpus Domini nostri Jesu Christi attingunt. Unde timendum est, ne dum satis quisque saparetur à Christi corpore, alienus maneat à salute; ipso Domino dicente: *Nisi comederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Qui enim jam peccare quievit, communicare non desinat. Conjugatis autem abstinendum est à coitu plurimis diebus, atque orationibus vacare, & sic deinde ad Christi corpus accedere. Relegamus Regum librum, & inveniemus, Sacerdotem Abimelech de panibus propositionis noluisse priùs comedere David & pueros ejus, nisi antè interrogaret, utrùm mundi essent pueri à mulieribus, non utique ab alienâ, sed à conjuge? Et nisi eos audisset ab heri & nudius tertius vacâsse ab opere conjugali, nunquam panes, quos priùs negaverat, concessisset. Quantùm inter propositionis panes & corpus Christi; quanta differentia est inter umbram & corpus, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ipsa, quæ exemplari præfigurabantur? Quapropter eligendi sunt aliqui dies, quibus priùs homo continentiùs vivat, per quem ad tantum Sacramentum dignus accedere possit. „ Hæc illi.

quæ etiam à nostris in Hispania traditur.

Quid de conjugatis sentiendum?

Commodùm verò hìc mentio fieri potest libelli illius, quem de *Frequentia Communionis* inscriptum, atque Maxi- miliano

Libellus Benedictinorum

* Gravefon l. c. Sec. VIII. pag. 102.

** Referuntur à Nat. Alex. Hist. Eccl. Sec. VIII. cap. 3. art. 8. pag. 646. col. 1.

de frequentia communionis propugnatur. miliano Austriæ Archiduci, tum forte in aula Regis Catholici degenti, subinde verò Romanorum Imperatori, ejus nominis secundo nuncupato, Benedictini Compostellæ ad S. Martinum in lucem emiserunt. Cùm verò eidem nonnulli contradicerent, *Petrus Vincentius Marzilla* *, in Compostellano Gymnasio Theologiæ Professor, rerúmque ad fidei tutelam attinentium Censor, sodalium suorum doctrinam defendendam suscepit, edito novo scripto *de frequentia*, cum quâ licet & proficuum est secularibus recipere Ss. Eucharistiæ Sacramentum.

Doctrina V. Bedæ de necessitate Confessionis. Quòd verò ad Venerabilem *Bedam*, de cujus eximia morali doctrina circa frequentem communionem paulò antè diximus, nostra revertatur oratio, in causa est *Joannes Dalæus* Calvinianæ Sectæ Minister, qui in libris suis anno 1661. Genevæ editis contra Catholicum dogma de *necessitate Sacramentalis Confessionis*, duo protulit Bedæ testimonia, quibus evincere contendit, sanctum Doctorem docuisse, non omnes Christianos, sed certis tantùm peccatis obnoxios, Confessionis lege teneri. Prius Bedæ testimonium extat in Commentario in Jacobi Epistolam, in hæc Apostoli verba: *Confitemini alterutrum peccata vestra. In hac*, inquit, *sententia illa debet esse discretio, ut quotidiana leviáque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, eorúmque credamus oratione salvari. Porrò gravioris lepræ immunditiam juxtà legem sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium, qualiter & quanto tempore jusserit, purificari curemus.* Alter locus extat libro 5. in Lucam cap. 69. in hæc Domini ad Leprosos verba: *Ite, & ostendite vos sacerdoti. Nullum*, inquit, *Dominus eorum, quibus hæc corporalia beneficia præstitit, invenitur misisse ad sacerdotes, nisi leprosos; quia videlicet sacerdotium Judæorum figura erat Sacerdotii futuri regalis, quod est in Ecclesia, quo consecrantur omnes pertinentes ad Corpus Christi summi & veri Principis Sacerdotum. Et quisquis hæretica pravitate, vel superstitione Gentili, vel Judaica perfidia, vel etiam schismate fraterno, quasi vario colore per Christi gratiam caruerit, necesse est, ad Ecclesiam veniat, colorémque fidei verum, quem acceperit, ostendat. Cætera verò vitia, tanquam valetudines, & quasi membrorum, atque sensûum, per semetipsum interiùs in conscientia, & intellectu Dominus sanat, & corrigit.* Quibus verbis, inquit Dalæus, Beda clarissimè constituit, non alios Fideles sacerdoti necessariò confiteri debere, quàm qui lepræ spiritualis immunditiâ laborant, hoc est (ut ipse in secundo loco interpretatur) vel hæretica pravitate, vel Judaica perfidia, vel superstitione Gentili, vel etiam schismate fraterno; cœtera vitia sacerdotis absolutione non egere, neque adeò vocali apud eum confessione, sed & mutuis coæqualium, id est, fratrum quorumvis precibus expiari; & à Christo interiùs in conscientia, & intellectu sanari & corrigi.

Dalæo respondetur. *Dalæo* loco mei dudum respondit Doctissimus ** *Natalis Alexander*, in primo Venerabilis Bedæ testimonio Confessionem disertè adstrui, & nomine gravioris lepræ, quæ sacerdoti pandenda est, mortalia quælibet peccata intelligi. Gravioris enim lepræ immunditiam opponi quotidianis levibúsque peccatis. At non hæretica tantùm pravitas, Judaica perfidia, Gentilis superstitio, & schisma fraternum quotidianis levibúsque delictis opponuntur, sed gravia quælibet, mortaliáque peccata: Igitur omnia peccata mortalia gravioris lepræ nomine Beda intellexit, quæ sacerdotibus pandenda est. Unde immediatè ante verba in objectione laudata ait: *Si ergo infirmi in peccatis sint, & hæc Presbyteris Ecclesiæ confessi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atq; emendare satagerint, dimittentur eis.* Neque enim sine confessione Sacramentali *mortalia peccata queunt dimitti.*

Godefridus Vindocinensis Guilelmo magistro suo eundem errorem erranti respondet. Locum secundum idem *Alexander Natalis* cum nostro *Goffrido*, Vindocinensi Abbate, sic exponendum ait, ut quatuor illa à Beda commemorata crimina non soli Sacerdoti, sicut in cœteris agitur, sed universæ Ecclesiæ velit esse confitenda. Cœtera verò vitia per semetipsum Dominum à Beda dici sanare & corrigere, quia sacramentali apud unum Sacerdotem confessione sanantur. Ita quidem hunc Bedæ locum explicat laudatus Abbas libro 5. epistola 15. ad Guilielmum suum olim Magistrum data: *Credens*, inquit, *ni fallor*,

* Nic. Ant. Bibl. Hisp. Nov. in Petro Marzilla.
** Hist. Eccl. Sec. XIII. & XIV. Dissert. XIV. §. XXXIII. Tom. VII. p. 652.

fallor, proposuisti, quod solummodo quatuor peccata confessione indigebant; cætera autem à Domino sine confessione sanabantur. Quod te invenisse asseris in expositione Bedæ de Evangelio; ubi decem Leprosi sanati à Domino memorantur. Sed hoc intelligendum minimè censemus, & juxta Fidem Christianam sic intelligere nec possumus, nec debemus. „ Determinanda est enim ista sententia sapienter, ut intelligi possit utiliter, & fidei nostræ integritas conservetur. Illa utique quatuor peccata, videlicet error gentilis, schisma fraternum, hæretica pravitas, & Judaica perfidia, in quantum prævalent, universalis Ecclesiæ castitatem commaculant. Unde necesse est, ut quicunque istis peccatis, vel uno ex ipsis polluuntur, non jam soli sacerdoti, sicut in cœteris agitur, sed universæ Ecclesiæ confiteantur, & sic ad ejus unitatem redeant, cujus fidem anteà impugnabant. Justum est enim, ut qui alios diabolica præsumptione infidelitatem docent, eos etiam publica satisfactione in fide confirment. Et quibus ante fuerunt occasio & exemplum publicæ perditionis, forma & exemplum fiant publicæ reconciliationis. Cœtera verò vitia, sicut dicis, per semetipsum Dominus sanat, & corrigit. Licèt enim omnia, quæcunque sanantur, Dominus sanet, & corrigat, quædam tamen per semetipsum sanare atque corrigere perhibetur: ea videlicet, quæ sibi privata in confessione revelantur, ut sanentur. Sibi dico: quia illi, qui in ejus loco esse dignoscitur. Certum est, nihil hoc certius, omnia peccata vel crimina confessione indigere & pœnitentia. Et quamvis quædam ex ipsis per publicam pœnitentiam puniri videantur; nulla tamen alia publica confessione opus habent, nisi ea, quæ communem Ecclesiæ fidem violare conantur. „ Hæc Goffridus noster Abbas Vindocinensis, posteà S. R. E. Cardinalis, quibus doctrinam Venerabilis Bedæ non egregiè tantùm vindicavit, sed contra Guilielmum, suum quondam præceptorem, Confessionis necessitatem, de quibuscunque lethiferis noxis velut Dogma Catholicum propugnavit.

Vindiciæ moralis doctrinæ V. Bedæ.

Seculo IX. Paschasius Radbertus & Drutmarus.

In monasterio Corbeiæ veteris seculo nono vitam monasticam egerunt *Paschasius Radbertus*, & *Druthmarus*, Theologi pietate & doctrinâ præcipui. Uterque edidit Commentarios in S. Mathæi Evangelium. Et S. Paschasius quidem præter alias præclaras morum doctrinas, confessionem peccatorum ad veram pœnitentiam esse necessariam his verbis docet *: „ *Unde apparet, nullum rectè pænitere posse, nisi primùm confiteatur peccata sua, & prioris vitæ errores damnaverit, ut efficiatur idoneus percipiendæ gratiæ, & tum demùm divinis mysteriorum sacramentis consecretur.* „ De Confessione verò infirmorum & extrema unctione ita docet: ** *Secundùm Apostolum cùm aliquis infirmatur, priùs adbibenda est confessio peccati, deinde oratio plurimorum, post sanctificatio unctionis: quia impossibile est per medicinã sanari ullius artis, quem divina ultio premit. Et si medicina est sectanda, tamen hoc prius agendum Christiano: quoniam si in Angelis pravitas est inventa, & astra non sunt munda coram eo, quanto magis homo immundus probatur, nisi confessione & bonis operibus quotidie purgetur.*

De necessitate Confessionis ad veram pœnitentiam.

Quibus verbis sanctus Abbas præclarè id docuit, quod posteà Summi Pontifices Medicinæ Doctoribus sub gravi præcepto injunxerunt, ut periculoso morbo decumbentibus priùs medicamenta non adhibeant, quàm animum illi noxarum confessione expiaverint. *Quia impossibile est per medicinam sanari ullius artis, quem divina ultio premit.* Druthmarus verò in Confessarium ineptum, qui confitentem de furtis & rapinis à vino aut à carne quadraginta dies abstinere jussit, ubi ante omnia ad faciendam restitutionem obligandus fuisset, his verbis graviter invehitur: *O perditio animarum! non enim, ut D. Augustinus inquit, remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

Ægrotis priùs confessio, quàm medicamenta adhibenda.

Iisdem ferè temporibus gravissimi duo alii familiæ nostræ Theologi ad Archiepiscopalem dignitatem assumpti fuerunt, Rabanus ad Moguntinum in Germania, Hincmarus ad Remensem in Gallia. Si, Paulo teste ad Timotheum, oportet Episcopum esse aptum ad alios docendos, nec Rabano, nec Hincmaro hæc aptitudo defuit. De utroque illud Malachiæ verè prædicari potuit: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam.* Et quod ad Rabanum attinet, edidit ille anno hujus seculi quadragesimo primo celebre suum *Pænitentiale*. Dicuntur verò libri *Pænitentiales*, qui pœnas explicant, unicuique crimini secundùm canones infligendas. Mul-

Rabani Mauri Pœnitentiale.

tis

* pag. 158. ** pag. 1577.

tis temporibus hoc *Pœnitentiale* Suffraganeis Episcopis, Rectoribus Parochiarum, & Confessariis in sacro pœnitentiæ tribunali per totam ferè Germaniam usui fuit. Adversùs morum relaxationes scripsit Rabanus homilias plures, quas antecessori suo Haistulpho Archiepiscopo Moguntino nuncupavit, ut eas populo recitandas curaret. Inter has extat homilia *de ratione quadragesimalis jejunii*: ubi, *Nullus*, inquit, *in isto sacratissimo tempore exceptis Dominicis diebus prandere præsumat, nisi fortè ille, quem infirmitas jejunare non permittit: quia aliis diebus jejunare, aut remedium est, aut præmium: In quadragesima verò non jejunare, peccatum est. Alio tempore, qui jejunat, accipit indulgentiam; in quadragesima quoque qui potest, & non jejunat, sentiet pœnam. Et ipse tamen qui jejunare non prævalet, secretius sibi soli, aut si est alius infirmus, cum ipso sibi in domo sua præparet, quod accipiat, & illos, qui jejunare prævalent, ad prandium non invitet, ne sibi augeat etiam de alterius gula peccatum.* Ita Rabanus. An illi ergò à peccato nostrâ ætate immunes habendi sunt, qui cùm nescio quàm legitimis ex causis secum in abstinentia à carnibus dispensari procuraverint, non contenti, quòd ipsi carnibus vescantur, alios etiam, ne soli comedant, quod magnæ molestiæ loco habent, ad prandium invitant, in quo tamen nihil præter carnes apponi curant? Hi profectò *de alterius gula peccatum sibi augent.* Ita respondebam, cùm aliquando ea de re à Viro Illustri, qui ad hujusmodi prandium invitatus, nulla cogente necessitate, carnes comederat, interrogatus fuissem. Scio alium recentiorem Theologum respondisse, probabile esse, quòd licitè potuerit, ne impranso domum contra decorum discedendum esset. Ac si verò, qui præceptum Ecclesiæ observat, in leges decori peccaret. Ex Rabani, antiqui Theologi, doctrinâ non modò tutius, sed probabilius est, quod licitè non potuerit. *Gula fuit invitati carnes comedisse, de qua invitans sibi auxit peccatum.* Mitto de aliis Rabani Homiliis dicere, quòd non *liceat cuiquam venatum, vel aleas in sanctis diebus exercere, quòd justè sit judicandum, & falsi testes non recipiendi; de iracundia & homicidio cavendo* &c. in quibus non vera tantùm Christiani Præsulis idea perspicitur, sed multa etiam præclara Theologiæ Moralis dogmata exhibentur. Utinam hæ Homiliæ Sodalibus nostris, qui è sacro suggestu verba ad populum faciunt, sæpiùs ob oculos versarentur.

Qui de alterius gula sibi faciat peccatum?

Nec insigni morum doctrinâ destituta sunt, quæ * responsa dedit *Rabanus* super quibusdam interrogationibus *Reginbaldi* Chorepiscopi. Unum atque alterum eorum audire juvat. „ Primò interrogabas, *inquit*, quid „ de eo faciendum esset, qui hominem Christianum sollicitando furatus fuerat, & in Paganam gentem „ tradendo vendiderit, à quibus ultra ille venditus se eruere non possit. Ad quod tunc tibi respondi, „ homicidii reatum ipsum hominem „ sibi contrahere mihi videri. Quod „ & posteà legens divinam sanctionem „ in Deuteronomio ita probavisse reperi, cùm homicidæ & furi hominem vendenti, parem vindictæ modum imposuisset. Nam sicut ibi legitur, *animam pro anima* homicidam debere reddere, *oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede*, sic & ipsum „ hominem, qui deprehensus fuerit, „ sollicitâsse fratrem suum de filiis „ Israël, & vendidisse accipiendo pretium, jubet interficere, & ita auferre „ malum de medio populo Dei. Unde „ mihi videtur, sicut par sententia in „ Lege Divina est constituta de homicida & fure hominem vendente, sic „ & Canonica auctoritate pari modo „ plectendum esse, qui fratrem furando & sollicitando vendiderit, & illum, qui proximum suum Christianum hominem injustè peremerit; & „ eò gravius, quò eum in Paganam „ gentem tradiderit, nec de animæ „ suæ ruina ullam compassionem habuerit. In Concilio Ancyrano ita „ scriptum est: *Qui voluntariè homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter se submittant, perfectionem verò circa finem vitæ consequantur.* „ De homicidiis non spontè commissis, „ prior quidem definitio post septennem pœnitentiam perfectionem „ consequi præcepit, secunda verò „ quinquennii tempus explere. Sed in „ omnibus judiciis temperanda est „ sententia juxta intentionem & studium pœnitentis: siquis enim veraciter pœnitentiam egerit, cum lacrymis jejunia & orationes solvens, „ eleemosynas largiter impendens, „ hujus ergò habet sacerdos potesta- „ tem

Responsiones Rabani ad interrogationes Reginbaldi Chorepiscopi.

Deut. 19.

Ibid. 24.

Can. 21.

* extant in Delectu Actorum Ecclesiæ Universalis Tom. I. col. 997. seq.

„ tem mitigare judicium. Qui autem „ mentis est duræ, & negligens est ad „ agendam pœnitentiam, in hoc om- „ ninò decretum est tempus servan- „ dum. „

Doctrina de fervo fugitivo. " De servo autem illo, qui fugerit Dominum suum, interrogabas, si ille in ipsa fuga mortuus fuerit, utrùm liceret pro eo Missas cantare, aut psalmodias? Hoc in divinis libris non invenimus prohibitum: sed tamen scimus ab Apostolis fortissimè 1. Pet. 2. præceptum, *ut servi subditi sint in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis.* Et obedientes illis fiant in omnibus. In Canone autem Gangrensis Concilii ita scriptum est: *Si quis servum sub prætextu divini cultus doceat Dominum contemnere proprium, ut discedat ab ejus obsequio, nec ei cum benevolentia, & omni honore deserviat, anathema sit.* Unde datur intelligi, quòd si ille anathema meruit, qui docet servum Dominum proprium contemnere, & ab ejus obsequio recedere: quantò magis ille, qui Dominum suum spernit, & ejus servitio subdi noluerit. Sed tamen distantia est inter eum, qui per superbiam, & illum, qui per necessitatem fugit, coactus crudelitate Domini sui. Nam Agar famula Saræ fugam iniit affligente eam Domina sua: sed Angelo admonente, ut reverteretur, & fieret subjecta dominatrici suæ, reversa est ad Dominam. Sic & *Onesimus* servus Philemonis effugit à Domino suo, sed Paulo Apostolo docente credidit Christo, & baptizatus est: & sic per patrocinium Apostoli restitutus est proprio Domino suo. Admonendus est enim servus quilibet fugitivus per fideles Doctores, ubicunque fuerit, ut revertatur ad Dominum suum, & fiat ei subjectus, ne fortè contemnens præceptum Domini, perpetuo anathemate percutiatur. Attamen si in ipsa fuga obierit, orandum est pro eo, nisi fortè aliquo crimine majori implicetur, aut in perfidiam devolvatur, unde fructuosa pro eo non possit esse oratio. Attamen Augustinus ad Laurentium scribens inter alia ait: *Cùm ergò sacrificia sive altaris, sive quarumcunque eleemosynarum, pro baptizatis omnibus offeruntur; pro valdè bonis gratiarum actiones sunt; pro non valdè malis propitiationes sunt; pro valdè malis etiam si nulla sint adjumenta mortuorum, qualescunque tamen consolationes sunt vivorum. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certè ut tolerabilior ipsis fiat damnatio.*" Fuit Rabanus discipulus Alcuini, qui epistolam planè insignem, ac lectu dignissimam ad *Pueros S. Martini* de confessione peccatorum scripsit. *Pueri* verò dici consueverunt, qui ab ineunte ætate in monasterio versabantur, vel saltem à prima juventute monasticam vitam agere cœperant.

Hincmarus absentem Episcopum absolvit. *Hincmarus* autem ex Monacho S. Dionysii * Archiepiscopus Remensis Hildeboldo Suessionensi Episcopo gravi morbo decumbenti, accepto Confessionis illius breviculo, absenti in literis absolutionem impertivit, atque oleum sacrum per presbyterum transmisit, quò in remissionem noxarum ungendus esset. Hæc absolutionis formula: *Frater & Consacerdos noster, Hildebolde, confitenti tibi peccata tua per Ecclesiasticam Apostolicæ authoritatis potestatem, quam Dominus noster Jesus Christus tradidit discipulis & Apostolis suis, dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & per eosdem Apostolos suos ipsorum successoribus, quorum vices licèt indigni tenemus, etsi non merito, tamen nomine atque officii susceptione eandem potestatem donavit, & in se credenti fideliter dixit: Fiat tibi secundùm fidem tuam: gratia & omnipotentia sua, virtute sancti Spiritûs, qui est remissio omnium peccatorum, dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conservet in omni bono, perducat te ad vitam æternam, & ad sanctorum Sacerdotum consortium, Amen.* Generaliter Hildeboldus se de peccatis accusaverat, cujus tamen confessio non fuit sacramentalis. non omnia sigillatim exponens; adeóque nec ejus confessio sacramentalis erat: quæ tamen tum usitata erat, ut fuit semper ab Ecclesiæ primordiis. *Commoneo,* inquit Hincmarus, *ut præter istam generalem Confessionem, quæque ab ineunte ætate, usque ad hanc, in qua nunc degis, te commisisse cognoscis, specialiter ac sigillatim Deo & Sacerdoti satagas confiteri; & dum unumquodque erroris tui inquinamentum singillatim confiteris & defles, simul te de omnibus actorum lacrymis mundes. Unde dicitur per Prophetam: Divisiones aquarum deduxit oculus meus. Divisans quip-*

* Hincmari Opp. Tom. 2. pag. 684.

quippe ex oculis aquam deducimus, quando peccatis singulis dispertitas lacrymas confitendo exhibemus. Quæ singillatim de singulis semel sacerdoti sufficit confessio facta, &c.

Unde Hincmarus suam moralem doctrinam hauserit? Hincmari Theologia moralis fuit deprompta ex divinis Literis, Conciliis, Operibus SS. Patrum, maximè ex libro *Pastorali*, & libris Moralibus S. Gregorii M. Ex his hausit, quid quid in suis Opusculis & Epistolis præclarè disputat de vera confessione, ac dolore de peccatis, de dignis pœnitentiæ fructibus, de vitiis avaritiæ, superbiæ, luxuriæ, gulæ, invidiæ, & iræ. De juramentis & perjuriis, quòd sine dolo jurandum, & fides etiam hosti servanda sit; de peccatis cogitationum, de multis modis, quibus peccata committuntur. De castitate verò conjugali: *Sciendum est*, inquit, *quia non solum est castitas in virginibus & viduis, & continentibus, sed etiam est castitas conjugalis in legitimè conjugatis, & legitima jura conjugii conservantibus. Quibus tamen scire necesse est, quia suscipiendæ prolis causa habentur conjuncti, & cùm immoderatæ commixtioni servientes propagationis articulum in usum transferunt voluptatis, perpendant, quòd libidini servientes nimiæ, in ipso conjugio conjugii jura transcendunt. Unde necesse est, ut crebris orationibus, & quotidianis eleemosynis deleant, quòd pulchram copulæ speciem admixtis voluptatibus fœdant.*

Hincmarus consulitur de divortio Regis Lotharii. Magnam etiam Theologiæ moralis peritiam Hincmarus in libro * ostendit, quem de Lotharii & Thietbergæ divortio conscripsit. Cùm enim Rex Lotharius repudiata Thietberga, legitima uxore, concubinis, præprimis Waldradæ, totum se dedisset, enorme scandalum exortum est. Ea super re Hincmarus ab Episcopis in Regno Lotharii consultus fuit. Quæstiones verò septem supra viginti propofuerunt, ad quas Hincmarus ita respondit, ut præstans judicium cum scientiæ Theologicæ copia in rebus moralibus planè eluceat. Præprimis responsiones XV. XVI. & XVII. multa scitu digna complectuntur. Interrogabant enim Episcopi decimoquintò. *Si hoc verum esse possit, quod plures homines dicunt, quia sunt fœminæ, quæ maleficio suo inter virum & uxorem odium irreconciliabile possint mittere, & inenarrabilem amorem iterùm inter virum & fœminam serere, & quòd vir legitimè fortitam conjugem maritali commercio non possit adire, & aliis valeat fœminis commisceri, & itidem eodem maleficio, potentia concumbendi, & dilectio quondam habita, per artem maleficarum possit restitui.* Respondit Hincmarus: *Potest sæpè occulto, sed nunquam & nusquam injusto, divino judicio, sicut scripturarum auctoritate, & majorum doctrina in Opusculi corpore demonstrabimus.* Interrogabant decimosextò: *Quæ sit causa, cur Deus, ut dicitur, sæpè in legitimo conjugio permittat talia fieri?* Respondit Hincmarus: *Occulta justitia Dei licentia malignis spiritibus datur, ut quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati pœnam ex justitiæ retributione etiam nolentes trahant.* Interrogabant decimoseptimò: *Et si fortè tales viri malefici, vel incantatrices fœminæ inventæ fuerint, quid de hujusmodi fieri debeat?* Respondit Hincmarus: *Vehementius pastoralis custodia erga tales debet invigilare, atque publicè in populo contra hujusmodi rei viros sermonem facere, eósque à tanti labe sacrilegii, & divini intentatione judicii, & præsentis vitæ periculo, adhortatione suasoria revocare. Quos tamen si emendare se à talibus atque corrigere nolle repereris, ferventi zelo debet comprehendere: & si quidem servi sunt, verberibus cruciatibúsque, ut ad emendationem pervenire valeant, castigare: si verò liberi, inclausione digna & districta pœnitentia debet eos coercere. Rex autem, si hujusmodi homines Ecclesiastica medicina sanari non possunt, æquitatis judicio, ut impios debet de terra perdere.* Atque hæc summa est trium responsionum Hincmari, quas in decursu libri diductiùs exposuit.

SECULO X. Ratherii Episcopi doctrina moralis minimè laxa. *Seculo X.* Ratherius ex Laubiensi monacho primùm Veronensis, tum Leodiensis Episcopus creatus, sed ob rigidam in observatione Canonum disciplinam ter solum vertere à Clero coactus fuit. Et verò quàm impensè sacram legis & Ethices Christianæ doctrinæ severitatem coluerit, ex ejus scriptis etiamnum colligi potest. Certè Præsuli huic ** ignora erat Lesbia illa morum regula, quâ nonnulli postremis hisce temporibus ad exsufflandum rigorem Canonum, duras Christianæ Ethices normas cereis, teneris, flexibilibus, & in quam velis formam ductilibus Institutis mollire ac depravare

* Opp. Tom. I. pag. 557.
** Graveson H. E. Sec. X. Colloq. V. pag. 138.

vare conati sunt, easque ad nihilum redegissent, nisi Summi Pontifices, & Ecclesiarum Præpositi ejusmodi corruptelas ac nefaria dogmata censuris confixissent, atque natalitiis tenebris omnino damnâssent.

Seculo XI. S. Gregorius VII. falsas pœnitentias graphicè depingit.

Seculo XI. S. Gregorius VII. ex Monacho Cluniacensi Romanus Pontifex in Synodo, quam Romæ anno 1078. celebravit, falsas pœnitentias execratus, eas descripsit verbis sanè luculentis, & quæ memoriæ, inquit Alexander * Natalis, commendare sacerdotes omnes, qui confessiones audiunt, & concionatores populis inculcare, operæ pretium est, ut quod miseris hisce temporibus tam latè adhuc grassatur falsæ pœnitentiæ malum, ab Ecclesia eliminetur. *Falsas*, inquit, *Pœnitentias dicimus, quæ non secundùm authoritatem sanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque quicunque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit, si culpis gravioribus irretitus, ad pœnitentiam venerit; vel qui bona alterius injustè detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoscat, se veram pœnitentiam non posse peragere, nisi arma deponat, ulteriùsque non ferat, nisi consilio religiosorum Episcoporum pro defendenda justitia; vel negotium derelinquat, vel officium deserat, & odium ex corde dimittat, bonáque, quæ injustè abstulit, restituat. Ne tamen desperet; interim quidquid boni facere poterit, hortamur, ut faciat, ut omnipotens Deus cor illius illustret ad pœnitentiam.*

Ad veram pœnitentiam quas conditiones requirat?

Ad veram pœnitentiam tres inprimis conditiones exigit Gregorius VII. 1.) ut affectus peccandi deponatur. 2.) ut occasiones proximæ deserantur. 3.) ut aliena, cùm fieri potest, restituantur. Hæc Moralis Christianæ certissima principia, quæ absque hæreseos nota, nemo, ut arbitror, negaverit. Ad eandem falsæ pœnitentiæ consuetudinem eradicandam, Synodum in Britannia minori celebrari jussit Gregorius VII. præside Amato Oleronensi Episcopo, S. R. E. Legato Apostolico, ut constat ex illius epistolâ lib. VII.

S. Anselmi morales doctrinæ admodùm eximiæ.

In Academia Beccensis monasterii S. Anselmus, Cantuariæ postea Archiepiscopus, docuit & scripsit, cujus doctrinæ morales sunt omnino præclaræ. Et quidem ut de solo pœnitentiæ Sacramento loquamur: *Verà*, inquit**, *pœnitentia veráque confessio est, perpetrata mala plangere, & plangenda ampliùs non admittere. Potest Deus, cuicunque vult, hoc ipsum efficaciter dicere, quod dixit paralytico: Dimittuntur tibi peccata tua. Sed quicunq; sine suo labore, vel contritione, vel confessione, vel etiam oratione, sibi hoc dicendum exspectat, nunquam ei remittuntur peccata* ***. *Quoties verò peccator redierit cum digna pœnitentia, recipitur, sed hæc pœnitentia peccanti non promittitur.* Alio loco **** habitum pœnitentis his verbis depingit: *Porta semper verecundiam in vultu de recordatione delicti; porta pudorem in facie de memoria commissi peccati. Peccati pudore oculos tuos attollere erubesce. Incede deposita facie, abjecto vultu, mæsto ore, percusso corde, lugubri veste, sacco indutus, opertus cilicio corpus, semper lugens, semper mœrens, semper gemens, semper suspiria cordis emittens. Sit compunctio in corde, lamentum in pectore: delectet te semper planctus & luctus.*

Implorat regiam potestatem ad vitia extirpanda.

Cùm de Sodomitico peccato, quod id temporis erat in Anglia publicum, extirpando cogitaret, Regem Wilhelmum hoc nomine II. his verbis allocutus est: "Nefandum Sodomæ scelus, ut illicita consanguineorum connubia, & alia multa rerum detestandarum facinorosa negotia taceam, scelus, inquam, Sodomæ noviter in hac terra divulgatum jam plurimùm pullulavit, multósque sua immanitate fœdavit. Cui fateor, nisi districtiùs à te prodiens sententia judicii & Ecclesiasticæ vigor disciplinæ celeriùs obviet, tota terra non multò pòst Sodoma fiet. Sed conemur unà, quæso, tu regia potestate, & ego Pontificali authoritate, quatenus tale quid inde statuatur, quod cùm per totum fuerit regnum divulgatum, solo etiam auditu, quicunque illius fautor est, paveat & deprimatur. Hæc ad Regem Wilhelmum;

Statuit pœnitentiam pro Sodomiticis.

ad Sacerdotes verò conversus, quomodo se pro sacro tribunali erga confitentes de execrabili hoc peccato gerere debeant, hæc constituit: "De illis, qui ante excommunicationem, vel post excommunicationem nescientes eam factam, Sodomitico peccato peccaverunt, par & similis erit sententia, si confitentes pœniten-

* l. c. Sec. XI. cap. 1. art. XI. pag. 24.
** Orat. VI. ad Deum.
*** Medit. XV.
**** Exhort. ad contempt. temp.

„nitentiam petierint. Quam secundùm discretionem vestram dabitis, considerantes ætatem, peccati diuturnitatem, & utrùm habeant uxores an non: & secundùm quod videatis eos pœnitere, & deinceps integram correctionem promittete. Considerandum etiam est, quia hactenus ita fuit publicum hoc peccatum, ut vix aliquis pro eo erubescat, & ideò multi ejus magnitudinem nescientes, in illud se præcipitabant. Quam etiam in vestra discretione secundùm prædictas causas ponimus. „ Ad extremum Anselmus ex hoc gravissimo contra naturam, impudicissimo, & planè nefario peccato casum reservatum, ut Theologi Morales vocant, in Synodo Londinensi fecit: in ea siquidem anno MCII. celebrata canone vigesimo octavo, Sodomiticum flagitium facientes, & eos in hoc voluntarie juvantes, gravi anathemate damnavit, donec pœnitentia & confessione absolutionem mereantur *... Et ne hujus criminis absolutionem aliquis nisi Episcopus facere præsumat.„ En casum reservatum, à quo ut soli Episcopi absolvere possent, sancivit Anselmus.

Absolvit absentes monachos:

Illud etiam observatu dignum, quòd sanctissimus hic juxtà ac sapientissimus Archiepiscopus juvenes monachos Beccenses à peccatis, ut petierant, absentes absolvit. *Et illis, qui meam in literis suis se significaverunt velle absolutionem, & illis, qui quamvis eam per literas non petierunt, tamen eam volunt, mando meam coram Deo absolutionem, & benedictionem; & oro, ut Deus omnipotens illos ab omnibus peccatis absolvat, & in vitam æternam benedicat, Amen.* Et quidem, quod magis mireris, absolvit cum impositione pœnitentiæ. Sic Idam Comitissam à peccatis, injuncta pœnitentia, absolvit. Placet integram illius referre epistolam:* " Anselmus gratia Dei Archiepiscopus " Dominæ & Matri, Filiæ charissimæ, " Idæ Comitissæ, salutem & benedictionem Dei & suam, si quid valet. " Gratias ago Celsitudini vestræ pro " benignitate & largitate, quam Legatis nostris nuper Româ redeuntibus exhibuistis, sicut mihi & omnibus nostris facere soletis. De hoc, " quod mihi per Dominum Johannem mandastis, nullam possum vestram culpam intelligere: Sed quoniam semper tutius est in hujusmodi magis timere, quàm confidere, " laudo timorem vestrum, quia *beatus homo qui semper est pavidus.* Et beatus Job dicit: *Verebar omnia opera mea.* Solo igitur hoc amore, & " mali, quod contigit per malos homines, dolore, quem habuistis, " credo vos Deo, quantùm ad vos " pertinet, satisfecisse. Quoniam tamen scio, quid desideretis, oro " Deum, ut vos ab hoc, & ab omnibus peccatis vestris absolvat, & " ad gloriæ suæ contemplationem " perducat, Amen. *Unum psalterium pro omnibus peccatis vestris dicite, secundùm opportunitatem vestram.* Ex hac epistola liquere videtur, quòd Ida Comitissa per internuntium nescio quem Johannem confessa, & ab Anselmo in literis absoluta fuerit. Verùm nec illa sacramentaliter confessa, nec absoluta fuit. Illius confessio tantùm fuit declaratio anxietatis suæ, ne fors alicujus peccati se participem fecisset, Anselmi verò absolutio erat tantùm deprecatio, ut Deus illam, si quem reatum contraxisset, absolveret; quæ utique ad rationem tum confessionis tum absolutionis sacramentalis non sufficiunt. Quod utì nemo Theologiæ Moralis intelligens in dubium vocat, ita ex aliis ejus absolutionibus ostendi potest. Sic in epistola ad Alferum, Priorem & Monachos monasterii S. Edmundi scribit: " Nullus vestrûm amet aut velit celare " peccata sua; sed ea puro & simplici " corde Domino Priori, aut cui ipse " concesserit, confiteatur, & secundùm judicium ejus emendet, & de " cœtero, ut sese custodiat, modis " omnibus enitatur. Eos autem, qui " hoc modo, & hac voluntate sua " peccata confessi sunt, vel confitebuntur, quantùm possum eâ auctoritate, quam mihi Deus concessit, " vice beati Petri Apostolorum Principis absolvo, & ut eis omnipotens " Deus indulgeat, suppliciter oro."

cujus tamen absolutio non fuit Sacramentalis.

Anselmi antecessor in Archiepiscopatu Cantuariensi, Præceptor verò in Academia Beccensi, fuit B. Lanfrancus à multiplici litteratura, summâque terum divinarum cognitione apud universos propemodùm Scriptores commendatus. Qui, cùm ejus tempore in Anglia ex violatione sigilli sacramentalis multa mala fuissent orta, libel-

B. Lanfranci libellus de celandâ confessione.

* Epist. 58. lib. 3.

libellum edidit *de celanda confessione*, cujus argumentum Lucas Acherius * his verbis exponit, „ Quæri videtur „ in hoc libello, cùm proprius sacer- „ dos pœnitentis confessionem publi- „ caverit, cuinam pœnitens confi- „ teri debeat? I. Probata Ecclesiæ vir- „ ginitate & unitate, ostendit author, „ quantorum malorum causa extite- „ rit sigilli confessionis infractor. II. „ In hoc casu, ubi nimirum pœni- „ tenti sacerdotum inest penuria tan- „ ta, ut nullus queat prorsus reperiri, „ posse eom Clericis, quin etiam & „ Laicis mundis, hoc est, fidelibus „ confiteri; non quòd illa confessio „ (ut proferam hac in re Theologorum „ sententiam) gratiam ex opere ope- „ rato conferat (neque enim sacra- „ mentalis est) sed ex opere operan- „ tis, nempe ex contritione & humi- „ litate, quam testatam facit confi- „ tens in sui delicti revelatione, ma- „ jorem ut sibi ruborem adsciscat; „ unde quodammodò Deus suppleat „ officium. III. Ubi nec Sacerdos, nec „ Clericus, nec Laicus invenitur, non „ de salute desperandum, sed soli Deo „ confitendum, ex diversis probat „ SS. Patrum auctoritatibus. „ Exposito argumento legi possunt ejusdem Acherii Notæ, quibus totum libellum doctè illustrat. Haud inficiatur tamen, quibusdam in locis sensum abstrusum, neque facili negotio posse explicari, quod amanuensium vitio atque inscitiæ vertendum; id quod nemo non ex cœteris B. Lanfranci scriptis facilè perspecturus sit.

SÆCULO XII. Nemo nisi pœnitens & satisfaciens absolvitur.

PASCHALIS II. * ex Cluniacensi Monacho Romanus Pontifex anno millesimo centesimo duodecimo Romæ Synodum celebravit: in hac quarta die de Guiberti Ravennatensis Pseudopapæ asseclis quæstio facta est, quòd dicerentur, quasi ex permissione Papæ, interdicta officia celebrare. Tunc Pontifex ait: Nec excommunicatos, sicut ajunt qoidam, *generaliter* absolvi: *constat enim neminem, nisi pœnitentem & satisfacientem absolutionis gratiam consequi.* Hodie Religiosi quidam mendicantes populo ex cathedra *generalem*, ut vocant, *absolutionem* nonnullis in locis impertiuntur. Quid sibi vult ista generalis absolutio? cujus est ultra sacramentalem absolutionem virtutis & efficaciæ? constat enim, neminem, nisi pœnitentem & satisfacientem absolutionis gratiam consequi. Si quid ergo generalis illa absolutio operatur, gratiam utique non ex opere operato, sed ex opere operantis conferet. Seculo XII. non defuerunt in Familia nostra magnæ doctrinæ Theologi; *Guibertus de Novigento*, *Petrus Cluniacensis*, *Petrus Cellensis*, *Petrus Pictaviensis*, *Radulphus Flaviacensis*, *Goffridus Vindocinensis*, *Arnoldus Bonavallensis*, & alii complures, in quorum scriptis & lucubrationibus nullum earum laxitatum deprehenditur vestigium, in quibus excogitandis molliores quidam sequiorum temporum Casuistæ malè operam suam collocârunt.

V. Hildeberti Theologia Moralis.

Ut brevitatis ergo folius Venerabilis Hildeberti ex Cluniacensi monacho Cenomanensis Episcopi Opera hic allegem, documenta passim in iis traduntur de Sacramentis in genere, & in specie de Baptismo, cujus aqua non habeat virtutem, nisi ex effusione sanguinis Christi, & quanti baptismalis abrenuntiatio sit facienda; de Eucharistia, cujus doctrinam egregiè exponit; de Pœnitentia, ejusque tribus partibus: cordis compunctione, oris confessione, operis satisfactione; de matrimonio, quod non est necessitatis, sed voluntatis, post obligationem verò fit necessitatis; de peccatis capitalibus, & eorum effectibus; de duobus modis, quibus peccatur, cupiditate & timore; de discrimine inter peccatum & delictum; de virtutibus, ac in specie de inimicorum dilectione; de eleemosyna pauperibus eroganda; de justitiæ officiis & gradibus, ejusque duobus oppositis vitiis, truculentia & negligentia; de charitate erga proximum; de jejunio, quomodo fiat vitiosum, eorumque reprehensione, qui ideo per diem jejunant, ut ad vesperam lautiùs cœnent: *mutant*, inquit, *isti in jejunio tempus, sed non mutant vitium; mutant horam, sed non mutant culpam; reservant enim ventrem suum ad luxuriosam cœnam*; de correctione pœnitentium, ejusque optimis regulis, quas his verbis præclarè explicat ***: „ Sicut corporalis medicinæ ratio vel „ depellere morbos, vel curare vul- „ nera, salutem servare vel augere in- „ tendit, nec medicus contrarius si- „ bi videtur, cùm pro qualitate vel „ quantitate ægritudinis vel ægrotan- „ tis

Jejunantes, ut lautiùs cœnent, notantur.

* Editor Opp. B. Lanfranci an. 1648.
** Concil. Tom. VI. Hard. edit. Tom. X.
*** Epist. Lib. 2. ep. 53. col. 162.

„ tis, nunc mordentia, nunc molli„ entia ægrotanti medicamina appo„ nit, & nunc ferro secat, cui fo„ mento subvenire non poterat; & è „ converso ei subvenit ungento, quem „ ferro secare non audebat: ita spi„ rituales medici (Doctores videlicet „ Ecclesiæ sanctæ) nec à se, nec in„ ter se dissentiunt, cùm illicita pro„ hibent, cùm necessaria jubent, „ summa suadent, venialia indul„ gent; cùm secundùm duritiem „ cordis delinqnentium, pro corre„ ctione eorum, vel cautela cætero„ rum, severas pœnitentiæ leges impo„ nunt, vel cùm secundùm devotio„ nem dolentium, & resurgere vo„ lentium, considerata fragilitate va„ sis, quod portant, indulgentiæ ma„ lagma superponunt. Nam qui in„ dulgent, majoribus morbis amoven„ dis provident, & qui illicita pro„ hibent, à morte deterrent; qui ve„ rò in necessariis indulgent, salutem „ cupiunt conservare; qui autem „ summa suadent, salutem student „ augere. „ Ita V. Hildebertus.

Abælardi doctrina Moralis à S. Bernardo reprehenditur.

Non eandem sanæ & præstantis doctrinæ Moralis laudem tulit Petrus Abælardus, Monachus sancti Dionysii in Francia, scribendo librum, quem ipse alicubi vocat *Ethicam*, vel veriùs *Theologiam morum* sancto Bernardo adeò invisam, & à magnis Seculi XII. Theologis, ut erroribus infamem, condemnatam. *Legite*, inquit Mellifluus epist. 188. ad Rom. Eccl. Cardinales, *legite librum Petri Abælardi, qui inscribitur: Scito te ipsum, & animadvertite, quanta & ipse sylvescat segete sacrilegiorum atque errorum: quid sentiat de anima Christi, de persona Christi, de descensu Christi ad inferos, de Sacramento Altaris, de potestate ligandi atque solvendi, de originali peccato, de concupiscentia, de peccato delectationis, de peccato infirmitatis, de peccato ignorantiæ, de opere peccati, de voluntate peccandi &c*: Ubi vides, quid Bernardus maximè in hoc Abælardi libro *Scito te|ipsum*, reprehenderit. Cœterùm, inquit Cl. Bernardus Pezius, num adeò malè Abælardus de *peccato ignorantiæ*, de *suggestione*, *delectatione*, & *consensu* &c. docuerit, ut S. Bernardo visum fuit in capitulo errorum eidem imputatorum XI. & XXIII. aliis dijudicandum relinquimus. Certè passim in hodiernis scholis traditur *inadvertentiam malitiæ*, ac *ignorantiam invincibilem* à formali peccato excusare, quo amplius fortè Abælardus noluit. Sed quidquid demum Abælardus scripserit, senseritque, illud omnino liquidum est, eum hæreticum fuisse nunquam, ut cujus hæc verba in Apologia sint: *Scripsi fortè aliqua per errorem, quæ non oportuit; sed Deum testem & judicem in animam meam invoco, quia in his, de quibus accusor, nil per malitiam aut superbiam præsumpsi.*

Wasselini Abbatis doctrina de continentia Conjugatorum ante Communionem.

Wosselinus Abbas monasterii S. Laurentii in suburbio Leodiensi, cognomento Momalius, vir ecclesiasticæ disciplinæ studio insignis, obiit diem supremum anno MCXLVII. ut refert Bartholomæus Fisenus S. J. *in Floribus Leodiensibus.* Scripsit epistolam ad Florinensem Abbatem *de continentia conjugatorum ante communionem*, quam primùm edidit Jo. Mabillonius Tomo I. Veterum Analectorum. Ait pius & eruditus Abbas, quæstionem esse ejusmodi, quam non *contentiosa disputatione ad publicum proferri, sed discreta ratione oporteat in consilio tractari.* Status quæstionis ** erat, si fortè conjugati *nocte celebri*, propria superati fragilitate se non continuissent, an illis ipsa die pro solennitatis reverentia & plebis adstantis frequentia, *Discretione aliqua credenda essent Divina mysteria*, ne publicè in Ecclesia confunderentur, & minùs Catholici judicarentur. Præmittit, conjugum copulam, quamvis licitam, non carere culpa, sed qnæ venialis sit, & levi solvatur pœnitentia. Usum matrimonii ad propagandam sobolem à DEO institutum habere tam ex antiquæ Legis authoritate quàm ex reverenda Canonum sanctione, præfixam sibi legem continentiæ. Arctiorem continentiam jure exigi in Nova Lege, ubi verus immolatur Agnus, cujus caro & sanguis à fidelibus piè sumitur. Tandem ubi de dispositionibus ad sacram communionem præviis disseruit, ad propositam Quæstionem respondet, eos, qui in *nocte observabili* intra terminos legitimæ copulæ lapsi fuerint, ipsa die pœnitentia expiatos ad sacram communionem admitti posse. *Videtur*, inquit, *nobis indiscretum, ut dicat quis, negandam illi in Ecclesia participationem Sacramentorum Divinorum, cujus nega-* re

* Differt. Isag. in Tom. III. Thes. Anecd. Noviss. pag. XX.
** Ita Alex. Nat. H. E. Sec. XI. & XII. Tom. VI. pag. 524.

re non potest, ante Deum per pœnitentiam solutum esse peccatum. Erit autem in arbitrio sacerdotis, ut judicet, & faciat, secundùm quod viderit animum, & cor pœnitentis.

Quo jure sacramentalis Confessio sit necessaria? Multò difficilior ea erat quæstio, ac controversia, quæ seculo decimo cœpta, undecimo continuata, duodecimo adhuc viguit, de necessitate nimirùm sacramentalis Confessionis. Erant enim Theologi, qui eam de jure divino necessariam esse negarent, quorum opinionem tametsi ferret Ecclesia, non tamen approbabat: imò cœteri Theologi, & quidem, qui auctoritate & doctrina præstabant, illi sententiæ adversati fuerant. E nostris S. *Anselmus Cantuariensis*, *Goffridus Vindocinensis*, & *Rupertus Tuitiensis* eminebant. Et quidem S. Anselmi in Elucidario verba sunt clarissima: *Sicut in Baptismo originalia, ita in Confessione remittuntur peccata actualia. Est enim judicium. Duo sunt judicia Dei. Unum hîc per confessionem, aliud in ultimo die per examinationem, in quo ipse Deus judex, diabolus accusator, homo reus. In isto verò Sacerdos Christi Vicarius, homo & accusator & reus; pœnitentia est sententia.* Goffridi verba ad & contra Guilielmum, suum quondam Magistrum, jam suprà retulimus. Rupertus autem libro 10. in Evangelium S. Joannis cap. 11. *Cavendum est*, inquit, *eis quorum hoc officium vel potestas est, ne hunc modum prætereant, id est, ne ligent nisi mortuum, neque solvant nisi voce confessionis significante redivivum eundem esse de sepulchro productum. Nam si arbitrio vel animo suo illum viventem ligent, hunc autem mortuum solvant, videlicet condemnantes justum, & justificantes impium, ipsi illa, non sua, sed Christi potestate se privant, & viventem quidem ligando sic mortificare nequeunt: mortuum autem solvendo, non solùm non vivificant, verùm etiam & fœtorem cunctorum naribus ingerunt.*

Non satis liquet de mente Gratiani. Quænam verò mens ac sententia *Gratiani* nostri de sacramentalis Confessionis fuerit necessitate, non satis liquere videtur. Nam Distinctione I. de Pœnitentia, ubi statim ita quærit: *Utrùm solâ cordis contritione & secreta satisfactione absque oris confessione quisque possit Deo satisfacere?* tum: *sunt*, inquit, *qui dicunt, quemlibet criminis veniam sine confessione facta Ecclesiæ, & sacerdotali judicio posse promereri.* Mox istorum sententiam plurimis Scripturæ, & veterum dictis in consequentibus confirmat. Sed & oppositæ opinionis, quæ negat, cuiquam remissionem sine vocali apud sacerdotem confessione contingere, firmamenta ex altera parte explicat, productâque huc usque disputatione, ipse quidem nihil definit, sed rem totam lectoris arbitrio permittit. Videri potest inter alios viros eruditos Alexander Natalis *, qui Gratianum ab omni suspicione liberat erroneæ doctrinæ.

Alia quæstio de attritione, quam ad justificationem etiam intra sacramentum non sufficere docet Abbas Persenniæ. An Attritio intra Sacramentum sit sufficiens dispositio ad justificationem, quæstio est, quæ non nostro primùm, aut superiore ævo moveri cœpit, sed multis ante seculis agitata fuit. *Adamus* Abbas Persenniæ, exeunte seculo XII. primùm erat Canonicus Regularis, deinde *niger*, id est, Benedictinus monachus, ac demùm Cisterciensis. Is necessitatem amoris Dei in Sacramento Pœnitentiæ propugnavit **, epistola ad R. Abbatem de Vernusia Diœcesis Bituricensis, ubi eam ex professo stabilivit, & facta sibi hac objectione: *Si sola cordis contritio peccata diluere creditur, cur oris confessio tam corpore quàm corde facienda jubetur?* interim *enim oris confessio pœnitentibus dicitur esse necessaria, ut qui tempus habens confiteri neglexerit, indulgentiam peccatorum consequi omninò non possit.* Sic respondit: *Dicendum est itaque, quòd contritio cordis peccata diluit, & tamen oris confessio facienda sit. Si quæras, quare facienda sit confessio, cùm sufficiens sit peccata delere contritio? Respondeo tibi, quia præceptum est, ut fiat. Si præceptum est, obedire teneris; si teneris, & non obedias, cùm possis, contemnis; si contemnis, superbus es, si superbus es, tibi resistit Deus, qui alta à longè cognoscens, non nisi humilia respicit. Quòd si etiam præcepti causam requiras, humilitati tuæ satis esse debuerat, Dei cognoscere voluntatem, non inquirere rationem. Ideò ergò præcepit, quia voluit; ideò voluit, quia sic nobis expedire cognovit &c.* Ex tam claro ac perspicuo testimonio Auctoris ante annos quingentos scribentis, Cl. Edmundus Martene *** patere existimat, non novam esse opinionem de necessitate amoris Dei in Sacramento Pœnitentiæ, imò esse antiquissimam. Cui quòd & ipse cum Sodalibus suis è Congregatione S. Mauri accesserit, ex antecedentibus ejus verbis colligo. *Necessitatem*, inquit, *amoris*

* Alex. Nat. loc. cit. ** edita à Cl. Edm. Martene Anecd. Tom. I. p. 751. *** idem cit. loco.

vis Dei in sacramento pœnitentiæ propugnant optimi quique Theologi, eam è contrario negant alii longè inferioris notæ, qui hanc necessitatem inter Jansenistarum commenta amandant. Opinor, Vitum Clarissimum de Theologis Gallis loqui: nam in Germania Benedictinorum communior hodie sententia est, ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ consequendam, sufficere attritionem, id est, imperfectam contritionem, seu charitatem inchoatam, minimè verò contritionem perfectam, seu charitatem intensam. Hanc sententiá Theologi Benedictini non in Universitate modò Salisburgensi *, sed tota ferè Germania tuentur; neque tamen ea propter contrariæ assertionis patronos Jansenismi postulant; cùm eam Cardinali Pallavicino, & Contensonio, gravissimis Theologis, placuisse non sint nescii. Cujus etiam sententiæ veteres & antiqui Benedictini ante natam fuetuot scholam.

Seculi XIII. & seqq. doctrina moralis

Seculo XIII. XIV. & XV. vereor, ut ne cum chorda disciplinæ regularis doctrina quoque moralis apud nostros in non paucis monasteriis laxata fuerit. Quamvis pro certo & explotato id affirmare non ausim, cùm vel libros de conscientiæ casibus non scripserint, vel quod verius est, ego illos, si quos tamen scripserunt (uti *Joannes de Cumpidona*, Cœnobita Mariæ-Cellensis in Austria, *Bernardus de Baching*, Prior Tegernseensis in Bavaria, *Andreas de Escobar*, Episcopus Megarensis in Hispania scripsisse feruntur) in promptu, ut percurrerem, non habuerim, ac ptoinde eorum doctrinam nec albo nec atro calculo signare possim. Quo tamen tempore post seculi XV. initia collapsæ pet Austriam disciplinæ monasticæ instautatio in

Mellicensium,

Mellicensi monasterio à *Nicolao de Mezen*, Abbate religiosissimo cœpta fuit, multi viri docti è Clero seculari nuntio rebus mundanis misso, solennia secundùm instauratam D. Benedicti regulam vota Mellicii nuncupârunt. Quorum vivendi ratio uti erat rigida & austera, ita morum doctrina minimè mollis, laxáve.

speciatim Joannis de Spira minimè laxa.

Eminuit inter alios Ven. *Joannes de Spira* ex Presbytero seculari monachus primùm, ac deinde Prior Mellicensis. Is in *Libro de studio Lectionis regularis* **, capite xx. exempla affert eorum subditorum, qui in varia peccata ob scientiæ Moralis inopiam prolabuntur. Atque ut exemplum è pluribus unum speciminis gratia affetamus:

„ Consideras, *inquit*, quòd frater „ tuus gratus est Prælato vestro com„ muni, & quòd ab eo amatur, & „ contrà frater tuus amat Prælatum, „ & tu times, ne occasione istius mu„ tui amoris perdere possis honorem „ ab eo actu consecutum, vel non „ consequi, quem ab eo exspectas, & „ inordinatè concupiscis. Vides il„ lum fratrem excedere, & gaudes de „ ejus excessu, eò quòd speras te in„ venisse, quo possis eorum amicitiam „ dissolvere. Et hoc solo intuitu de„ nuntias eum Prælato, ut dum ipse „ illi indignetur pro excessu, & ei pœ„ nam infligat, quam iste invitus fe„ rat, fiant discordes, & tu ex hoc „ reddaris securior ad tetinendum „ vel assequendum honorem pravè „ concupitum. Quo facto æstimas „ te non peccâsse, sed benè egisse, eò „ quòd fratrem peccantem Prælato „ suo denuntiâsti: Sed non perpendis, „ quòd hoc mala voluntate fecisti, & „ susurro factus sis: & per hoc ambi„ tioni tuæ servieris, & ita duplici„ ter mortaliter peccaveris. Quod „ sic ostenditur; quia finaliter quæsi„ sti honorem per te inordinatè dile„ ctum vel concupitum, & ad hoc „ susurrationem illam ordinâsti Et sic „ fuerunt ibi duo mali fines, & unus „ alteri subordinatus: & ideò in uno „ actu duas malitias commisisti, unam „ ambitionis, alteram susurrationis: „ & sic patent prædicta per ea, quæ „ S. Thomas docet 1. 2. q. 18. a. 6. & „ 2. 2. q. 74. & etiam alibi. Actus „ quidem denuntiationis fuisset & „ actus charitatis, si eum ordinâsses „ ad emendationem fratris, qui pec„ cavit. Sed quia in casu prædicto „ ordinâsti eum ad dictos fines, du„ plicitet peccâsti, ut dixi. Item „ quia simulâsti te hoc agere ad emen„ dationem fratris tui, & tamen pet „ hoc dolosè machinabaris ad aliud, „ sicut præhabitum est, videtur, quòd „ etiam peccaveris peccato astutiæ „ contra prudentiam. Et si in susur„ rando intentione prædicta dixisses „ falsum, vel aggravâsses factum di„ cendo plus, quam verum fuisset, vel „ verbum aut factum fratris tui indif„ ferens interpretatione depravâsses, „ addidisses præmissis peccatis pecca„ tum mendacii vel calumniationis. „ Hæc Ven. Joannes de Spira.

Z 3 Sub

* vid. Babenstuber Theol. Moral. Tr. VIII. Part. VI. Disp. IV. Art. III. §. 2. N. XIX. p. 1043. col. 1.
** Edidit illum Bern. Pezius Bibl. Ascet. Tom. IV. pag. 193.

Seculo XV. Jo. Trithemio quæstiones ex TheologiaMorali solvendæ proponuntur.

Sub finem ejusdem seculi XV. ætatem egit *Joannes Trithemius*, Abbas Spanheimensis, cui *Nicolaus* Presbyter Mernicensis tres ex Theologia Morali solvendas proposuit quæstiones. Primò, utrùm confessionem, vel illud, quod sub sigillo confessionis alicui committitur, liceat unquam revelare, & si sic, in quibus casibus? secunda quæstio fuit, quando sint inchoanda festa celebria, & quando terminanda? Tertia de facto, an aliquid, & utrùm excuset peccatum, & quid super his opinionibus rusticorum sit respondendum. Ad quas quæstiones Trithemius responsa dedit sanè quàm prudentissima, quæ cùm longiora sint, prætermitto; tu verò, si lubet, consule ejus librum Epistolarum epist. xv. Non possum tamen hîc non adscribere ejusdem sapientissimi Theologi epistolam numero vigesimam *, prudentiæ, discretionis, ac doctrinæ moralis plenam, ad quendam sacerdotem de casu quodam in foro pœnitentiali.

„ Frater Joannes vocatus Abbas „ Spanheimensis Domino P. Presbyte„ ro salutem. Interrogas me, quam „ debeas pœnitentiam imponere iis, „ qui de negligentia filium perdide„ runt in igne, &, quod est deterius, „ duodecim annis in hoc reatu scien„ ter communicantes perdurârunt, „ nunquam nisi hac vice confessi. De„ bueras à sapientioribus, quàm ego „ sum, ista inquirere, qui in talibus „ experti de singulis pleniùs te potuis„ sent informare. Quia tamen à me „ flagitas consilium, hoc tibi facien„ dum suadeo, quod in simili casu, „ si essem ut tu, facerem & ipse. Mitte „ pœnitentes hujusmodi, si potest fieri, „ ad Episcopum, aut ejus Pœniten„ tiarium, ut tu interim cautiùs agas. „ Quòd si ad Episcopum ire renuerint, „ ad Fratres Minores mittantur, qui „ & experientiam habent & auctori„ tatem. Si verò nec ad illos ire con„ senserint, cùm habeas hoc tempo„ re auctoritatem Pontificis, fac quod „ bonus Pastor, ne oves lupi dentibus „ exponas rapacis desperatas. Quod „ autem de modo pœnitentiæ inter„ rogas, non est meum tibi dare men„ suram, quia cùm pœnitentiæ quali„ tas in discretione sit posita Confes„ soris, poteris eis juxta modum cul„ parum, & personarum dispositio„ nem talem satisfactionem injungere, „ qualem confitentium tibi contritio „ videtur postulare. Pœnitentiæ nam„ que hoc tempore arbitrariæ sunt, „ quemadmodùm 26. q. 7. c. *Tempora* „ cum seqq. plenè describitur. Cave „ autem, ne desperatos à te in dam„ nationem ire facias, si aut indiscre„ tus fueris, aut nimia severitate au„ sterus. Sic enim habet canon præ„ allegatus c. *alligant* circa finem. „ Deinde etsi erramus modicam pœ„ nitentiam imponentes, nónne est „ melius propter misericordiam ratio„ nem reddere, quàm propter crude„ litatem? Ubi enim paterfamilias „ largus est, dispensator non debet es„ se tenax. Si Deus benignus est, ut „ quid sacerdos ejus austerus? Vis „ apparere sanctus? circa vitam tuam „ esto austerus, circa alienam beni„ gnus. Oportet autem districtionem „ & mansuetudinem ab invicem non „ separare, sed sic unum temperare ex „ altero, ut nec sine misericordia di„ strictio sæviat, nec misericordia sine „ vigore disciplinæ evanescat, ut ha„ bes liquidè 45. dist. *sunt namque*, & „ in sequentibus: Vera justitia com„ passionem habet, falsa verò dedigna„ tionem; quamvis & justi soleant re„ ctè peccatoribus indignari. Sed in„ dignetur vir sanctus & justus peccan„ tibus, sed pœnitentibus misereatur, „ indulgeat veniam deprecanti. Ne„ quaquam tamen sunt tam gravia de„ licta sine pœna dimittenda, sed uni„ cuique secundùm sacerdotis discre„ tionem erit imponenda satisfactio, „ ne impunitas sceleris culpam reite„ ret erroris. Tuum igitur erit, ho„ minibus illis moderari pœnitentiam, „ qui contritionis habes discernere „ qualitatem. Nemo etiam obligatur „ ad impossibile, cùm feceris, quod „ pertinet ad te, animam tuam libe„ râsti. Pœnitentes etiam, supra quod „ possunt, restringendi non sunt, ne „ dum nimis cupias mundare ærugi„ nem, vasa fragilia confringantur. „ His à me quæsitis esto quietus, nil „ mihi ampliùs determinare conce„ ditur. Aliorum si placet, sapien„ tûm require consilia. Causa enim „ necessitatis tibi breviter ista rescripsi, „ cùm de casu nonnihil ad nos cre„ dam pertingere. Opto te in Domi„ no benevalere memorem nostri. An„ no Domini MCCCCLXXXV. Id. „ Martii. „ Hæc Trithemius.

commendat lenitatem

cum districtione conjungendam.

Seculo XVI. Thomas ab Ebulo

Seculo XVI. Theologiæ moralis in Monte Casino peritissimus fuit *Thomas ab Ebulo*, qui postquàm ejusdem scientiam

* extat inter ejus Opera Spirit. à Busæo edita pag. 958.

præstans Theologus Moralis. tiam tradidit, libros scripsit Synodalium: librum examinis Confessorum, & promovendorum ad sacros Ordines, & eorum, qui mittendi sunt ad parochiales ecclesias. Subinde Vicarius Generalis in tota diœcesi Casinensi extitit. Ejus meritorum causa Casinates hæreditatem, quæ ipsi à patris morte obvenerat, sorori suæ D. Lucretiæ uxori D. Sproverii dono dederunt. Ex eodem Archisterio Theophilus Senensis, doctissimus Theologus, ob insignem in rebus moralibus doctrinam Romæ in Basilica S. Pauli Pœnitentiæ Ministris Pontificiis à Gregorio XIII. adscriptus fuit.

Præ quo magis adhuc excelliᵗ Gregorius Sayrus. Utrique accedit, imò utrumque antecedit *Gregorius Sayrus*, quem non tantùm schola Casinensis, sed Ecclesia Romana inter præcipuos, quos unquam habuit, Theologiæ Moralis Doctores numerare jure ac meritò potest, nisi principatum illi assignare velit. Is siquidem insigni Opere, studióque indefesso *Conscientiæ Casus*, ut vocant, collegit, pulcherrimáque methodo & industria singulari ita digessit, ut cœteris omnibus, quotquot de hac materia scripserunt, Doctorum judicio palmam præripuisse videatur. Ita ut dignus sit, qui omnium omninò hominum, quotquot ex hujus vitæ casibus lubricis & tenebris ad stabilem illam felicitatem & lucem inaccessam aspirant, assiduò manibus & mentibus teratur, & revolvatur, & *canescat sæclis innumerabilibus*.

Cui palmam dubiam facit Jac. Graffius. Palmam tamen Sayro dubiam subinde fecit *Jacobus Graffius*, ad S. Severinum Neapoli monachus, Theologiæ Moralis in celeberrimis Congregationis Casinensis monasteriis Professor, & Neapolitanæ Urbis ac Diœceseos non solùm librorum Censor, sed etiam (quod in Regulari Viro ibidem hactenùs inusitatum) Major Pœnitentiarius; de quo Hieronymus Ghilinus * in Theatro Virorum illustrium, inter omnes Casuum Conscientiæ Professores, neminem tam Recentiorum, quàm Antiquorum clariùs ac puriùs Graffio necessariam illam ac salubrem doctrinam exposuisse affirmat: neminem faciliùs & efficaciùs graviora dubia his de rebus dissolvisse, ejúsque Opera *pulcherrimos ingenii fructus* appellat, Confessariis, ac Pœnitentibus, moralísque Theologiæ studiosis summè utilia, ac plurima laude dignissima.

Seculo XVII. Card. Agvirre Probabilismo valedicit. Seculo XVII. Eminentiss. Card. de Agvirre in *Probabilismo*, uti de se ipse testatur, quasi in pulvino, communi ferè sensu aut judicio abductus quievit, ac plerumque studium suum in eo positum fuit, ut examinaret potiùs, *an aliquid sit probabile, quàm investigârit, an esset verum*? Detectâ enim probabilitate, nullatenùs dubitabat, se posse illud in praxi sequi, aut aliis consulere &c. Cœpit itaque rem maturiùs examinare ab anno circiter 1672. lectis & relectis plurimis Auctoribus recentibus, qui hinc inde controversiam, *an liceat sequi sententiam minùs probabilem, relicta probabiliori simúlque tutiori*, profligaverunt ex instituto. Deprehendi verò, inquit, ingens periculum salutis in sectando aut consulendo aliis Probabilismo, sive usu cujuslibet opinionis minùs probabilis, faventis libertati in concursu alterius probabilioris adhærentis præcepto. Unde *Probabilismo* valedicens, in rebus morum doctrinam Patrum non sibi solùm sequendam statuit, sed aliis etiam, ut illam amplecterentur, auctor fuit. Id etiam curârunt eo tempore nonnulli celebres Scriptores aut Doctores Benedictini: veluti in doctissima & observantissima Congregatione S. Mauri Galliarum Joannes Mabillonius, *Tractatu de Studiis Monasticis* parte secunda cap. vii. *Gabriel Gerberon* toto ferè libro *de vero Pœnitenti*. In Congregatione Helvetica Illustrissimus Dominus Cœlestinus *Sfondratus* Abbas sancti Galli, & S. R. I. Princeps, in Disputatione Juridica de Lege in præsumptione fundata, quam edidit Salisburgi anno MDCLXXXI. dum esset publicus sacrorum Canonum in ea Benedictina Academia Professor, pariter illum impugnavit pag. 15. & seq. Illum impugnat Cœlestinus Sfondratus. Sunt & alii plures ejusdem sententiæ in diversis Congregationibus Benedictinis Italiæ, Galliæ ac Germaniæ. Quantum verò studii collocaverit laudatus Princeps *Sfondratus*, non modò in Theologia, sed in sacris Canonibus, unde doctrina morum solida eruitur, satis ostendunt celeberrimi ipsius libri, qui præ manibus eruditorum omnium summa cum laude versantur.

Verùm longè antea in Congregatione Benedictina Hispaniæ non defuit, qui doctrinis Casuistarum laxis antidotum pararet. Anno MDCLIII. vivente adhuc Innocentio X. electus fuit Generalis ipsius Reverendissimus Magister

* vid. ejus Præfat. ad Tom. I. Collect. Max. Concil. Hisp. n. 39. p. 5. item Tom. I. Theol. S. Ansel. Disp. 2. Sect. 6.

Bernardus Hontiveros. gister D. *Bernardus Hontiveros*, Primarius Theologiæ Professor in Ovetensi Academia, Theologus Majestatis Catholicæ, ac Consultor Supremi illius Fidei Senatûs, vir spectatissimæ pietatis ac sublimis doctrinæ. Is ab eo tempore acerrimè invehebatur adversùs laxas Casuistarum opiniones, inter quos & ipse *Aguirre* numerabatur. Postea anno MDCLVII. fuit electus Episcopus Ecclesiæ Calagurritanæ, eodem tempore, quo præerant, Oxomensi D. Joannes de Palafox, & Placentinæ D. Ludovicus Crespi. Tres iis Præsules doctissimi pariter & vitæ exemplarissimæ famâ ac scriptis insignes, hortatu Eminentissimi Cardinalis D. *Balthasaris de Moscoso*, & *Sandoval*, Archiepiscopi Toletani (*cujus memoria pariter in benedictione est*) cœperunt communi consilio exagitare *Probabilismum*, tunc longè ac latè grassantem. *Hontiveros* speciatim scriptis suis ea de re titulum dederat: Ejus Scripta. *Lacymæ Militantis Ecclesiæ*. Verùm anno MDCLXII. initio Novembris, fractus mortificationibus, studiis, ac laboribus, circumstante toto Clero illius Ecclesiæ, & pauperibus ejulantibus tam pii Patris obitum, immortuus fuit Operi nondum perfecto, quod proinde in lucem edi non potuit. Idem ferè acciderat *Palafoxio*, qui triennio antè sanctissimè obierat; id est, anno MDCLIX. die tricesima Septembris. Unde licèt tot libris antea editis, sparsim perniciosas ac laxas quorundam Recentiorum opiniones impugnâsset, non potuit perficere volumen aliquod ex instituto in eundem scopum. Denique Episcopus *Crespius* distentus occupationibus variis, & legatione Majestatis Catholicæ in Urbem pro causâ Conceptionis, solùm potuit edere Disputationes Morales selectas adversùs Casuistas prurientes auribus, & nominatim præcipuè adversùs Caramuelem. Crespius edit disputationes morales. *Cavendum enim est*, inquit Mabillonius *, *ab iis, quæ Joannes Caramuel præ aliis, licentiùs, quàm par est, scripsit in suis Commentariis in Divi Benedicti Regulam, quæ unà cum aliis ejusdem Doctrinæ Moralis Operibus utinam nusquam fuissent luci tradita*. Caramuel notatur. Obiit verò Crespius magna sanctitatis opinione relicta eodem circiter anno MDCLXII.

Card. de Aguirre doctrinam Pa- Ab iis igitur præstantissimis Episcopis & Scriptoribus variis instructus *Josephus Saenz de Aguirre*, relicto Probabilismo, in rebus morum Hellicen ac Cynosuram sibi statuit doctrinam trium se. Patrum, quam ut alii sequerentur, ligit. gravissimis verbis eos exhortatus est. " Potiùs, *inquit*, standum est ipsorum " Patrum doctrinis motalibus simpliciter, & ingenuè acceptis, quàm quorumlibet Recentiorum, qui sicut ab " iis incomparabili excessu superantur in honestate morum, puritate" que vitæ, ita etiam in divino lumine ad cognoscendum & docendum, " quid agere debeamus, seu quanam " ratione mores sint instituendi. - - " Unde oporteret (faxit utinam Deus) " ut quemadmodùm aliqui præcellentes in Christiana Republica viri præsertim hoc seculo, & præcedenti " perlegerunt intenta consideratione " Opera SS. Patrum ad refellendas " hæreses, & illustrandam Theologiam Scholasticam: ita etiam aliqui eximiè pii & docti idipsum præstarent circa Theologiam Moralem, " tecta methodo & ordine distributam, juxtà eorundem Patrum doctrinam communem. Sic certè omnes eisdem sententiis (quoad fieri " possit, ac servato medio inter laxitatem & nimiam austeritatem, veluti inter Scyllam & Charybdim) " duceremur in rebus summi momenti, quales sunt rerum agendarum; " præcluderetúrque effrœnis quorundam licentia opinandi, & laxandi in rebus morum eò perniciosior, quò facilior vulgatu in totum " Orbem Christianum ex libris quotidie editis. Sanè plurimùm timeo, " ne fortè ii apud Christum Dominum audiant *cœci, & duces cœcorum*, " eveniátque tandem, *ut si cœcus cœcum ducat, ambo in foveam cadant*. " Sequamur itaque communem sanctorum Patrum doctrinam in rebus " morum, sicut & fidei potiùs, quàm " Recentiorum quorundam liberrimè " opinantium; qui proinde non sibi " solùm, sed & aliis exitium parant. " Nimirum in propriæ & alienæ salutis periculum faciunt cum metu aliorum: qualiter, *qui per funem in summa nituntur, multos solent excitare clamores, cùm jam jámque casuri videntur, ut quidam olim dixit*.

His verbis Purpuratus Pater *Probabilismum* exagitat in præfatione sua ad Tomum I. Collect. Max. Concil. Hisp. de qua præfatione ipse in Epistola ad Joannem Mabillonium scripta literis sequentia consignavit: " Non dubito, " gra-

Ejusdem de Probabilismo Epistola ad Mabillonium.

* Tract. de Stud. Mon. Part. 2. c. 7. pag. 145.

" gratam fuisse Illustrissimo Remensi Archiepiscopo præfationem illam meam ad novam Conciliorum Hispaniæ Collectionem, in quâ probabilitatis commentum antiquis Patribus, & gravibus Theologis ignotum, usque ad finem ferè præcedentis seculi rejicio; quamvis obiter solùm. Vellem illud latiùs, atque ex instituto refellere: sed impedior occupationum onere, & literarum multitudine innumerabilium, quæ vix me respirare sinunt. Præterea eam provinciam in se plures viri præstantes receperunt à me laudati eo loco. Insuper modò è prælo prodibit Liber R. P. Generalis S. J. Tyrsi, quem ferè omnes avidè exspectant, iis exceptis, quibus monstrum illud *Probabilismi* placet, & jam diu altè infedit potiùs cordi, quàm menti. Credo proditurum intra tres aut quatuor hebdomades.

Salisburgensium doctrina. Hæc Eminentissimus Cardinalis, qui fallitur tamen, scribens, quòd Alma & Celeberrima Universitas Salisburgensis *communi Doctorum consensu Probabilismum refellat*; cùm *Ludovicus Babenstuber* in *Theologia sua Morali Salisburgensi*, quæ est ejusdem Academiæ Professorum doctrina, ex variis eorundem scriptis & lucubrationibus collecta, & in unum corpus congesta, licitum usum probabilitatis, uti cœtera omnia, more suo *scholasticè* defendat.

Mediam ingreditur viam P. Benedictus Schmier. Novissimè tamen Eximius Pater *Benedictus Schmier* in eadem Universitate Salisburgensi Ss. Theologiæ Professor emeritus, rationibus pro utraque sententia expensis, mediam, ceu tutissimam viam, ingressus est. Præ oculis siquidem habuit duplicem propositionem damnatam, unam anno 1690. ab Alexandro VIII. Pont. Max. sub num. 31. positam, quæ dicebat: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*: alteram anno 1679. ab Innocentio XI. profligatam, quæ asserebat: *Generatim, dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quamvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Prima propositio censebatur nimis rigida: secunda nimis laxa: unde vir doctus mediam, uti dicebam, viam ingressus est. Quanquàm si in alteram viam vel nimiæ laxitatis, vel severitatis declinandum sit, hanc posteriorem sibi terendam putet, ne jam proclives hominum mentes ad sese in vitia demergendas ab ipso exuberante indulgentiâ urgeantur. Illud etiam in suâ Theologia Morali prudenter cavit, ne tot libidinis secreta, quot nonnulli alii in suis libris, literis mandaret, quæ Confessarios quidem pro excipiendis confessionibus instruere, sed unà etiam non paucos eorum scelerum antehac ignaros erudire, ne dicam, ad malum faces iisdem subjicere queant.

Maurus Tantuccius non docuit Theologiam Moralem Salisburgi. Author est Abbas *Armellinus* in Bibliotheca Benedictino-Casinensi *, *Maurum Tantuccium*, Florentinæ Abbatiæ, *Badia* vocatæ, alumnum, Salisburgum à Principe Archiepiscopo accersitum, Moralem Theologiam sacrósque Canones in monasticâ illa Academiâ plures annos publicè docuisse. At verò fallitur eximius Abbas. *Tantuccius* neutram illam facultatem, sed Philosophiam per biennium magna cum laude Salisburgi docuit; quo exacto Germanicæ impatiens auræ, lugentibus omnibus, & desiderium Viri in Mathematicis, Philosophicis, Juridicis & Theologicis scientiis nulli secundi ægrè ferentibus, domum recessit. Quid verò Florentiam reverso acciderit, Placidus Puccinellus ** refert. Quum enim Abbatis sui jussu, qui eum ad curam animarum ecclesiæ S. Simeonis monasterio subjectæ elegerat, Archiepiscopo Florentino se approbandum obtulisset, ab eodem repulsam tulit, quamvis ad interrogata optimè respondisset, quia nimirum Archiepiscopus nolebat hujusmodi Ecclesias curam animarum habentes à Regularibus administrari. Sed Romam appellantibus Monachis, examen ad Episcopum Fesulanum remissum est, qui perspecta Mauri doctrina eum libentissimè admisit, ac diœcesis Fesulanæ *Examinatorem & Visitatorem* constituit. Quemadmodum etiam Doctorum Collegio adscriptus, Serenissimi Caroli Cardinalis Medicei Theologus factus, Sacræque Inquisitionis Consultor electus fuit. Indignè à cura animarum repellitur ad dignitates evectus

Libros Theolog. Moralis scribit. Eâ itaque occasione Maurus Theologiæ Moralis studiis impensiùs incubuit, sexque ea de scientia tomos conscripsit publica luce dignissimos. Et primus quidem de *Sacramentis*, quamvis impri-

* Part. 2. p. 150. Confer. tamen Histor. Univers. Salisburg. p. 394.
** In Apparatu Histor. de vir. Ill. Abbatiæ Flor.

imprimi Genuæ jam incepisset, ob Auctoris tamen mortem, ac subinde pestilentiam insequutam, usque ad impressionis finem progredi non potuit; itaque semiexcusus in Bibliotheca Abbatiæ Florentinæ adhuc visitur; reliquis tomis eadem de causa deperditis.

Christop. Rafsleri bellum Scholasticum cum Georgio Gobat.

Theologiæ cathedram in eadem Universitate Salisburgensi *Christophorus Rafsler* non tam occupavit, quàm ornavit ab an. MDCLII. usque MDCLVIII. quò à suis Abbas electus Zwifuldam se recepit. Inclaruit quoque eadem ætate Scriptis Practico-Theologicis R. P. Georgius Gobat è Soc. Jesu Constantiæ Casuum Professor, & Pœnitentiarius Episcopalis, inter quem * & Dominum Præsulem anno 1666. bellum exarsit Scholasticum. Tuba belli fuit sententia à Patre Gobato paulò inclementiùs in doctrinam circa definitionem Confessionis Sacramentalis, quam Christophorus Abbas cum aliis magni nominis Authoribus in præclaro suo Tractatu *Speculativo-Practico de Sacramento & Virtute Pœnitentiæ* à se edito tradidit, vibrata: *Confessio est legitima & Sacramentalis accusatio de propriis peccatis ad eorum veniam virtute clavium obtinendam, coram sacerdote facta.* Hæc definitio petita est è Catechismo Rom. *de Sacram. Pœnit. §. sed ea Confessionis utilitate proposita.* Asseruit tamen Jesuita, posse ex eâ Domini Abbatis doctrinâ crudè intellectâ, *rudem Parochum facilè infernum sibi mercari.* Expostulavit Dom. Præsul cum Gobato super acerbo obelisco, eique calumniæ crimen impegit, scriptâ bene longâ Apologiâ, quâ & suam sententiam defendit, & injuriam sibi ab haud æquo Censore factam ostendit, interpellato etiam per literas pro injungenda P. Gobato revocatione, Præposito Societatis Provinciali. Multum atramenti hac in pugna fusum, scripta & rescripta inter se pugnantium amicis, virisque doctis communicata. Gobatus vim intentatæ sibi cuspidis demissis aliquamdiu excusationibus & explicationibus eludere frustra conatus, promisit demum se in altera editione, aut appendice prioris Operis, quæ pararet, illato vulneri cataplasma ad plenam satisfactionem impositurum, irritatricésque lineolas ostracismo damnaturum; cujus promissi impletionem ad *Calendas*, ut aliquibus visum, *Græcas* tacita mentis reservatione extendit versutus senex.

Benedictinorum doctrina moralis in laxitatis reprehensionem non vocanda.

Illud verò, absit verbo jactantia! Benedictinis Theologis laudi dandum, quòd in Scriptis suis Theologicis de doctrinâ morum nullas tradiderint its laxas sententias, ut ad eas delendas in spongiam incumbere meritò eos oporteret; quin potiùs nimiam aliorum laxitatem refutârint. Ita inter alios fecit *Laurentius à Dript*, suprà laudatus, Theologus Gladbacensis, atque Episcoporum Paderbornensium in Spiritualibus Vicarius Generalis. Cùm enim seculum proximè elapsum, utinam non etiam modernum, sententiarum & opinionum quâdam quasi contagione laboraret, quæ licèt pro probabilibus passim circumferri solerent, minimè tamen essent, earum quàm plurimas, edito insigni libro, refellendas suscepit. Titulum Operi præfixit: *Antidecalogus Theologico-Politicus Reformatus* **. Ea nempe fuit luxuriantium ingeniorum, éstque adhuc libido, ut fatis illis non fuerit voluntaria divina & humana jura novis suis non fundatis adinventionibus sub specioso probabilitatis titulo convellere: si non & moralia Decalogi, quæ legis naturalis & æternæ sunt participatio, ausu temerario aggrederentur, & cœlestis illius Psalterii decachordi suavissimam harmoniàm fœdis suis sanctioni divinæ & naturali repugnantibus sententiis turbâssent, fuissentque infidi duces ad devia per se nimis quàm volubilibus. Quâ verò Auctor insigni fuit modestiâ, neminem eorum, cujus doctrinam ut æquo laxiorem perstringit, nominare proposuit, ut irasci jure nemo ipsi posset. A quo etiam proposito nunquam recessit, nisi quòd sui oblitus semel *Palaum* (si bene memini; neque enim librum jam in promptu habeo) nominârit.

Laurentius à Dript.

de Almericis Theologiæ Professoris insignis modestia.

Pari modestia excelluit *Almericus de Almericis* *** nobilis Cæsenas, è Congregatione Casinensi eximius Theologus, præsertim in eâ facultate, quæ mores ad divinæ legis præscriptum componit, & dirigit; eam namque quinquaginta propemodùm annorum spatio Cæsenæ docuit, Episcopis idcirco illius Urbis, ob singularem consummatámque ejus scientiæ peritiam, apprimè charus, & ab Eminentissimo Cardi-

* Annal. Zwifalt. Part. 2. Sect. 6. Period. 5. cap. 8. p. 290.
** Vid. Auth. Præfat.
*** Armellin. Bibl. Casin. part. I. p. 68.

Cardinale Urſino, qui poſteà Benedictus XIII., *Magnus Theologus* paſſim nuncupatus. Hic cùm ad ſummam ſenectutem perveniſſet, morti jam proximus coram Abbate, & monachis ſibi aſtantibus, copioſis lacrymis laxiorem morum diſciplinam deteſtatus, ſi quas nunquam molliores, aut minùs tutas ſententias dictâſſet vel docuiſſet, eas ſe retractare, obliterare, & improbare proteſtatus eſt, ſeriò & ineluctabilibus rationibus, quotquot aderant, ad tutiorem, arctioremque morum doctrinam tradendam, & ſectandam etiam, atque etiam adhortans, ſanctiſſimis deinde Sacramentis piiſſimè ſuſceptis, in pace quievit octogenario major circa annum 1698. reliquit plura volumina MSS. in omnes Tractatus ad Morum doctrinam ſpectantes.

Claudius Mathoudius ſeverioris morum doctrinæ retinendæ ſtudioſus.

Claudius Mathoudius è Congregatione S. Mauri, acerrimo pollens ingenio, in Theologia Domnum Hilarionem le Febvre audiit, à quo nulla laxiorum opinionum ſcabie infectus, ſed earum potiùs odio imbutus fuit. A quibus quàm longè abeſſet, non modò in inſigni illo Commentario demonſtratum dedit, quo Roberti Pulli, & Petri Pictavienſis veterrimorum ſcilicet Sholaſticorùm Theologorum libros Sententiarum illuſtravit, ſed eo maximè tempote, quo Magni Vicarii munere ſub Ludovico Henrico Gondrino, Senonenſi Archipræſule, functus eſt. Cùm enim intellexiſſet, quosdam Regulares in dirigendis aliorum conſcientiis laxioris Ethices propinare dogmata, eos ab excipiendis confeſſionibus arcuit, & à ſacro abſtinere tribunali coëgit.

Caramuelis Theologia Moralis.

Sed quid de *Joannis Caramuelis* Theologia Morali dicturi ſimus? Hanc à Joanne Mabillonio aliiſque timoratis viris atro carbone notatam ſuprà audivimus; nec noſtrum eſt illius hyperaſpiſten agere. Quid ita verò? Cauſa eſt, quòd Caramuel ad Ciſtercienſes potiùs, quàm ad Benedictinos pertineat Scriptores. Non equidem me præterit, illum à V. C. Bernardo Pezio in album Benedictinorum * his verbis referri: *Joannes Caramuel ex Ciſtercienſi Benedictinus Emautinus Pragæ & Monſerratenſis Viennæ Abbas.* Cujus ſuæ aſſertionis teſtem laudat *Nicolaum Antonium* Bibliothecæ Hiſpanæ Novæ eruditiſſimum Auctorem. Verùm licèt is diſertis verbis ** teſtetur, *Caramuelem* quidem à Ferdinando III. Auguſto Monſerratenſibus duobus Benedictinorum monaſteriis Viennenſi & Pragenſi fuiſſe præfectum; hoc tamen ſine aliqua Profeſſionis mutatione factum eſt; cùm id fieri poſſe, ac ſæpè factum eſſe *Caramuel* pervicerit. Quando igitur famigeratiſſimus hic Auctor Ciſtercienſibus primariò adſcribitur, eisdem quoque laxiores juſto doctrinas, quas inter eos hauſerat, defendendas relinquamus. ***

Jo. Barnesius Lessii doctrinâ moralem impugnat.

Valeat etiam *Joannes Barneſius* ex Congregatione Anglo-Benedictina, qui nullum operæ pretium feciſſe dicitur, cùm moralem doctrinam *Leonardi Leſſii*, percelebris è Societate Jeſu Theologi edito libro, cui titulus: *Contra Æquivocationes*, impugnandam ſuſcepit. Nactus eſt enim continuò Adverſarium, qui librum ei oppoſuit hac epigraphe inſcriptum: *Splendor veritatis Moralis, collatus cum tenebris mendacii, & nubilo æquivocationis ac mentalis reſtrictionis, quibus Joannes Barneſius, Anglus, O. S. B. Monachus Leonardum Leſſium S. J. Theologum oneravit per Fr. S. Emonerium, Ord. Min. Convent. S. T. D. & ejus Ordinis apud Salaſſios Commiſſarium &c. &c. Lugduni apud Anton. Berterium MDCXXVII.* Liber pſeudonymus, quem ſcripſerit *Theophylus Raynaudus* Jeſuita, memoratur num. 26. & ultimo *Indicis Jeſuitarum*, *qui in certamen* (ut auctor exemplo *Sirmondi* **** ſe loqui ſcribit) *larvati prodierunt.* Præfixus eſt Index iſte initio Tomi III. Operum *Petri Aurelii*, ſeu veriùs *Juſti Vergerii*, Abbatis San-Cygirani. *Barneſium* vindicavit *Samuel Rachelius* ***** homo acatholicus, qui æquivocationis doctrinam, *velut nequitiæ ludum*, *peſtémque moralis Theologiæ*, impetiit, hujùsque Auctorum aliquot nno collegit & confutavit libro Helmſtadii edito. Num is majus operæ pretium fecerit ac alii, in medium relinquo. Nec hujus, nec *Barneſii* liber mihi viſus, neque ejus confutatio lecta fuit; unde à quo veritas ſteterit, dicere non auſim: *Neque enim omne, quod ſplendet, aurum eſt.* Ut

* Epiſt. Apolog. pag. 234.
** loc. cit. pag. 507. col. 1.
*** Vid. *Caroli Viſchii Bibl. Ciſterc. art. Caramuel. Sartorius in Ciſterc. tit. 20. Egger in Idea Part. II. Diſſ. III. p. 238. Tepes Chron. Gen. Tom. I. pag.* 31.
**** Vid. Placcius de Script. Anonym. c. 2. n. 805. pag. 137.
***** Morhoſius Polyhiſt. Tom. III. libr. 1. n. 12. p. 488.

Ut tamen quod sentio, candidè edisseram, haud majorem solidæ doctrinæ moralis copiam in eo contineri, atque in aliis ejusdem libris, mihi credere in proclivi est. Etsi enim *Pitseus* in libro de Illustribus Angliæ Scriptoribus *Barnesium* ab eruditionis & doctrinæ præstantia commendet, cum tamen virum extitisse sui impotentem, cuique haud sanum fuerit sinciput, ex Morotrophio Romano, cui demùm inclusus fuit, colligere pronum est. Privatæ tamen notitiæ, (*ne quid dissimulem*) perhibent, ipsum *probabilismo*, quem novi Casuistæ præcipuum Theologiæ suæ Moralis fundamentum constituunt, *exagitando & profligando* tam fervidè insudâsse, ut Romam profectus, cùm propositiones aliquot laxiores Summo Pontifici denunciâsset configendas, nec quicquam impetrâsset, ocitro percitus, in delirium prolapsus fuerit, & morotruphio reclusus. Quæ narratio an veritate nitatur, penes alios esto judicium.

Abbatis Petitdidier apologia pro Montaltii literis.

Nec fine etiam formidine cespitandi, gradum ad *Mathæum Petitdidier*, doctissimum Congregationis Benedictino-Lotharingicæ Abbatem, promoveo. Is Apologiam Literarum Provincialium personati *Ludovici de Montalte*, id est, nisi fallor, *Blasii Paschalis*, contra doctrinam Patrum Societatis conscripsit. Fecit id non expresso suo nomine; an etiam verò adscito alieno? me oppidò latet. Cùm verò subinde Opus Apologeticum Abbatis à perversu quodam genio, variis assutis centonibus ita flagitiosè non interpolatum modò, sed conspurcatum etiam fuisset, is Scripto quodam Romæ die 30. Sept. anno 1726. typis vulgato, illud à se removit. Magnoperè tamen mirari subit, Præsulem Eruditissimum operam post triginta quatuor annos sumpsisse, ut eas Montaltii literas notis illustraret, quæ à *Sarasa* Partis II. Artis semper gaudendi Tract. IV. num. 19. pag. 102. Decreto Senatûs Regii Sanctioris de die 23. Sept. 1660. quod ibidem & Gallicè & Latinè exhibet *Sarasa*, cum notis *Wendrosbii* & *Irenæi*, larvatorum Auctorum, flammis addictæ perhibentur. Hæc cùm mihi haud satis sint comperta, ideò paucis refero, ut qui Sodales nostri hanc Historiam, uti sperare fas est, & cœteras elimaturi sunt, in uberiorem & certiorem eorundem cognitionem inquirere non graventur. His in chartam jam conjectis, lego sequentia in Commentario de rebus pertinentibus ad Ang. Mar. S. R. E. Cardinalem Quirinum Part. II. lib. I. c. 14. n. 234. " Haud diffitebor, valdè gratum mihi " fuisse, cum eo hospite (*Mathæo Petitdidier*, *Præsule Lotharingo*) de " quàm pluribus rebus prolixè sermocinari. Recensuit ille mihi lucubrationes omnes, quas in lucem edide" rat. At nihil auribus magis intentis " percepi, quàm ejusdem narrationes " de libro, *Apologie des lettres Provinciales de Louis Montalte*, quem sibi " omninò falsò adjudicatum fuisse " narrabat, quamvis non deforent, " qui testimonium perhiberent, eundem amicis suis palàm fassum fuisse, " aurhorem ejus libri non alium esse, " quàm seipsum. "

Conclusio de averuncando æquivocationis systemate.

Cæterùm, ut concludam, portentosum illud æquivocationum & restrictionum Mentalium systema, cæteráque monstrosa doctrinæ Moralis capita tot ante seculis incognita, & tam præclaris Theologis non perspecta, adeò bonis omnibus hodie exosa sunt, ut qui ejusmodi hydras stylo suo gnaviter confoderet, *Herculis* Ἀλεξικάκου nomen & laudes eo facto à grata posteritate reportaret. Sicut enim semel admisso in viscera morbo, magna inde per universa membra sequi solet corruptio, & labes concepta serpit, virésque acquirit eundo, ita Theologia Moralis conceptis Probabilismi seminibus, & recepto isto æquivocationum ac restrictionum mentalium systemate, illud doctrinæ genus peperit, quod *scepticismum*, magnum Reipublicæ juxtà ac Ecclesiæ malum invexit, laxámque conscientiæ ad patranda quævis portam aperuit: Dignum proinde, quod detestetur, quisquis boni sensûs & integræ mentis est, atque à serio virtutis & salutis studio alienum non servat animum.

SECTIO

SECTIO V.

DE THEOLOGIA MYSTICA ET ASCETICA.

Argumenti tractandi ratio.

MAgna est *Theologorum Mysticorum & Asceticorum* in Familia Benedictina celebritas, ingens numerus, nec minor præstantia & utilitas; sed dolendum maximè neminem hactenùs fuisse, qui justæ mensuræ & conditionis historiam hujus scientiæ scripserit, cùm innumera sint, quæ de ea observari mereantur, & quæ sciri omninò literarum præcipuè sacrarum interest. A quo labore suscipiendo deterruisse viros doctos videtur totius tractationis molestia in infinitum propè decurrens: ita enim cultissimus *Felix Egger* istud argumentum subindè aggressus, *Hujus*, inquit, *orationis difficilius est exitum, quàm principium invenire; præsertim ubi temporum injuriâ, antiquitatis minùs exactæ vitio, & ob typi defectum innumera nobis interière cœlo notissima, & in decretorio olim judicii ultimi die manifestanda*. Nec à nobis proinde in universali hac rei Literariæ Benedictinæ tractatione talis historia plena & perfecta vel postulari vel exspectari debet, quæ sola integrum unius Scriptoris studium sibi vindicat magnámque peritiam, industriam & prolixitatem exigit. Ne tamen cælestem hanc disciplinam, cui primas debemus, prorsùs neglexisse videamur, & sanctioris hujus doctrinæ Cultores opellam nostram hac in re desiderent, congruum duximus, breviter adnotare, quidquid ad illius historiam & notitiam majori consideratione dignum occurrerit.

Quid rei sit Theologia Mystica.

Et primò quidem *Theologia Mystica*, ab aliis *Scientia Sanctorum* nuncupata, nihil aliud est, quàm *notitia rerum divinarum in oratione & contemplatione modo supernaturali*, seu *speciali Luminis divini adminiculo comparata*; discenda proinde in Academia cælesti potiùs, quàm in terrestri, ut quæ ex ipso bonorum omnium fonte DEO profluit, & in eundem iterùm refluit. Est nempe hæc scientia, juxta alios, *charisma illud & donum Spiritûs sancti*, quo imbutus homo cognoscit, quæ *credenda & agenda* sunt, seu *modum piè justèque vivendi* ad consequendam felicitatem æternam. Gemino autem id dono perficit Spiritus sanctus, *Intellectu* scilicet & *Scientiâ*: per donum *intellectûs* instruit & disponit facultatem hominis naturaliter intellectivam, ut nón erroneam, vanam & fucatam, sed veram & solidam rerum imaginem seu apprehensionem formet. Per donum *Scientiæ* juvatur ipse intellectus, seu vis hominis naturaliter discursiva, ut sincerum & conforme rebus ipsis judicium statuat, atque sic per rerum creatarum cognitiones, velut per quosdam *Jacobinæ Scalæ* gradus ad ipsius, qui scalæ summitati innititur, *Dei Conditoris & Remuneratoris* pulcherrimam beatissimámque contemplationem pertingat, eóque voluntatem & actus omnes dirigat.

Ejus habitus duplex.

Hujus autem Scientiæ habitus duplex est, *Speculativus* nimirùm & *Practicus*; hic *agenda*, ille *credenda* proponit, & uterque modum, quô idipsum fiat, per internas illustrationes edocet, vocatúrque talis habitus *Scientia Sanctorum* ea de causa, quòd ex Deo sit, & in Deum per viam salutis æternæ alumnos suos deducat. Unde feliciores illius disciplinæ Cultores non tam *Theologi*, quàm *Theophili* dicuntur. Ejus verò Magister primarius est ipse Doctor Doctorum JESUS CHRISTUS: Discipuli sunt Animæ Christianæ, simplices tamen & humiles, quæ vana ignorare, & ignorari in ipsius Mundi theatro unicè concupiscunt. Quæ etiam in centrum ignorantiæ rerum terrenarum sese deprimentes, Christum circumplexæ, fortis denique & scientiæ ejusdem merentur fieri participes, & in secretiori Ascesi salubriùs eruditæ, *propter eminentem scientiam Jesu Christi omnia arbitrantur ut stercora*. His sublimior Philosophia, *scire Jesum Christum, & hunc crucifixum*. Quocirca non immeritò veterum, qui à via salutis & veritatis deviârunt, Philosophorum futilem fluxámque scientiam irridens mysticus Poëta cecinit:

Si Christum nescis, nihil est, si cætera discis.

& variæ propagines.

Cælestis hujus sapientiæ primigenia soboles, comésque individua est *Theologia Ascetica*; unde utramque sub una epigraphe non irrationabiliter placuit exhibere, non quod nos lateat discri-

discrimen inter *Mysticos* & *Ascetas*, quò primi circa actus *internos* versantur, posteriores verò actus spectant *externos*, ita tamen ut plures ex illis utramque sustineant spartam. Ubi autem à Patre luminum DEO tam affluenter illustratur fidelis anima, ut felici Magisterio istam *Sanctorum Scientiam* non modò docere alios, & in cælestis Philosophiæ disciplina erudire possit, sed etiam hostes fidei, acopinionum adversantium fundamenta evertere pariter valeat, huic tunc animæ juxta Doctorem Angelicum* confertur *Gratia gratis data*; quæ tamen non ad salutem necessaria, nec singulis licèt justis propria est; sed iis ferè conceditur,*quos ardens evexit ad æthera virtus*, aut qui ad conversionem gentium cælitùs destinantur. Et hæc est altera Theologiæ mysticæ propago, quæ jure merito sublimiori *Theologiæ mystico-polemicæ* titulo insignitur. In ejusdem verò *scientiæ Sanctorum* regali quasi obsequio ancillantur reliquæ omnes disciplinæ, ita ut sicut nulla est, quæ non ex hoc fonte inexhausto promanat, sic nulla sit, quæ non divinum quid, velut *characterem* circumferat. Sed quia nimis immersi sumus nobis ipsis, & inani opinionum splendore oblectamur, quod in scientiis divinum est, impeditur & obtegitur. Quod si animum paululùm in se revocaremus, Deóque *scientiarum Domino* permitteremus, & simplicissimos naturæ intueremur progressus, expeditior esset ad veritatem via, & Divinæ menti nostram arctiùs & feliciùs jungeremus.

De eo, quod in scientiis mysticum est. Occasione hujus volupe esset per omnes scientiarum facultates excurrere, & quid in iis mysticum seu Divinum elluceat, ostendere. Sed quia id longiùs à proposito nos abduceret, paucis rem expediemus. Et in ipsa quidem primâ rerum apprehensione, quæ non divina sæpè animadvertimus vestigia? Sunt qui fulmineâ ingenii vi omnia perrumpunt, quorum animus in specula positus uno quasi intuitu omnia simul comprehendit: quasi non sensuum ministerio, non præceptorum aut discursuum apparatu ad intelligendas res indigerent, sed geniorum instar omnia pervaderent & quasi absorberent. Ita quæ tardiùs assequuntur alii, longísque præceptionibus circumducti, illi quasi volatu uno transmittunt, omniáque præcipere ipsi videntur. Vidimus ad certas disciplinas quosdam quasi divinitùs incitatos, ea in his confecisse spatia, ut in prodigium res illa traheretur. Fuere ad varias artes liberales & mechanicas aliqui velut à naturâ facti, ut nullis usi doctoribus ipsos in illis rebus artifices superarent. Quin & vaticinandi quibusdam instinctum adeò efficacem fuisse accepimus, ut mera oracula funderent. Vidimus oratores sacros, divino quasi Spiritu ductos, citra ullam meditationem ad dicendum prosilire, atque extemporali sermone plus præstitisse, quàm elaboratis orationibus alios. Poëtas qui non humanâ sed deorum linguâ loqui dixit, aliquid homine majus in illis agnovit. De eo, quod in Musicâ divinum est, præclarè veteres Philosophi, ut qui ad sonorum harmoniam, mirabilem sanè & mysteriis plenam totius universi mensuram inierint. Ecquid verò divini non est in Mathematicis, aliisque omnibus propemodùm disciplinis? Pepones profectò sint & fungi, qui in his omnibus præsentem Dei Spiritum non agnoscunt. Nempe *Sedibus æthereis Spiritus ille venit*, qui nos ducit in omnem veritatem, & usque ad contemplandam Divinæ celsitudinis speciem perducit.

Theologiæ Mysticæ natales & progressus. Ex quibus parca licet manu deductis colligi facilè potest, quanta sit Theologiæ mysticæ præstantia, quanta utilitas. Ejus verò natales si inquiras, *Est ex æterni luminis in cordibus hominum signati fonte derivatus radius*; Est rationalis animæ parentis nobilissimæ nobilissima soboles, sine quâ nihil scit, qui scire vult omnia. Hæc quippe clavis est regia scientiarum omnium reserans sacraria. Hæc docet docere, docer & discere, sola hæc scientes potest facere. Quo autem in honore semper habita fuerit, docent tùm Theurgici Gentilium, tùm etiam mystici Hebræorum & Christianorum libri, quibus doctrina de Deo, déque ceremoniis, & secretioribus mysteriis tradebatur. Theurgiæ Gentilium arcana, non volaticis narrationibus sparsa, sed suis rationibus deducta, apud *Jamblichum* in libro *de Mysteriis Ægyptiorum* operosè proposita sunt; sed videri super multis doctissimus Sapientiæ Ægyptiorum vindex *Borrichius* meretur. Quod vel ideò monendum duxi, quia Ægyptiorum doctrina in his præcipui aliquid habere videtur, cùm ab Ægyptiis in Græcos, & ab his in Romanos multa sint derivata. Hebræorum

* *S. Thomas 1. 2. Q. 9. art. I.*

rum Theosophici libri, quos illi *Cabalisticos* vocant, longè plurimi fuerunt, quorum Esdras ultra LXX. collegit, non nisi Sapientibus legendos. Circumfertur hodiedum apud Judæos Abrahami Patriarchæ, (cui tribuitur) *Sepher Jetzira* id est LIBER REFORMATIONIS. *Ex illo*, inquit Bartoloccius *, *quotquot de cabala scripserunt, tamquam ex fonte turbido potârunt, totámque illam hauserunt Judæorum Theologiam, quam Mysticam vocant, & de qua mira jactitant, sed multis falsationibus incrustata.* Legendi de *Cabalisticis* Reuchlini & aliorum libri, quos aliquot voluminibus in folio *Joan. Pistorius* Basileæ A. 1587. edidit. De *Elia, Eliseo*, Therapeutis & filiis Prophetarum, qui præcipui fuerunt veræ Theologiæ myst. cultores, plura dabunt alii.

Mystici Christianorum libri. Christianorum jam à primis quoque temporibus mystici quidam in Theosophia libri fuerunt; quos inter locum sibi principem facilè vendicant decantata illa *Dionysii Areopagitæ* Opera *de Hierarchia Ecclesiastica; De divinis nominibus; De Theologia mysticá.* Hunc *Dionysium* S. Pauli discipulum fuisse passim traditur, multóque rationum conquisitarum apparatu, laudata ejus Opera genuinos esse illius partus defendit Petrus Halloix *in vita S. Dionysii, & quæstionibus de vitâ & operibus ejus.* Supposititios esse contendit Dupinius **. Nos illam aliis litem dirimendam relinquimus. Libri Certè illi, à quo demùm cúmque scripti sint, rerum divinarum profundissimis meditationibus pleni sunt, Etsi verò Theologia veterum Christianorum unum ferè fuerit sacræ Scripturæ studium, *Mystica* tamen, quæ jam Seculo Ecclesiæ quinto invalescere cœpit, propiorem viam ad unionem cum Deo ostendere voluit, hócque sacratioris doctrinæ genus maximè operibus *Dionysii* adjutum Seculo IX. in Occidentalibus Ecclesiis propagatum fuit, & ex hoc Seculo in sequentia traductum. Quæ res omnino fusiùs hîc discntienda foret: siquidem Historici munus est, in illius scientiæ, quam tractat, origines, progressus, fata & vicissitudines, depulsis præjudiciorum & opinionum nebulis, diligentiùs inquirere; Verùm cùm hæc tractatio magis ad universalem, quàm ad particularem spectet Historiam, materiem illam hoc loco vel leviter attigisse sufficit: Nunc propiùs ad res nostras, quarum enarratione Historia *Theologiæ Mystico-Asceticæ* juvari maximè & illustrari possit, progredimur.

Theologiæ Asceticæ apud Benedictinos cultus. Etenim cœlestem hanc disciplinam in Religione Benedictina jam inde ab initio viguisse, & perpetua fœcunditate hactenus virescere, tam certum est, atque dilucidum, ut nullis prorsùs armis ad roborandam ejusmodi veritatem, sed ad eam dignè illustrandam robustiori potiùs facundiâ opus sit. Caput primò intueamur, quo reliqua deinceps membra eò faciliùs possimus dignoscere. S. BENEDICTUS primus hujus familiæ parens. *Hic nobiliore genere ex provincia Nursiæ ortus*, ut in ejus vita refert Gregorius M. *** *Romæ liberalibus literarum studiis traditus à parentibus fuerat. Sed cùm in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum, quem quasi in ingressu mundi posuerat, pedem retraxit; ne si quid de ejus scientia attingeret, ipse quoque postmodum in immane præcipitium totus iret. Despectis itaque literarum studiis, relictâ domo rebúsque paternis, soli Deo placere desiderans, sanctæ conversationis habitum quæsivit. Recessit itaque scienter nescius, & sapienter indoctus.* In quæ verba digitum intendens doctissimus Felix Egger **** *Admirabile*, inquit, *elogium tribuit Benedicto* Gregorius, dùm illum *scienter nescium & sapienter indoctum* appellat. Quanta enim in brevissimâ antithesi profunditas! quanta in humili ad speciem præconio sublimitas! quanta in pauculis adeò verbis multiplicis arcani fœcunditas! Nulla luci cum tenebris unquam, & æquè nulla scientiæ cum inscitia, aut sapientiæ cum ignorantia societas unquam fuit. *Immo verò*, subdit, *est luci cum tenebris, inscitiæ cum scientia, & cum ignorantia sapientiæ fœdus arctissimum.* Quî hoc? Lux *omnem illuminans hominem*, DEUS, qui, cùm Judaici populi Ducibus olim loqueretur, *nebulam* inhabitabat, & cùm Salomonicam Basilicam præsenti impleret Numine, indice Majestatis *fumo* totam involverat; Qui etiam cùm sibi tabernaculum fabrefieri vellet arte variâ elaboratum, suásque in partes distinctum * *Beseleel implevit Spiritu, sapientiâ, intelligentiâ, & scientiâ in omni* *Exod. 31.

* Bartoloccius in Bibliotheca Rabbinica Romæ editâ.
** Dupin in Bibl. Eccl. Auctor. Latinæ edit. p. 52.
*** S. Gregor. Papa Dialogo II. & ex eo Antoninus in Summa Historiali Tit. XV. c. 13.
**** Egger in Idea Ord. Bened. lib. I. pag. 129.

ni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri potèst, ex auro, ære, argento, marmore, gemmis, & diversitate lignorum. Idem, *inquam*, ille Deus, qui *Scientiarum Dominus* est, ac Fons Sapientiæ limpidissimus, sanctioribus, quas in suam semel scholam admisit discipulas, animabus hanc in solenni statim ingressu legem dictat, ut sint simplices sicut columbæ, ut inscitiæ ambiant tenebras, quò per humilem simplicitatis & ignorantiæ caliginem ad arcanioris *Scientiæ lucem*, humanis aliàs viribus inaccessibilem, feliciùs pertingant.

S. BENEDICTUS Sanctorũ Scientiâ illustratus,

Hujus nobilissimum capesîs exemplum in S. P. BENEDICTO. Romæ, ut jam audivimus, in amplissimo totius orbis theatro, navabat ille literis operam, nondum ephebos egressus; *Paternæ dextræ digitus*, &, qui *linguas infantium facit esse disertas*, Spiritus *scientiæ ac consilii, doctrinæ & virtutis*, suavibus ad sublimiora stimulis innocens pueri inflammare pectus, cælestis disciplinæ inspirare desideria, & in eremum, ubi sanctarum mentium Gymnasia florent, tenellum adhuc tyronem evocare. Nec surdas cœlum aures reperit: nam profanis illicò valedixit Musis, ut divinioribus jungeretur; à perituris abivit scientiis, ut perennaturas adiret, & Romam antro Sublacensi commutans, cùm *in solitudine ad cor ejus loqueretur* Patris Sapientia, & quotidiano eundem magisterio CHRISTUS imbueret, tam copiosis & mirificis in sacra illa caligine luminibus superfusus est, ut exinde *Stellæ* instar *Matutinæ* per oppositas sibi nebulas erumpentis, *lucens in diebus suis* universam Christi Ecclesiam uberrimis hujus *Scientiæ Sanctorum* tadiis illustraret. Quàm ingeniosè igitur Gregoriana suada BENEDICTUM *scienter nescium, & sapienter indoctum* nuncupavit! Ast talem immeritò nuncupâsset, nisi pariter *omnium Justorum Spiritu plenum* extitisse asseruisset. Secularium quippe Scientiarum cisternas sanctiori consilio deserens, penetravit *ad fontem aquarum viventium*, & his ipsis dum totus inebriatus fuit, quis ambigat, non imbibisse *Scientiæ plenitudinem*, cui omnium innatat *Justorum Spiritus*, qui in ipsa statim mundi creatiòne *ferebatur super aquas*, & symbolicè mentes divinissimi Fontis & Scientiarum undâ irrigandas designabat.

Non solet quidem DEUS mortalem unum beare omnibus illis donis, quæ *gratiæ gratis datæ* dicuntur: *Uni enim*, inquit S. Paulus *, *datur sermo Sapientiæ; alii sermo Scientiæ; alteri fides; alii gratia sanitatum; alii operatio virtutum; alii prophetia; alii discretio spirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio sermonum*; prout nempe ad utilitatem Ecclesiæ, & animarum salutem aliis alia atque alia congruit impendere. Atqui S. BENEDICTUM in munus singulare altúmque jam pridem destinatum, donis & gratiis illis instruxit, stipavítque universis; quod privilegium incomparabile meritò censeas. Id secum exigens D. Gregorius & demirans, BENEDICTUS, exclamat **, *omnium Justorum spiritu plenus fuit.* Par enim erat infinitæ multitudinis futurum Magistrum, & ejus Reipublicæ Caput, cui se ita varii mortales jurejurando essent adstricturi, supra ceteros eminere. *Cùm ergo Deus Opt. Max. delectu inter homines habito, S. Benedictum destinâsset, qui exemplo, verbis, scriptis Ecclesiam Latinam sanctè imbueret, Spiritum illi dimisit cælestem: sapientiâ & dexteritate instruxit, ut officium quàm rectissimè fungi posset, & omnis ordinis ac ætatis homines prudentissimè captare & ad Deum adducere sciret.* *** Quam ob rem D. Gregorius libr. 2. Dialogor. ponderatis ejus meritis, cap. 36. velut per lancem saturam addit: *Hoc autem nolo te lateat, quod Vir Dei* (Benedictus) *inter tot miracula, quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulsit.* Utì verò in nitido solent speculo oppositi Solis radii pulcherrima reverberatione signari, sic in una sanctissima Regula, quam sanctissimus Pater suis præscripsit, totius *cælestis Scientiæ* dogmata perfectissimè contenta emicant. *Exiguus quidem mole libellus est*, inquit doctissimus Egger ****, *sed hæc tenuitas ejusdem pretium extollit: quia in eo velut in parvula gemma totus ultramundanæ Sapientiæ discus solaris non sine prodigii specie venustissimè relucet*... Sed quia critico, quo vivimus, seculo plures sunt, qui recentiorum verba parvi pendunt, agesîs dispiciamus quanti Regulam hanc duxerint Viri sancti, quorum libros universus Ecclesiæ calculus probavit.

aliísque gratiis cumulatus,

scripsit Regulam suggerente S. Spiritu.

Divus Gregorius rerum spiritualium Censor egregius; & quà Pontifex maxi-

Veterum hac de re testimonia.

* S. Paulus 1. Corinth. 12.
** S. Greg. lib. 2. Dial. cap. 8.
*** Yepes in Chron. General. O. S. B. pag. 45.
**** Felix Egger in Idea Ord. Hierarchico Bened. Lib. I. p. 182.

maximus, & quà Ecclesiæ Doctos eximius, nullam laudandæ S. BENEDICTI Regulæ dissimulavit occasionem. Illam enim quà Pontifex approbavit; quà Doctor *Discretione præcipuam & sermone luculentam* * dixit, ejúsque auctorem *Vitæ strictioris excellentem Magistrum, & discipulum à divina Veritate illuminatum* asseruit **. Singula, quæ Sancti fundunt, vesba pondus habent. Titulo psiore cohonestari solent sancti doctíque Visi: postesios non omnibus contingit, quo D. Gregorius sublimiùs effert S. BENEDICTUM, illum nempe *discipulum à divina Veritate illuminatum* asserens, quòd nempè suam scientiam non aliunde, quàm è cœlo hauserit. Idem ferè repetit *Ludovicus Pius* Impesator in sua ad *Eigilem* Abbatem Fuldensem exhortatione his verbis ***: *S. Benedictus Regulam Monachorum Spiritu sancto repletus cum magna discretione conscripsit.* Patses Concilii Daziacensis anno 874. celebsati de eadem ita sentiebant: *S. Spiritus per B. Benedictum eodem spiritu, quo & sacri Canones editi sunt, Regulam Monachorum edidit* . . . Et iterùm, *Beatus gratiâ & nomine Benedictus*, inquiunt, *sancto Spiritu inspiratus consona sacris Scripturis, & aliorum orthodoxorum Patrum prædicationibus in sua Regula dicit.* Memosanda quoque *Leonis* Archiepiscopi Ravennatis ad Durandum monachum tescribentis sententia: S. BENEDICTUS, inquit, *ab eodem Spiritu sancto edoctus, cum se hac luce revelante Deo sciebat esse transiturum, ad petitionem discipuli sui* MAURI *hanc Regulam suis beatis manibus descripsit, eique tradidit, ut perfectè sciret, qualiter se suósque discipulos imbueret.* Tum vesò *Durandum* admonens, *Tu verò*, subdit, *noli sequi reprobum sensum, sed imitare Regulam electam ab electo Divo* BENEDICTO *editam, à sancto piòque Spiritu dictatam, & à præclaro Doctore Gregorio Pontifice summo laudatam, & à perfectis viris imitatam, quæ sectatores suos ad Regnum cælorum perducit.* Huc etiam spectat Venesabilis *Odonis* Cantuariensis Monachi sententia ad Adam Fsatrem suum Igniacensem Novitium graviter rescribentis in hæc vesba ****: *O admirabile mysterium & admirabile sacramentum! primum Testamentum dedit Deus in cordibus hominum, quod vocatum est*, Lex naturalis; *quod si servâssent, secundò non indigerent. Sed quia novitatum amatores sunt homines, per inveterationem primo Testamento neglecto, secundum dedit in circumcisione, quod propter sui novitatem paulò libentiùs amplexati sunt quidam. Sed hoc iterùm inveterato, atque neglecto tertium dedit in Baptismo, quod prædestinatum est, ut stet in æternum. Sed quia longâ consuetudine inveteratum cœpit ab hominibus paulatim in negligentiam duci, quartum dedit in cuculla, ad cujus novitatem amator novitatum pænè totus jam confluit mundus. Post hoc quintum non erit, quia in hoc novo & mirabili modo omnium gentium benedictiones continentur. Quidquid enim Religionis & sanctitatis in tribus præcedentibus testamentis continetur, totum in testamento Benedicti constringitur.* Hæc ille: sed expsessiùs *S. Hildegardis*, cui Spiritus sanctus multum lucis communicavit, Regulam D. Benedicto dictatam cœlo esse insinuat, tùm in vita S. Disibodi his verbis: *S. Pater Benedictus Regulam, quæ spiritualibus hominibus esset accommodata, è Sanctorum vitis Spiritu sancto docente & ostendente, condiderat*; Tum etiam in ejusdem Regulæ Commentario: *ipse S. P. Benedictus*, inquit illa, *in timore & pietate, in charitate & castitate doctrinam suam scripsit, adeò nihil eidem doctrinæ addendum vel auferendum est, quia ei nihil deest, quoniam à Spiritu sancto facta & completa est* . . . Hinc psocedente tempore usus apud omnes ferè obtinuit, ut κατ' ἐξοχὴν *Regula sancta* dicesetur. Et vesò eam suggerente Spiritu sancto fuisse conscriptam, solus stylus & dicendi ratio argumentum palmare esse queant. Si enim studiosiùs animum advestas, ità omnia sunt comparata, ac si Vir sanctus capto calamo Secretarii officio fungens, scripsisset tantùm, quæ Numine dictante accepisset; sic quippe orditur: *Ausculta ô fili! præcepta Magistri* . . . i. e. Spisitûs sancti *ad cor loquentis*, aut *Christi* ad suam imitationem invitantis. Procul enim aberat à *S. P. Benedicti* humilitate, ut nomen *Magistri* in fronte Regulæ suæ sibi arrogaset. Hinc postmodùm tertiâ sempet utitur personâ, tanquam non suâ, sed Divini Numinis auctositate leges ferret: *In omnibus*, inquit, *omnes Magistram sequantur Regulam* . . . Sícque passim

* S. Greg. lib. 2. Dialogor. cap. 36. & ** super cap. 4. Reg. cap. 9.
*** In vita Eigilis auctore Candido Sec. IV. Bened. Part. I.
**** Extat Odonis epistola Tom. 1. Vet. Analect. p. 349.

passim de ea loquitur, ut crederes subditum esse, aliorum instar, & de re non sua verba facere.

de illius præ ceteris excellentiâ.

Atque hæc, ni fallor, satis demonstrant S. P. Benedicti Regulam sapientiâ humanis viribus majore conditam esse, nunc quid de illius præ ceteris perfectione & excellentiâ Veteres censuerint, volupe est paucis exponere. Libellus quidam *de Conflictu Virtutum & Vitiorum*, typo vulgatus sine Authoris nomine, jam verò *Ambrosio Autperto* assertus, & in fine Tomi VI. Operum S.Augustini novæ editionis Gallicanæ insertus, in hæc verba definit: *Tu igitur juxta Regulas Patrum vivere semper stude, maximè autem sancti Confessoris* Benedicti: *non declines ab ea in quoquam, nec illi addas quidpiam, nec minuas; Totum enim quod sufficit, habet: cujus verba & imperia sectatores suos perducunt ad cœli palatia.* Ita est. Innumeros enim mortales, à quibus sanctè culta fuit, superis inferuit, & mundum à contagiis liberavit; optimo sanè documento, *bonam arborem ex fructibus cognosci.* Unde & Patres Concilii Augustodunensis sub S. Leodegario A. 670. celebrati, can. 15. *De Abbatibus*, inquiunt, *& Monachis ita observare convenit, ut quidquid Canonicus Ordo vel Regula S. Benedicti docet, & implere, & custodire in omnibus debeant. Si enim hæc omnia fuerint legitimè apud Abbates conservata, & numerus Monachorum, Deo propitio, augebitur, & mundus omnis per eorum orationes assiduas malis carebit contagiis.* Miris quoque laudibus eandem Regulam celebrat *Ludovicus Pius* in citata ad Eigilem Fuldensem exhortatione; *Regulam*, inquit, *Vir Dei Benedictus luculento sermone conscripsit, in qua nihil doctrinæ latentis, nihil obscuritatis comprehendit; quapropter non indiget expositione, sed admonitione.* Hæc est enim angusta porta, & arcta via, quæ sequentes se ducit ad Deum. *Hæc fovent tantùm discretionem, mensuram, & caritatem te docet habere, ut etiam cum caritate hortatus prævaleos ipsa vitia resecare, ogere cuncta propter pusillanimes mensuratè, discretionem S. Jacob cogitare, & semper in his omnibus fragilitatem tuam tibimetipsi ad memoriam revocare ...* His consonant ea, quæ *Joannes Monachus* in vita S. Odonis Abbatis Cluniacensis graviter enuntiat in hæc verba: *S. P. Benedictus thesauros in Regulæ observatione latentes Monachis explicavit, nullùmque illius apicem, prudenti inconsultum, proficienti mutilem, credenti difficilem, pœnitenti asperum esse, suo & multorum exemplo docuit.* Quapropter *Benedictus* Abbas Clusensis in exhortatione, quæ refertur in ejus vita cap. 4. suos seriò admonet: *Ut postpositis quibusdam superstitionibus, & humanis institutis, quæ ad rem non pertinent, & à vera religione abhorrent, Regulæ S. P. N. Benedicti studiis, in qua omnis Evangelica & Apostolica perfectio constat, animum ad purum intendant.* Elegans etiam est ac ponderosa *Petri Damiani* sententia opusculo 13. cap. 7. his expressa verbis: *S. Regula quasi amplo quædam capax & spaciosa domus facta est, ad omnio hominum genera capienda, pueros videlicet & senes, fortes & debiles, deliciosos & multimoda morum inæqualitate diversos.* Sed nec leve pondus habent, quæ *Gaufridus* Vindocinensis Abbas in sermone de S. Benedicto disserit: *Fuerunt*, inquit, *ante S. Benedictum Abbates & Abbatum institutiones, sicut ante Christum Legislator extitit Moyses. Bonam quidem & sanctam judaico populo Moyses attulit legem, sed sicut Christus Christiano populo contulit meliorem; ita sancti viri illius temporis secundùm datam sibi à Deo gratiam Monachorum leges statuerunt; sed Pater & Legifer noster* Benedictus *sicut à Deo majorem gratiam percepit, ita meliorem legem instituit: nam quidquid illi minùs vel ampliùs faciendum prædixerunt, vel fieri permiserunt, ipse post illos correxit ... Quidquid verò instituit, ita totum Spiritûs sancti providentiâ destinatum est, ut nihil utilius, nihil sanctius, nihil felicius excogitari posset.* S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus non modò in hanc quoque concedit sententiam, sed insuper Regulis aliis Benedictinam anteponit *: *Regula S. Basilii*, inquit, *satis intricata est: Regula S. Augustini multùm generalis, & ad particularia parùm descendens, sed per constitutiones additas à diversis Religionis ejus professoribus, austeritatibus, & cæremoniis ordinata. Regula S. Francisci brevis, & propterea multa ibi præcepta scrupulis plena. Sed Regula S. Benedicti singula quæque clorè describit.* Si hæc censura à Monacho quopiam Benedictino profecta esset, nimii in proprium Ordinem studii postulari posset. Atqui S. Antoninus in Regulam D. Au-

* S. Antonin. tit. 15. & 13.

D. Augustini juraverat, ut causam ejusmodi affectûs procul habuisse censendus sit. Nec magis suspectum videri potest *Thomæ Galeti* testimonium in libro, qui inscribitur, *Religiosus* cap. 1. referentis, quòd *Cosmus de Medicis* Magnus Etruriæ Dux subindè interrogatus: *Cur assiduè Regulam S. Benedicti versaret in manibus?* respondèrit illud se facere, *quòd scilicet ex tam prudentibus S. Patris præscriptionibus, ad populos suæ fidei concreditos valde accommodata media caperet.*

Summorum Pontificum & Conciliorum testimonia.

Innumera sunt, quæ alii Patres & Doctores in eandem D. Benedicti Regulam contulerunt encomia; at cùm singulis indulgere non possim, haud committam, ut Divi Thomæ, Summorúmque Pontificum & Conciliorum testimonia prætercam. Isti enim sat frequenter eandem Regulam in medium adducunt & extollunt, non secùs, quàm si cœlo demeâsset; id quod maximè facit Doctor Angelicus opusculo 17. contra impugnantes sacras Religiones, & 2. 2. Q. 161. art. 6. ubi duodecim gradus humilitatis sapienter à S. Benedicto digestos docet. Summi verò Pontifices & Concilia multis eam locis produxêre, & tanquam amussim ad reformandas Religiones, aut decidendas lites adhibuerunt; veluti causa 16. quæst. 1. Bonifacius IV. monachos administrare posse Sacramenta pronunciat, eò quod Regula S. Benedicti id nullibi prohibeat. Glossa verò *omne id Monachis licere* affirmat, *quod S. Benedictus non prohibuisset.* Adeò numeris omnibus absoluta hæc Regula est, ut nec unicum verbum necessarium desiderare queas. Causa 18. diversis Canonibus, dum varios Religiosorum casus expediverunt Pontifices, authoritatem Regulæ S. Benedicti prætulère. Nec minoris eam fecêre Concilia, veluti Turonense III. sub Leone III. & Carolo M. anno 813. celebratum, quo verbis gravibus sancitum fuit, *ut monachi professionis formulam ederent in manus suorum Abbatum juxta Regulæ præceptum.* In Cabilonensi secundo eodem tempore celebrato, jussi Monachi vitam suam ad Regulam S. Benedicti componere. Tunc quoque Concilium agebatur Moguntinense primum, cujus Canone XI. Abbates ad vitam communem subditorum, à qua secesserant, revocati, ipsisque & monachis norma vivendi præscripta juxta Regulam S. Benedicti. Concilio Aquisgranensi, Ludovico Imperatore, sancitum monachis, non tantùm Regulam non violare, sed etiam *memoriæ mandare.* Plura in alium locum differre lubet. Dictorum compendium esto, quod hæc Regula tantam brevì apud omnes obtinuerit authoritatem, ut antonomasticè *Regula sancta, Regula Canonica & Monastica* passim fuerit nuncupata, aliásque regulas tantò post se reliquerit intervallo, ut testante S. Odone *, *etiam in ipsorum i atrum cœnobia, qui normam sancti propositi fideliter ac religiosè promulgârunt, hanc proprii clientes eorum maluerint profiteri; non immeritò arbitrantes, quòd hunc* (S. Benedictum) *specialiter tanquam alterum Moysen Deus prædestinaverit, per quem Monasticæ legis decreta sanciret.*

Scopus Regulæ S. Bened.

Fortassè hæc tam latè prosequendo nimius videar, sed quando huc devenit oratio, ut manifestiùs ostendam Regulam D. Benedicti verum ac proprium *cælestis Scientiæ* seu *Theologiæ Mysticæ* gerere characterem, prætermittere non possum, quin paucis ipsius finem scopúmque exponam; sunt enim qui existiment ipsam esse simplex quoddam cæremoniale, seu libellum, qui exteriora duntaxat exercitia, corporales observantias, jejunia, labores, Officii divini cæremonias & ritus, refectionísque, & somni tempora disponat ac temperet. Verùm falluntur quàm maximè. Licèt enim universa, quæ ad disciplinæ conservationem necessaria sunt, solicitè exhibeat, & custodienda præscribat; non tamen in hisce observantiis rei summam *S. P. Benedictus* constituit unquam; sed finis præcipuus sanctissimi Legislatoris est: *Veros in spiritu & veritate efformare adoratores, discipulos ad Christianæ perfectionis sublimitatem perducere à mundi commercio sejunctos, opitulante Silentii, Orationis, Laboris, ac Vigiliarum custodia ab omni ruinæ spiritualis occasione facere alienos, immò reddere securos.* Hanc ob causam per paupertatem, quam profitentur, fallacibus divitiis, omníque proprietate eos exuit, otium per manuum opera ab ipsis removet, superbiam propriúque arbitrii libertatem per obedientiæ & humilitatis laborem coërcet ac deprimit, atque tandem ad suavissimam Christi imitationem, sublimiorúmque Virtutum praxin instructos omni cura- tum

* S. Odo in Serm. de S. Benedicto.

tum abjecto strepitu per jugem animi collectionem, perpetuúmque meditationis exercitium, ad altissimam cœlestium contemplationem ipsos attollit & provocat, ut dilatato corde inenarrabili dilectionis dulcedine currant viam mandatorum Dei, & in ejusdo-ctrinâ usque ad mortem in monasterio perseverantes, passionibus Christi per patientiam participent, regnique ipsius mereantur esse consortes. Quidquid autem B. Patris nostri Regula docuit, *hoc nobis*, inquit B. Gauffridus*, *lectio Evangelica commendat; nec aliud sonuit veritatis præco, quàm Veritas ipsa prædocuit*, dicens: *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

Status monastici antiquitas & præstantia.

Perperam ergo de vita monastica sentiunt, qui eam velut humanæ mentis inventum traducunt, aut commodi proprii causâ, vel solius quietis amore, aut ambitiosâ cæteros supra fideles eminendi cupiditate in Ecclesiam voluntnoviter esse introductam. Id námque genus instituti usque ad veteris Testamenti Prophetas & perfectiores Christi Salvatoris nostri discipulos suam reflectit originem. *Samuel, Elias, Elisæus* & alii, perfectionis studio, ut Scriptura meminit**, hoc vitæ genus secuti sunt; Eandem vivendi normam filii Prophetarum, Therapeutæ, seu contemplantes, (*de quibus tam magnificè* Philo) ipse denique *Joannes Baptista*, & quotquot illum sequebantur, imitari & assequi allaborârunt. Præprimis tamen pauper, humilis & laboriosa JESU CHRISTI vita sanctissimò huic instituto præluxit, & illud etiam his verbis apprimè commendavit***: *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Et iterum: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Hoc Christi monitum deserta & solitudines incolis, hoc claustra Monachis, hoc orbem vix non innumeris implevit monasteriis. Duas hinc vitas sibi divinitùs prædicatas, & commendatas semper agnovit & coluit Ecclesia; *Quarum una*, inquit Augustinus****, *est in fide, altera in specie; una in opere actionis, altera in mercede contemplationis; una flagellatur malis, ne extollatur in bonis; altera tantâ plenitudine gratiæ caret omni malo, ut sine ulla tentatione superbiæ cohæreat summo bono. Ergo una bona est, sed adhuc misera, altera melior & beata. Ista significata est per Apostolum Petrum, illa per Joannem; hæc per Mariam, ista per Martham.* Utrámq; verò sectantur Monachi, istam quidem contemplativi ad Deum, hanc declives ad seculum. Neque enim æquanimiter omnes ferunt primarium vitæ monasticæ institutum. Aliqui ut à vitâ contemplativâ declinent, *Activam* præferunt; hi ut Monachos deprimant, Clericos extollunt; quidam pro choro forum, alii pro meditatione studium, isti pro divinis officiis, concionandi, catechizandi, & alienæ saluti incumbendi affectant officium; displicent nonnullis quo demùm cúnque sese vertant Monachi: si enim in cœnobiis contemplationi, silentio, mortificationi sensuum, precibus, lacrymis & gemitibus pro salute militantis Ecclesiæ se dederint, proclamantur *inutilia terræ pondera, ventres pigri, desides, otiosi...* Sin pro publico bono populum instituere, animarum conversioni invigilare, professuras Academicas adire voluerint, replicant vetus istud Hieronymi dictum: *Monachus non docentis sed plangentis habet officium.* Adeo rarus cespes est, quem à Monachis insideri cupiant.

Nolim ego ex eorum esse numero, qui ejúsque de Ordinis sui præ aliis dignitate, de vitæ *Contemplativæ* super *Activam* præstantiâ, aut etiam de majoribus in Ecclesiam meritis, & similibus longas serunt disputationes. Quæ hactenus de Regulæ Benedictinæ excellentiâ & objecto retuli, eò tantùm spectant ut expressum in eâ *scientiæ Sanctorum* seu *Theologiæ mysticæ* characterem luculentiùs demonstrarem. Quia verò Heterodoxi & Monacho-Mastyges, id vitæ genus, ut jam audivimus, velut desidiosum, & Reipublicæ Christianæ nocivum ac inutile passim traducunt, non incongruum duxi ea, quæ doctissimus *Mabillonius* ex adverso disserit, hìc paulò liberaliùs admeriri; ita verò ille*****: *An*, inquit, *desidiosum genus hominum instituissent Antonius, Pachomius, Basilius? Laudâsset Athanasius, defendisset Chrysostomus, sectati essent cum Basilio & Chrysostomo Gregorius Nazianzenus, Martinus,*

in Republica utilitas.

* Gauffridus B. Bernardi Notarius homiliâ in Evangelium: *Ecce nos reliquimus omnia.*
** 1. Reg. X. 5. 10. 19. 20. . 3. Reg. 13 .. 4. Reg. xviii. &c.
*** Luc. xiv. 33. & Math. xi. v. 24.
**** S. Aug. Tract. 124. in Joan. post medium.
***** Mabillon in Præf. 1. ad Sec. IV. Bened. n. 66.

nus, Hieronym., *Augustinus, Fulgentius, Cæsarius, &* (ut infinitos alios fileam) *Gregorius Magnus*, *omnes præclarissima Ecclesiæ lumina*? Itáne otiosos approbaret Ecclesia, Concilia Patrésque laudarent, tanquam illustriorem Gregis Christi portionem, confirmatent, fovere̍ntque piissimi quique Principes, Reges & Imperatores? Audiant illi Monachorum Censores, quid de monastico Instituto ptonuntiaverit Justinianus in novella 133. *Singularis vita, hujúsque contemplatio res est sacra, & ex hoc evehens animas ad Deum; & non solùm juvans eos, qui ad hanc accedunt, sed etiam aliis omnibus pro ejus puritate & supplicatione ad Deum præbens inspectam utilitatem. Unde & priscis Imperatoribus studii fuit, & à nobis non pauca sancita sunt de eorum honestate & ornatu.* Hanc verò utilitatem inferiùs explicat his verbis: „ Si enim illi puris manibus, & nudis animabus pro Republica supplicent Deo, manifestum est, quòd Exercitus habebunt benè, & Civitates benè disponentur. Deo quoque placato & propitio existente, quomodò non universa plena totius pacis & devotionis? Sed & terra nobis feret fructus, & mare quæ sua sunt dabit, illorum oratione propitiationem Dei ad omnem Rempublicam deducente. Sed & ipsum commune schema hominum reverentius erit, & vivet meliùs illorum erubescens perdurationem. „ Idem sensit de Monachorum instituto magnus ille *Johannes* Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, cognomento *Eleemosinarius*, qui cùm non fuisset Monachus, *nolens autem*, teste Leontio Episcopo, *hujus boni esse expers*, *congregavit Alexandriæ duos Ordines sanctorum Monachorum*, *& statuit eis omnem utilitatem tribui de villis suis in civitate sua*; *& faciens eis cellulas in duobus oratoriis*: *Ego*, inquit, *post Deum utilitatem corporalem vestram procurabo*, *vos autem spiritualis habetote meæ curam salutis.* Quantum verò inde utilitatis acceperit Alexandria, subdit *Leontius* dicens: *ad similitudinem monasterii ex his civitatem pænè vixisse, & in diversis locis pervigiles hymnodias Deo retulisse.* Hæc vera Monachorum officia, quorum Institutum nemo poterat meliùs aut exprimere aut tueri.

etiam in huj9 temporis Monachis comprobatur.

Ad eum verò modum comparatam esse proborum quorumque hujus etiam temporis Monachorum vitam, nemo, nî livor oculos tinxerit, non videt. Quis enim verò, si modò de Christiana pietate sentit rectè, témque deputato à præjudiciis animo æquâ lance coram Deo examinat, quis, *inquam*, Ecclesiæ non perutiles existimet eos, qui Christi vitam atque Evangelium factis suis assiduè pro modulo confirmare, ac protestari conantur? Qui præcipuum religionis officium, Dei scilicet cultum, quantâ possunt pietate celebrant, corpore & animo in perfectum laudis Sacrificium contrito & mactato? Qui Christianæ pœnitentiæ antiqua vestigia speciménque in Ecclesiâ retinent? Qui virtutis publicas scholas aperiunt? Qui veterum Scriptorū monumenta labore suo transmisere ad posteros? Qui Clericis laudabiles instituendi Societates exemplum dedêre? Qui denique quot Monasteria, tot Xenodochia erexêre, in quibus animorum morbi curantur, innocentia per Baptismum parta inviolata servatur, aut perdita restauratur, omnium pauperum egenorúmque inopia sublevatur? Xenodochia, inquam, monasteria sunt, in quibus non solùm Monachi à seculi corruptelis vindicantur; sed etiam *mundus omnis*, ut testatur *Leodegarius*, immo Gallicani cum eo Episcopi in Concilio Augustodunensi: qui cùm ad servandam S. Benedicti Regulam Abbates & Monachos cohortati essent, hæc subdunt in Canone 15.: *Si enim hæc omnia fuerint legitimè apud Abbates & Monachos conservata; & numerus Monachorum Deo propitio augebitur, &* mundus omnis *per eorum orationes continuas malis carebit contagiis.* Denique quis dicat eos civili ac Christianæ Reipublicæ inutiles, qui Provincias ferè totas incultas, & in solitudinem redactas, oppidis, vicis & incolis impleverunt, ornârunt ædificiis, literis excoluerunt, erectis Episcopatibus, Pastoribus institutis, multis paganorum millibus ad Fidem conversis, profligatis hæreticis, populis in fide roboratis? Hæc qui per Monachos patrata nescit, planè in Historia novus hospes est. *Quænam igitur est animi perversitas*, ut cujusdam * verbis utar, qui Monachorum potiùs censor, quàm adulator est, *odisse Monachum ob hoc ipsum quod Monachus est? profiteris te Christianum & adversaris eis; qui Christo simillimi sunt? Hic protinus occinent*, Scio

* Erasmus in Epist. ad Johan. Emstadium Carthusian.

Scio, plerosque plurimùm abesse ab hac imagine priscorum Monachorum. At quotus quisque est Christianorum, qui primitivæ Ecclesiæ sanctimoniam hactenus retinuerit? Nullum igitur vitæ genus probabimus, si propter malos oderimus & bonos... Deflexerint tantisper à primario proposito suo Monachi: At certè nullus ordo, nullus status, nullúsve locus à generali corruptela ex integro immunis est. De probis Monachis illud audeo dicere, nullum esse in Ecclesia statum, qui ad primigenios instituti sui mores postliminio redire ferventiùs contendat, & in dies fieri melior avidiùs concupiscat.

Religionis Benedictinæ merita.

Hæc per excursum attigerim, non quòd secularium hominum aut heterodoxorum probra, dicas, scommata & querelas hoc modo temperari posse existimem; sed ut apud æquiores rerum arbitros Ordinis monastici, & vitæ contemplativæ causam paucis perorem; ac demùm ut status sui dignitatem intelligant Sodales nostri, neque ab eo deflectant Adversariorum improperiis, quæ homini Christiano (*quanto magis Monacho?*) æquanimiter toleranda sunt. Jam verò quia ex fructibus bona dignoscitur arbor, desultorio saltem oculo prospiciamus, quàm uberes sacra Religio Benedictina protulerit fructus. Et hos quidem duodenario numero comprehensos, uno veluti fasce colligatos Lectorum oculis objicit *Haeftenus* noster in disquisitionibus monasticis ita disserens.* „ Fuit Sacratissima divi Benedicti Religio, 1.) In universalis Ecclesiæ gubernatione admirabilis. 2.) In particularium Ecclesiarum & diœcesium regimine solicita. 3.) In Gentilium conversione infatigabilis. 4.) In hæresum extirpatione invicta. 5.) In Schismaticorum ad Ecclesiam reductione pacifica. 6.) In Scholarum & Academiarum erectione utilis. 7.) In sacræ Scripturæ interpretatione assidua. 8.) In Juris Canonici collectione fidelis. 9.) In Historiarum & veterum monumentorum conservatione incorrupta. 10.) In Deiparæ Virginis cultùs propagatione pia. 11.) In cæremoniarum ac rituum Missæ sacrificii, & divini officii, Festorúmque institutione devota. 12.) In utilium rerum adinventione, bonarúmque artium & scientiarum illustratione ingeniosa„ ita quidem ut si ipsæ in omni genere disciplinæ ratione, si linguâ, si voce pollerent, unanimes & gratissimæ profiterentur se *Benedictinæ familiæ* vel ortum debere & cunas, vel incrementum & splendorem, vel beneficam instaurationem, aut vigorem, quem amiserant redivivum: *Quidquid enim apud antiquos eruditum ac scitu dignum, quidquid apud Patres pium & sapientiæ plenum, quidquid in Conciliis sanctum, quidquid in Libris sacris divinum, quidquid in Historiis firmum solidúmque est, totum id per Monachorum nostrorum manus ad hæc usque tempora pervenit*; ut eruditè suo more edisserit Mabillonius in Præf. ad Sec. I. Bened. num. 114.

Vitæ contemplativæ eminentia,

Sed hæc dum tam fusè prosequor, nonnemini fortè vacuus & otiosus ad argumentum haud proprium Historiæ literariæ dilabi videbor. Verùm cùm mihi consilium fit Theologiæ mysticæ, adeóque vitæ contemplativæ præstantiam & dignitatem ostendere, sicque contemptores illius refellere, silentio mihi ista non esse hîc prætereunda judicavi. Neque verò illud omittendum, sacratioris ejusmodi Theologiæ Sectatores ceteris eminentiores esse in vitæ sanctimoniâ & perfectione. Id quod in promptu jam est demonstrare. Cùm enim universo orbi notum sit, Religiosos ferventiori contemplatione tendentes ad Deum, arctam viam, *quæ ducit ad vitam*, laxiori præferre, jejuniis, flagellationibus, vigiliis, orationibus, divinis officiis, strictiori paupertati, clausuræ, solitudini, frequentiori rerum cœlestium meditationi, variísque corporis macerationibus incumbere; quis eos in vitæ sanctimonia & perfectione eminentiores non judicaverit illis, qui seculi negotiis immersi, congregandísque divitiis intenti, mollibus vestiri, sine choro, sine jejuniis, sine nocturnis excubationibus, ducunt in bonis dies suos? Et quis verò eos à laboriosâ Christi vitâ longiùs recedere non censeat, qui arctam viam, *quæ ducit ad vitam*, ampliori viæ, & corporis illecebris suaviori postponunt? Mihi certè ineptum videtur, imò à verâ pietate & doctrina Christi alienum, lene rigido, suave aspero, dulce amaro in spirituali & religiosâ vitâ præponere, & illum vivendi tenorem laxum effrenémque ceteris, quibus perpetua oratio, ferventior contemplatio, amica pœnitentia, & corporis assidua maceratio, velle præferre.

relucet in bonis operibus.

Fave-

* Haeftenus Disq. Monast. lib. 2. Tract. 4. Disq. 1.

In albo Sanctorum.

Favemus omnium statuum sacrorúmque Ordinum gloriæ & felicitati, & dum nostro consulimus, in alios injurii esse nullo modo volumus. Vivant illi, ut volunt, sentiant, ut lubet: at certè si sentiant, ut debent, inficias ire non poterunt id vitæ genus, quod sequimur, tot indigetes cœlo intulisse, ut majorem Catalogi Sanctorum partem impleant Benedictini. Horum quidam numerant quindecim millia, alii triginta sex millia, nonnulli quinquaginta sex millia. Raulinus vir doctissimus *, & cum eo Trithemius ** illibatæ fidei scriptor, asseverat: *Temporibus Joannis XX. aliis XXII. summâ diligentiâ initum esse calculum, & ex Annalibus summorum Pontificum, veterúmque Historiis repertos fuisse ex Ordine S. Benedicti Sanctorum catalogo insertos quindecim mille, quingentos quinquaginta novem.* Jepesius *** verò ingenuè fatetur non nimium sibi hunc numerum videri præterita secula expendenti; nihil tamen de his certiùs dici posse, ait, *quàm numerum esse innumerum.* Quîcum vetus Poëta apposité concinit:

Iste quot indigetes, quot divos protulit Ordo;
Vix fasti capiunt numerum: sunt æthere plures,
Quàm qui Sanctorum sunt in monumenta relati.

Ambigat jam qui potest, utrùm in Religione tot Sanctis conspicuâ *Spiritus* vigeat *scientiæ Sanctorum*? „ Hæc „ communis dos est, *inquit Egger* ****, „ quam desponsandis animabus largi„ tur DEUS; illâ ergo non potue„ runt carere in hac vitâ, quos in al„ terâ coronare cælum statuerat. „ Sed quid in cælitibus enumerandis occupamur? cùm integræ legiones & Congregationes, velut fœcundissimi germinis propagines, ex hac unâ Benedictinæ Arboris radice prodeuntes ipsum propemodum orbem universum impleant. Sub eàdem námque Regula militant *Cluniacenses*, *Cistercienses*, *Camaldulenses*, *Specuenses*, *Carthusienses*, *Wilhelmitæ*, *Olivetani*, *Ordo Scotorum*, *Sclavorum*, *Vallis-Umbrosæ*, *Fontis-Ebraldi*, *Montis Virginis*, *Cælestinorum*, *Humiliatorum*, *S. Ambrosii*, *Vallis Caulium*, S. *Pauli primi Eremitæ*, *de S. Burga vidua*, *Fulienses*, *Grandimontenses*, *Trappenses*, & aliæ Religiones inclytæ, in quibus quot cœnobia, tot vitæ contemplativæ sacraria, quot Religiosi, tot ferè Theologiæ mysticæ cultores & consecranei.

In Benedictini Germinis propagine.

Et ne sublimium quoque hominum ordo ad splendorem deesset, plures etiam Equestres Familiæ hanc toties, & nunquàm dignè satis laudatam *Salutis Regulam* susceperunt, videlicet *Equites de Avis* seu *de Ebore*, Equites *de Calatrava*, *de Alcantara*, *S. Mariæ de Mercede*, *de Montesia*; Equites *Jesu Christi*, *S. Mauritii*, & *S. Stephani Papæ*. Quin etiam, teste S. Odone Cluniacensi Abbate in sermone de S. Benedicto, *illius laudes non una vox, non una Congregatio, neque una urbs, vel provincia proclamat; sed ubicumque sancta Ecclesia diffunditur, per tribus, per nationes, per linguas, laus* BENEDICTI *frequentatur. Si autem in multitudine populi dignitas Regis est*, ut ait Salomon, *quantam putamus esse dignitatem istius Regis, quem tam numerosus prosequitur exercitus Monachorum? Quis unquam Rex aut Imperator in tantis mundi partibus imperavit, aut ex tam diversis nationibus tantas sibi legiones conduxit, quantas videlicet cujuslibet sexûs & ætatis in Christi militia voluntariè juratas disponit?*

In sacrorum Præsulum numero.

Quòd si Fastos Ecclesiasticos paullò diligentiùs evolvere lubuerit, insignis omninò sese oculis nostris ingeret tum summorum Pontificum, tùm Patriarcharum, Cardinalium, Archi- & Episcoporum ex Ordine S. Benedicti assumptorum numerus. Suo namque è gremio dedit Ecclesiæ *summos Pontifices* quadraginta sex, è quibus plerique sancti, non alio quàm *virtutis* & *scientiæ* meritô in Romani Principatûs fastigium evecti, Ecclesiam plurimùm illustrârunt. Dedit *Patriarchas* quinquaginta duos, dedit *Cardinales* ultra ducentos; dedit *Archiepiscopos* plures quàm mille ducentos, dedit *Episcoporum* millia quatuor, sexcentos & ultra. De quo etiam Ordine GREGORIUS XV. in Constitutione suâ, quæ incipit: *Salvatoris nostri...* testatur, *tot Imperatores, tot Reges, tot Duces, tot Principes, regalibus sceptris, Regnorúmque & Provinciarum gubernaculis depositis illum fuisse ingressos*, ut tantum, tótque potentissimorum procerum sub uno Imperatore BENEDICTO exercitum haud immeritò admiremur, eò magis, quòd hi omnes, certè plerique, non tam seculum exuisse, quàm induisse Christum ad miraculum usque contestati sint, spectaculum Angelis

&

* Raulinus in sermone capitulari de vineæ plantatione.
** Trithemius de Viris illustr. O. S. B. lib. I. cap. 4.
*** Jepes Chron. Gener. Tom. I. pag. 146.
**** Egger in Idea O. S. B. lib. I. pag. 124.

& hominibus facti planè admirandum. Jam verò, si *gloria Patris*, juxta Divinum Oraculum, *est sapiens ac illustris filius*, multiplici sanè gloriâ circumfluit BENEDICTUS, sub cujus signis tot militârunt Principes, cujus etiam ex familia tot Religiosos in S. R. E. Cardinales & Prælatos assumptos, tótque ad summi Pontificatûs apicem evectos fuisse constat, *ut*, teste eodem Gregorio XV, *longâ & continuatâ multorum seculorum serie, Ecclesia ipsa nullos alios, quàm Familiæ Benedictinæ alumnos Summos Pontifices habuerit.* Eorum verò non pauci, turbidissimis temporibus, *ut notant Mezgeri*, stetêre magìs, quàm sedêre in Petri cathedra, inter procellas constantissimi. *Nec invidendus erat honor, in quo tantus labor, quies nulla, nullæ, quæ appetitum irritarent, deliciæ.* Talibus ergò viris, & *Patri*, qui illos genuit, & *Matri*, quæ educavit, *Religioni* non parum debet illa, cui omnes debent, Catholica Ecclesia: *nempe inter pericula* Tutoribus, *inter minitantes ruinas* Columnis, *inter tempestates* fidis Gubernatoribus.

Ex quibus calumnia ab O.S.B. revellitur. Ex quibus denique omnibus, si nullum aliud suppeteret argumentum, divinæ Sapientiæ typum in divini Benedicti Regula impressum quilibet homo queat luculenter deprehendere; Isti enim, quos jam laudavimus, Pontifices, Patriarchæ, Cardinales, Archi- & Episcopi, nec vel crucem, vel purpuram, vel pallium aut Tiaram alio sunt adepti sudore vel merito, quàm eo, quo discipuli Crucis in schola Christi sub Magisterio *habentis scientiam vocis internè loquentis* suaviter diffluunt. Ex his insuper, licèt sobriè deductis, perspicuum omnibus fit, in universo actionum sublimiorum genere ac obsequio, quibus coli Deus cœlúmque possit, quibus etiam Ecclesia & Respublica ornari, illustrari & augeri valeat, gloriosum Benedictinæ propaginis zelum marte semper felici, & integrâ mente desudâsse, nec quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi seriò quæsivisse. Non est igitur cur tantoperè monachis & vitæ contemplativæ sectatoribus obstrepent æmuli, ac eos quasi Reipublicæ Christianæ inutiles traducant; pauca enim, quæ ex innumeris vix obiter attigimus, Benedictinorum in Ecclesiam merita hanc calumniam satis revincunt, docéntque liquidò vulgare illud Sectariorum, Ordinísque monastici hostium scomma: *Monachos esse inutilia terræ pondera*, commentum esse dignum vulgantibus, ab ipso patre mendacii, omnisque invidiæ fabro procusum, & ab iis jactatum, qui, utinam! inutiles solummodò essent, nec ita perniciosi ac pestilentes Reipublicæ & pacis turbatores, totiúsque religionis eversores comprobarentur. Verùm hæc cursim tetigisse sufficit. Nunc tandem ad ipsos *Theologiæ mysticæ* Doctores & *Asceseos* celebriores Magistros gradum faciamus.

Theologiæ Mysticæ & asceseos Magistri. S.P. BENEDICTUM omnium Justorum Spiritu plenû in terris effulsisse jam suprà ex D.Gregorio aliísque ostendimus; Radicis indoles solet ramis adnasci, & genuina nunquam degenerat à Patre soboles. Non est igitur quòd ambigamus ex pleno *Divinæ Scientiæ*, ac tam sancto *Patre* plenos pariter cœlesti sapientiâ, & *Sanctos* omninò FILIOS descendisse. Inter primos Divi *Benedicti* discipulos fuêre *Maurus, Placidus, Faustus, Tertullus, Eutychius, Gordianus*, aliique nobiles Romani, quos à parentibus sancto Præceptori *Benedicto* erudiendos fuisse traditos memorant passim hujus Biographi; at certè si hæc non de institutione literaria (quod aliqui contra receptam opinionem urgent, contendentes ipsum *S. Benedictum* à literis profanis aversò planè fuisse animo, easque contempsisse) saltem de Ascetica & monastica instructione, quæ ad vitæ sanctimoniam, evitandáque seculi vitia, & virtutes amplexendas comparata est, intelligenda esse inficiari nemo ausit. Quàm altè autem sublimiorem illam sapientiam imbiberint, ex eorum Actis abundè liquet. In eadem schola doctû quoque *S. Equitium* D. Benedicto coævum, refert D.Gregorius lib. 1. cap. 4. & cum eo Doctor Angelicus opusculo 19. cap. 4. immò ipse sanctus Equitius, *Quadam nocte*, inquiens, *speciosus mihi per visionem juvenis adstitit, atque in lingua mea medicinale ferramentum, id est, phlebotomum posuit dicens: Ecce posui verba mea in ore tuo. Egredere ad prædicandum. Atque ex illo die, etiam cùm voluero, de Deo tacere non possum.* Ita quondam cum Isaia Propheta actum legimus. Scientia hujusmodi posteà pluribus de nostro Ordine infusa fuit, veluti *Ruperto* Tuitiensi, *Hermanno* contracto, *Ailredo* Rievallensi, *B.Angelo de Gualdo, Trithemio*, & aliis quos suis locis pleniore manu dabimus. Nec ab hac cœlesti doctrina expers fuit sequior sexus, qui *Gertrudes, Mechtildes, Roswitas, Hildegardes*,

S. Equitius.

des, *Elisabethas*, & quas non alias cœlesti lumine illustratas protulit.

Cassiodorus, *Cassiodorus*, qui eodem cum S. Benedicto tempore vixit, *Institutiones divinas humanâsque*, sive Lectiones asceticas pro monachis suis Vivariensibus condidit, ut manuductionem haberent ad Theologiam mysticam, seu ad divina humanaque studia, quæ viam, quâ pertingatur ad perfectionem, ostendunt. Producendi jam in medium essent alii S. P. N. Benedicti discipuli, *S. Antoninus* Abbas Surrentinus, *S. Herculanus* Episcopus Perusinus, *Dionysius exiguus* &c. magna sanè nascentis Familiæ Benedictinæ nomina & lumina, quos Theologiæ Mysticæ Cultores eximios fuisse constat; sed quia per singulos ire longum foret, celebriores duntaxat Asceseos Doctores & Magistros scriptis illustres retulisse satis fuerit.

Martinus Dumiensis Abbas, Horum in numero primus occurrit *Martinus Dumiensis* Abbas & Bracarensis in Lusitania Archiepiscopus sub annum Christi 563. conspicuus, qui jactis in utroque regno Galliciæ & Portugalliæ fidei fundamentis, mores quoque sibi excolendos sumpsit. Quocirca succedens oneri, *de quatuor Virtutum Capitibus* conscripsit librum, quem Regi *Miro* inscripsit. Multas insuper Epistolas ad varios dedit, quibus sacratioris Asceseos mella lectoribus propinavit. Stylo, acumine, sententiis, maximè quâ Virtutibus Cardinalibus operam indulget, adeò propè ad *Senecam* Iberum accessit, ut hujus nomine frontem inscriptam ac impressam, diu illius libri circumtulerint, donec ultimis Germaniæ & Galliæ editionibus grandis error correctus est.

Gregorius Magnus. Quid jam dicam de laudato toties *Gregorio Magno*, qui in Moralibus, Mysticis & Asceticis, *nec primum similem visus est*, *nec habere sequentem*, cui etiam Spiritus sanctus sub visibili columbæ specie in humero assidere, & *Sanctorum scientiam* instillare, eique *arcana Mysteriorum divinorum* invisibili magisterio reserare visus est. *Gregorius Papa*, inquit S. Isidorus*, *plenus compunctionis & timoris Domini, tantum scientiæ lumen, gratiâ Spiritûs sancti habuit, ut nemo vel hodiernorum, vel antiquorum Doctorum ipsum æquaverit.* S. Ildefonsus Magistri sui de viris illustribus lucubrationes ulteriùs producens, *Gregorium* etsi laudibûs à S. Isidoro jam antè satis onustum, rursùs orbi spectandū dedit hoc elogio **: *S. Gregorius adeò undique clarus fuit, ut missis comparationibus ad viros omnes illustres, nihil habeat antiquitas, in quo plus gloriari possit; Nam Sanctitate superior fuit Antonio, eloquentiâ Cyprianum vicit, sapientiâ Augustinum.* Quæ ubi prolixiùs exequutus est, denique felicem ac fortunatum eum censet, cui obtigisset Gregorii M. libros legere & intelligere: *Felicissimus*, inquit, *& nimium felix, cui dedit Deus studiorum ejus omnia perpendere dicta.* Multa alia ab antiquitate encomia afferre promptum nobis esset; at nolumus hâc promulside festinantem morari.

Post S. Gregorium hic jure quodam S. Isidorus Hispalensis suo memorandus venit S. ISIDORUS Hispalensis frater *Fulgentii* & *Leandri*, summis in Ecclesia honoribus functorum, qui & ipse Archiepiscopalem dignitatem Hispali post fratris obitum anno 595. adeptus, obiit A. 636. Quantus verò ille vir fuerit, ex elogio disci potest, quo eum mactavit Concilium Toletanum viii. anno DCXXXVI. habitum, ubi audit *ejus seculi egregius Doctor*, *Ecclesiæ Catholicæ novissimum Decus*, *præcedentibus ætate postremus*, *doctrinæ comparatione non infimus*, *& quod majus est, in seculorum fine doctissimus, atque cum reverentia nominandus.* Eundem *Leo IV.* pari cum Hieronymi & Augustini titulo *Doctoris Sancti* honorat. Hinc referente *Mariana*, cùm Bonifacius VIII. deliberaret de iis, qui *Doctorum Ecclesiæ* nomine & numero essent cohonestandi, fuerunt, qui *Isidorum* Ambrosio præferendum, aut quatuor certè aliis ceu quintum esse adjiciendum judicarent. Alia *Ildefonsi*, *Braulii*, mediíque ævi Scriptorum de ipso testimonia tacemus. Certè virum fuisse non sacræ modò, sed & profanæ literaturæ peritissimum ejus scripta passim à Bibliographis enarrata abundè demonstrant. Inter hæc autem multa sunt, quæ ad ascesim spectant, videlicet *Libri tres de summo Bono. De conflictu vitiorum & Virtutum liber unus.* Cōmentaria in Regulam S. Benedicti, &c. De quibus recentiores historiæ literariæ Scriptores vix non omnes cum laude prolixiùs agunt.

S. Eugenius Toletanus Archiepisc. Theologis virísque doctis suo quoque merito accensendus venit S. EUGENIUS ex monacho Massæ Candidæ Toleta-

* Isidor. de Vir. illustr. cap. 40.
** S. Ildefonsus de Vir. illustr. cap. 1.

letanus Archiepiſcopus rebus geſtis & ſcriptis Sec. VII. clariſſimus: tantùm enim temporis & ſtudii in libris poſuit, ut ipſe tam ſolutâ, quàm ligatâ oratione partus quoſdam ediderit, è quibus nni Ss. Trinitatem argumentum eſſe voluit, perquàm difficile ſanè ac impeditum: is tamen ità ſcitè explicavit, ut etiam in Græcia & Africâ tum temporis eruditiooe excultis lectores invenerit. Alios inſuper duos elucubravit libros, unum verſu, proſâ alterum, ad varias materias deflectens, unde haud exiguum capias fructum. Præterea *Dracontii* libris notas adſperſit, vitiatam lectionem diſpungendo. Hoc volumen ſibi Gothico charactere oblatum teſtatur *Morales*, ac carmina aliquot ſubjicit ab eodem facta, unde argutum viri ingenium æſtimes:

Excipe Chriſte potens! diſcretâ corpore menteM;
Ut poſſim picei pœnam vitare barathrI.
Grandis ineſt culpa, ſed tu pietate redundanS
Elue probra Pater! & viţæ crimina tollE.
Non ſim pro meritis Sanctorum cœtibus exuL.
Indice Te proſit ſanctum vidiſſe TribunaL.
Vis Lector! uno quis ſim dignoſcere versU?
Signa priora lege, mox ultima nôſſe valebiS.

S. Ildefonſus ejusd. ſedis Antiſtes.

Eugenio anno 657. è vivis ſublato ſucceſſit S. Ildefonsus ſeu *Alphonſus* monaſterii Agalienſis Abbas, quem auctores penè omnes viris Virtute ac eruditione præſtantiſſimis adjungunt. De eo ita *Rodericus* Toletanus quoque Archipræſul: *Quia divina gratia perfuderat os illius, Ildefonſus os aureum dicebatur: & quia in diverſis libris melliſluè loquebatur, & de Virginitate B. Virginis nitida politóque eloquio peroravit* *, *Anchara fidei ejus tempore in tota Hiſpania & Gothica Gallia roboratur, & libri ab eo editi, poſtquam fuêre in Conciliis approbati, tanquam cibi divinæ gratiæ in fide puſillanimes refecêre*, . . Ex his porrò huc potiſſimùm ſpectat *Proſopopœia imbecillitatis propriæ*. De reliquis conſulendi Bibliographi.

Seculo VIII. S. Aldhelmus,

Floruit exſpirante ſeculo ſeptimo & oriente octavo S. Aldhelmus, quem alii *Adelmum*, *Adelinum* & *Athelmum* vocant **. Is natione Anglus, ex regia Iſae Viſi-Saxonum Familia oriundus, cum *Theodorum* Cantuarienſem, *Adrianum* & *Maildulphum* domi præceptores habuiſſet, juvenis adhuc Galliam & Italiam peragravit, tantóque ardore & induſtria in literas incobuit, ut à nemine ſui temporis facilè vinceretur. Redux primò monachus, deinde Abbas Bladunenſis factus eſt, cui monaſterio à Præceptore *Maildulpho* nomen *Maildulsburgum* fecit, ex quo hodiernum *Malmsburienſe* factum eſt. Tandem Haeddi occidentalium Saxonum Epiſcopi anno 705. vitâ functi partem Epiſcopatûs obtinuit, alterâ *Davidi* cuidam attributâ, ac poſt quatuor annos ad Superos migravit, uti Beda teſtatur libr. 5. Hiſt. Angl. cap. 19. ubi ipſum *virum undecunque doctiſſimum*, *& ſcripturarum tam liberalium quàm Eccleſiaſticarum eruditione mirandum* nuncupat. Quæ ejus eruditio aſceſin ſacram qooque attigit. Scripſit enim inter alia *de Virginitate librum eximium*, inquit Beda, *quem in exemplum Sedulii geminato opere & verſibus hexametris & proſâ compoſuit*. In utroque B. P. Benedictum, vitámq; monaſticam ab eo inſtitutam magnificè commendat; ſic verò orationis elogium concludit:

Primò qui ſtatuit noſtra certamina vitæ
Qualiter optatam teneant cœnobia normam,
Quôque modo properet directo tramite ſanctus
Ad Superos ſcandens cœlorum culmina cultor.

Præter hunc librum alia quædam condidit opuſcula aſcetica, videlicet *de vita Monachorum*; *de octo vitiis principalibus*; *de charitate mutua*; *de fraterna admonitione*; *de pugna vitiorum*. & alia *Baleo*, *Pitſea* aliiſque Bibliographis laudata.

Venerab. Beda,

Medio ferè ſeculo octavo inter Anglos emicuit velut inter ignes luna minores Venerabilis Beda, cujus in Aſceticis eruditio fuit incomparabilis, & naſcens hinc fama, glorïaque ferè ſine exemplo: Illius enim adhuc viventis *Homiliæ* cœleſti doctrinâ refertiſſimæ in publicis Eccleſiæ conventibus ad inſtruendos Chriſti fideles, & in DEUM obſequio cultúque inflammandos prælegebantur; Unde cum *Sancti* titulus non poſſet, *Venerabilis* antonomaſia ei præfixa eſt. Habuit ille nil prius, quàm ut vel oraret, vel legeret, vel ſcriptitaret, ac doceret, quod ipſe teſtatur his verbis: *Cùm eſſem ſeptem annorum, cura propinquorum datus ſum educandus R.mo Abbati* Benedicto, *ac deinde* Ceolfrido, *cunctúmque ex eo tempus vitæ in monaſterii habitatione peragens, omnem meditandis Scripturis operam dedi, atque inter obſervantiam Diſciplinæ Regularis, & quotidianam cantandi in Eccleſia curam ſemper aut diſcere, aut docere, aut ſcribere dulce habui*. Hæc ille, dignus, qui plures habeat imitatores.

Flaccus

* Vid. Mabillon. Præf. II. in Secul. III. Bened. n. 14.
** Pitſeus de Script. Britan. p. 116.

Alcuinus. FLACCUS ALCUINUS haud multùm Bedæ in Theologicis dissimilis est. Claruit ille ad An. 804. atque præter alia melioris notæ scripta, Ascetis reliquit *Speculum parvulorum*, Tractatum insignem *de Virtutibus & Vitiis; Doctrinam de Deo; Dialogos ad discipulos*; item Tractatum *de naturâ & immortalitate animæ ad Eulaliam sororem virginem, &c.* Is verò non solùm propter eruditionem seculo suo majorem laudatur, sed & propter magnum quo barbariei se objecit animum, & propter egregiam, quam in docendo scribendóque demonstravit prudentiam, modestiâ & perspicuitate stipatam. Haud parùm etiam illius gloriam, famámque eruditionis auxêre ejus discipuli, *Rabanus Maurus*, *Ludgerus* Monasteriensis, *Haymo* Halberstadiensis, & alii plures magni in Ecclesia nominis viri.

Rabanus, RABANI opuscula ascetica sunt: *Libri tres* ad Bonosum Abbatem *de videndo* DEO; *de puritate cordis; & de modo pœnitentiæ. Commentaria in Regulam S. Benedicti, Libri tres de vitiis & virtutibus; de peccatorum satisfactione & remediis; opusculum de Anima & Virtutibus; Homiliæ diversæ; & alia alibi fusiùs recensenda...* Ejusdē ferè comatis sunt,

Haymo, quæ HAYMO ex Fuldensi Monacho Halberstadiensis Episcopus scripsit *de amore cœlestis Patriæ.* Excelluit ille uti ingenii magnitudine, ita etiam eximio sanctitatis splendore; cúmque omnium judicio vir esset incomparabilis, ad humillima promptior ultimis se dimisit, in facto etiam otio negotiosus, & in dulcissimæ contemplationis studio assiduus, qui & mirandâ dexteritate, nec minori concinnitate sublimiora universæ Scripturæ arcana commentariis complexus, feræ posteritati istud commodavit, ut ab occupatis parvo temporis dispendio Scriptura legi, & à simplicibus facillimè possit intelligi. Obiit Doctor & Pontifex meritissimus anno 853.

Sanctimonialium ascescos studium, Neque apud viros solùm constitit sacratioris ascescos studium, sed etiam in sacris Deo Virginibus multò magis excultum fuit, quarum innumera (ut ita dicam) millia tanto'decursu seculorum Ordo Benedictinus Virginum Sponso consecravit. Certè unus & Magnus Gregorius noster in solâ urbe Roma tria, *ut ipse rescribit*, millia sustentavit, apud quas ascescos & orationis servor adeo constitit, ut illis omnem servatæ Romæ atque Italiæ post Deum salutem adscribat. Una etiam, quod mireris, *S. Florentina*, SS. Leandri, Fulgentii & Isidori nostrorum germana soror, regii generis virgo, diversis in cœnobiis decem millia Virginum sanctissimè instituisse legitur, suóque & verbo & exemplo ducens mirificè expolivit, accendit, & mundum perfectè cum illecebris suis triumphare docuit. *Bonifacius* quoque in Germaniam profectus Religiosas feminas illuc è Britannia advocavit, ex quibus CHUNICHILT, & filia ejus BERATHGIT *valdè eruditæ in liberali scientia in Turingorum regione constituebantur Magistræ*, ut Othonus memorat. LIEBA verò Bischofheimensi parthenoni præfecta, lectionis sacræ studio tantâ diligentiâ incumbebat, *ut nisi orationi vacaret, nunquam divina pagina de manibus ejus abscederet. Sed & dicta sanctorum Patrum & decreta canonum totiúsque Ecclesiastici Ordinis jura plenitudini perfectionis adjecit*, ut perhibet Rudolfus in ejus vitâ. *Eo in parthenone*, inquit idem, *non parvus Ancillarum Dei numerus collectus est; quæ ad exemplum beatæ Magistræ cœlestis disciplinæ studiis instituebantur, & intantum doctrinâ proficiebant, ut plures ex illis postmodum Magistræ fierent aliarum: ita ut nulla aut etiam rara in illis essent monasteria feminarum, quæ non discipularum ejus magisteria desiderarent.* De aliorum asceteriorum monialibus rescribit Willibaldus, ipsas Bonifacio præceptore *sacrarum paginarum seriem transcurrentes, cœlesti instanter scrutinio inhæsisse, & Sacramentorum arcana, Mysteriorúmque abdita jugiter meditari consuevisse...*

Non hîc stetit piarum Virginum conatus, sed etiam processit in communem rei publicæ & feræ posteritatis utilitatem. Uti enim Monachi libris tum exscribendis, tum componendis meliorem impendebant operam, sic illæ laudabili æmulatione adductæ utrumque laboris genus experiri studuerunt. Quas inter maximè celebrandæ sunt Monachæ *Eikenses* in Belgio, quæ tùm legendo & meditando, tum scribendo atque pingendo vacare solebant. In primis verò *Harlindis & Renildis Abbatissæ*, teste Anonymo, qui earum Acta in literas retulit, *præter textilia opera, quatuor Evangelia, Psalterium, integrum aliósque plures divinæ Scripturæ libros conscripsisse, ac liquido auro, gemmis, margaritisque exornâsse memorantur.* Præcesserat istius facti exemplum in *Cæsa-* Et in libris scribendis exercitium.

Cæsariâ Arelatensi Abbatissâ, cujus sodales inter Psalmos atque jejunia, vigilias & lectiones sacras, libros quoque divinos pulchrè scriptitabant, ipsam Magistram habentes, uti refert Cyprianus in vitâ S. Cæsarii Episcopi Arelatensis, *Cæsariæ* germani.. *Diemudis* Wessofontana Monialis, cujus acta alibi dabimus fusiùs, multa quoque volumina tam ad divinum cultum, quàm ad Monasterii Bibliothecam spectantia charactere optimo descripsit, quæ pleniùs retulit *Pezius* in Dissert. ad Tom. I. Thesauri Anecd. noviss. pag. xx. Earum porro Sanctimonialium è nostris, quæ propii ingenii monumenta literis consignârunt, numerum inire non est hujus loci. Exemplo sint *Roswita* Gandersheimensis, *Bertrada* Vilecensis, *Adela* Marcianensis, *Heloissa* Paracleti Abbatissa, *Elisabetha* Schonaviensis, *Hildegardis*, *Gertrudis*, & *Mechtildis* sorores, *Regina Jurata*, *Maria Crucifixa à* Conceptione, *Maria de Blemur* & aliæ, quas Parte III. Capite V. prolixiori calamo celebrabimus. Nunc in viam revertendum, & Theologiæ mysticæ cursus, quem à seculo Ecclesiæ nono tenuit, investigandus.

Theologiæ vices Seculo IX.

Hactenus positiva methodus Theologiam tradendi ex immediata Scripturarum sacrarum lectione mirificè ferè unicè floruerat; ab octavo autem seculo cùm studiosis in promptu jam esset priscorum Theologia Patrum, quâ nihil excellentius, nihil solidius sperare vel præsumptuosi auderent, sapientes illius ætatis viri cœperunt quærere ac discere *Scientiam sanctorum*, seu *doctrinam sacram*, non tam ex ipsismet libris sacris, quàm ex istorum commentariis, sobrio planè ac maturo judicio arbitrati horum sententiis, plùsquam proprio ingenio fidere se posse ac debere, eò quòd depositum primitivæ Ecclesiæ, saniorisque doctrinæ ab iis fideliter custoditum, & posteris traditum crederent. Verùm cùm seculo æræ Christianæ nono Philosophia cœpisset invalescere, quidam hujus inescati promulside, propriisque conceptibus tumidi, nihil ex veterum doctrinâ recipere voluerunt, nisi quod suo sensu approbâssent; sicque ex applicatione Philosophiæ ad dogmata sacra, tandem nata est *Hermaphrodita*, nescio quæ, Theologia, quam licèt externo duntaxat habitu à *Positivâ* & *Mysticâ* differre contendant, utriusque tamen speciem summoperè immutavit. De Theologia *Positiva* jam suprà abundè diximus, nunc de *Mysticæ* fatis & vicissitudinibus specialia paucis indicabimus, ut saltem constet, quem usum habeat Historia literaria, quámque necesse sit abjectis præjudiciis ad veros errorum fontes ea duce respicere.

Scripta Dionysii Areopag. in Occidentem illata.

An. reparatæ salutis DCCCXXIV. miserat *Michael Balbus* Græcorum Imperator *Ludovico Pio* Imperatori Occidentis Scripta Dionysii Areopagitæ *de cœlesti Hierarchia*, *de divinis nominibus*, & *de mystica Theologia*. Quæ cùm magnâ in veneratione essent apud Græcos, & invidendis se thesauris Occidentis Dominum beare haud obscurè significâsset Imperator, cupido incessit Ludovici filium *Carolum Calvum*, qui literis impensè favebat, hos libros legendi, curandíque, ut in latinum sermonem verterentur. In quo eum consilio indubiè plurimùm confirmavit universalis, quæ tunc obtinebat, opinio, *Dionysium Areopagitam fuisse primum Galliæ Christianum Doctorem sive Apostolum*. Ad hunc enim cùm ea Scripta esse referenda omnes tunc sentirent, non potuit non apud hanc gentem magna esse Scriptorum horum Auctoritas. Huic itaque desiderio Imperatoris cùm solus posset velificare *Joannes Scotus*, quem *Erigenam* vocant, magnæ tum celebritatis Philosophus, laborem istius versionis suscepit, librósque suprà laudatos in latinum sermonem transtulit; Et ita quidè cum his libris, *ipsam*, quam exhibent, *Theologiam mysticam* in Occidentales regiones invexit: quæ tamen cùm Orientalium systema emanativum contineret, multis deinceps controversiis & erroribus materiam præbuit, uti oculatiores observârunt Critici.

Eorum interpres Johannes Scotus,

Licèt autem interpres *Scotus* magnam eo labore gratiam apud *Carolum* sibi conciliaverit, non tamen apud summum Pontificem *Nicolaum I.*, qui cùm rescivisset Dionysii libros ab eo in latinum eloquium translatos, scriptâ ad Carolum Calvum epistolâ, eos ad se mitti jussit, ut versio illa Romæ examinaretur, præsertim quòd rumores de *Joannis* heterodoxiâ perlati ad aures Pontificis, suspectum Romæ eum reddidissent: *Relatum est*, inquit, *Pontificatui nostro, quòd opus B. Dionysii Areopagitæ, quod de divinis nominibus, vel cœlestibus ordinibus Græco descripsit eloquio, quidam vir* JOANNES SCOTUS *genere, nuper in latinum transtulerit,* quod

Romam citatur.

quod juxta morem nobis mitti, & nostro judicio debuit approbari, præsertim cùm idem Joannes, licet multæ scientiæ esse prædicetur, olim non sanè sapere in quibusdam frequenti rumore dicatur. Hanc itaque causam movisse Nicolaum, ut Joannem Romam posceret, ex ipsis literis patet, quòd nec probatum, nec emendatum opus edidisset; quamvis aliunde suspectum fuisse Romæ *Erigenam*, ipsa epistolæ verba satis innuant, quibus tacitè ejus sententia *de Dei præcognitione & prædestinatione ante conditum mundum; de libero hominis arbitrio, ejúsque cum gratia Dei concursu; de punitione reproborum, malorúmque Angelorum &c.* tangitur, quam fervente tùm de prædestinatione controversiâ à nonnullis oppugnatam fuisse Annales Ecclesiastici referunt.

An idem, qui Æthelingiæ Abbas.

Nùm Pontifici morem gesserit Imperator, non ita pronum est definire; id constat, *Anastasium* Bibliothecarium memoratam versionem cum præludio & notis Carolo remisisse; Erigenam verò Parisiensem scholam deseruisse, nos docent *Bulæus* & *Dupinius*. Carolo autem fatis functo, cùm ab insidiis sibi caveret, in Angliam rediisse dicitur, novum ibi Mecænatem Ælfridum Regem nactus. Verùm summoperè dubium est iter hoc *Erigenæ* in Angliam, variísque virorum doctorum disceptationibus controversum. Qui hunc Scotum in Anglia miserabili fato periisse contendit *Oudinus*, eundem confundit cum altero *Johanne Scoto Æthelingiæ* Abbate, quem Lelandus An. 895. à discipulis trucidatum refert, & ab Erigenâ distinguit, eum inter Martyres & viros doctos numerans. Hoc argumentum, quod copiosè & eruditè jam tractaverat *Anselmus Parisius* Canonicus Ord. S. Augustini Gallicanæ Congregationis, *Mabillonius* postea in elogio Johannis Æthelingiæ Abbatis Seculo IV. Benedictino fusiùs est prosecutus, hunc à *Johanne Scoto Erigena* distinguendum esse tribus ostendens argumentis, quorum primum est, quòd hic, ut cognomen indicat, *Scotigena* fuerit, teste Hincmaro, id est, *genere Scotus*, uti explicat Nicolaus Papa I. ast *Johannes Æthelingiæ Abbas* Ealdsaxo ex *Assero* in vita Ælfridi Regis, non *Eastsaxo*, ut quidam interpretantur. *Ealdsaxones* verò antiquos Germaniæ *Saxones* esse probat idem *Asserus* præter alios; cùm *Eastsaxones* sint Anglosaxones Orientales. Alterum argumentum est, quòd Johannes Æthelingiæ Abbas Presbyter & Monachus extitit, non Johannes Scotus. Tertium, quod ille ab Elfredo in Angliam accitus sit doctrinæ causâ, non Johannes Scotus, qui in Francia perseverâsse videtur. Hæc prolixiùs disserit Mabillonius in elogio Johannis Ethelingiensis. Sed isti controversiæ diutiùs immorari aut judicium interponere nostrum, nec libet, nec licet, monentibus nec patriam, nec tempus ejus satis certum esse cognitum, cùm de utroque verisimilirer in utramque adhuc partem disceptari posse videatur: id unum constat *Johannem* illum *Scotum*, quem Martyrem dicunt, in Angliam ab Ælfrido Rege anno 877. accitum novæ Academiæ Oxoniensi fuisse præfectum; exortâ autem triennio post inter Scholasticos Oxonienses discordiâ, Malmesburium eum secessisse, & in celebri illo monasterio ludum literarium instituisse; ibi verò cùm morum ipsius severitatem & disciplinæ rigorem non ferrent discipuli (*quos alii Monachos faciunt*) anno 883. vel ut alii volunt 888 aut 895. stilis & graphiis eorum confossum occubuisse.

Quænam in Scoto animadvertenda.

Duplici autem nomine singularem in historia Theologiæ mysticæ attentionem meretur *Johannes Scotus*, cùm ob vulgatos inter latinos libros Dionysii Areopagitæ; tum ob librum *de visione Dei*, & *de naturâ rerum.* Illos enim latinis auribus accommodando doctrinam simul Alexandrinam, quæ plerosque hactenus in Occidente latuerat, notam fecit, ansámque dedit, ut Theologia tùm Scholastica cùm Mystica caput extolleret. Libro autem *de visione Dei*, idem, *teste Mabillonio* *, tractat argumentum, quod *Lupus* Abbas Ferrariensis in Epistola 30. ad Gothescalcum OrbacensemMonachum. Ast in libro περὶ φύσεως seu *de naturâ omnium rerum* etsi acumen & subtilitatem ingenii demonstraverit, artamen post fata damnationis notam incurrit. Cùm enim Seculo XIII. viri quidam docti hanc tractationem in aula Romana velut suspectam detulissent, ab *Honorio Papa III.* peculiari Bullâ fuit proscripta, uti his verbis indicat Pontifex apud Albericum in Chron. ad A. 1225. *Significavit nuper Episcopus Parisiensis, esse quemdam librum, qui Perisisis tituletur, inventum*

* Mabillon Præf. II. ad Sec. IV. Bened. n. 135.

ventum, tot scatentem vermibus hæreticæ pravitatis, ideóque ab Archiepiscopo Senonensi reprobatum; se itaque, eo quod claustrales nonnulli Viri & Scholastici ejus lectione se occupent, præcipere, ut ubicunque inveniatur, Romam mittatur ad comburendum... Ex quibus videas, quàm cautè ista Johannis Scoti scripta sint tractanda.

Theologia Mystica ex libris Dionysii promota.

Quantum interim Theologia Mystica ex divulgatione Scriptorum Dionysii latinè redditorum promota fuerit, ex eo facilè colligitur, quòd Occidentalis Ecclesia ipsius doctrinam velut sanctam ac prope divinam ambabus, quod ajunt, manibus complexa fuerit, summáque in veneratione eam deinceps habuerit. Hanc verò non solùm Monachi mirati sunt, quòd unionem cum Deo, ac mirificas perfectionum promissiones protenderet, sed etiam laudârunt eandem illi quoque, qui à severiori hoc pietatis internæ exercitio abhorrebant, eò quòd *Dionysii* nomen ipsis summè esset venerabile; hic verò parens illius Theologiæ haberetur. Quo denique factum, ut quisquis solidiorem pietatem affectabat, avidè in eorum librorum lectionem involaret. Istam

Hilduini Areopagitica.

autem Dionysiani nominis famam & venerationem plurimùm auxerunt *Hilduinus* Abbas S. Dyonysii Parisiis, & *Anastasius* Bibliothecarius Abbas Romanus. Ille enim jussu *Ludovici Pii* anno 835. adeóque ante Johannem Scotum, *Areopagitica* conscripsit, *narrationémque de rebus gestis, passione & scriptis Dionysii Areopagitæ* contexuit, in quâ plura ad horum librorum tùm veritatem tùm antiquitatem probandam comperias. *Anastasius*

Anastasii Biblioth. notæ in Dionysiana.

autem *Encomium Dionysii* à Methodio græcè conscriptum, latinum fecit, illúdque cum versione Operum Dionysii notis illustratâ submisit *Carolo Calvo*, ut refert *Dupinius* in Bibliotheca nova Scriptorum Eccl. edit. Latinæ Tom. I. pag. 56. Atque hoc pacto admirationem Dionysianorum, quâ jam capta erat Ecclesia, admodùm auxit, eodémque ex fonte rivuli Theologiæ Mysticæ ab Oriente in Occidentem derivati sunt.

Eginhardus Abbas Seligenstadiensis.

Præter eos, quos jam laudavimus in hac disciplinâ Magistros, hîc quoque memorandus venit EGINHARDUS eodem Seculo IX. dignitate & eruditione clarus, ob doctrinam dictus *Sapiens*, de cujus vitâ, satis & scriptis, post *Mabillonii* & *Joannis Weinkens*, aliotúmque messem, spicilegium, quod addamus, non habemus. Hic non solùm ob vitam Caroli M. cultiori, quàm illa ætas tulit, stilo exaratam in fastis nostris memoriâ dignus est, sed ipse quoque talem in Theologia ascetica se præstitit, qualem ipsum fuisse indicat Epistola *ad filium* sub Rabani disciplinâ Fuldæ artibus liberalibus vacantem data. Ad eum enim inter alia hæc habet Studiosis albo sanè notanda calculo: *Sicut te præsens monui, in studio discendi te exercet, & quidquid ex ipso lucidissimo & abundantissimo magni Oratoris (* Rabani *) ingenio assequi nobilis scientiæ potueris, nihil intactum relinque. Maximè autem probos mores illius, quibus excellit, imitari memento. Quoniam Grammatica & Rhetorica, ceteráque liberalium artium studia vana sunt, & valde nociva servis Dei, nisi per gratiam divinam bonis moribus subesse noscantur; quia scientia inflat, charitas verò ædificat. Melius quidem mihi est, ut te mortuum videre contingat, quàm inflatum & scatentem vitiis.* Hæc *Eginhardus*, dignus, qui nullo non tempore audiatur.

Benedictus Anianensis, & Euticius Balmensis.

Nec in hac tractatione prætermittendi *Benedictus* Anianensis & *Euticius* Balmensis in Gallia Abbates; & ille quidem præter *Statuta Synodi Aquisgranensis*, & *Concordiam regularum*, author habetur illius libelli, qui in MS. codice Gemeticensi *Memoriale Monachorum*, apud Hæftenum verò, *Ordo monasticæ conversationis*, inscriptus est. Verùm cùm in excerptis, quæ *Ardo* in *Benedicti* vitâ adducit, vix ullum hujus libri appareat vestigium, iste partus *Euticio* potiùs, quàm *Benedicto* adscribendus videtur. Hunc enim & virum fuisse eruditum, & Ascetam eximium satis probat Joannes Monachus in libro I. vitæ S. Odonis his verbis: *Cùm esset Laicus & peregrinis studiis eruditus, deferens ea, unde superbire solet humana fragilitas, totum se dedit beatorum Patrum regulis & institutionibus; ex quibus nempe auctoritatibus diversas consuetudines sumsit, unóque volumine evulgavit.* Quod volumen non aliud esse putat Mabillonius *, quàm quod jam meminimus ab Hæfteno editum sub titulo: *Ordo monasticæ conversationis*. Eidem *Euticio* tribuit Mabillon *Dialogum de flatu sanctæ Ecclesiæ*, qui à Joanne Cordesio in lucem datus est cum opusculis Hincmari. *Benedicto* autem præter lauda-

* Mabillon in Præf. ad Sec. IV. Bened. num. 172. & Tom. V. Actor. O. S. B. pag. 616.

landata opuscula tribuitur *judicium de diverso pœnitentiarum modo*, qui monachis lapsis imponi debet ex Regulæ præscripto. Huic porrò multum obstricta est res literaria præsertim *Ascetica*, quam disciplinæ regularis sociam & opitulatricem vir prudens non immeritò reputavit, ob idque quantâ potuit sedulitate promovere fatégit, ut observat *Mabillonius* in Præf. ad Seculum IV. Bened. num. CLXXII.

Alii celebriores Ascetæ.

Alii ex Ordine nostro viri sacratioris Asceseos laude Seculo IX. celebres censentur, *Ansegisus* Lobiensis primùm, dein Fontanellensis Abbas. *Adelbardus* Corbeiensis; *S. Simpertus* Episcopus Augustanus, *Smaragdus* Abbas sancti Michaëlis ad Mosam, & *Hildemarus* Regulæ S. Benedicti primi commentatores; BEDA *Junior* in D. Bervigni Italiæ monasterio asceta divinarum scientia literatum præstantissimus; *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus, cujus nobilis est in eo quod tractamus studio memoria, ob argumentum morale & politicum, quod rarò eâ ætate exemplo tractandum in se recepit, *de Regis* nempe *personâ, & regio ministerio. De cavendis vitiis & virtutibus exercendis*; nec non *de diversa & multiplici animæ ratione*. Quibus in lucubrationibus ad emendandos sui tempotis mores aulicos respexit; quod & alios eo tempore fecisse constat, cùm Principum aures ad ejusmodi monita haud illibenter paterent. Huc etiam referendus *Paulus Warnefridi* Casinensis Monachus, divinioris sapientiæ & eruditionis splendore eodem seculo conspicuus. Nec prætereundus silentio nobis est *Lupus Servatus* Abbas Ferrariensis, ex cujus epistolis liquet, quantùm in sacratiori disciplinâ excultus fuerit, quantóque studio lævigandis moribus incubuerit. Testes damus verba ejus ad Ebrardum Monachum, singulari attentione digna: *Reviviscentem*, inquit, *in his nostris regionibus sapientiam quosdam studiosè callere pergratum habeo; sed hinc haud quaquam mediocriter moveor, quod quidam nostrûm partem illius appetentes insolenter partem repudiant. Etenim plerique ex eâ cultum sermonis quærimus: Et paucos admodum reperias, qui ex eâ morum probitatem (quod longè conducibilius est) proponant addiscere. Sic linguæ vitia reformamus, & purgare contendimus; vitæ verò delicta parvi pendimus & augemus.* Lupi discipulus fuit *Herricus*, *Heiricus* vel *Ericus* Autissiodorensis Monachus, qui ut ipse quoque testatur, Haymonis disciplinâ enutritus est, cujus collectanea cœlestis sapientiæ melle exuberantia extulit *Mabillonius*. Tulit etiam hæc ætas *Angilbertum* Abbatem Centulensem; *Clementem Scotum*; *Wandelbertum* & *Reginonem Prumienses*; omnes Ascetas eximios; quibus addi possent plures, nisi modus esset tenendus, ne prolixior fiat nostra tractatio.

Facies SECULI X. à Clero deturpata.

Neque tamen ipsa Cleri vitia hîc tacenda sunt, quòd illa sacratiori disciplinæ non levem obicem injecerint, & pluribus è nostris ex adverso scribendi ansam dederint. Certè quantum à laudabili regula discessum sit, invecta tunc temporis *Canonici irregularis* seu *secularis* appellatio satis ostendit: qua de re *Alberti Kranzii* verba oppidò memoratu digna, cùm passim adducta sint à viris doctis, adscribere nolumus *: Id unum addimus, quòd dùm Clerici inter mensæ lautitias, inter venationum strepitus, inter combibonum ovationes, & reliqua voluptatum genera consenescerent, ætas ipsa in plumbeam conditionem abierit, & infelix illud peperit *seculum X.* Quod quàm omni ex parte corruptum fuerit, nemo ignorat, qui res hujus temporis attento perlustravit oculo; nec opus erit rem omnium confessione certam prolixè probare. Testem unum provocamus Remensem Synodum apud Baronium ad A. 992. ita inter alia de Clericis conquerentem: *Sed cum hoc tempore Romæ nullus penè sit (ut fama est) qui literas didicerit, sine quibus, ut scriptum est, vix Ostiarius efficitur, quâ fronte aliquis docere audebit, quod nunquam didicit?* Cæterùm invalescenti per Clerum barbariei, & morum corruptelæ gnaviter obstitisse monachos, testantur passim Scriptores Ecclesiastici: Ita enim *Carolus Sigonius* **, cùm in sterilitate hujus seculi literarúmque ignorantiâ depingendâ versaretur, *Literarum*, inquit, *eâ ætate studia* inter *Clericos fermè nulla... Qui verò ceteris antecedere eloquentiæ laude ac variâ literarum doctrinâ putabantur, ii plerique Monachi erant.* Hus inter eminuêre illo seculo in Anglia *Bridferthus* Rameisiensis; *Dunstanus* Pigorniensis primùm, deinde Cantuariensis Antistes, qui regulam scripsit vitæ Monasticæ; *Ethelwolaus*

à Monachis exornata,

in Anglia,

* Vid. Kranzii Metrop. lib. IV. cap. I.
** Sigonius de Regno Italiæ L. VII cap. 178.

woldus, qui scripsit contra Presbyteros fornicarios, & de consuetudine Monachorum Ordinis S. Benedicti; *Oswaldus*, qui statuta synodalia lævigandis Clericorum moribus apta condidit; *Alfredus* Abbas Malmesburiensis, & alii, quibus obstetricantibus factum est, ut in Anglia vix ullo unquam tempore tot tantique pietate & doctrinâ viri, quot isto seculo, insignes existerent, uti observatum Mabillonio * ex *Wilhelmo* Malmesburiensi, qui de tribus *Eadgeri* Angliæ Regis Præceptoribus *Dunstano*, *Ethelwoldo*, & *Oswaldo* ita rescribit ** : *Eo tempore micuerunt per Angliam sanctorum Virorum lumina, ut crederes è cœlo arridere sidera; ita his tribus viris, quasi triformi lumine Angliam servante vitiorum tenebræ evanuêre.*

Galliâ, In Gallia sanctitatem morum, & doctrinam suffulsit cumprimis S. ODO Abbas Cluniacensis secundus, qui adhuc Monachus, *Turpionis* Lemovicensis Episcopi rogatu, scripsit *Collationum Libros duos* contra vitia sui temporis, atque in hiscorruptos Clericorum mores egregiè exagitavit: ut quasi altet Jeremias ad hoc à Deo electus videretur, *qui evelleret noxia, & utilia implantaret.* Ex eadem Cluniacensi Congregatione ptodierunt viri pietate & doctrinâ insignes; qui Ecclesiæ faciem exemplis ampliùs, quàm verbis resotmârunt: quos inter haud postremus fuit *Abbo* Floriacensis, cujus industriâ & religione Ecclesia Anglicana refloruit pietate & literis ab eo exculta. His jungendi *Remigius* Autissiodorensis, *Gerbertus* Aurelianensis, *Constantinus* Floriacensis, *Fulbertus* Carnutensis, vitâ sanctissimus & prophetiæ spiritu imbutus.

Germaniâ, In Germania pereuntes cum literis mores retraxêre *S. Wolfgangus*, *Notkerus* Sangallensis, *Ratbodus* Trajectensis, *Bruno* Coloniensis, *Udalricus* Augustanus, *Adalbertus* Magdeburgensis, *Sigismundus* Halberstadensis, & alii, quos pro meritis celebrare longum foret.

& Italiâ, Sed fortasse in Italia desideret aliquis viros per illa tempora doctos, quorum operâ Ecclesiæ doctrina & disciplina adversus corruptos mores inviolatæ permanserint. Non defuit etiam hac in re Dei miserantis providentia; cujus testes appellare licet *Ratherium* Veronensem & *Attonem* Vercellensem ex monachis Episcopos; è quibus ille, *dum tu mores hominum tam scriptis, quàm verbis mordaciter nimis inveheretur, & nec potenti nec humili penitùs deferret*, sede sua non semel deturbatus est. Sic invisi erant tunc temporis Episcopi boni pervetsis Clericis.

Viri docti, qui Seculo XI. ascesi operam dederunt. Seculo Ecclesiæ XI. afflictis inter calamitates publicas Musis, qui à natura ingenium acceperant studiis idoneum, sibi potissimum in monasteriis consulere, & sublimioris sapientiæ cultui operam dare visi sunt; quales non paucos hac ætate celebres nominat Trithemius; inter quos notandi *Rupertus* Casinensis, *Guimundus* Archiepiscopus Anversanus, *Alphanus* Salernitanus, *Helpericus* Sangallensis, *Berthorius* Casinensis, *Algerus* Corbejensis, *Humbertus* Tullensis, *Berno* Augiensis, *Joannes* Fiscamensis, *Marianus* Scotus, *Guido* Aretinus, *Theodoricus* Monachus, *Adamus* de Persenna, *Anselmus* Lucensis, *Gumtberus* Elnonensis, *Olbertus* Gemblacensis, *Burchardus* Wormatiensis, *Ditmarus* Mersburgensis, *Bernardus* Corbeiensis, *Ruthardus* Hirsfeldensis, *Hugo* Cluniacensis, *Wilhelmus* Hirsaugiensis, cujus unius merita laudésque, si quis uno conetur volumine complecti, næ ille æquè facilè in nuce iliadem comprehenderit. His jungi possent *Leo* Ostiensis, *Albericus* Casinensis, *Theodoricus* S.Trudonis, *Wolphelmus* Brunwillerensis, & alii præstantes omninò illâ ætate in *Scientia Sanctorum* Magistri. Nemo tamen inter eos magis celebratus est, quàm *Lanfrancus* Beccensis Abbas, & exinde Cantuariensis Atchiepiscopus, cujus in asceticis æquè ac in aliis solidioribus disciplinis eruditio fuit penè incomparabilis. Ex ejus schola prodiit *S. Anselmus* Cantuariensis post eum Archipræsul, qui in singulis propè, quæ scripsit foliis, nihil spirabat nisi *spiritum scientiæ*, & in sanctis Meditationibus se exercens, lacrymarum imbres fundens, plerumque ante nocturnas vigilias parum aut nihil somni capiebat. Extant ejus meditationes Operum Parte II. editionis novæ pag. 112. quæ cùm aliena luce non egeant, actum ageremus, si quid laudis addere nostra eisdem balbuties vellet. In honoris potiùs obsequium comitentur illos præstantiores itidem in hac sacratiori disciplina Doctores, *Petrus Damiani*, & *Gilbertus Crispinus* Westmonast. quorum editi libri *scientiæ*, quam tractamus, *spiritum*, vix

* Mabillon. Præf. in Sec. V. Bened. n. 27. & 28.
** Wilhelm. Malmesbur. de Reg. Angliæ Libr. II. c. 8.

vix non ubique palpabilem exhibent. De *Otholomo* Sant-Emeramensi, *Francone* * Affligemiensi, & aliis, qui hac ætate aliquo *Scientiæ* hujus charactere conspicui inclaruerunt, fusiùs ex proposito agemus parte IV. hujus Historiæ cap. I. Sect. IV.

Theologiæ Mysticæ Status Seculo XII.

Secuto inde seculo XII. aliam iterùm faciem induit *Theologia Mystica*. Cùm enim eo tempore Aristotelis Metaphysica, præcisionibus mentalibus, & abstractis speculationibus plena innotuisset, ita Scholasticorum tunc invalescentium subtilitas hisce crepundiis aucta est, ut omnem penè orbem philosophicum suo sub imperio deinceps tenuerit, ipsámque adeò Theologiam penitùs imutaverit. Opponi quidem huic Philosophiæ jam tunc cœpit *Theologia Mystica*; quæ cùm sterilitatem à Scholasticis ubique proditam exosa internam mentis emendationem & reductionem ad fontem summum DEUM urgeret, meliùs sapuisse sibi visa est. Hinc contentiones, jurgia, anathemata, hæreticæ labis objectio, & quæ alia fuerunt scholasticarum litium terriculamenta, quibus ad execrationes & diras usque pars utraque digladiata est. Quamvis autem theoretici isti Theologi, quos *Scholasticos* vocamus, vehementer invisi fuerint *Mysticis* sive *Practicis*, qui captata occasione vehementiam affectûs contra illos prodere non sunt veriti, ut vel ex uno *S. Bernardi*, & sequacium exemplo constat, qui hoc nomine *Abælardum*, *Gilbertum Porretanum*, *Petrum Lombardum*, aliósque hujus ætatis Scholasticos gravi prosecuti sunt odio **, accidit tamen, ut qui Scholasticæ Philosophiæ, & Theologiæ non levem posuerant operam, *Mysticæ* interdùm quoque *Theologiæ* insudarent. Cùm enim in eo, quem ingressi fuerant, campo infelix lolium & steriles ubique dominarentur avenæ, coacti fuêre Scholastici, exulante doctrinâ morali, ita animis pabulum suppeditare, quod negabat Theologia Scholastica. Hoc autem pacto denique factum est, ut syncretismus quidam *Scholastico - Mysticus* *** emergeret, puritati doctrinæ Patrum non minùs adversus, quàm reliqua malorum & hæresum Ilias, quæ ex vesano Philosophiæ Peripateticæ studio, & posterâ ejus ad Dogmata sacra applicatione exorta est. Nihil hîc Lectori propinamus, quod non literaria sacráque seculi XII. & sequentium historia luculentis demonstret exemplis. Unum *de Abælardo*, ut de reliquis ferri possit judicium, hîc admetiri lubet ex Trithemio in catalogo Script. Eccl. cap. 381. ita rescribente: *Petrus Dialecticus Parisiensis dictus* ABÆLARDUS *natione Gallus, vir in seculari Philosophia eruditissimus, & in divinis Scripturis nobiliter doctus, gaudens novitate terminorum, & altiora se scrutari tentans, oppressus à gloria plures incidit in errores, & agente sancto Abbate* BERNARDO *in Senonensi Concilio cum pravis suis doctrinis condemnatus est. Ab hoc tempore Philosophia secularis sacram Theologiam sua curiositate inutili fœdare cœpit...*

Petrus Abælardus in exemplum Studiosis proponitur.

Cæterùm quæ fata, quásve calamitates expertus sit *Abælardus* posteà S. Gildasii O. S. B. Abbas, patheticè exponit *Gervasius* Trappensis Antistes in ejus *vita*, quæ sanè egregium sapientiæ & stultitiæ exemplum nobis exhibet, & quibus fortunæ procellis subinde jactentur viri docti, quid virtus valeat, quid invidia, qui Cleri ad odia & persecutiones excitati mores sint, & quæ alia luculenter docet; illustri autem hoc specimine juniores monentur à voluptatis & ambitionis deviis recedere, unúmque Dei timorem & reverentiam vitæ studiorúmque suorum ducem adhibere, quorum neglectum fuisse verum fontem *Abælardi* calamitatum, attenta ejus vitæ lectio edocebit. Egregium verò exemplum Ascetis reliquit in suo ad Cluniacenses secessu, ubi extremos vitæ dies ita exegit, ut referente PETRO Cluniacensi, *Mens ejus, lingua ejus, opus ejus semper divina, semper philosophica, semper eruditiora meditaretur... Tali nobiscum*, pergit ille, *vir simplex & rectus ac timens Deum & recedens à malo, tali inquam per aliquantum temporis conversatione ultimos vitæ suæ dies consecravit Deo, ... nec momentum prœterire sinebat: quin semper aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut dictaret...* Tandem toto corpore insusitatis ulceribus occupato mortalitatis debitum persolvit XI. Cal. Maji A. MCXLII. vir melioribus satis & temporibus dignissi-

* Franconis Affligen. *De Gratia seu Beneficentia Dei libri XII.* prodiêre Friburgi Brisgoiæ 1620. in 12.

** Vid. Launoius de contentione Joachimi Abbatis Florensis, & Gualteri Prioris contra Lombardum Cap. III. pag. 191.

*** Caspari Erhard Sant-Emmerami Amica unio Theologiæ Scholasticæ cum Ascetica.

gnissimus; cujus *Theologiæ Christianæ* libros quinque vulgavit primus *Edmundus Martene* Anecdotorum Tomo V. p. 1156. eisque erudita prolegomena præmisit, asceseos cultoribus seriò trutinanda.

Ascetæ celebres, Bruno Segniensis, Inter illustriores hujus seculi Theologiæ Mysticæ Doctores haud postremum locum occupat *S. Bruno* Segniensis ex Abbate Casinensi Episcopus, cujus sive summam vitæ innocentiam, sive impensum juvandis hominibus laborem, sive religiosæ vitæ flagrantissimum studium, sive libros piè luculentérque ab eo conscriptos perpendas, virum planè admirabilem, & cuivis Reipublicæ Christianæ statui salutarem affirmaveris, ut ex M. Antonio Scipione notat Bucelinus ad An. 1125.

Rupertus Tuitiensis, Admiranda quoque pietate & nominis famâ tunc effulsit *B. Rupertus* Abbas Tuitiensis, cujus *Doctrinæ cælestis* excellentiam non solùm multa ab eo scripta volumina indicant, sed etiam miraculum, quo sublimiorem hujusmodi sapientiam accepit infusam. Ejus Opera sanè *Divina*, ut Wionius appellat, nuper recusa fuere Venetiis, ubi pro Ascetis maximè notandi *Libri duo de meditatione mortis.*

Hildebertus Turonensis, Hoc etiam tempore Gallias illustravit *B. Hildebertus* ex Cluniacensi monacho Turonensis Archiepiscopus, quem S. Bernardus meritorum Censor eximius *Sacerdotem magnum & magnam Ecclesiæ columnam* nuncupat; talémque fuisse testantur relicta ab eo ingenii monumenta, quæ Asceticæ disciplinæ cultoribus oppidò deserviunt.

Stephanus Parisiensis, Huc itidem referendus Ven. *Stephanus Parisiensis*, monachus (ut puto) Casinensis, qui elegantem expositionem in Regulam S. Benedicti circa A. 1187. conscripsit hoc exordio *: *Venerabili Patri & Domino venerando* Rofredo *Insulano, Div. Prov. SS. Marcellini & Petri Cardinali Presb. & S. Cænobii Casinensis Abbati*... Neque verò

Elmerus Cantuar. prætermittendus *Elmerus* Cantuariensis in Anglia Asceseos Magister utroque & virtutis & eruditionis merito celtissimus, uti perhibet *Thomas Smithus*, & abundè produnt ejus Epistolæ, in quibus tractat *de munditia cordis*; *de discretione judicii*, *de affabilitate in sermone*, & aliis ejusmodi materiis. Vixit A. 1130.

Alii illustres seculo XII. Ascesеos Cultores. Seram quoque seculorum posteritatem relictis ingenii præstantissimis in hoc genere monumentis sibi devinxe runt magni è nostris Doctores & Scriptores, *Hugo* Cluniacensis, *vir inter magnos Magnus*, Rothomagensium Archiepiscopus; *Sugerius* Galliarum Salomon; *Petrus* Venerabilis; *Malachias* magnus ille Angliæ Reformator; *Gratianus* Juris Phœbus; *B. Rupertus* Limburgensis in Palatinatu Rheni Abbas; *Hugo* Corbeiensis; *Adelphus* Abbas; *Conradus* Hirsaugiensis; *Eckardus* S. Laurentii; *Guilielmus* S. Theodorici; *Ailredus* Rievallensis à scientia infusa plane mirificus; *Henricus* S. Ægidii Brunswicensis; *Balduinus Devonius* ex Fordensi Monacho Cantuariensis Archiepiscopus; *Bernardus* Casinensis Abbas; singuli singulis illustrandis seculis sufficientes sacræ Asceseos Magistri, de quorum operibus plura alibi. At enim ut Sol stellas, minoráque sydera, sic S. Bernardus Clarevallensis reliquos illustres ejus seculi viros obscurare visus est; *Vir*, Baronii elogio, *verè Apostolicus*, *imò verus Apostolus, missus à Deo*, *potens opere & sermone*, *illustrans ubique & in omnibus suum Apostolatum signis & prodigiis*. Eodem tempore effulsit sanctissima illa Bingensis Abbatissa Hildegardis, quæ admiranda reliquit scientiæ divinitùs infusæ monimenta, inter quæ ad Theologiam mysticam spectantia recensentur: *Scivias*, i. e. *de scientia viarum Dei & hominis*, Opus grande & mirabile, quod in Eibingensi Monialium asceterio hodiéque adservatur manuscriptum. *Divinorum* item *Operum* liber unus; *Vitæ meritorum* libri tres; *Exhortationum & Homiliarum* libri duo; *Epistolarum & Quæstionum* volumen grande; *De futuris quoque periculis* ad Clerum Coloniensem, & Trevirensem, aliáque. Iisdem ferè diebus illuxit Prophetissa illa admirabilis B. Elisabetha Schönaugiensis, in agro Treverico Abbatissa, quæ etiam divinitùs edocta feræ posteritati consuluit variis ad Ecclesiæ utilitatem Scriptis, è quibus huc spectant, *Revelationum diversarum* libri duo; *Viarum Dei* libri quatuor; *Epistolæ ad diversos* Divino Pnevmate refertæ. . . Quibus æquiori perpensis judicio, quis hic non miretur præsentem Dei manum? vel sacrarum Virginum ceu publico inutilium contubernia damnare aut spernere ausit?

S. Hildegardis, Elisabetha Schönaugiensis.

Seculo XIII. claruêre intitissi- Initia seculi XIII. illustravit *Joachimus* Coratii apud Venetos Abbas, Florensis Congregationis Institutor sapientissi-

* Extat MS. in Bibl. SS. Udalrici & Afræ Aug. Vind.

ter Asce- tas Joachimus Florensis

tissimus, & prophetiæ spiritu inclytus, cujus insigne illud opus posteritati mirandum, Ecclesiæ S. Marci pavimentum, ubi & parietes & fornices vermiculato opere, insolenti planè prodigio secuturis etiam seculis eventura quælibet majoris momenti prænuntiant. Ea verò, quæ in ascetarum usum conscripsit, sunt, *Libri sententiarum*; *de consolatione*; *de futuris temporibus &c.* Producendi jam essent in theatrum alii celebriores asceseos Magistri, quorum felices calami Theologiam mysticam Christianæ pietati consignârunt; at ut in uno reliquos speculo intueri liceat, prodeat ille celebratissimus

& Joannes Gersen,

JOANNES GERSEN *de Canabaco* Vercellensis in Italia Abbas circa annum 1220. orbi conspicuus, quem aurei libelli *de imitatione Christi* conditorem & scriptorem esse, nemo hodie peritus dubitat, quando post annorum plurium celeberrimam acerrimis agitatam studiis, & summo rigore pertractatam controversiam, ab Ill.mo Parisiensi Archiepiscopo & viris in re antiquaria, ac omni præterea doctrinæ genere versatissimis, nec non illustri dignitate famâque conspicuis anno tandem 1671. in nostri Ordinis favorem, & pro ipso *Gersene* definitum fuit. Delectos tunc Judices ad ita decernendum præcipua hæc impulit causa, quòd autographa manuscripta *Gersenis* ex variis hinc inde locis Lutetiam Parisiorum comportara, & ab adversariis falsi perperàm postulata, omni prorsùs carere vitio, & nullius falsi vel minimam in iis suspicionem latere, manifestè deprehenderent. Hoc peritissimorum Virorum judicium R.P. *Franciscus Delfau* Monachus ac Presbyter Congr. S. Mauri per Apologiam pro GERSENE omni argumentorum genere stipatam toti subinde orbi literario promulgavit. *Quamvis* (si verum fateri velimus) *non Joannes, sed ipsa potius Divinitas, atque* (ut cum Cajetano loquar) *sacer ille Spiritus, habitator quietis puræ mentis penetralibus dilapsus, per os viri illius altitudinem divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei mortalibus patefecit.* Ejusdem porrò *Joannis* Abbatis Vercellensis censetur libellus *de Professione Monachorum*, quem extulit Pezius in Tomo I. Thesauri Anecdotorum, plura de eo differens in Præf. pag. LXXX. n. 12.

Vitæ monasticæ forma Sec. XIII.

Eodem seculo & subsequentibus antiqua Reipublicæ Monasticæ facies non parùm immutata est; *distracta unio*, inquit Mabillonius *, *in diversos fines, unus Ordo in multiplices distinctus Ordines, imò & Religiones.* In variis tamen hisce Ordinibus præsertim sub regula Divi Benedicti militantibus, perseveravit unus atque idem veteris Monastici Ordinis genius, unus idémque scopus, qualem superiùs exposui, qualémque Mabillonius graphicè depingit his verbis **: *Primaria vitæ monasticæ regula erat abdicatio rerum omnium, tùm propriorum studiorum, qualis in Evangelio præscribitur. Ad hæc secessio à seculi tumultu, officia divina statis horis, obedientia summa, juge silentium, labor manualis, ciborum tenuitas & delectus, corporis castigatio, delictorum etiam levium pœnæ graves; in summa, propriæ salutis una ferè & maxima cura; pro aliena continentes & sollicitæ preces; pro Ecclesia etiam suscepti labores, ubi postulabat caritas aut necessitas. .* . Verùm ut nihil est tam sanctum, nihil tam firmum, in quod non subinde irrepat abusus & corruptio, ita nec ab hac forte immunis fuit vita ascetica seu contemplativa. Fuêre enim nonnulli *Claustrales & scholastici viri*, ut loquitur HonoriusIII. ***, *qui lectione librorum Joannis Erigenæ & Dionysii Areopagitæ nimiùm occupati*, cùm Scriptores illos ubique visionem Dei, unionémque cum summo Ente, ac Deificationem quamdam protendere animadverterent, neque porrò pretiosum à vili, solidum à carioso satis distinguere nôssent, mirabantur internam animi à corporis nexu liberationem, ascensúmque ad supremæ bonitatis fontem urgeri & sanctimoniam posci externâ simulatione meliorem, quæ hominem ad angelicam perfectionem adduceret, qua semel adeptâ se velut deificatos (*sit venia verbo barbaro de re sacrâ*) & impeccabiles existimabant; sicque fanaticam nescio quam sibi finxêre Theologiam, quæ Pantheismo, Enthusiasmo, & Quietismo **** locum fecit; cujúsque ne hodie quidem radices exaruerunt. Patrum namque memoriâ vixit Presbyter quidam Cæsaraugustanus *Michaël Molinos*, qui sub pallio sanctitatis cùm insigniter impius esset, ultra duodecim annos sacrâ exhomologesi con-

irrepentes in eam abusus.

* Mabillon in Præf. ad Sec. IV. Bened. n. LXV.
** L. c. num. LII.
*** Honorius in Bulla apud Albericum ad A. 1225.
**** Bossuet de nova Quæstione Tractatus tres 1. Mystici in tuto. 2. Schola in tuto. 3. Quietismus redivivus. Parif. 1698.

conscientiæ nævos eluere distulit, utut quotidie ad aram facere non cessârit. Cardo autem ipsius errorum in eo versabatur, quòd assereret *Animum exercitatione quadam internâ cum Deo velut affigi debere per contemplationem. Quo semel obtento nullum deinceps scelus corpore vel sensu perpetratum iri, quo à Deo ejúsque gratia sejungi jam ampliùs homo possit.* .. Egregia scilicet doctrina, quæ dum animum per unionem in Deo quiescere asserit, nullum abhorret nefas in corpore vel sensu. Ab illa autem quam stultè sibi finxerunt quiete, *Quietistarum* nomen hauserunt, quotquot perdiræ doctrinæ manus dedêre. Quæ hîc vel ideo memoranda duximus, quia non minùs aliorum offensionibus, quàm præceptis sapere discimus.

Reliqui Asceseos Doctores, Seculo XIII. clari.

Quemadmodùm autem Regi Macedonum Philippo quondam Orator acclamavit: *Summam hanc ejus esse laudem, quòd Alexandrum genuerit*; ita & nos potiori jure Religioni Benedictinæ aggratulari possumus, quòd hoc sterili seculo protulerit non tantùm celebratissimum illum sacratioris Asceseos Magistrum *Joannem Gersenem*, sed etiam plures alios, qui in totius humani generis uberrimos fructus, varia ejusdem fere commatis opuscula posteris consignârunt; quos inter memorandus: 1.) CÆSARIUS ex Abbate Prumiensi* factus Heisterbacensis Monachus, qui post secessum scripsit inter alia *Collationes de transfiguratione Domini in monte Thabor; Expositionem moralem super Passionem Christi secundùm omnes Evangelistas; Sermones ad Monachos; Homilias, & alia sublimiori ascesi exuberantia.* Vixit ad A. 1237. 2.) JOANNES ALGRINUS Cluniacensis Monachus Priórque Abbatis-villæ, ex Magistro Scholæ Parisiensis Archiepiscopus Visuntinus, & postea S.R.E. Cardinalis, de cujus scriptis plura alibi. 3.) BERNARDUS Casinensis Abbas & S.R.E. Cardinalis ad A. 1272. superstes, cujus *Speculum Monachorum* typis exscriptum prodiit Venetiis A. 1505. & Dilingæ 1616. in 12. opus sanè in nostrâ disciplinâ præstantissimum. Plures quidem viros eâdem *scientia Sanctorum* illustres in medium adducere volupe esset, sed filum abrumpere jubent occurrentes sanctissimæ Virgines, GERTRUDIS Abbatissa Elpediana, & soror ejus MECHTILDIS Helftensis Monialis, genere & virture nobiles ac divino Spiritu illuminatissimæ, admiranda planè contemplativis, & *Theologiæ mysticæ* studiosis exemplaria, de quarum visionibus & revelationibus videndi libri ab utraque conscripti & sæpiùs typis descripti. Et illa quidem Deo & cœlitibus familiarissimè conjuncta, ex instinctu Spiritûs sancti, à quo fuerat edocta, posteris reliquit *libros quinque divinarum insinuationum*, & alterum *Spiritualium exercitiorum*, qui latinitate donati & evulgati sunt à F. *Joanne Landspergio* Carthusiano **. Mechtildis verò scripsit *de Spirituali gratiâ & consolatione* &c. Ex quibus abundè liceat colligere etiam Moniales nostras non uni duntaxat provinciæ & seculo, sed orbi universo & omni ætati profuisse, & divinæ gratiæ fluenta summo cum divini nominis honore in legentes, lecturos & audituros longè latéque derivâsse, quod nec ipsi Professores artium præstiterint, minùs verò illi, qui pulcherrimi nominis objectu fallere dùm pergunt, Moniales loco pellere satagunt.

Cæsarius Prumiensis.

Joannes Algrinus.

Bernard. Casinens. &c.

S. Gertrudis & Mechtildis.

Seculi XIV. Ascetæ celebriores.

Seculo XIV. inter præstantiores Ascetas eminuerunt: ENGELBERTUS Admontensis in Styria Abbas; GUIDO de Castris S. Dionysii Lutetiæ Antistes; GUILLELMUS Rirbangerus S. Albani in Anglia; *Jacobus Richardi* Populeti Monachus; PETRUS BOERIUS S. Aniani Abbas & demùm Urbevetanus Episcopus, eximiâ sacrorum Canonum peritiâ celebratissimus, qui omne tempus vitæ dictando & scribendo consumpsit, atque inter alia sui ingenii monumenta reliquit duplicem in Regulam S. P. Benedicti expositionem; in quarum primâ novo planè invento, confert ipsius S. Regulæ sententias, cum SS. Patrum sententiis; in alterâ verò omnia Regulæ non solùm capitula & dogmata, sed etiam verba, consilia & præcepta Juri Pontificio conferens, mirabili subtilitate Decretalibus, Canonibúsque summorum Pontificum & Patrum approbat. Scripsit etiam in *Bernardi* Casinensis Speculum Monachorum commentaria, & alia quædam alibi recensenda. Egregiis quoque scriptis inclaruerunt, *Richardus Walingfordus* Albanensis; *Thomas Pontius*; *Joannes Thanatensis*; *Rogerius Hardenus* Cestrensis; *Joannes Everitdenus*; *Petrus Rogerius de Malomonte* Abbas Fiscanensis; *Guerricus* Igniacensis Abbas; *Richardus* Cicestrius; *Richardus Stradleius* Herefordensis Abbas; *Gualterus Bederichworthus* scripsit *Moralita-*

* Hontheim Hist. Dipl. Trevir. Tom. I. p. 640.

** Confer. Simonis Huebman Doctrinæ salutares ex libris B. Gertrudis Salisburgi 1673.

litates in Psalterium; Collationes monasteriales &c. Galfredus *Watertonus* S. Edmundi Cantuar. Asceta lectissimus plura in honorem Deiparæ conscripsit. Ut nihil de Joanne Malverneo Wigorniensi; Stephano Brikingtono; Wilhelmo Torneo, Castortono Norvicensi; Mathæo Westmonasteriensi; Utredo Boldon Dunelmensi; Simone Sonthraio seu Ponthraio Albanensi; Edmundo Bromfeldo Buriensi; Nicolao Radeliffo; aliisque memoremus; in eo præsertim, quod tractamus argumento excelluit Joannes Wiltonus cognomento *Junior* Westmonasteriensis rerum sublimium & cœlestium contemplationi mirificè deditus, *cujus scripta*, inquit Pitsius, *pietatem redolent, & animum à terrenarum rerum contagione penitùs alienum demonstrant.* Joannes de Thinmouth S. Albani Monachus, teste Pitsio, *omni genere virtutum ornatus & multiplici melioris eruditionis supellectile instructissimus, sacris scripturis legendis, meditandis, explicandis impensè deditus*, ut concivium suorum animos exemplis accenderet, vitas sanctorum Angliæ, Walliæ, Scotiæ & Hiberniæ ingenti volumine complexus est, in cujus & aliorum operum laudem prolixiùs excurrit Pitsius. Petrus Berchorius seu *Berthorii* Prior S. Eligii Parisiensis, *vir*, ut Trithemius meminit, *in divinis scripturis studiosissimus & valdè eruditus*, scripsit inter alia insigne opus tribus voluminibus distinctum sub tit. *Repertorium Morale; Reductorium quoque & Inductorium Morale; Sermones & Homilias; Commentarios in Psalmos &c.* Celebratur sub hæc quoque tempora inter mille alios Joannes *Castellensis* in Bavaria monachus, cujus est insigne opus, *Commentarius in Regulam S. P. N. Benedicti*, & alia commendatione digna, de quibus suo loco fusiùs. Nec hic prætereundus Adamus Estonius ex Nordovicensi Monacho Londoniensis Episcopus ac demùm S. R. E. Cardinalis, qui inter alia ascetarum legivo commisit insignem Tractatum *de perfectione vitæ spiritualis*. Alios alibi dabimus.

Seculi XV. Scriptores Ascetici. Ineunte seculo XV. effulsit *Ludovicus Barbus* rarioris sanctitatis elogio commendatus, qui abdicato seculi fastu S. P. Benedicti legibus mancipari felicitatis veræ compendium reputavit, & celeberrimæ illi Congregationi *S. Justinæ de Padua* initium dedit, quæ grandibus incrementis succrescens innumeros hinc cœlo pro mundo Intercessores ac Tutelares præmisit. Ut autem videas quæ Ascetarum vivendi ratio in eâ fuerit, ex Cavacio * describemus: *Quod in primitiva Ecclesia legitur fuisse omnium cor unum & animam unam, de priscis illis patribus etiam refertur. Divina officia noctu diúque ab universis celebrabantur, Meditationes, jejunia tum regularia, tum ultronea agebantur frequentiùs. Silentium statis horis inviolatum, sermo, cum liceret, de divinis rebus, qua ineruditos docerent & eruditos accenderent... Privata exercitia ad normam veterum Eremitarum, in codicibus scribendis, vel in hortuli alicujus cura. Doctiores Patres vel in audiendis confessionibus, vel in exponendis sanctis auctoribus laborabant..* Ita ille de monasteriis Italiæ. In Germania diversis quoque in locis Benedictinus se spiritus prodidit, & in novum florem Religio revirescere cœpit. Certè aliis Austriæ cœnobiis facem prætulit *Joannes à Dagsperg* Lambacensis ad sinistram Traunæ Monasterii Abbas, insignis disciplinæ monasticæ restitutor. Pari zelo *Joannes de Spira* ** Prior Mellicensis, aliique ejusdem cœnobii Ascetæ doctissimi rem monasticam egregiè illustrârunt. Apud Treviros Joannes de Rode Abbas S. Mathiæ, moribus & vitæ conversatione conspicuus, regularísq; observantiæ zelator insignis, pro instauratione monasticæ disciplinæ plurimùm desudavit, multùmque profecit. Scripsit verò insignem Tractatum *de bono regimine Abbatis*; quem nuper extulit Bern. Pezius in Bibl. Ascetica Tom. I. Constitutiones etiam condidit pro reformatione Ordinis, & quædam alia ad Monachorum ædificationem exercitia. Adamus Villicus vulgò *Mayer* S. Martini Maj. Coloniæ Abbas, *cui*, teste Trithemio ***, *non fuit illâ ætate similis cujuscunque etiam Religionis alius, nec surrexit post eum quisquam usque in præsentem diem tam zelosus amator custósque & reformator disciplinæ regularis*, omnia Ord. S. Benedicti cœnobia per provincias Coloniensem, Leodiensem, Trajectensem, Monasteriensem, totúmque Belgium ad meliorem disciplinam reduxit. Plura verò fœcundi ingenii monumenta posteris consignavit, inter quæ numerantur, *Sermones breves*, & *Orationes*

* Cavacius libr. 5. Hist. Cœnobii S. Justinæ.
** Bernard. Pezius Anecdot. Tom. II. pag. 570. & Tom. II. Bibl. Ascet. pag. 81.
*** Trithem. in Chron. Hirsaug. ad A. 1499. Hontheim Hist. Trevir. Dipl. Tom. II. p. 334.

quædam Capitulares; Libellus *de tribus votis monasticis*; Egregium quoque opusculum *de statu Religiosorum*; Aliud *de statu Archi - & Episcoporum ac Patriarcharum ad Hermannum Col. Archiep.*..Unus tamen instar omnium nobis est, *Tractatus Asceticus de septem gradibus spiritualis ascensionis in Deum*, non tam mole, quàm saluberrimis documentis magnus; eloquio quidem simplex, sed patheticus, & igneis veræ pietatis scintillis splendidus, quem typis exscribendum in se recepit D. *Martinus Veithius* Bibliopola Augustanus. Eâdem ætate claruit *Joannes de Westphalia* Abbas Bursfeldensis, cujus opusculum *de triplici region: Claustralium* * TRITHEMIUS styli sui cote expoliit edidítque *Buseus* inter hujus opera spiritualia, omnibus religiosæ vitæ cultoribus maximè commendata, de quibus alibi fusiùs. Hîc quoque memorandus venit HENRICUS GULPEN Abbas S. Ægidii Norimbergæ, cujus inter alia Ascetis commodat *Liber de Passione*.. JOANNES RAULINUS celebris Theologus & Cluniacensis Asceta religiosissimus posterorum legivo reliquit insigne opus de triplici genere mortis, videlicet *Corporis*, *culpæ & gehennæ*, quod vulgò dicitur, *Doctrinale mortis*, excusum Parisiis anno 1523. plures egregiâ vitæ sanctitate in celebri illo Cluniacensi Archisterio, facem Galliæ atque orbi prætulerunt, magno fervore venerabilis *Odonis de Pereria* ejusdem loci Abbatis concitati; è quibus alii tùm *scientiæ Sanctorum*, tùm eruditionis splendore insignes, novam planè Religioni nostræ faciem visi sunt induxisse. Sed horum undique se ingerentium copia calamum fragilem penè opprimit, ut consultò manum de tabula subtrahamus, remisso Lectore ad numerosiorem omninò seriem parte IV. cap. I. sect. VI. suspiciendam.

Notantur veterum Ascetarum Censores. Ast tacitus forsan cogitabis & ogeres, plerosque ex assignatis scriptoribus antiquos esse, ac effœtam præ se ferre senectutem, quæ nihil vividum, nihil sublime, nihil delicatum spirat. Corrupta enim & malè confusa plerumque veterum *Theologia* præsertim *Mystica* erat, cujus summa in eo consistebat, ut ex priscis Doctoribus nonnullæ sententiæ, atque dicta, aut testimonia temerè corrasa exhiberentur, & compilationes ejusmodi instituerentur, ex quibus quid Virtus, quid vitium, quæque emendandi animi via esset, sanus nemo discere posset. Verùm quisquis ita tecum ipse judicas, *da veniam*, erras maximè. Non hac ego te censurâ noto, sed æquissimus & nullo partium studio corruptus arbiter *Dominicus Musantius* S. J. Scriptor non incelebris sincerúsque antiquitatis censor & cultor, qui in suâ Face Chronologica tab. IV. sic in rem nostram rescribit: *Hoc ævo*, inquit, *fortasse literis obest nimia librorum copia*, *quæ nos inopes facit sapientiæ*; *quia dum novorum multitudine occupamur*, *optimos veterum plerosque negligimus*. Cujus rei indignitate subinde commotus Clarissimus P. *Bernardus Pezius* Mellicensis Bibliothecarius de orbe literario optimè meritus, dùm in Bibliothecarum perlustratione permulta egregia vetera juxta ac recentiora omnium generum & argumentorum opuscula detexisset, ea verò miserè inter tineas & blattas relinqui animadvertisset, ut dolorem suum quoquo modo leniret, constituit primùm lectiora ex his *Asceticis opusculis* in Thesauro suo Anecdotorum novissimo proferre; id quod etiam non sine fructu ab eo factum fuisse viri quidam non minùs docti, quàm pii existimârunt. Verùm cùm postea animadvertisset, eo modo *Ascetarum veterum* memoriæ quidem probè consuli, sed animorum tamen fructum, quem in hujusmodi opusculorum editione præprimis spectabat, tanto minorem cum tempore futurum, in quantò plura volumina Thesaurus excresceret, consilium aliud iniit, & *opuscula Ascetica*, quæ deinceps in manus inciderant, in opus separatum transtulit, quod sub titulo; *Bibliotheca Ascetica antiquo - nova*, prodiit Ratisbonæ sumptibus *Joan. Conradi Pezii* ab anno 1723. eâ quidem formâ & ratione adornatum, ut nec Lectorum commodo, nec fortunis, utut tenuibus admodum officiat. Ita verò ipse iniquiorem ejus commatis opusculorum sortem deplorat ** *Dolui nempè vehementer, dum in Bibliothecarum perlustratione permulta egregia vetera juxta ac recentiora omnium generum & argumentorum opuscula detexissem, ea tam miserè tantóque tempore inter tineas & blattas relinqui, nec quemquam esse, qui manum ad ea in lucem publicam & communem usum vindicanda strenuè admoveret, Quo in genere*

* Editum A. 1498. in 4. sine loco.
** Bern. Pezius in Præf. ad Tom. I. Bibl. Ascet.

nere nullorum Scriptorum libellis iniquior fortuna est, quàm Ascetarum, *qui tametsi omnium ferè maximum præsentissimúmque piis & attentis animis fructum spondeant, in ignobilioribus tamen & obscurioribus Bibliothecarum forulis, ceu in ergastulis captivi, neglecti abjectíque plerumque detinentur, quasi eo nomine atrociùs habendi forent, quòd animorum morbos ac vulnera, & liberiùs prodant, & certiùs persanent, communi scilicet plerisque mortalibus vitio, qui malorum suorum remedia, paulò tristiora & acerbiora, præ ipsis malis non rarò aversantur.*

Recentiores Mystici & Ascetæ.

Ceterùm, quia, ut idem doctissimus *Pezius* scitè admonet, *monumenta literaria*, *præcipuè* Ascetica, *non ex ætate, sed ex robore atque soliditate doctrinæ pendenda sunt*, omni verò ætate familia Benedictina, utpote divino Christi magisterio illustrata fœcundatáque Spiritûs sancti charismatibus protulit ejusmodi Theologos absolutissimos; horum aliquot postremis seculis conspicuos, prout in calamum venerint, summatim indicandos duximus. Et primo quidem loco occurrit Ludovicus Blosius Mysticorum facilè princeps, aut si mavis, *divini amoris suavissimus asceta*, ad annum 1566. superstes, qui multa scripsit opuscula melle pietatis, favóque cœlesti referta, quæ anno 1633. accurante *Jacobo Frojo* Lætiensi cœnobita simul excusa sunt, & iterùm recusa Campoduni 1672. in 4. Ingolstadii 1726. in fol. Ejusdem *sententiæ selectæ*, seu *Calendarium Benedictinum* Salisburgi An. 1664. & iterùm 1730. editæ Ascetis summâ in veneratione sunt. Blosio succenturiandus venit Gerardus Belga, cujus opuscula pia; *Mancipatum Deiparæ*; *Meditationes per annum de tempore, de Passione & de Sanctis*, publici juris fecit Gabriel Bucelinus Weingartensis Augustæ Vindel. 1632. 1673. & Ingolstadii 1726. in. 12. Utrique succedit Benedictus Hæftenus Affligemiensis in Brabantia Præpositus, magni vir inter Ascetas nominis, qui primævam & strictiorem Regulæ Benedictinæ observantiam in Belgio instauravit non animo tantùm, sed opere etiam & calamo, quem egregiè fatigavit in solida Religiosorum solatia conscriptis duodecim libris *Disquisitionum Monasticarum...* Cui erudito operi alia non minùs pia quàm docta addidit, reformationem in omnium hominum cor-

Ex Belgio Ludovicus Blosius.

Gerardus Belga.

Benedictus Hæftenus.

dibus ac moribus promovere contendens, qualia sunt: *Schola cordis*, sive aversi à Deo ad eundem reductio; *Via regia Crucis* iconibus illustrata; *Venatio sacra*, sive *de arte quærendi Deum*, opusculum verè asceticum, & inter præstantiora ejus commatis monumenta reponendum; *Panis quotidianus*, seu *Meditationes sacræ* in singulos anni dies distributæ; *Paradisus*, seu *Viridarium catechisticum* odis ad musicos tonos reductis. &c. His celebrioribus Belgii Ascetis propè accedit Ludovicus Sombechius Gemblacensis Abbas, qui insigne opusculum conscripsit contra præsentis seculi calamitates sub titulo: *Funiculus triplex*, in quo Passionis, Mortis, & Crucis Dominicæ mysteria & documenta SS. Patrum verbis expressa repræsentat. Memorandus etiam venit Antonius Hovæus Egmondanus excellentis vir ingenii, qui doctrinæ singularis ac pietatis exemplo ceteris præluxit, eóque nomine ad Epternacensis in Ducatu Luxemburgensi Abbatiæ regimen evectus est; Solutâ scripsit oratione *Dialogum de seculi calamitate*; vinctâ lusit Ovidiano stylo & imitatione, sed ad res sacras & castas Poësin transferens, *de arte amandi Deum*; Odarum item & precum librum unum &c. Hubertus *ab Assonville* Altimontensis Prior, *Vir*, teste Valerio, *à vitæ integritate, morúmque sinceritate, & rigore disciplinæ monasticæ commendatus*, literis consignavit *Promptuarium*, ut ipse indigitat, *Curiositatis alphabeticum*, festivo exemplorum atque sententiarum apparatu exornatum. Edidit etiam *Parænesin*, seu *Commonitorium* ad errantes in Fide, ut ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem se recipiant. Andreas *Crocquetius*, Duacensis Prior Hasnoniensis & Ss. Theol. Doctor reliquit Ascetis *Paraphrasin in septem Psalmos pœnitentiales*; *Catecheses Christianas &c.* Cornelius *Columbinus Uranxius* ad D. Petrum in Blandinio Abbas, iisdem consignavit: *Colloquia de miraculis B. M. V. déque vita & laudibus ejusdem*; *Consolationem Animarum in Purgatorio &c.* Cornelius Luminæus *à Marca* in Monte Blandinio, Poëta, Orator, Historicus, & Theologus, ita excellens, *ut omnia in unum confluxisse putes cœlica dona Virum.* Hujus rei fidem faciunt ejus *Tragœdiæ sacræ*, *Musæ lacrymantes*, *Diarium Sanctorum*, *Orationes sacræ*, & *Homiliæ*, aliáque opuscula de variis Religionis Christianæ Mysteriis, in quibus ea ubique

Ludovicus Sombechus.

Anton. Hovæus.

Hubertus Assonvil.

Andreas Crocquet.

Cornelius Uranxius.

Luminæus.

verbo-

verborum ac sententiarum majestas elucet, ut nihil ferè hic priscis debeat, quibus non æquare solùm, sed & præferre eum liceret, nisi vetustatis obstaret reverentia, uti testatur Valerius Andreas in Biblioth. Belgica pag. 159.

EX HISPANIA. Belgicis è plagis in Hispaniam demeanti occurrunt duo viri Ascetis maximè commendandi, GARSIAS DE CISNEROS * & JOANNES DE CASTANIZA, genuini fanè magni parentis BENEDICTI in spiritu filii, & ejus in speculatione divina præ ceteris æmuli. Et ille quidem nobili ortus stemmate, sed pietate & religione nobilior, è Pinciano cœnobio ad Monserratense accitus, magnóque omnium consensu Abbas cooptatus, aurea duo posteris reliquit opuscula, videlicet *Excitatorium*, vel ùt alii legunt, *Exercitatorium vitæ spiritualis*; & *Directorium Horarum Canonicarum*; *è quibus*, inquit Nicolaus Antonius, *quidquid Asceticorum hodie librorum est, videtur dimanâsse*. Certè Wionius & cum eo Bucelinus non verentur asserere *Patres S. J. omnem suæ religionis perfectionem, meditandíque modum ex iis desumpsisse*. Sed de his ipsis, & de quadruplici item DEUM *in Monte Serrato laudantium* genere per eundem *Garsiam* instituto consulendus Antonius Yepes Tom. IV. Chron. gen. O. S. B. Alter verò *Joannes de Castaniza* monasterii S. Salvatoris de Onna veteris Castellæ cœnobita, Bucelini elogio, *planè cœlestis & Angelicus*, *Apostola Paulo prædicatione simillimus*, claruit ad A. 1599. atque posteris legavit insigne prorsùs opusculum vernaculè conscriptum, & deinceps ob præstantiam varias in linguas translatum, quod postremò latinè prodiit Viennæ in Austria A. 1732. sub Epigraphe: *Pugna spiritualis*, seu *Tractatus asceticus de Christiana ac religiosa perfectione*... Proximus ex merito utrique accedit HIERONYMUS LAURETUS Montis Serrati monachus religione & doctrinâ percelebris, qui duo duntaxat, sed lectissimi argumenti ac momenti gravissimi scripsit volumina sub titulo: *Sylvæ Allegoriarum*... queîs & sublimis ingenii acumen ostendit, & apicem gloriæ apud posteros attigit, *inter Scriptores sui ævi princeps* dictus, teste Bucelino ad A. 1564. Pari laude mactandus venit ANTONIUS PEREZ Tarraconensis Archiepiscopus seculo XVII. clarus, de quo, & de ipsius in Ss. Regulam commentariis ita censuit Generalis Hispanicæ Congregationis Præses: *Invenimus spiritu & nomine* Antonium: *in quo Deus duplicavit annonam, dum panem vitæ & intellectûs, non de dimidio integrat, sed integrum sine fractione frangit, quem parvuli, immò & magni, hucusque petierant, nec erat, qui frangeret eis*... Nolim ire ulteriùs per hanc messem, quæ profectò in Hispaniis amplissima est, unus tamen & alter honoris gratiâ, vel solo nomine indicandus: ac cumprimis BENEDICTUS *de la Serna* San-Vincentinus Triumpho de immaculata Conceptione; JOSEPHUS verò *de la Cerda* Episcopus primùm Almeriensis, tùm Pacensis *Tractatu de Maria & Verbo incarnato*, aliísque opusculis cœlesti doctrinâ refertis inclaruerunt. FULGENTIUS *de Oviedo* & *Hevia* Pincianus Ascetas sibi obstrinxit insigni opere morali sub tit. *Praxis Reipublicæ regularis*. PETRUS *de Burgos* Monserratensis; GONSALVUS *de Illescas* Abbas in Fromes; FRANCISCUS *Ruiz* S. Facundi Antistes; LAURENTIUS *de Zamara*; DIDACUS *de Silva Pacheco*; GREGORIUS *Baptista* Lusitanus; FRANCISCUS *Lemos* S. Zoili Abbas, aliíque Theologi in nostro argumento percelebres huc quoque fusiùs venirent recensendi, sed ad finem properanti, sufficiat indicare *Joannis Caramuelis à Lobkowitz* MUSÆUM MORTIS, Bruxellis anno 1638. editum, in quo & sanos & ægrotos morti præparat, paucis multa complexus hoc Disticho:

Si benè vis tandem devivere, vivere disce,
Ut benè contingat vivere, disce mori.

EX GALLIA. Apud Gallos opulentissima quoque Ascetarum seges protuberat; è quibus paucos dabo nominatissimos. Ac primo quidem loco memorandus venit HIERONYMUS JOACHIMUS LE CONTAT, è Congregatione S. Mauri asceta percelebris, qui posterorum usui dicavit, *Exercitia spiritualia; Meditationes; Conferentias; & Exhortationes monasticas*, à R. P. Francisco Mezger latinitate donatas, in quibus spiritus ille, cui beatus Benedictus Abbas servivit, vix non palpabilem se exhibet. JOANNES FIRMINUS RAINSSANT ex eodem sodalitio vulgari sermone conscripsit, *Meditationes in Evangelia & præcipuas totius anni festivitates*, quæ ejus sunt metalli, ac pretii, ut non modò tota Congregatio S. Mauri, sed & plura utriusque sexûs monasteria iisdem cum fructu utantur. JOANNIS MABILLONII liber de

Marginalia: Garsias de Cisneros. — Joannes Castaniza. — Hieron. Lauretus. — Antonius Perez. — Benedictus de la Serna & alii. — le Contat. — Rainssant. — Mabillon.

* Obiit MDX. 27. Novembr.

de morte Christiana... gallicè ad Reginam Angliæ exaratus, præclaris omninò monitis & Sanctorum exemplis exuberat. Plura qnoque Gallico idiomate, eáque pia admodùm & utilia

Martin. edidit CLAUDIUS MARTIN ejusdem Congregationis Asceta piissimus, qualia sunt: *Meditationes quotidianæ*, & *pro Festis principalioribus*; *Practica Regulæ S. Benedicti*; *Schola Spiritualis*; *Manuductio exercitiorum menstruorum*, &

Bretagne. *alia sæpiùs excusa*. CLAUDIUS BRETAGNE publici fecit juris *Meditationes exquisitas super vitam monasticam*, desumptas ex formula professionis, ex S. Scriptura & SS. Patribus; quibus attexuit *Spiritualem Recollectionem & Exercitia decem dierum*, Ascetis oppidò commen-

Mege, data. Quæ ANTONIUS JOSEPHUS MEGE ex eadem Congregatione protulit *Commentaria in Regulam S. Benedicti*, aliáque opuscula, pari habentur in pretio; sed maximè celebrantur EDMUNDI

Martene & Calmet, MARTENE & AUGUSTINI CALMET Commentarii in eandem Regulam historico-morales, quibus præfixam in fronte leges prolixiorem Scriptorum in sacram Regulam recensionem. LAU-

Benard, RENTIUS BENARD Doctor Sorbonicus & Prior Collegii Cluniacensis Lutetiæ Parisiorum, plures eximios protulit libellos ad instituti monastici sanctitatem maximè facientes, cujus commatis sunt: *Parænesis Christianæ*, seu *Instructiones monasticæ*; *Memoriale vi-*

Francois, *tæ religiosæ &c.* PHILIPPI FRANCOIS è Congregatione Lotharingica, *Directorium spirituale ex Regula S. Benedicti ad Novitios instituendos, Regula item emedullata* & alia ejusmodi opuscula, non sine plausu & fructu ab Ascetis ex-

Bulteau &c. cepta sunt. LUDOVICUS BULTEAU è Congregatione S. Mauri opusculū condidit *de Cura Clericali*, cujus præstantiam ex eo conjicias, quòd Mabillonius censor egregius illud præ reliquis legendum consulat. Anonymi ex eadem Congregatione *Effusio cordis*, sive *Colloquia spiritualia & affectiva animæ cum Deo*, gallicè sub hoc tit.: *Effusion de Coeur, ou Entretien spirituel & affectif d'une ame avec Dieu sur chaque verset des pseaumes & des cantiques de l'Eglise* Parisiis A. 1729. Tomis V. in 8. edita perpetuis ad Scripturas sacras allusionibus, velut vernantibus quibusdam flosculis ita sunt exornata, ut quoddam Christianæ eloquentiæ Divinis dignæ specimen exhibeant. Mitto alios cœlestis hujus doctrinæ magistros, ne ultra propositam metam tractatio excurrat. Plures dabunt tùm

Pezius & *Le Cerf* in Bibliotheca Sant-Mauriana; cùm etiam *Lucas d'Achery* in indiculo Asceticorum, quæ inter Patrum Opera reperiuntur.

Inter Italos meritissimus de orbe & posteritate universa seculo XVI. medio enituit ISIDORUS CLARIUS monachus primùm S. Joannis Evangelistæ Parmensis, dein Abbas S. Mariæ Cesenæ, ac demùm Fulginatis Ecclesiæ pontificatu sublimatus. *Vir*, inquit Bucelinus, *& morum integritate, & Scripturarum intelligentiâ, nec non linguarum peritia clarissimus*; ex cujus scriptis, quibus Ecclesiæ ornamentum insigne addidit, & nomen suum æternitati consecravit, huc præsertim referendæ *Orationes sexaginta novem in sermonem Domini in monte habitum. De justificatione hominis & gloria*; nec non *Tractatus de modo divitiis adhibendo homini Christiano*... GREGORIUS CORTESIUS ex Abbate Mantuano S R. E. Cardinalis, latinè & græcè peritissimus, inter alia fœcundi ingenii monumenta, hanc in extremis dignam Principe Ecclesiastico protulit sententiam Ascetis maximè notandam: *jam annis pluribus*, ajebat, *Cardinalis fuimus, quid autem nunc superest de isto honore? Quantò Ah! quantò satius fuisset in Religione mori, ubi minus erat animæ periculum.*. ALPHONSUS VILLAGUT Præses Congregationis Casinensis inter Mysticos inclaruit insigni opusculo sermone Italico Venetiis A. 1587. typis exscripto, & sæpiùs recuso sub hac epigraphe: *Guida e Thesauro de' Tribulati*, id est: *Dux & Thesaurus Tribulatorum*... Opus, ut ajunt, sacra undique ac profanâ eruditione refertum, dignum omninò, quod in alias linguas ad plurium utilitatem vertatur. Pari ferè in pretio habetur BERNARDI BISSI Genuensis è Congr. Casin. *Hierurgia*, sive *rei divinæ peractio*, Genuæ Tomis duobus in fol. A. 1686. edita. Quod Opus in hoc genere absolutissimum dixêre periti. His jure quodam suo addi debent *Eutychius Cordesius* S Justinæ de Padua monachus, Tridentini Concilii lumen nobile; *Joannes Baptista Folengus* Mantuanus, doctissimis in Psalmos Commentariis clarus; *Prosper Martinengius* in linguis originalibus exercitatissimus, alter sui temporis Homerus; *Angelus Sagrinus* Abbas Casinensis; *Basilius Gradius*; IGNATIUS Abbas Florentinus; *Joannes Baptista* Parmensis, aliíque plures *cœlesti è semine Divûm*, magni in

Ex Italia Isidorus Clarius

Gregor. Cortesius.

Alphonsus Villagut.

Bernard. Bissus, &c. alii.

in sacris pariter ac profanis literis viri, de quibus consulenda *Armellini* Bibliotheca Casinensis.

Apud Germanos, In Germania Mysticorum & Asceticarum *messis quidem multa*, * sed plenumque sesamo & papavere scholastico resperſa. Argumento sunt Principia Theologico-Ascetica ex Nodo prædestinationis Cardinalis Sfondrati Salisburgi An. 1733. edita. . . CASPARI ERHARD Sant-Emeramensis *Amica unio Theologiæ Scholasticæ cum Ascetica*; *Dissertationes de septem perfectionibus divinis*; *Introductio & manuductio ad Theologiam Mysticam*; *Tractatus de Fide, Spe & Charitate*, aliáque ejus opuscula. . JOANNIS EVANGELISTÆ ROTTNER Mallerstorffensis, *Status Religiosus Ascetico-Theologicè expensus*. Et alii ejusdem commatis Scriptores, qui utramque Theologiam *Mysticam* & *Scholasticam* contrariis quidem signis inter se concurrentes, sed in eundem finem tendentes, conciliare moliti sunt; quos brevitatis causâ prætermittimus, eos duntaxat indicaturi, quos unctio Spiritûs sancti *Scientiâ Sanctorum* cum eruditionis reliquæ ancillatu magis imbuit. Hos inter oculis primus animísq; occurrit celebratissimus JOANNES TRITHEMIUS Spanheimensis primùm dein S. Jacobi Herbipoli Abbas, cujus copiosissima juxtà ac piissima ingenii monumenta, si laboris planè gigantæi, & divini Pnevmatis fœtus dixeris, in viri laudem magnificè quidem pronuntiâsti, meritam tamen ejus comendationem minimè absolvisti. . Pari vitæ innocentiâ dignissimóque religionis exemplo posteritati prævivit HENRICUS CLAUSIUS Abbas Wiblingensis ad annum 1551. superstes, *Vir*, Bucelini elogio, *fidei luce illuminatissimus*, & *contemplatione cœlestium, quantum mortali homini licet*, *iisdem proximus*, qui & nomen suum labore sanctissimo Ascetis commendavit, his divino calamo exaratis libris: *Hierapolis*, sive *de cœlesti Curia*; *Orationes ad cœlestem curiam*; *Speculum propriæ cognitionis*; *Dialogi de vita Christi*, *Exercitium od Deum & Ss. Patronos*; *Dialogus*, cui titulus: *Pater negligens*; *Dialogus ad patrem & filium religionem ingredi volentem*; *Sermonum & Miscellaneorum libri duo &c.* Spectabilis quoque inter sacræ Asceseos Cultores extitit PLACIDUS Abbas & Princeps Murensis, qui opus insigne edidit sub tit. *Spiritus duplex humilitatis & obedientiæ* per varias spirituales exhortationes. . Sed oppidò præ reliquis celebrandus JOACHIMUS SEILER Fischingensis Abbas, spiritu teneræ ac solidæ pietatis amabilis, alter *Salesius*, cujus vitæ suavitas & pennæ amœnitas certare inter se videntur. Certè dum *Fasciculum Myrrhæ*, ut ipse vocat, Lectoribus porrigit, Crucis candidatos ad eum scientiæ gradum promovet, ut cum Apostolo fateri cogantur: *se nihil scire, nisi Christum, & hunc crucifixum*. . . ANSELMUS BISLING Einsidlensis cœnobita, Mysticos omni industria contendit per *Montem Thobor* (sic ipse librum suum *Exercitiorum decem dierum*, nobili stilo exaratum indigitat) ad perfectionis culmen, & unionem cum Deo pertrahere. Opus hoc prælo plus simplici vice subjectum, benevolenti semper animo, ac magno utrimque fructu susceptum est. Cui aliud vernaculum adjecit, mole quidem parvum, argumento autem peringens sub tit: *Das spatte Wolte Gott!* sive *serum* ah! serum nimis *Utinam*! Hunc secuti sunt alii ejusdem illustrissimi Asceterii Ascetæ percelebres, WOLFGANGUS WEISHAUPT; MICHAEL LANG; MARIANUS SCHOTT. . . Et ille quidem per *Solitoriam* suam *Angelam* in Exercitiis decem dierum expressam, patrio, sed eleganti idiomate loquentem, eodem conatu Mortalium animos, præsertim religiosos, ad unionem cum Deo perducere allaborat. Eodem collimavit *Michael Lang*, in opusculis pro subsidio Virginum Deo sacratarum inprimis, earúmque Confessariorum elucubratis; inter quæ excellit *Pascua animæ* vulgò *Seelen-Weid*. . . MARIANUS SCHOTT, ut religiosarum mentium corda erigeret ad Virtutum exercitia, varios edidit Tractatus, videlicet *Exercitia hebdomadaria præsentiæ Dei*; *decemdialem spiritûs religiosi renovationem*; *Vitam Christi & B. Mariæ Virginis ad imitationem propositam*; *Ideam totius religiosi Statûs*; *Compendium sacrarum Historiarum &c.*

E Congregatione Suevica summum perfectionis & elogiorum apicem attigit PLACIDUS SPIES Imperialis monasterii Ochsenhusani Prior, cujus *Alveare sacrarum Meditationum* eo ubique habetur in pretio, ut vix ullus sit Religiosorum cœtus, qui eo careat. Ejus quoque *Praxis catechistico* omnium ferè Parochorum & Catholicorum in Germania manus occupat. Quæ ANSELMUS FISCHER ejusdem Cœnobii Prior

Margin notes: * Matth. 9. v. 37. — Caspar Erhard, — Joannes Trithemius, — Henricus Clausius, — Placidus Murensis, — Joachimus Seiler, — Anselmus Bisling, — Wolf. Weishaupt, — Michael Lang, — Marianus Schott, — Placidus Spies, — Anselmus Fischer,

Prior nuper vulgavit opuscula, pari cum plausu, nec minore fructu excepta fuerunt. Laudantur etiam in eodem argumento opuscula, quæ *Arsenius Sulger*, & *Conradus Wanner* Zwifaltenses ediderunt. Prior Vitam S. Benedicti colore didactico innovavit, & *Armarium Spirituale pro extrema mortis lucta* construxit, ut mole parvum, ita spiritu sacro plenum. Alter veluti apis argumentosa, *Exercitia Spiritualia* in octo dies digessit, sub tit. *Apiculæ Solitudinis Melligo Doctrinæ Spiritualis* 1695. Placidus Helbock Prior Major-Augiensis juxta Brigantium, præclaros etiam Tractatus asceticos pro animarum salute pietatisque Religiosæ incrementis, patrio idiomate conscriptos evulgavit sub his titulis: *Cordis flamma quadruplex*; *Scala Jacob*; *Amarum animæ balneum*; *Ars bene moriendi*.. Albertus Kretz Ottoburanus piissima *Sebastiani Roeber* ejusdem loci Asceta opuscula posthuma in lucem dedit; addiditque suo è penu *Paradigmata practica Recollectionis triduanæ*, & libellum sub tit. *Cura sine cura sanitatis & longævitæ corporis.* Petrus Ower cœnobita Petri-Domûs, Latinæ, Græcæ & Hebraicæ linguæ peritissimus, ut erat integerrimæ vitæ, ita præclara ingenii sui monumenta posteris reliquit in suis libris, quà impressis, quà manuscriptis, quos ultra viginti, cœlestis doctrinæ & odoris plenos indefesso studio contexuisse memorat ejusdem loci Asceta bene doctus *Felix Egger* in Idea lib. II. pag. 555.

Sulger & Wanner.

Placidus Helbock.

Kretz & Roeher.

Petrus Ower.

Miræ itidem pietatis flammas in Suevia sparsit Carolus Stengelius ex Imperiali ad SS. Udalricum & Afram Augustæ Vindelicorum asceterio Abbas Anhusanus, cujus opuscula Ascetica sunt: *Historia Passionis D. N. Jesu Christi*; *Theatrum cruciatuum Salvatoris nostri J. C.*; *Vera effigies D. N. J. Christi secundùm carnem depicta & descripta*; *Parthenium Decus Mariæ*; *Gazophylacium sacrarum cogitationum*; *Optica Prælatorum*; & alia idiomate teutonico. David Gregorius Cornerus, Gottwicensis in Austria Abbas sapida quoque pro animarum Pabulo condivit fercula, qualia sunt: *Universæ Theologiæ Mystico-Asceticæ in vita D. N. Jesu Christi expositæ libri XXX. Commentarii Ascetici de descensu ad inferos & resurrectione Jesu Christi. Promptuarium Catholicæ devotionis. Horologium Christianæ pietatis &c.* E montibus Styriæ Simon Huebman san-

Carolus Stengel.

David Comerus.

ctæ quietis & contemplationis studiosissimus locupletavit divina Ascetarum studia per diversos libros, quorum potissimus est *Philosophia Cœlestis*, tradita ab æterna Sapientia S. *Gertrudi* ex ejusdem libro Insinuationum divinæ pietatis collecta. Nobilem hunc partum exceperunt alii Germano sermone fusi, ut illustrissimo Parthenoni Göffensi, cujus Confessarium agebat, magis serviret. Pio quoque pietatis ardore successus re & nomine Pius Abbas & Princeps San-Gallensis, edidit *Tricenarium virtutum*, in quo velut in speculo ad leges sibi ultrò præfixas vitæ totius actiones componere solebat. Gregorius Schyrensis in Bavaria Abbas prodiit *egregium* in eodem genere opusculum sub tit. *Manuductio ad perfectionem* Romæ A. 1690. typis excusum. *Benedicti Abelzhauser* Abbatis Seittenstadiensis in Austria *Alveare Meditationum juxta tres vias, purgativam, incipientium &c.*, uti & *Annona animæ quotidiana*, magno inter Ascetas habentur in pretio. Quæ *Theodorus Thier* Abbas Werdinensis Ascetarum legivo commisit opuscula, velut ad illuminandum & inflammandum fidelium corda oppidò accommoda deprædicantur. *Basilii Finckeneis* Instrumenta virtutum, seu bonorum operum, Viennæ An. 1695. edita, iis maximè utilia videntur, qui in monasteriis ad pietatem exercentur. *Alphonsi Wenzel* Viridarium sacrarũ meditationum, opus tale est, in quo ex floribus S. Scripturæ & SS. Patrum decerptæ veritates Religiosis salutem animæ suæ curantibus proponuntur ad procurandũ horrorẽ peccati, & implantandũ amorem virtutis. *Ruperti Prefinger* ad S. Petrum Salisburgi cœnobitæ piissimi *Considerationes super Regulam S. Benedicti*, *Magister*, ut intitulat, *Novitiorum*; *Candidatus* itẽ *Benedictinus*, necnon *Sacerdos Benedictinus*, uti & *Benedictinus ægrotans & moriens*, aliáq; ejusmodi opuscula, nostris maximè commendantur. Utile tamen, si quod aliud, pietatis opus censetur *Wunibaldi Reichenbergeri* Prüfflingensis *Tractatus de Patientia*. Laudatur etiam hoc in genere Tractatus de felicitate Religiosi ab officiis liberi, atque obligationis & salutis suæ studiosi. Huc quoque spectant opuscula ascetica *Josephi Langenaver*; *Eilandi Bayr* Benedictoburani; *Cœlestini Leutbner* Wessofontani; *Augustini Dornbluth*; *Pauli Mezger*; Hieronymi Giungi; Ruperti Gansler; Anselmi Capeller; Æmiliani Naisl; Ægidii Rambeck; Bonifacii Pfaffenceller;

Simon Huebman.

Pius Abbas San-gall.

Gregorius Schyrensis.

Theodorus Thier.

Alfonsus Wenzel.

Rupertus Prefinger.

Reichenberger.

Veremundi Eiswogl; Amandi Krenner; Ignatii Clavenaw; Xaverii Gerbel Prüflingensis; Stanislai Sczygielski; Odilonis Schröger Ensdorsfensis; Ignatii Brentani; Joannis Bapt. Hu-fchenreutter; Valentini Larfon; Bedæ Seeauer; Martialis Keller Ottoburani; Brunonis Charmans Gladbacensis; Ignatii Trauner Sant-Emmeramensis, & *Simonis Rettenbacher* Cremifanensis, qui edidit *Consilia Sapientiæ*, seu *Epitomen Axiomatum Salomonis*, necessariorum potissimùm ad vitam prudenter instituendam; *Sacrum* item *Connubium*, sive *Sanctos Amores*, quibus perfectio Animæ Christianæ variis narrationum involucris depingitur. *Flammam divini Amoris Animæ ad perfectionem anhelantis*; *Meditationes in omnes Dominicas*; & *Tubam Evangelicam*. ANSELMUS DESINO inter alios fœcundi ingenii partus edidit *Cogitationes de vitâ bene degenda*, opus de meliori notâ commendatum, in quo pius author vitæ, quam profitetur, ectypum feipsum exhibet. Hic quoque cum laude memorandus *Corbinianus Thomas* Elchingensis, cujus Tractatus *de Officio hominis ad Deum* Salisburgi A. 1740. editus, inter præstantiora hujus generis opera meritò reponitur. Mitto alios propè innumeros, atque occasione hujus, de quâ hactenus actum, *Scientiæ Sanctorum*, ad alias digredior disciplinas, quæ in illius, ut dixi, obsequio ancillantur, & humanâ obtineri possunt industriâ fine speciali luminis divini adminiculo. Inter eas verò præcellentiæ merito primum fibi vendicat locum Jurisprudentia, de quâ porrò:

Retten-bacher. Desing &c. Corbinian. Thomas.

CAPUT II.

HISTORIA JURISPRUDENTIÆ ECCLESIASTICÆ, CIVILIS, ET PUBLICÆ, PRÆSERTIM IMPERII ROMANO-GERMANICI.

CUm Jurisprudentia propago sit Ethices & Politices, atque in his disciplinis quasi solum & fundus hujus doctrinæ consistat, necessariò quidem harum historia illi, quam aggredimur, veniret præmittenda; sed ne longiùs abire contingat, intra limites Jurisprudentiæ strictè sumptæ tractationem nostram duximus coarctandam. Per hanc verò nihil aliud intelligimus, quàm scientiam Juris pro *Lege* sumpti, quatenus nempe est Regula justitiæ, seu justi in genere. Jus autem hoc sensu acceptum dividi solet in *Naturale* & *Positivum*. Jus Naturale est illud, cujus obligatio non ex liberali alicujus præcipientis Legislatoris voluntate, sed ex ipsa rei præceptæ vel prohibitæ natura oritur: Sive, ut aliis placet, est *lumen rationis signatum in cordibus nostris de eo, quod Deo debemus & hominibus*. Ita juxta Apostolum ad Romanos 2: *Gentes quæ legem non habent* (id est scriptam) *naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*; ut v.g. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. *Jus Positivum* est illud, quod non ex rei natura, sed ex libera Dei, vel hominis voluntate pendet & vim obtinet. Dicitur *Positivum*, quia à Superiore, non ex quadam necessitate, atque intrinsecâ exigentia objecti, sed liberè & contingenter ponitur, vel à DEO supremo Legislatore, aut ab auctoritate humana aliquid præcipiente vel prohibente. Si à Deo procedat, dicitur *Jus divinum*; Si ab homine, *humanum*. Illud verò continetur Scripturâ veteris & novi Testamenti, & per traditionem Ecclesiæ explicatur. Jus porro divinum naturale esse immutabile patet ex eo, quòd idea rationis æquè omnis expers sit variationis, ac ipse Deus, in quo solo ea æternùm subsistit. Sed Jus divinum Positivum mutabile esse inde arguitur, quòd conformatum sit utilitati hominum in certo statu viventium. Jus verò humanum adhuc multò mutabilius est, non solùm pro necessitatum, quibus mederi cupiunt Legislatores, diversitate, sed etiam, quòd procedente tempore comperimus optimis remediis nos usos non fuisse. Ad hujus itaque Juris disciplinæ origines, pro-

gressus, & vicissitudines, quatenus illa inter Benedictinos inde ab initio Ordinis excolta fuit, historicè exponendas progredimur; Quia verò Jus illud positivo-humanum tripartiri solet in *Ecclesiasticum* seu *Canonicum*, *Civile*, & *Publicum*, triplici quoque sectione totum hoc perstringemus argumentum. Sit Igitur

SECTIO I.

De origine, progressu, vicissitudinibus & cultu Juris Canonici seu Ecclesiastici.

Quid sit Jus Canonicum.

JUs Canonicum derivatur à verbo Græco *Canon*, quod latinè significat *Regulam*. Regula autem Ecclesiastica est sic dicta, eò quòd rectè ducat, nec aliquando aliorsùm trahat, quàm ad rectitudinem, vel quòd normam rectè vivendi præbeat, aut quòd distortom pravúmque corrigat. Unde Jus Ecclesiasticum seu Canonicum rectè definitur: *Regula justè ac piè vivendi Christiano præscripta*; sive ut alii volunt, *Est Jus positivum ex sacris Canonibus seu regulis Ecclesiasticis collectum, & ad rectè piéque vivendum æternámque salutem consequendam, & justitiam in populo Christiano conservandam à summis Pontificibus Ecclesiæ Catholicæ traditum, constitutum & approbatum.* Ut autem justè piéque vivat Christianus, necessum est omnia ejus negotia ritè ordinari sive *interna* intellectûs & voluntatis, sive *externa* conversationis & societatis fuerint. Hæc Christiani negotia aut *publica* sunt, aut *privata*. Pro utroque genere requiruntur regulæ: unde resultat divisio Juris Ecclesiastici in *Publicum* & *Privatum*. Jus publicum ordinat statum Ecclesiæ universalis, & negotia illi connexa; Jus privatum causas concernit singulorum. Tribus prioribus seculis Ecclesia vix alias leges habuit, quàm Scripturam veteris & novi Testamenti. Charitas quâ ducebantur Christiani, litibus vix locum fecit, & si quæ nascebantur (uti natas perhibet Epistola *Clementis* ad Corinthios) illæ per Apostolos, eorúmque successores Episcopos, piósque pastores componebantur. Quorum auctoritas eo respectabilior videbatur, quòd innixa esset potestati, quam Christum Pastoribus in Gregem suum dedisse cuncti agnoscebant.

Primitivæ Ecclesiæ regimen.

Constitutiones Apostol.

Apostoli quoque Episcopis ac Presbyteris nonnulla præcepta, ad curam animarum Ecclesiarúmque gubernationem generatim spectantia tradiderant, quæ longo tempore hominum memoriâ conservata, ad ultimum scriptis consignata sunt; unde nati *Canones Apostolici*, seu *Constitutiones Apostolicæ*, quæ S. *Clementi* Papæ tribuuntur; licèt earum auctoritas non sit omni exceptione major, quandoquidem diversæ diversis temporibus laciniæ iis fuerunt assutæ.

Concilia antiqua.

Secutis inde temporibus crescente Ecclesia, & multiplicatis Episcopis, nonnunquam ad decidendas controversias, causásque majoris momenti convenére simul sacrorum Antistites & Presbyteri, quorum Conventus Latinis *Concilia*, Græcis *Synodi* audiunt. Primis quidē Ecclesiæ seculis, ob persecutiones rariùs ejusmodi conventus agebantur; nonnulli tamen etiam ex remotis istis temporibus ad nostram pervenerunt notitiam, veluti Concilia sub VICTORE *Papa* A. 196. de Controversia Paschali habita*. Concilium Carthaginense sub *Agrippina* Episcopo, cujus mentionem facit Cyprianus Epist. 71. Ipsa quoque *Cypriani* Concilia, aliáque plura. Toties enim habebantur, quoties id fieri commodè poterat: Sed ex quo CONSTANTINUS M. Ecclesiæ pacem restituit, frequentiores, atque ordinatiores fuerunt Episcoporum Conventus. Ipso enim imperante celebrata sunt anno 314. Ancyranum in Galatia & Neo-Cæsariense in Ponto, quæ sunt eorum, quorum Canones supersunt, antiquissima Concilia. Ejusdem auspiciis coactum fuit anno 325. Nicææ in Bythinia Concilium œcumenicum primum à cunctis orbis Romani Episcopis frequentatum. Secuta sunt tria particularia, videlicet Antiochense anno 341; Laodiceum in Phrygia 370; Gangrense in Paphlagonia 375: quorum Canones maximi habebantur. Denique anno 381. celebratum fuit Constantinopolitanum Conciliū inter Oecumenica secundum.

& Canonum Collectio prima.

Horum septem Conciliorum, videlicet duorum Universalium, & quinque particularium, Canones in unum corpus

*Fleury Hist. Eccl. libr. 4. n. 43.

corpus collecti sunt, quod appellatum fuit *Codex Canonum Ecclesiæ universalis:* quo Conciliũ Chalcedonense usum fuisse constat ex canone 1. Huic Codici accesserunt Canones Concilii Ephesini, Oecumenici III. quod anno 430. habitum, & Chalcedonensis Oecumenici IV. anno 450. celebrati. Denique quinquaginta Canones Apostolorum, necnon Canones Concilii Sardicensis, quod anno 347. celebratum & à pluribus Ecclesiis pro continuatione Concilii Nicæni habitum est, eidem Codici fuerunt adjecti. Omnes isti Canones græcâ linguâ concepti erant; sed in Ecclesiis occidentalibus recepta fuit antiqua versio latina, cujus auctor incertus est. Unde Jus Canonicum duplex statui solet, illud quod in *Oriente* obtinuit sub Imperatoribus Græcis, & quod deinde *Pontificia auctoritate* à compilatoribus latinis collectum in occidentalibus Ecclesiis prævaluit. Antiqui illius non fuit illa autoritas, quæ Juris Canonici Pontificii, constititque solùm Canonibus Conciliorum in orientali Ecclesia celebratorum. Edidit Photius *Nomocanonem*, quo pleraque comprehenduntur, quem græco illustravit Commentario Theodorus Balsamon. Posteà autem *Christophorus Justellus*, vir doctissimus, quicquid nancisci potuit veterum Canonum, & hunc ipsum *Nomocanonem* Photii uno libro in folio collegit sub titulo, *Bibliothecæ Juris Canonici*... Quod Opus rarissimum quidem est, sed in quo multa continentur, quæ spectant ad veterem disciplinam Ecclesiasticam, ut ita non ratione Juris tantùm, sed & ratione Historiæ Ecclesiasticæ prodesse possit.

Collectiones aliæ pro occidentali Ecclesia.

Juris Canonici Ecclesiæ occidentalis collectiones antiquas non habemus alias, nisi quas concinnârunt *Benedictini*, ut proinde per hoc utilem toti Ecclesiæ ac præsertim Jurisconsultis operam navâsse Benedictinum Ordinem nemo non fateri cogatur, qui consideraverit ab eo profluxisse tot Canonum ac Decretorum Collectores, & clarissimos Pontificii Juris interpretes; tot etiam in illud exegeses & commentarios, hósque non ex cerebrina seu potiùs cerberinâ quadam statûs ratione heri demùm vel nudiùstertiùs natâ, sed juxtà SS. Patrum sententias, & Conciliorum decreta adornatos; de quibus ex instituto nunc agendum nobis est. Ut verò ritè ac ordine nostra procedat tractatio, tres in classes eos distribuemus; Alii enim sacrorum Canonum collectiones instituerunt; alii in eos exegeses & commentaria scripserunt; alii denique in scholis eosdem ex cathedra explanârunt. Collectores quod attinet, inter antiquiores primo loco reponitur DIONYSIUS *Exiguus*, Abbas Romanus circa A. 530. conspicuus, quem Cassiodorus cap. 23. *Professione Monachum, gente Scytham, moribus Romanum, Græcæ & Latinæ linguæ juxta doctum* indigitat **. Primus ille *Laurentii* Romanæ Ecclesiæ Presbyteri rogatu, novam Canonum Græcorum versionem & collectionem, eámque multò fideliorem adornavit; cui adjecit omnia, quæ tùm temporis græco codice continebantur, videlicet 50. Canones Apostolorum, Canones Conciliorum Chalcedonensis, Sardicensis, Carthaginensis, ac nonnullorũ aliorum in Africa habitorum **. Idem *Dionysius* collegit *Decretales Epistolas* Pontificum inde à Siricio, qui anno 398. obiit, usque ad Anastasium II. anno 498. defunctum. Appellabantur autem *Decretales Epistolæ*, quibus Pontifices ab Episcopis consulti decidebant momenta disciplinæ, quæve Canonum loco habebantur, quemadmodùm Græci his æquiparabant Decretales *Dionysii* Alexandrini, *Gregorii* Thavmaturgi & *Basilii* M. ad Amphilochum Epistolas.

SECULO VI.
Dionysius Exiguus Canonum collector.

Tanta autem fuit Dionysianæ collectionis auctoritas, ut Ecclesia, teste *Cassiodoro* *** eâ semper deinceps in judiciis Ecclesiasticis usa fuerit sub appellatione *Corporis Canonum:* cujus exemplo Galliarum quoque Episcopi maximâ veneratione eandem amplexi in judiciis Canonicis adhibuerunt. In Hispaniis verò MARTINUS ex Abbate Dumiensi Archiepiscopus Bracarensis, qui circa annum 570. floruit, idem fecit, quod *Dionysius* Exiguus Romæ, novámque compegit collectionem, duas in partes distributam, in quarum prima Canones, qui ad Clericos, in secunda, qui ad Laicos pertinerent, digessit; quibus insuper nonnullos Conciliorum Hispanicorum Canones attexuit. Hæc Collectio à Lucensi Synodo in Gallæcia probata est A. 571. quam sæpè laudat Gratianus sub nomine

Ejus collectionis auctoritas.

Martini Bracarensis Collectio.

* V. Yepes in Chron. O. S. B. Tom. I. pag. 154.
** Natalis Alexander Hist. Eccl. Sec. I. Dissert. 22. pag. 232. Fleury Inst. Juris Eccl. Part. I. cap. 1. §. V.
*** Cassiodorus Div. Lect. cap. 23.

mine *Papa in Concilio.* In Francia tamen, & in iis, quæ tùm *in Germania*, ut Irenæus ait, *fundatæ erant Ecclesiæ*, sola vetus illa compilatio in usu fuit, donec CAROLUS M. Dionysianam, Romæ ab ADRIANO I. Pont. anno 787. traditam, domũ referret. Adeò enim studiosus erat *Carolus* Sedis Romanæ, ut omnia ad ejus normam componere, & quæ reformatione indigere videbantur, ad ejus instituta conformare studeret, uti Mabillonius in Actis Ss. Ord. S. Bened. ad Sec. I. ostendit. Ceterùm de ista Collectione Dionysiana nobis videtur intelligendus esse Wiliwaldus in vita *S. Bonifacii* Germaniæ Apostoli de Gregorio II. Papa scribens: *Deditque illi* (Bonifacio) *simul libellum, in quo sacratissima Ecclesiasticæ constitutionis jura Pontificalibus congesta sunt Conventibus.*

Additamenta Codicis Græci. Orientales intereà veteri codici Canonum nonnulla adjecerunt, videlicet 35. Canones Apostolorum, qui reliquis quinquaginta additi; Canones item Africanæ Ecclesiæ, & Concilii Trullani anno 692. habiti, ut vicem sustinerent Canonum Conciliorum œcumenicorum V. & VI. quibus nulli Canones fuerant proditi; denique Canones Concilii Nicæni II. œcumenici VII. anno 787. celebrati. Atque his partibus constitit *Codex Canonum Ecclesiæ orientalis.* Hæc pauca Præcepta universæ Ecclesiæ Catholicæ per VIII. secula suffecêre. Occidentales pauciora habebant, eâque ab Orientalibus maximâ partem mutuata. Præter hæc in usum Ecclesiæ Romanæ particularem nulla tradita deprehendimus. Tantâ enim constantiâ ac fidelitate inhæsit disciplinæ ab Apostolis traditæ, ut his remediis vix indigeret, ipsæque Pontificum *Decretales Epistolæ* inde haustæ aliis Ecclesiis scriberentur: quæ deinde codici Canonum illatæ sunt. Ex his autem non immeritò præcipuos inter Ss. Canonum fontes recenseri possint GREGORII *Magni* Epistolæ, Rescripta, Sententiæ, quibus Jus Canonicum refertum habetur. Et verò hunc nostrũ Pontificem Max. Juris fuisse peritissimum & consultissimum, satis probant ejus Decretales, maximè libri XIII. quadragesima quinta, ubi docet, quid in *Januarii* Malacitani cujusdam Presbyteri, necnon *Stephani* Episcopi causis inquirendum & statuendum sit. Reliquos è Familia Benedictina Pontifices Juris Pontificii seu Canonici assertores & promotores sigillatim hîc excutere genuini quidem Benedictini partium res esset, sed brevitatis causâ juvabit de his Wionem consulere: Nos ad alios Canonum compilatores recensendos pergimus.

S. Gregorius Canonum peritissimus.

Isidori compilatio. Hos inter primus occurrit memorandus ISIDORUS, quem Hincmarus Remensis confundit cum Hispalensi. In nonnullis veteribus MSs. Codicibus legitur *Isidorus Mercator*, in aliis *Peccator.* An hic porrò Benedictinorum catalogo veniat inferendus, sub judice lis est, cui nostrum nolumus interponere arbitrium. Collectionem verò ab ipso adornatam vel ideò hîc commemorandam duximus, quòd ex ea natum sit *novum Jus Ecclesiasticum.* Extremis enim Caroli M. temporibus ex Hispania per universum Occidentem dissemінata fuit illius compilatio, quâ continentur Canones orientales ex interpretatione latina, Dionysianâ antiquiore; Canones item plurium Conciliorum Francicorum & Hispanicorum, & quod omnium maximum, ingens numerus Epistolarum decretalium, à Pontificibus qnatuor primorum seculorum scriptarum inde *à Clemente I.* usque ad *Siricium*, à quo auspicatus erat Dionysius; licèt hic, qui ducentos ferè annos ante vixerat Romæ, contestetur ab ipso conquisitas summâ diligentiâ fuisse, quotqnot reperiri potuerint, superiorum Pontificum Constitutiones. Compendia harum Decretalium inserta fuêre Collectioni, qnam *Ingelramnus* Mediomatricum Episcopus edidit anno 781. * pluraque earum capita irrepserunt in capitularia Regum Francicorum, sæpéque allegabantur. Sed *Hincmarus* Remensis, cùm videret *Nicolaum I.* his abuti ad stabiliendam suam jurisdictionem in Episcopos, contendit Decretales istas, quòd corpore Canonum non continerentur, plus auctoritatis, quàm ipsos Canones habere non debere. Pontifex contrà benè monuit, auctoritatem earum non è corpore Canonum, sed à Scriptoribus, quos Pontifices fuisse existimaverat, esse derivandam. Pleniùs hæc deducit Clandius Fleury in Historia Eccl. l. 44. ubi: *Hincmarus*, inquit, *summus alioquin Canonum interpres, nunquam potuit falsitatem earum detegere. Noverat quidem optimè decretales has præcedentibus seculis planè fuisse incognitas, imò is ipse fuit, qui ostendit, quo tempore in scenam prodierint. Sed destitutus erat arte criticâ, ut indicia falsitatis animadvertere non potuerit,*

* Vid. Fleury Hist. Eccl. l. 44. n. 22.

tuerit, utut aliàs in oculos incurrant. Hæc ille, quæ liberaliùs admetiri libuit, quoniam illæ Decretales per plura secula pro genuinis habitæ, magnam subinde disciplinæ Ecclesiasticæ mutationem invexerunt, præsertim in argumento Appellationum ad Pontificem. Nostro autem ævo denique compertum est illas esse suppositias, qua de re infra uberiùs.

Rhegino Prumiensis Abbas.

Interea Rhegino Prumiensis Abbas in libris duobus, quos *de Ecclesiasticis disciplinis*, & *Religione Christianâ* scripsit anno circiter 906. jussu *Radbodi* Archiepiscopi Trevirensis, cujus in metropoli degebat, in sancti Maximini monasterio, in quod Prumiensi ex Abbatia secesserat, Canones antiquos, dicta SS. Patrum, & sincera Pontificum Romanorum Decreta congessit. Observat verò Cl. Stephanus Baluzius*, quòd qui post nonum seculum se rei Canonicæ applicuerunt, cùm discere & docere vellent, Collectiones canonicas & ipsi ediderint integras, & servato temporum ordine, ut factum erat ab antiquis; sed in titulos & capita distribuentes has synodos & epistolas, præterea addiderint permulta ex Conciliis habitis in Gallia, Germania, & Hispania, tum etiam aliunde; dicta quoque sanctorum Patrum adferentes, ita haud dubiè existimantes, plurimum dignitatis conlaturum Collectionibus illis sanctissimorum ac doctissimorum hominum auctoritatem. Existimabat vir Clarissimus *Franciscus Florens* Burchardum, Wormatiensem Episcopum, & Ivonem Carnotensem primos fuisse, qui hâc methodo usi essent. Neque mirum est, virum doctissimum ita sensisse, cùm nondum ullus in publicum emissus esset Canonum ac Decretorum Collector duobus illis Episcopis antiquior. Attamen Rhegino Abbas Prumiensis exemplum dederat, ex quo pleraque acceperunt Burchardus & Ivo, sed præcipuè Burchardus, qui capita DCLXX. aut circiter ex Collectione Rheginonis in suam transtulisse videtur. Hanc Collectionem aggressus est Rhegino jussu Rathbodi Archiepiscopi Trevirensis ad usum ejusdem Archiepiscopi. Eam Rathbodo ac Rheginoni mentem fuisse patet ex titulo Operis, sed præterea extat in capite tertio libri secundi *Sacramentum synodale*, in quo præcipitur, ut causæ synodales celari non debeant *Episcopo de Treveris*, *aut ejus Misso*. Quod satis indicat, hanc Collectionem factam esse ad usum illius diœceseos. Verùm cùm illa commendaretur ob sui utilitatem, varia illius exempla facta deinde sunt, quæ ad diversa loca emanârunt. Usus est autem Rhegino non vulgari artificio in condendâ lucubratione istâ. Divisit illam in duos libros, ad exemplum, ut arbitratur Baluzius, Martini Bracarensis; in quorum primo tractat de rebus & personis Ecclesiasticis; in secundo de vita & conversatione laicorum, ut ipsemet Rhegino docet in epilogo libri primi, & in Præfatione secundi. Continent autem ambo nongenta fermè Capitula, ut etiam observatum à Trithemio est. In fronte libri primi ponitur Inquisitio, secundùm quam Episcopi interrogare debeant de vitâ Clericorum, in initio autem secundi Inquisitio ab Episcopo facienda circa laicos. Deinde his generalibus Inquisitionibus subjicitur auctoritas canonica, id est, canonum ac decretorum, aliarúmque sanctarum institutionum auctoritas, quibus fulciri & approbari possunt capita, quæ in utraque Inquisitione habentur. Hæc sunt Rheginonis verba post Inquisitionem libri primi: *Hæc quæ suprà capitulatim inquirenda expressimus, auctoritate canonicâ roborari oportet.* In libro secundo, ante caput sextum, id est, post inquisitionem de vitâ laicorum: *Capitula hæc, quæ per ordinem adnotavimus, canonicis oportet roborari decretis.* Ad probationem itaque istorum capitulorum affert canones Conciliorum, decreta Pontificum Romanorum, dicta sanctorum Patrum Basilii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Gregorii, Cassiani, Ferrandi, Benedicti, Fructuosi, Aureliani, Theodori, Bedæ, Rhabani. Adducit præterea leges ex Codice Theodosiano, seu potiùs verba Aniani Interpretis. Plerumque etiam utitur auctoritate Capitularium Regum Francorum, Karoli Magni, Ludovici Pii, & Karoli Calvi, tum etiam lege Burgundionum, & lege Ripuariorum; Epistolas Romanorum Pontificum laudat, eas frequenter, quæ veræ illorum creduntur esse citra controversiam, adducit; pseudepigraphas autem & suppositias raro, tantùm fortassis ne contemnere videretur.

Collectionem suam Rathbodi jussu aggressus est.

Abbo Floriacensis.

Post Rheginonem Abbo Floriacensis Abbas & Martyr, eodem Seculo X. declivi clarus, alteram adornavit collectio-

* In Notis ad Rheginonem, cujus Collectionem typis mandavit, anno 1671.

lectionem, quam Mabillonius in lucem dedit Tomo II. Analectorum. Constat illa quinquaginta duobus Capitulis, quorum plura ad monastici Ordinis defensionem spectant; nonnulla etiam Regis ministerium & subditorum erga Principem officium concernunt. Quantum verò studium & affectum erga Ss. Canones, & Romanam Sedem

Ratherius Lobiensis.

gereret RATHERIUS ex Lobiensi monacho Veronensis Episcopus eadem ætate conspicuus, patet ex opusculo, quod *Itinerarium* * inscripsit, ubi inter alia se Romam proficisci ait, *ut Canones magis discat*, quorum scientia in Romana Ecclesia potissimùm viget. *Quid enim*, inquit, *de Ecclesiasticis dogmatibus alicubi scitur, quod Romæ ignoratur? illic summi illi totius orbis Doctores; illic præstantiores enituerunt universalis Ecclesiæ Principes; illic decretalia Pontificum, universorum examinatio Canonum, approbatio recipiendorum, reprobatio spernendorum. Postremò nusquam ratum, quod illic irritum, nusquam irritum, quod illic ratum fuerit visum. Ubinam ergo melius insipientiæ consulitur meæ, quàm ubi fons cernitur esse sapientiæ?* Hæc ipse; ex quibus summa ejus elucet in Apostolicam Sedem observantia. Nec minor fuit zelus ipsius pro Clericorum suorum emendatione & Canonum observatione, de quorum contemptu singularem edidit librum, asserens ex duplici capite oriri seculi sui corruptos mores, nempe *ex vilipendio Canonum & luxuria Sacerdotum*; contemptorem Canonum esse salutis ac Catholici nominis penitus expertem: *Si enim quod Catholicum est*, inquit, *Catholica defendit Ecclesia; Catholicum se usurpativè reor pronuntiat, qui Canonibus sanctis præsumptivè repugnat.*

Seculo XI. Burchardus Wormatiensis Canones colligit,

Ineunte Seculo XI. clatuit BURCHARDUS ex monacho Laubiensi ** Episcopus Wormatiensis, de quo vitæ scriptor anonymus testatur, eum secessisse ad quandam sylvam, duobus à Wormatiâ milliaribus distantem, ibíque collectarium Canonum elucubrâsse, Walterio Episcopo Spirensi adjuvante, & Brunichone Præposito exhortante, idque operis aggressum fuisse, quia *Canonum jura pœnitentiúmq; judicia in Episcopatu omnino neglecta fuerunt.* Addunt verò Chronographi Laubiensis & Gemblacensis, OLBERTUM Laubiensem monachum, & postea Gemblacensem Abbatem, præcipuum hujus Operis adjutorem fuisse,

cooperante Olberto Lobiensi.

quô certè magistrô usus est Burchardus, etiam Episcopus factus. Passim habetur hæc Canonum collectio, sive, ut vocari solet, *Decretum* in libros XX. distributum, cui præmittitur ejusdem vita in editione Coloniensi. De Burchardo audiendus etiam est Hermannus Conringius ***. *Justinianea prudentia*, inquit, *hoc sæculo per totum terrarum orbem nullo planè in usu fuit, obtinentibus in foro quidem Constantinopolitano legibus illis Basilicis, in Occidente autem à Carolo M. Profectis. Canonicæ tamen vel Ecclesiasticæ Jurisprudentiæ haud parva facta sunt fundamenta per Burchardum Episcopum Wormatiensem, qui initio hujus Seculi XX. libros Decretorum ex Conciliis, Pontificibus, & SS. Patribus collegit.* Addit Strauchius ****, Burchardum ab Italis *Brocardum* appellari, & inde *Brocardica* fuisse dicta, id est, regulas canonicas, quas Damasus vetus Juris Canonici Doctor conscripsisse dicitur, & Petrus Salunus Aquilius recognovit ex manuscriptis exemplaribus, qui in Præfatione libelli ita scribit: Burchardica inscribuntur à Burchardo Episcopo Wormatiensi, qui primus eâ tempestate cœpit Jus Pontificium ad generales quasdam theses revocare. Quem exterorum plerique, originationem verbi ignorantes, corruptè Brocardam & Brocardum appellant. Sanè Burchardicas ejusmodi regulas non dubitat appellare Cujacius in præfatione ad consultationes suas. Nec in Jure Civili Burchardum omnino hospitem fuisse, indicio est, quòd, ut idem Strauchius ***** ostendit, Authenticas ex Codice in testimonium vocaverit.

Anselmum Lucensem etiam Juris Canonici collectionem adornâsse, apud plerosque eruditos in confesso est, frustra Stephano Baluzio, quem Natalis Alexander defloravit, in contrariam abeunte sententiam.

Anselmus Lucensis.

Seculo XII. Gratianus methodi-

Sub medium Seculi XII. cùm Gratianus monasterii SS Felicis & Naboris Bononiensis Monachus ****** videret, mul-

* Ratherii Itinerarium extat in Acherii Spicil. Tom. II. p. 267.
** Dion. Sammarth. Gall. Chr. Tom. V. n. 668.
*** De Scriptor. Sec. XVI. cap .III. Sec. XI.
**** Amœn. Jur. Can. Eclug. 1. c. VI. p. 11. 12.
***** Dissert. cui titulus: *Irnerius non errans*, cap. 2. thes. 5.
****** Math. Weiss. Lyc. Bened. cap. 12.

cam canonum collectionem adornat,

multos in colligendis ſanctionibus & Pontificum Decretis egregiam præſtitiſſe operam, nec tam copiam deſiderari, quàm ordinem & concordiam, rem aggreſſus eſt ſummâ laude dignam: atque utinam admovere ultimam limam vel voluiſſet, vel potuiſſet. Opus, inquam, concinnavit, ita quidem ex ſacris Canonibus conſtans, ut tamen modum adhiberet, ac *methodum*, non ſcilicet in immenſum congerendo *Canones*, ſed quouſque ſatis eſſet, ut ex *Decretis*, aliàs paſſim, ſine ordine [niſi fortè quoad Titulos quosdam] vagantibus, *Scientia*, aut *quaſi ſcientia* conſtitueretur. Exorſus enim, ut fieri ſolet, ab ipſo *Jure*, deinde ad *Juris partes* progreſſus, tum de Eccleſiaſticis Prælatis, Eccleſiæ miniſtris, eorúmque officio, criminibus; tandem *Judiciis*, & judiciorum ritu; rebus Eccleſiæ, *Monachis*, *Matrimonio*, & hujus occaſione, de *Pœnitentia*, ac demum, *Sacramentis*, & *Conſecrationibus* diſſeruit; ea diſpoſitione & methodo, quam, ſi quis perficere, aut ſimilem aliam excogitare poſſit, aut etiam velit, fortè *ſcientiam* aliquam, ex infinitis *Decretis* effecerit, ſi modò in tantâ rerum humanarum varietate, & *Canonum* neceſſitate ac multitudine *ſcientia* talis conſtitui poteſt. Utut ſit, *Decretum Gratiani*, ſeu, ut ipſe inſcripſit, *Concordantia Diſcordantium Canonum* ab Eugenio III. approbatum eſt, & adeò in *Scholas Juris ſacri* receptum, ut non minùs, qui ei cum fructu ſtuduiſſet, præſcriptúmque ſtudiorum circulum confeciſſet, quàm qui *Petri Lombardi*, Gratiani ferè æqualis, &, ut aliqui dixerunt, fratris germani, ſententias didiciſſet, Doctor & quidem *Decretorum* renuntiaretur.

ſicque ex iis ſcientiam, vel quaſi ſcientiam conſtituit.

Ex Decreto Gratiani renuntiantur Doctores,

Cùm enim, teſte doctiſſimo * Amat de Graveſon, Eugenius III. Pontifex Maximus in Univerſitatibus, ſeu ſtudiis Generalibus, maximè Bononiæ, *Decretum Gratiani* publicè prælegi juſſiſſet, ſuggerente eodem Gratiano, gradus quosdam Academicos excogitavit, non tam annorum, quàm profectus, ſcilicet Baccalaureatûs, Licentiatûs & Doctoratûs, ut hocce ſpecioſo titulo ad Jus Canonicum amplectendum excitaret, & privilegiis accenderet. Aliqui ante Gratianum collectiones *Canonum* dederant, ut Dionyſius Exiguus, Creſconius, Burchardus, Ivo, & ſiqui alii ſunt, ſolus tamen Gratianus id obtinuit, ut publicè in ſcholis prælegeretur, & multorum doctiſſimorum virorum commentariis illuſtraretur, nec minùs apud Canonici Juris tractatores Gratianus, quàm apud Theologos Petrus Lombardus Magiſtri nomine intelligeretur.

quod aliorum Collectionibus præfertur:

Joannes Launojus, ne fides ulla habeatur Gratiano, quem ſuæ erroneæ doctrinæ nullo modo faventem habet, audacter ſuo more negat, Gratianum collegiſſe *Decretum* auctoritate Eugenii III. Sed fateri cogitur, inquit doctiſſimus *Alteſerra in Epiſt.2. ad Naubleum*, hoc opus editum à Gratiano tempore Eugenii III. Et Opus ita vaſtum eſt, ita Pontificium eſt, ut vix perfici potuerit ſine auctoritate & ope Pontificis, nimirum copia facta variorum codicum ſcrinii Vaticani, nec ſine auctoritate Pontificis in ſcholis legi cœptum credibile eſt; non multis enim poſt annis in Academia Bononienſi ſurrexêre varii Doctores, qui Jus Canonicum docuêre, & Gratiani decreto uſi ſunt, & proximo ſeculo claruit *Joannes Teutonicus*, qui primus gloſſavit Decretum Gratiani, teſte auctore Paralipomen. Abbate Urſpergenſi ad annum 1250. quæ omnia nequaquam facta ſunt ſine nutu Romanorum Pontificum, quibus Gratiani Decretum placuit tanquam prima pars & ſingulare promptuarium Juris Canonici; Cujus etiam præ reliquis utilitas ex eo relucet, quòd veterem diſciplinam, & ſyſtema primævum omnium optimè exponat. Decretales namque Gregorii IX. & reliquæ collectiones non pertingunt eò uſque, ſed principiis recentioribus innituntur. Hinc & illius ſtudio ita captus fuit *Joannes de Turrecremata* Dominicanus, Vir in negotiis cauſiſque Eccleſiaſticis ſolertiſſimus, atque ob doctrinæ præſtantiam inter Patres Purpuratos ab *Eugenio IV.* cooptatus, ut non tantùm Commentarios integros in illam Gratiani compilationem ſcripſerit, ſed totum ejus Opus à ſe refuſum ad formam & ſeriem Raymundianam, additis, ubi opus fuit, novis rubricis, reſtituerit. Scripti hujus exemplum in Barberinâ Bibliothecâ adhuc adſervatum fuit, cujus editio tandem *Juſto Fontanino* Archiepiſcopo Ancyrano injuncta eſt, quam etiam Romæ anno 1727. elegantibus typis procuravit, & notis illuſtravit.

conditum eſt authoritate Pontificia.

Ejus præ aliis partibus Juris Canonici utilitas.

Cœterùm in longo ac perdifficili Opere multa à parùm æquis hominibus exagi-

Correctio Decreti juſſu

* Hiſt. Eccl. Sec. XII. Colloq. V. p. mihi 260.

summo-rum Pontificum suscipitur, exagitabantur; nonnulla pii etiam & verecundi interdum desiderabant. Quamobrem ne hujusce utilissimi & gravissimi Codicis vacillaret authoritas, placuit primùm Pio IV. ac subinde Pio V. & Gregorio XIII. (apud quem etiam hujus perfecti Operis, quemadmodùm & aliarum maximarum rerum, laus fuit) ut illi corrigendo summa opera daretur, mendæ librariorum tollerentur: siqua etiam in re Gratianus, ut homo, minùs vidisset, modestè notaretur, ipsáque omnino capita suis auctoribus quàm diligentissimè restituerentur. Itaque & Romæ Vaticana Bibliotheca, & monasterii Dominicani supra Minervam, aliæque non paucæ excussæ sunt, & ex aliis urbibus, atque regionibus invitati doctissimi homines, qui idem facerent, & siquid invenissent, quod ad hanc rem pertineret, pro sua pietate libenter communicarent, atque ad Pontificem mitterent. felici successu. Quâ diligentia illud factum est, ut cùm jam magnam partem suum unicuique tributum sit, ac propterea intelligi plerumq; possit, quæ Synodorum generalium, quæ Summ. Pontificum, quæ Provincialium Conciliorum, quæ Patrum decreta ac sententiæ, atque inter hæc, quæ sanctæ Romanæ Sedi probata sint, quæ minimè, vix quisquam errare, atque incerta pro certis sequi, certa verò pro incertis suspecta habere posthac queat.

Ejus recensores. *Gratiani* autem *Decreto* recensendo, anno scilicet 1582. adsuerunt Illustrissimus Cardinalis *Caraffa*, *Franciscus Turianus*, postea Jesuita, *Petrus Diaconus*, Presbyter Hispanus, *Flaminius Nobilius*, Theologiæ Doctor, cui Annotationum cura demandata est, *Hieronymus Parisetus*, Juris Canonici Doctor in studio Rom. *Latinus Salenius* Viterbiensis annos natus LXXV. *Morinus* Gallus.

Rainerus author Collectionis Decretalium Innocentii III. Denique sub initium Seculi XIII. eâdem nempe ætate, quâ Innocentius III. floruit, *Rainerus** Diaconus, & Pomposiæ Monachus, ut constat ex Præfatione ejus ad *Collectionem*, quam adornavit ipsarum Innocentii III. Decretalium. Scripsit enim ad multorum instantiam, sed præsertim Johannis ejusdem Papæ Capellani, *Collectionem primam Decretalium hujus Pontificis* compositam & collectam ex tribus primis libris *Regestarum Epistolarum* illius An. 1198. 1199. 1200. in Titulos XL. vel XLI. digestam, unde liquet, quô annô *Rainerus* Collectionem hanc adornârit. Primus illam Stephanus Baluzius in lucem produxit, acceptam ex antiquissimo MS. Codice S. Theoderici Remensis, quam inseruit editioni Epistolarum Innocentii III. à se duobus in folio voluminibus procuratæ Parisiis an. 1682. collocatam Vol. I. post librum secundum Epistolarum ejusdem p. 543. ad 606. cujus mentionem facit Baluzius ibidem. Quanti *Rainerus* Innocentium III. fecerit, conjicere licet ex Præfatione, ubi eum *Salomonem* suæ ætatis ob insignem doctrinam appellat.

Præter has Canonum Collectiones, hîc quoque recenseri meretur *Bullarium Magnum* à Leone M. usque ad Benedictum XIV. ab *Angelo Maria* Cherubino Casinensi Monacho adornatum, & deinde ab aliis, qui recentiorum Pontificum constitutiones hactenus promulgatas collegerunt, auctum & illustratum, ac postremò Luxemburgi ab anno 1736. usque ad 1742. Tomis XIV. in fol. editum. Bullarium Mag. Epistolas porro Romanorum Pontificum, & quæ ad eos scriptæ sunt, à *Clemente I.* usque ad Innocentium III. D. Petrus Coustantius è Congregatione S. Mauri operose collegit, edidítque Parisiis anno 1721. Tom. I. in fol. majori.

Huc etiam referri posse videtur *Collectio illa maxima Conciliorum Hispaniæ & novi orbis, Epistolarúmque Decretalium, nec non plurium monumentorum ad illa spectantium, cum Notis & Dissertationibus, quibus SS. Canones, Historia, Disciplináque Ecclesiastica, & Chronologia illustrantur.* Concilia Hispaniæ. Cura & studio JOSEPHI SAENZ de AGUIRRE S. R. E. Card. Romæ typis Joan. Jac. Komarck An. 1692. in fol. De quo præclaro sanè opere plura, eáque notatu digna dabunt Eruditi Lipsienses in Actis, anni 1696. Tomo XV. pag. 120. &c. Utinam verò ad pios ejusmodi & perhonorificos Matri nostræ Religioni Benedictinæ ausus præclaris hisce exemplis excitarentur doctissimi Sodales nostri per Germaniam, atque pro locorum opportunitate contractâ inter se societate, mutuis officiis, studiis & operis, similem Conciliorum Germaniæ collectionem adornarent, optimè profectò de Patriâ & Ecclesiâ meriturì.

Colle-

* Oudin. de Script. Eccl. Tom. 2. p. 1720.

Conditores Canonum; Collectoribus hactenùs enumeratis addere liceat *Lupum* Abbatem Ferrariensem, non quòd & ipse sacros Canones collegerit, sed novos potiùs in Conciliis condiderit. In epistola ad Marcuardum Abbatem anno 847. data illum * invitat, ut iter ad se arripiat. Lupus Ferrariensis, *Nam quinto decimo*, inquit, *die post Pascha synodus magna, ut ajunt, apud Attiniacum celebrabitur: cui me obesse nequaquam, ut credo, nostri præsules patientur*. Quippe, ut rectè Baluzius observat, sanctissimi Gallicanæ Ecclesiæ Antistites tanti faciebant Lupum nostrum, ut spectarent veluti *Conditorem Canonum*, atque adeò ejus præsentiam in synodis quodammodò necessariam existimarent. Jam enim experimentum sacræ eruditionis fecerat in Canonibus Concilii Vernensis 844. condendis numero duodecim.

Quâ occasione alii Ordinis nostri Abbates in memoriam mihi revocantur. Alcuinus, Primus est *Alcuinus*, qui quòd plurimùm contulisset ad condenda Concilii Francofurdensis Acta, à Carolo Magno Rege toti Synodo commendatus fuit, ut in Patrum consortio & orationibus reciperetur. Alter est Heitto. *Abyto*, seu *Heitto* ex Augiæ Divitis Abbate Basileensis Episcopus, qui insigne Capitulare scripsit XXV. Capitibus constans, quod Eminentissimi Cardinalis Bona beneficio acceptum edidit Lucas Dacherius in Spicilegio. Tertius est *Hincmarus* ex monacho S. Dionysii Archiepiscopus Remensis, qui Hincmarus Remensis conditis Anno Christi 857. variis Capitulis suæ Diœcesis Presbyteros instruxit, quibus alia post aliquot annos adjecit: iterùm alia quinque anno 874. & iterùm alia Archidiaconis in Visitationibus observanda. Erat in scientia Canonum, teste Caveo, eruditissimus, licèt interdùm nimis iis favens super Apostolicæ Sedis Decreta eos extulerit. Et sanè Ecclesiæ jura & leges nemo meliùs intellexit, nemo animosiùs defendit. Fuerunt tamen, qui illum criminati * sunt apud Joañem Papam, quòd nollet auctoritatem recipere Decretorũ Pontificum Sedis Romanæ: criminatur, Decreta Pontific. nullo loco habuisse. at hic, inquit *Marlottus* noster, conviciatores suos in Synodo Tricassina egregiè refellit, & adhuc posteà in Apologetico, asserens, & se Decretalia Pontificum Romanorum à sanctis Conciliis recepta, & approbata recipere, & sequi discretè, prout sunt sequenda. Etenim cùm acris disceptatio ei fuerit cum Hincmaro Laudunensi, qui ex antiquis Decretalibus probare nitebatur, se nullam Metropolitano debere obedientiam, tantum abest, ut earum auctoritatem exsufflârit, quin potiùs in eum aliquot harum allegat **. Ejus cum Hincmaro Laudunensi disceptatio. Præsertim libro 55. Capitulorum cap. 15. ubi Clementis & Anacleti citat Epistolas, & cap. 20. *Apostolicæ*, inquit, *Sedis Pontifices ante constitutiones sacrorum Conciliorum, etsi non fide sibi adverso, tamen stylo diverso in suis Epistolis pro diversis causis emergentibus datis, de Episcopis statuêre judicia, considerantes qualitatem personarum, necessitatem rerum, & opportunitatem temporum &c.* Hinc certum est, pergit *Marlottus*, Hincmarum de Epistolarum antiquitate nihil dubitâsse. Immò nec de earundem auctoritate, quamvis mens ipsius fuerit, eorum, quæ in Conciliis definita essent, majorem præ illis habendam esse rationem. Quod clarissimè demonstrat libro allegato cap. 5. ubi agnoscit ipse in iis utilia quidem præcepta contineri, sed pro ratione temporum quandoque immutata, & quoad quæ immutata sunt, posthabenda Conciliorum Canonibus. Unde quòd sugillet alicubi collectionem Hincmari Laudunensis, non eò factum est, quòd vel fraudem in illis Epistolis subolfaceret, vel saltem eas contemneret, sed quòd Laudunensis Decreta exiode collegisset, Laudunensem sugillat. quæ nullius tunc roboris existerent, utpote per subsequentes synodos abrogata. Unde subtiliter & acutè sic claudit laudatum Capitulum in Hincmarum Laudunensem: *Ecce habes secundùm leges & Evangelium plenitudinem testium testificantium de sequendis inconvulsè Conciliis, & de non studendis peregrinis assertionibus*: peregrinas vocans cum Innocentio; *quia ex quo sacra Concilia in Ecclesia Catholico celebriori cœperunt, illa quæ suo tempore portum viguerunt, nisi quantum ex eis socro Concilio assumenda viderunt, ab Ecclesiastico usu effluxerunt, quæ tamen retines, ut ad ea, quæ adspiras, libenter transire possis in affectum cordis licenter, & à nullo coerceri, vel judicari valeas regulariter.* Hæc Marlottus pro vindiciis Hincmari; de quo tamen fatendum est, quòd quæ Capitula Hadrianus Pontifex Carolo Magno

* Frod. lib. 3. cap. 21.
** Metropol. Remens. Hist. Lib. III. cap. XXXVIII. pag. 479.
*** Abbas Fleury Discurs. III. Histor. Eccl. notat, Decretales illas ab Hincmaro tempus, sed cùm in ipsius rem essent, allegari.

gno, dum Romæ agebat, adusum Occidentalium Ecclesiarum dedit, cap. 24. adversùs nepotem scribens acriter impugnaverit; eò quòd eorum compilator, quicunque demùm fuerit, primò omnium usus fuerit Decretalibus primorum Pontificum supposititiis, quæ priùs nemini uni cognitæ fuerunt. Quod Hincmaro æquè parùm vitio daudum erat, atque *Rabanus Maurus*, Archiepiscopus Moguntinus, per eadem tempora ætatem agens, in reprehensionem vocatus fuit, quòd Epistulas, antiquiorum Pontificum nomine venditatas, recipere noluerit. Illas verò *Isidorus Mercator*, seu *Peccator* collegisse fertur. Qua sua collectione de Ecclesia Catholica pessimè meruit. Hinc enim, ut *Petrus Coutantius* noster * verè scribit, *debilitati penitus fractique disciplinæ nervi, perturbata Episcoporum jura, sublatæ judiciorum leges, aut miserum saltem in modum afflictæ, hinc discordiarum ac litium seges immensa, quæ tot seculis ad Ecclesiæ dedecus, fidelium que offensionem fructificavit.* Jam vero Rabanus, ut hasce reciperet Epistolas, nunquam persuaderi potuit. Primùm enim, ut erat Critices non imperitus, plerasque subdititiæ esse fidei judicabat; deinde nervos disciplinæ Ecclesiasticæ, cujus observantiæ tuendæ nunquam non studuerat, iisdem nimium quantum infringi animadvertebat. Qua de re viri doctissimi, Stephani Baluzii **, verbis hæc consignemus. „ Ævo deinde, „ inquit, Karoli Magni insertæ sunt „ famosæ illæ Epistolæ, quæ priscis „ Pontificibus tribuuntur, quas verò „ Riculfus, Archiepiscopus Moguntinus, à bono illo Mercatore Hispano comparatas in hunc terrarum „ orbem primus detulit. Disputatum „ valdè est illo seculo de auctoritate „ istarum Epistolarum, Gallicanis „ Episcopis litem adversùs eas moventibus, quòd intelligerent, illas antiquis regulis esse contrarias. Vicit „ tamen fortuna populi Romani. Itaque nihil frequentius post illa tempora insonuit in auribus Christianorum, quàm istarum Epistolarum „ auctoritas, & mentio, ita ut qui „ deinceps collectiones Canonum & „ Decretorum composuerunt, etiam „ istis Epistolis usi sunt tanquam bonis mercibus, quamvis non omnes. „ *Rhabanus* enim tametsi Abbas Fuldensis esset in Diœcesi Moguntina, „ licèt Moguntinus & ipse Archiepiscopus fuerit post Orgarium, adeóque Riculfi (anno 841. defuncti) „ successor, Epistolis illis non utebatur, ut rectè observatum est ab Antonio Augustino. „

Rabanus Maurus Epistolas Decretales veterum PP. recipere detrectat.

Quartus est GOFFRIDUS, Abbas Vindocinensis, ac posteà S. R. E. Cardinalis, qui quantoperè in sacris Canonibus fuerit exercitatus, ejus Opuscula de Investituris, tantorum difficiorum materia abundè testantur. Nomen illius immortalirati fuit consecratum, quando post regiones ferro ignique vastatas, Pontifices vel captos, vel in exilium ejectos, jura inter Sacerdotium & Imperium ita sapienter distinxit, ut pax & Ecclesiæ & Imperio restituta fuerit, difficillima & diuturna dissentione Pontifices inter & Imperatores sic composita, ut penitùs extingueretur. Primùs verò *Goffridus* fuit, qui allegoria duplicis gladii, seu potestatis Ecclesiasticæ & Secularis, usus, eandem summis Pontificibus attribuit, quâ deinde Gregorius VII. nimium quantum in Henricum IV. Imperatorem animadvertit.

Goffridus Abbas Vindoc.

Quintus est PETRUS, *Abbas Cellensis*, ac subinde Episcopus Carnotensis, ad quem adhuc Abbatem sacrorum Canonum peritissimum, complures Alexandri II. Pontificis Max. Epistolæ extant, quibus ei diversarum causarum judicium committit, quarundam etiam inter seculares. Denique ut plures alios omittam, sextus est *Robertus de Monte* seu Abbas sancti Michaëlis in periculo maris, vir doctissimus, ac Ecclesiastici Juris consultissimus, cui Alexander III. Papa speciali mandato injunxit, ut Turonensi Concilio adesset.

Petrus Cellensis.

Robertus de Monte.

Hactenùs de illis, qui sacros Canones vel condiderunt, vel collegerunt: quod sequitur, ad Juris Ecclesiastici peritos cùm Interpretes tùm Doctores attinet.

Cùm S. Raymundus de Penna Forti, Ordine Dominicanus ***, ac Gregorii IX. Capellanus, seculo XIII. Libros quinque Decretalium ab Alexandro III. in quo defierat Gratianus, ex variis collectionibus compilâsset, primus fuit INNOCENTIUS IV. O. S. B. qui Commentarios in eosdem quinque Decretalium libros Lugduni composuit;

Decretales Greg. IX. illustrat Innoc. IV.

* in Collect. Epist. Rom. Pontif. pag. 127.
** in Præfat. ad nov. edit Reginonis.
*** Graveson Hist. Eccl. sec. XIII. pag. mihi 184. confer etiam Conring. de Script. sec. XIII. cap. 8. de Jureconsultis, & quos allegat.

fuit; quò tempore Concilium habuit ea in urbe Lugdunense I. in quo Fridericum II. Imperatorē anathemate perculit. Suâ doctrinâ promeritus est summus ille Pontifex, ut à Viris Juris utriusque consultis *Pater Juris & Organum Veritatis* appelletur. Sanxit verò, ut in Curia Romana esset semper schola Juris utriusque. *Ibidem vigeat studium Juris divini & humani, Canonici videlicet & Civilis.*

Lapus Abbas in VI.&VII. Decretalium primus commentatur. BONIFACIUS VIII. cùm sextum librum Decretalium circa annum 1298. evulgâsset; CLEMENS verò V. anno 1313. septimum Decretalium, quem hodie *Clementinas* vocamus, publicâsset, LAPUS Abbas monasterii S. Miniati propè Florentiam Benedictinus omnium primus utrumque exposuit.

Joannes Fabri J.U. Doctor. Claruit eodem ævo *Joannes Fabri le Febvre* Vedastinus, qui cùm esset Legum Doctor eximius, Regi Galliarum à consiliis anno 1377. esse meruit. Et certè Rex eo Abbate sæpè usus est variis in negotiis. Misit enim eum ad Papam an. 1376. ut probat Baluzius in Notis ad vitas PP. Avenionensium. Scripsit adversùs Johannem de Lignario, qui Urbani VI. partes tuebatur, Tractatum inscriptum *de planctu bonorum*, qui legitur in Cod. MS. 812. & 814. Biblioth. Colbertinæ, in cujus præfatione ipse se dicit natum Parisiis, ubi Doctoris lauream promeruit. Denique anno centesimo trecentesimo nonagesimo septimo à Rom. Pontifice confirmatur Episcopus Carnotensis, sub initium diuturni Schismatis.

Guido de Mimo Sub idem tempus *Guido de Mimo* *, natione Burgundus, ex villa de *Mimo* Diœcesеos Augustodunensis, nobili genere oriundus, junior vitam monasticam in Abbatia S. Germani Autissiodorensis, sub Joanne Josnual Abbate consanguineo suo professus est. Illic paulatim proficiens in literis, cùm aliquamdiu in cœnobio, observantia & ætate profecisset, ad Academias Aurelianensem & Parisiensem missus Theologiæ & Juri Canonico non ignavam per novennium contulit operam. Per novennium dixi, quod notent, velim, illi Superiores, qui juniores suos monachos non in Academiis, ubi à chori officiis exempti sunt, sed in cœnobiis suis, ubi nullam ipsis exemptionem vel ab una unica Hora Canonica cum cœteris in sacro Odeo decantanda concedunt, Cursum Theologicum unà cum Jure Canonico intra tres quatuor annos absolvere jubent: quô autem profectu quivis imaginari sibi potest, præsertim cùm Professores in dictandis Scriptis ea qnandoque prolixitate laborent, ut discipuli ea non tantùm studendo percipere non possint, sed sæpè nec legendo percurrere valeant, idque ob summam, quâ premuntur, ob prolixa Chori officia, aliásque occupationes, temporis inopiam. Intereà fugaces elabuntur anni, & discipuli ex ignorantiæ tenebris vix aut ægrè admodùm educuntur. At enim redeo ad *Guidonem de Mimo*, qui domum reversus scientiam SS. Canonum non frustra edoctus fuit, utpote quâ summè opus habuit. Post varios enim gestos honores, atque mortem Abbatis sui in locum ejus electus est. Sed coortâ mox factione, monachi adversæ partis *Joannem* quemdam *de Thyengis* Anglum in Abbatem sibi elegerunt. Hac autem lite multos annos durante Guido semel atque iterum ingentibus & expensis & laboribus Romam profectus est; neque enim causam suam dubiæ fidei aut doctrinæ Procuratoris committere voluit, sed eam ipse SS. Canonum peritissimus agere decrevit; Id quod tam egregiè præstitit, ut controversia tandem in ipsius gratiam, licèt primùm post octennium decisa fuerit. Ecclesiam igitur sancti Germani pacificè susceptam ab anno MCCXXVII. ad annum MCCCIX. gubernavit, quô regimine suo se ultroneus abdicavit, & in cellam quandam privatam secedens, obiit sexto calendas Martii añó MCCCXIII. postquàm Ecclesiam suâ per integros ferè XXIV. annos gubernâsset. Jus suum strenuè propugnat.

Sec. XIII. Nicolaus de Fractura. Exeunte seculo XIII. ut *Nicolaus de Fractura* animum ad Juris Canonici studium appelleret, occasionem, si non causam dedit, S. Cœlestinus V. Summus Pontifex. Cùm enim à Casinatibus exigeret, ut mutato habitu nigro suum assumerent, Nicolaus ne id faceret, è monasterio Casinensi discessit, deditque Bononiæ operam Juri Canonico, ut hisce ejus verbis ad cap. 55. liquet. *Alios verò, quos ad susceptionem habitûs sui prædicti nequivit inducere* (S. Cœlestinus V.) *de monasterio Casinensi per Fratrem Angelerium monachum Murronensem, quem ibi Abbatem instituit, expelli voluit, mandavit; de quibus unum fateor me fuisse, qui cùm nec terrore concuterer, nec blandimentis seducerer, petitâ demùm licentiâ &*

* Oudin. Tom. III. pag. 596.

& obtentâ ab ipso domno Cælestino, monasterium Casinense cum pluribus aliis sociis exiens, solus Bononiam petii, studiumque Juris Canonici ibi per nonnulla tempora frequentavi &c. Quâ in facultate Doctor fuit, atque Abbas, deinde S. Vincentii in Vulturno, ut constat ex iis, quæ refert Gattola in Historia Casinensi.

Seculo XIV. Clementinas interpretatur

Seculo XIV. uti Jus Canonicum per multas leges incrementum, ita suos etiam accepit Interpretes. *Clemens V.* Pontifex Max. post Concilium Viennense Anno MCCCXI. celebratum Constitutionum librum unum colligi fecit, quem septimum Decretalium dici voluit; *Joannes* verò XXII. ejus successor Constitutiones, quæ dicuntur Extravagantes, id est, extra Corpus Collectionum Canonum & Decretorum quasi vagantes, tribus libris collectas edidit, quibus vulgò clauditur Juris Canonici volumen.

Guillelmus de Monte Lauduno.

Continuò autem in novum Jus Pontificium commentatus est *Guillelmus* noster Abbas Pictaviensis vulgò *de Monte Lauduno* cognominatus, vir sua ætate ob insignem Juris Canonici peritiam celeberrimus, utpote, qui illud Parisiis primùm, deinde Tolosæ, tandémque Pictavis in tribus famigeratissimus Galliæ Universitatibus docuit. Recensetur inter Doctores, qui claruerunt temporibus * Benedicti XII. in vita hujus Pontificis, quam refert Stephanus Baluzius in vitis Paparum Avenionensium col. 208. his verbis: Item, *Tolosæ Guillelmus de Monte Lauduno, Abbas monasterii Novi Pictaviensis, Doctor elegantissimus Decretorum, qui super Clementinis lectionem perutilem edidit.* Alia etiam hujus Opera frequenter laudârunt Richardus Armachanus Archiepiscopus in Tractatu MS. *De audientia Confessionum.* Bernardus Lauretus Præses Tolosanus in Tractatu *Juris Regaliæ.* Glossator Libri VI. Decretalium & alii, quos silentio prætermitto. Hîc sufficiat elogium ex Codice 349. Bibliothecæ Colbertinæ à Cl. Baluzio depromptum, quo *Doctor excellentissimus* in Decretis vocatur. Apud Dionysium verò Sammarthanum in Gall. Christ. Tom. II. ex codice Gualteri *Notabilis Doctor in Decretis* cognominatur.

Clementis VI. Decretales Epistolæ

Quo tempore autem in vivis etiamnum erat, aut paulò antè è vita *Guillelmus de Lauduno* excessit, *Petrus Rogerius* Casæ Dei in Arvernia monachus in Summum Pontificem electus est. Erat verò Clemens VI. ita enim appellari voluit, Juris Ecclesiastici longè scientissimus. *Extant,* teste Possevino, *Romæ in Bibliotheca Vaticana Epistolarum & Decretalium ejus plura Volumina MSS. quæ in cubiculo secretiori asservantur, quod est ad lævam ingredientibus bibliothecam.* Hæc Possevinus **, quibus Oudinus *** addit, ista volumina *Epistolarum Decretalium* sæpissimè allegari, atque ex iis interdum potissimas quasdam epistolas referri integras, ab illustribus illis *Annalium Cæsaris Baronii* exceptoribus, Abrahamo Bzovio, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Odorico Raynaldo Presbytero Oratorii Domini Jesu. Itémque interdum citari ab Henrico Spondano in Continuatione Annalium Baronii, ut nullum omninò sit dubium, quin ibi dormiant hæc volumina Decretalium Epistolarum Clementis Papæ VI. Extant eductæ ex hoc Regesto Epistolarum Clementis Papæ VI. *Epistolæ decem* apud Bzovium ad annum 1342. &c. Aliæ XXX. apud Waddingum in *Annalibus Minorum*, Tomo III. ad annum 1342. &c. Aliæ CCXII. ibidem in Regesto Pontificum pag. 1. Quæ epistolæ profectò fidem faciunt indubitatam, Clementem Juris Ecclesiastici fuisse peritissimum; cujus etiam ante summum adhuc Pontificatum strenuissimus vindex atque assertor fuit. Famosa siquidem est in Annalium monumentis concertatio, quæ anno 1329. fuit Lutetiæ coram Philippo Valesio inter Episcopos, & Petrum de Cugneriis, Advocatum Regium, acriter conquerentem, quòd jurisdictio Ecclesiastica ad se traheret cunctas causas absque delectu. Inclaruisse autem multùm eâ occasione constat *Petrum Bertrandi.* Sed tamen maxima pars hujus defensionis debetur *Petro Rogerii*, electo Senonensi, qui unus pro omnibus respondit argumentis allatis à *Petro de Cugneriis* adversùs nimiam jurisdictionis Ecclesiasticæ extensionem. Chronicon Rotomagense editum à Philippo Labbeo ad annum MCCCXIX. *Hoc anno, inquit, factâ convocatione Prælatorum totius regni Franciæ, coram Rege fuerunt multi articuli propositi contra Jurisdictionem Ecclesiasticam. Sed Prælati virtuosissimè responderunt, & viriliter restiterunt, & Magister Petrus Rogerii, electus Senonensis, Magister in Theologia, responsionem fecit solenniter*

perfæpè allegantur.

Concertatio circa jurisd. Ecclesiast.

* Oud. Tom. III. p. 966.
** Apparat. Sac. Tom. I. p. 732. *** Tom. III. p. 932.

niter pro Prælatis. Patet etiam istud in Actis istius disputationis, quæ edita sunt Parisiis A. 1495. & dein recusa in Bibliotheca Veterum Patrum, & Manuscripta reperiuntur in antiquis quinque Codicibus Bibliothecæ Colbertinæ. Legi tamen hac de re merentur, quæ Abbas *Florius Discursu VII. super Historiam Ecclesiasticam N. XIV.* proponit. Ex hujus Scriptoris sententia Causa Ecclesiæ in hac concertatione quàm malè à *Petro Cugnerio* impugnata, tam malè à *Petro Rogerii* defensa fuit. Contigit id ex eo, quòd neutra pars illam rectè cognitam habuerit, atque ex falsis principiis, vera non intelligens, argumenta deduxerit.

Helias Abbas Nobiliacensis. Huic Pontifici charus admodùm fuit Helias Abbas Nobiliacensis * in Gallia Diœcesis Pictaviensis, qui cùm ob eximiam eloquentiam, & insignem Juris Canonici peritiam Episcopus Æduensis electus fuisset, à Clemente per Cabillonensem & Matisconensem Episcopos pallium accepit.

Jam quantum illud, quámque memoratu iterum dignum, quòd eodém ævo eadémque in Gallia, paucis post annis, ob eximiam cùm vitæ sanctimoniam, tum Juris Ecclesiastici intelligentiam alius Ordinis nostri Præsul in summum Pontificem fuerit cooptatus. Erat is *Guillelmus Grimoardi*, Guillelmus Grimoardi. monasterii S. Victoris Massiliensis Abbas, Decretorum Doctor, multísque annis tam apud Montem Pessulanum, quàm apud Avenionem publicus SS. Canonum Professor. A Francisco Perrarcha *Juris utriusque peritissimus* vocatur. Postequàm autem Pontificia Tiara redimitus fuit, URBANUS V. dici voluit. Tum verò, ut quos sacros Canones in scholis docuerat, in Ecclesia observarentur, omnis ejus mens ac cura versata fuit. Unde concubinarios, & alios vitam inhonestam publicè ducentes, Ecclesiasticos maximè, rigidis legibus compescuit, & ad correctionem & emendationem venire coëgit. Usurarios admodùm persequtus est, adeò ut suo tempore ex malè comparatis, occasione hujusmodi restitutionis ultra ducenta millia florenorum in curia deposita dicantur. Simoniacos autem, ementes & vendentes beneficia, sive spirituales curas execratus est. Ipsos etiam occasione talium exactionės indebitè facientes, puniri multimodè ordinavit, imò & quàm plurimos eorum curiâ exire coëgit. Beneficiorum multiplicationem, præsertim incompatibilium, in eandem personam concurrentium invitissimè toleravit, imò multos, qui plura obtinebant, illis privavit, relictis tantùm illis, quæ suo statui & sufficientiæ congruè convenire judicavit. Extat ejus *Constitutio adversùs pluralitatem beneficiorum* Concil. Tom. XI. col. 36. Plura ejus Epistolarum Decretalium volumina in Archivis Vaticanis extare dicuntur, de quibus suo loco.

Petrus Boherius. Hic ipse verò Pontifex Urbanus V. PETRUM BOHERIUM S. Aniani Abbatē, insignē suo tempore Juris utriusq; Doctorem ac Theologum ob notissimam Canonum scientiam, vitæque probitatem Urbevetanum Episcopum renuntiavit. Extat autem præter cætera hujus *Petri Boherii* Commentarius in Regulam D. Benedicti, cui adaptat Regulas & Canones Juris. Quò vel unico opere in ruborem dari potuisset Præpositus ille, qui nostrâ ætate in Germania non minimum negotii suo facessivit Abbati, quòd SS. Canones suo in monasterio explanari ac doceri jusserit, per eam causam, quòd fieri haud difficulter possit, ut Monachi Juris Canonici scientia imbuti contentiones suis cum Abbatibus suscipere præsumant: quô nihil magis lepidum, ineptum, aut insulsum cogitari, aut dici unquam potuit. Notantur Abbates juris osores. Ac si verò Jus Pontificium, quòd unicè ex Scripturis sacris ac sententiis priscorum Patrum, Conciliorúmque Decretis, & Pontificum sanctionibus conflatum est, Monachis faces subdat, ut frontem suis ostendant Abbatibus, & non potiùs iis humiliter morem gerant, atque obsequantur. Næ Pontifices summi, aliíque Ecclesiæ Antistites in leges prudentiæ insigniter peccâssent, quòd editis Constitutionibus decreverint, ut Monachi Benedictini Jure divino ac humano, i. e. sacrorum Canonum scientiâ instruerentur. Quid? quòd eorum permissu factum, ut qui Monachi doctrinâ præstarent, honorum titulis & prærogativis condecorarentur. Sic quo tempore (erat annus 1394.) PETRUS ** Abbas S. Eligii Noviomensis publicè Jus Canonicum docebat, nonnulli è Monachis Majoris Monasterii lauream Baccalaureatûs obtinuêre. Equidem non nescio, Bene- Constitudictum

* Dion. Sammarth. in Gall. Chr.
** Acher. in Catal. Abbat. Major. Monast. pag. 592.

tio Benedicti XII. dictum XII. constituisse, quòd de singulis Monasteriis & Prioratibus Conventualibus, tenentibus certum numerum Monachorum, certi monachi mittantur ad studia generalia literarum causâ ediscendi, & quòd eis in libris, victu & vestitu de proventibus dictorum monasteriorum, vel Prioratûum certo modo per ipsum ordinato & limitato provideatur. - - - voluisse tamen, quòd tales, qui mittentur, & ad hoc deputabuntur per Ordinem, & expensis ejusdem, non in *Jure Canonico*, *& multò minus in Civili*, sed solùm in primitivis, aut Philosophia vel Theologica facultate studeant, & contra oppositum attentantes excommunicationis sententiam fulminâsse, vel promulgâsse. Verumenimverò ut Benedictus XII. plerasque alias pro regimine Monachorum Nigrorum editas Constitutiones, velut nimiùm rigidas, aut parum practicabiles subinde mutavit, aut emendavit, *ita etiam*, inquit Stephanus Baluzius *, *de studio Juris Canonici & Civilis existimari debet.* Videnda est Constitutio ejusdem Benedicti data Avenione Nonis Decembris anno sexto, in qua plerasque ex iisdem Constitutionibus mutavit, aut emendavit. Extat in codice regio, & in archivo monasterii Montis Olivi. Unde fides habenda Joanni Mabillonio **, dum scribit, quòd idemmet. Pontifex Benedictus XII. decreverit, ut completo Philosophiæ studio Regulares subinde instrui debeant Jure divino ac humano, id est, sacrorum Canonum scientiâ.

Varii ex Ordine S. Benedicti Decretorum Doctores. Nec illud sine animadversione prætereundum, quòd cùm Benedictus XII. Bullam suam pro Benedictinis restringeret, præter Cardinales in consilium adhibuerit, *Petrum Cluniacensem*, *Joannem Casæ Dei*, *Gilbertum Massiliensem*, *Raymundum Salmodiensem*, *Guilelmum Montis Soluti*, *& Gregorium Isidorensem*, Monasteriorum Ord. S. B. Abbates, qui omnes, ut ipse Pontifex in Bullâ suâ fidem facit, erant *Decretorum Doctores.* Optimè ergo, inquit *Laurentius à Dript* ***, Monachus, Theologus, ac Canonista Gladbacensis, Celsissimi & Reverendiss. Principis & Episcopi Paderbornensis in Ecclesiasticis Consiliarius, & Vicarius in Spiritualibus Generalis, „ optimè ergo, salvo meliori judicio, „ etiam hac ætate facerent Prælati, „ si dum Capitulum Generale, vel „ Annale celebrare, atque in eisdem „ statuta condere intendunt, unum „ aut alterum insignem non solùm nomine, sed re Canonistam accersefrent, cujus, vel quorum consilio „ nihil contra SS. Canones statuerent, „ Dominicanorum, Franciscanorum „ aliorúmque Ordinum exemplo, „ qui nunquam talia Capitula celebrant, qoin præclaros Magistros, sacræ Theologiæ & sacrorum Canonum Doctores & Lectores Jubilatos assistentes habeant. Præsertim dum inter viginti, triginta, „ vel plures Prælatos in Capitulo comparentes, aliquando pauci sint, qui „ sacris Canonibus ex professo studuerint. Superiores Regularium, maximè illi, qui perpetui & inamovibiles sunt, ut plurimùm non nisi „ studio & resolutioni casûum conscientiæ, amplificandæ rei domesticæ, exstructioni novorum, & amplorum ædificiorum &c. rarò autem nobilissimæ sacrorum Canonum scientiæ se applicare, & nihilominus (in Capitulis Generalibus, „ vel Annalibus statuta condere, „ Processus gerere Juridicos) in occurrentibus suorum Regularium subditorum, etiam criminalibus causis, „ nullo adhibito processus judiciarii „ *Summarii* gnaro, se solis causas examinare, & non attentis ad substantiam judicii requisitis sententiare „ solent. Ex quo non levia monasteriorum damna, Religiosorum „ gravamina, gravissimas injustitias, „ Legis naturalis & divinæ transgressiones, nec non irreparabilia subditorum corporis, famæ, honoris, „ imò æternæ salutis pericula non „ emergere moraliter impossibile est, „ uti experimento didicimus, & adhuc quotidie prô dolor discimus. „

Hujus studii in monasteriis necessitas. Necessitatem præterea hujus studii in monasteriis egregiè demonstravit Venerabilis *Potho* Monachus Prumiensis, non virtute minùs, quàm doctrina, tempore S. Bernardi, conspicuus, qui lib. III. *de Domo Dei* hortator & impulsor monachis est, ut intelligendis sacris Canonibus studeant. „ Particularia præcepta, inquit, quæ cui-

* In Notis ad vit. quæ extat inter vitas Papar. Avenion. col. 805.
** Tract. de Stud. Monast. part. 1. c. 12. p. mihi 46.
*** In Cautione Judiciali Prælatorum Sect. 2. art. 6. p. 154. & 155.

„ cuilibet professioni sunt assignata, „ ab universalibus institutis in nullo „ discordare debent; nam particularia instituta si ab universalibus discreparent, vim suam amitterent, sicut ramus ab arbore, rivus à fonte præcisi, ariditate pereunt. Huc accedit, quòd monastica Professio, quæ particularia instituta ex quavis Regula sanctorum Patrum servanda suscepit, ab universalibus institutis, quibus Canonica authoritas, omnem Ecclesiasticum Ordinem instituit, nequaquam excluditur; nam Monasticus Ordo sic Regulæ suæ terminis contentus esse debet, ut etiam qualiter eum oporteat sacris obedire Canonibus non ignoret; sunt quippe in Monastica vita quàm plurimi, qui simpliciter Monachi dicuntur, quia sacris Ordinibus minimè funguntur; sunt, qui Monachi simul & Clerici vocantur; isti nimirum & Regulæ suæ obedientiam, & sacris Canonibus reverentiam exhibere debent; habent enim ex Regulâ vivendi præcepta, quibus obtemperent, & habent ex Canonica traditione ritum ministrandi, quem servent, sicque sunt Regulæ suæ debitores, ut & sacrorum Canonum debeant esse observatores. Ampliùs igitur ex debito obligati sunt, qui ex Regulæ custodia, & ex Canonum observantia redituri sunt rationem: *Quò contra illi desipiunt, nescientes, quæ loquuntur; neque de quibus affirmant, qui cùm sint in sacris constituti, in solâ tamen Regula gloriantes dicunt: Quid nobis cum Canonibus? Habemus Regulam nostram, hac igitur contenti sumus.* Bene & argutè Regulæ prætendunt authoritatem. An non Regularum omnium magistra est Canonica authoritas? Nonne Romani Pontifices, qui in plenitudine potestatis Ecclesiæ præfuêre, illis præferendi sunt, qui in partem sollicitudinis vocati, particularia duntaxat nonnullis instituta in suis Regulis edidêre? Sanctus quoque Pater *Benedictus*, quamvis spiritû omnium Justorum plenus, tamen in Regulâ, quam Monachis specialiter scripsit, testatur, non omnem justitiam esse constitutam; Neque enim Regula ejusdem sancti Patris, neque ullæ majorum traditiones, quæ morum correctionem docent, honestæque vitæ formam demonstrant, his, qui in monasteriis degunt, imminuere vel infirmare ullo modo possunt sacrorum Canonum authoritatem, quorum videlicet, observantia cùm generaliter omnibus Ecclesiæ filiis indicta sit, Monachi soli non excipiuntur. Nam Canones ad Monachos quoque pertinere, eósque Synodalibus Patrum decretis obedire debere, ex scriptis Magni Gregorii liquidò nobis constat, qui in sua Synodica sanctissima quatuor Concilia confirmat, dicens: Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor, Nicænum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur; Constantinopolitanum, in quo Eunomii ac Macedonii error convincitur; Ephesinum primum, in quo Nestorii impietas judicatur; & Chalcedonense, in quo Eutychetis Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione amplector. Secùs enim justè timeri potest, ne ipsi quoque sententiæ ac punitioni Divinæ aliquando subjaceant, quam Sacerdotibus quibusque Deus per os Prophetæ minatur: Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi „ Hæc Venerab. Potho, vir æquè doctus, ac pius, de obligatione Monachorum addiscendi Ecclesiæ Canones, cùm pro Ecclesiasticis specialiter edi videantur. Quæ si Præpositus ille, aut Prior, de quo suprà, legisset, nullas utique Abbati suo turbas dedisset, quòd Jus Canonicum in monasterio doceri demandârit.

Notantur Monachi studii SS. Canon. contemptores.

· Benedicti XII. Constitutio de Monachis in Jure Canonico instituendis Seculo XV, in Concilio Basileensi anno 1436. renovata fuit in quodam Capitulo, seu Comitiis Generalibus ex pluribus Provinciis nostri Ordinis celebrati coram Eminentissimo Cardinali S. Angeli, & Episcopis Dieniensi & Lausanensi Benedictinis*. Decreta autem hujus Generalis congressus leguntur in quibusdam Bibliothecis, nominatim in manuscripto quodam Abbatiæ S. Vitoni, vulgò *de Saint-Vanne*, Viroduni. Etsi verò Monachi Germani, apud quos non Ecclesiastica tantùm Jurisprudentia, sed aliarum etiam doctrinarum studia Seculo XV. passim elanguerant, dicto minùs audientes fuerint, alii tamen cùm in Italia, tum in Gal-

Benedicti XII. Const. in Concilio Basileensi revocata.

* Mabill. Tract. de Stud. Mon. part. 1. c. 12. p. 46.

Gallia & Anglia excitari se passi sunt, ut Jus Canonicum non addiscerent modò, sed illius etiam & docendi & commentariis quoque illustrandi curam susciperent.

Nicolaus Parnorm. SS. Can. Profess. Quâ in re, magna cum nominis gloria, & Reipublicæ Christianæ utilitate multos annos versatus est *Nicolaus Siculus*, ex Francisci de Zabarellis Bononiæ SS. Canonum Professoris discipulo Abbas Benedictinus, ex Abbate Archiepiscopus Panormitanus, & denique S. R. E. Cardinalis, adeò ut *Lucerna Juris* diceretur. Nec est quisquam Juris Canonici paullò studiosior, qui aut Panormitani autboritatem ignoret, aut non cum Panormitano errare malit, quàm cum multis aliis sapere. Nimirum excocta, matura, & rebus, quàm verbis plenior est Panormitani doctrina, quantumvis nec ipsa volumina sint exigua. Decem ipsos annos cùm Senis, tum Parmæ, ac tandem Bononiæ, assignato octingentorum aureorum stipendio, publicè è cathedrâ Decretalium libros interpretatus est, & quidem labente anno 1422. se in amplissimâ & nobilissimâ Senarum urbe, secundum librum ordinariè legisse, ibidem testatur. Evoluto publicæ interpretationis decennio, animum ad commentandum & scribendum adjecit, eâ felicitate, ut non tam Commentaria, quàm Jus ipsum scripsisse videretur. Unde *Juris Lucerna* cognominari meruit. Sanè vir iste, inquit Antonius Possevinus *, insignis inter Canonistas cùm pleraque difficilibus quasi salebris essent in hac facultate impedita, complanavit, illustrans distributionibus, distinctionibus, verborúmq; ac rerum claritate, eadémq; opera sententias veterum & recentiorum ad suam usque ætatem afferens, veritatem liquidiorem ob oculos studiosorum posuit. Qui labor Episcopis, Judicibus, Confessariis fuit utilissimus. Solet verò Nicolaus Tudeschus à Juris Pontificii interpretibus sæpe sub *Panormitani*, vel sub uno *Abbatis* nomine vocari.

Petrus Alberti. In Gallia *Petrus Alberti* Monachus & Prior monasterii Cluniacensis ab an. MCCCCXX. claruit, qui in Bibliotheca Cluniacensi *Decretorum Doctor* famosissimus vocatur, cui in officio majoris Prioratûs successit Jacobus de Moussiaco etiam Decretorum Doctor, magis tamen doctus, quàm eloquens. Unde hoc ævo SS. Canonum studia in Archimonasterio Cluniacensi viguisse pro comperto habetur. Quàm verò admodùm nihil observantiæ regularis disciplinæ adversentur, argumento esse potest, quod de Jacobo Moussiacensi synchronus tradit, qui eum cognoverat, ac sæpe viderat: *Hic unus fuit illorum*, inquit, *qui statuta cæremoniásque Ordinis illibatè servaverunt, propter quod toti Orbi venerandus habetur.*

Petrus Baston antiquissimi monasterii S. Maxentii in Diœcesi Pictaviensi, si cùm esset vir in literis tam divinis, quàm humanis apprimè versatus, conventibus Cleri Gallicani Generalibus Lutetiæ congregatis pro extinctione schismatis Gregorii XII. & Benedicti XIII. interfuit, ac denique Concilio Pisano anno 1409. ubi Gregorio & Benedicto exauthoratis suprema Ecclesiæ dignitas Alexandro V. delata est. Anno 1431. die 1. Februarii præfuit cœtui habito Pictavii pro erectione Pictaviensis Universitatis. In eâ primus omnium Jus Canonicum docuit, ejusdémque privilegiorum conservator & magnus Prior Monachorum Ord. S. Benedicti, & S. Bernardi in Universitate studentium, cum potestate coërcendi delinquentes meruit nominari. Ista verò prærogativa Conservatoris anno 1432. die 1. Junii Abbatibus S. Maxentii in perpetuum asserta fuit. Petrus Baston.

Paucis post annis, nimirùm an. 1459. *Thomas Lussaudi* Prior S. Hilarii de Metulo, *Mesle*, & Petrus de Azebaco Camerarius, Doctores in Decretis, Jus Canonicum in eadem Academia Pictaviensi docuerunt. Quô ævô etiam *Guilhelmus Episcopi*, Abbas monasterii S. Germani Pratensis Jus Canonicum in Universitate Parisiensi prælegisse memoratur. Anno 1479. Johannes de S. Johanne ** in utroque Jure Baccalaurens ex Congregatione Cluniacensi actu legit in Universitate Avenionensi. *Ludovicus d' Aube* aliàs *de Rupemarina* *** Avenionensis Diœcesis, sacrorum Canonum Professor, & Auditor sacri Palatii Apostolici Avenione primùm extitit monachus Montis-majoris, tum Prior S. Petri de Aligno, deinde S. Martini de Cœlismartio *al.* de Collis, è præceptore tandem S. An- & alii Decretorum Doctores.

* Appart. Sac. Tom. II.
** Dion. Sanmarth. Gall. Chr. Tom. I. pag. 855.
*** Ibid. l. c.

S. Andreæ Abbas eligitur, ac Bullâ Pontificiâ Leonis Papæ X. data IX. Maji anno incarnationis 1521. Pontificatûs IX. confirmatur, in qua quidem Decretorum Doctor, & in Academia Avenionensi cum laude docens appellatur. Ejus successor & nepos fuit *Franciscus de Castellana* etiam Canonum Professor. *Ambrosius de Wocstine*, Brugis in Flandria nobili Familia natus, Priorem egit Tornaci in monasterio S. Martini, Parisiis an. 1497. Decretorum Juris Pontificii laureâ decoratus, Jus Canonicū versibus complexus est, hoc initio: *A Jove principium*: quod opus aliquando lectum fuisse in monasterio Septem Fontium juxtà Bruxellas testatur * Foppenius.

Petrus Regius. Præ his tamen mentio mihi facienda fuisset de *Petro Regio* ** (le Roy) Abbate S. Michaelis (de Monte Tumba in Normannia) qui insigni præditus doctrina publicè sacros Canones in Academia Parisiensi interpretatus est. Posteà diversis functus legationibus nomine Caroli VI. Regis Francorum in Arragonia, Hungaria, & Anglia, Pisas fuit profectus, quâ in urbe, vel, ut aliis placet, Constantiæ, facunda atque vehementi oratione ita Cardinalium sibi conciliavit animos ac voluntates, ut communi consensione Othonem (*Martinum V.* posteà vocatum) Summum Pontificem proclamarent.

Joannes à Stipite. Nec is tamen eâ nominis fulgebat claritate, ut *Joannis à Stipite* ***, vulgò à *Stochis*, fama non parùm major esset. Hunc, qui id temporis ignoraret, nullum eximium Juris Ecclesiastici peritum sibi omninò scire videbatur. Erat verò ad S. Laurentium Leodii professus, simulque Prior Berteriæ in Gallo-Brabantia, Decretorum Doctor, ac vir magnæ famæ. Concilio primùm Pisano anno 1409. tum Constantiensi anno 1416. interfuit, cujus Sessioni XVI. subscripsit. A Patribus Concilii designatus fuit arbiter quæstionum inter Polonos & Equites Ordinis Teutonici; ad Benedictum XIII. seu *Petrum de Luna* in Arragoniam ablegatur, quò hunc Antipapam vel ad cedendum induceret, vel refragantem ad Concilium citaret; ac demùm (pro summæ scientiæ indicio) post Cardinales Concilio præsentes numero viginti, unus ex aliis tribus Electoribus è quinque Nationibus ad id designatis, qui datis suffragiis Summum eligerent Pontificem: id quod cum cœteris fecit, atque *Othonem Columnam*, Cardinalem Diaconum, dictum deinde *Martinum V.* delegit. Atque sic hunorificentissimum jus eligendi Pontificis Maximi Monacho Benedictino summa sacrorum Canonum peritia comparavit.

Numerum Juris Ecclesiastici peritorum in Germania pensare potest & debet *Boldewinus*, Abbas S. Michaëlis in Luneburgensi civitate, cujus Chronicon Beccense his verbis meminit. Boldewinus Abb. S. Michaelis Luneb.
„ Hic fuit *Doctor Decretorum*, & Consiliarius Ducum, vir dives, industriosus, & excellentis scientiæ: cujus consilio Duces & Civitates regulabantur: qui & causas etiam Regum, Principum, & Nobilium justè judicabat, & perorabat. Unde anno MCCCCXXV. in Archiepiscopum Bremensem electus fuit, & Eugenius Papa dedit ei pallium, & Sigismundus regalia sua. Introductus fuit in Diœcesin per Duces de Brunswick & Luneborg cum multa caterva Episcoporum & Comitum: & totus Clerus cum Prælatis venit ei obviam usque ad S. Paulum cum crucibus, reliquiis, & vexillis, & cum honore deducebant eum in Ecclesiam suam. Et fecit ibidem maximas impensas: & quando ipse venit Bremam, tunc Capellanus suus Dn. Henricus Wolteri crucem juxtà Clementinam tulit equester ante illum, & in ecclesiam pedester. Et Marschalcus Segebodus à Kransborg portavit gladium evaginatum ante ipsum: Capellanus à dextris, Marschalcus verò à sinistris. Et quotiescunque venit, semper Capitulum & Consulatus venerunt sibi obviam. Etiam devotus fuit, & quoties venit Bremam, sub crypta infra chorum, quando Capellanus suus celebrabat, ipse etiam post eum statim celebrare incepit coram omni populo devotissimè. Etiam per se semel ibi Ordines celebravit, & Clericos ab infimis ad summos consecravit in Ecclesia Bremensi. Et portavit ibi sacrosanctum vivificum Sacramentum per civitatem Bremensem, adjunctâ sibi catervâ universi populi, sequenti die post Corporis Christi, Et celebrabat ipso die Pentecostes, similiter & ipso die Corporis Christi summam Missam, cantando ante „sum-

* Bibl. Belg. p. 48. ** Acher. in Not. ad Opp. B. Lanfranci p. 851. col. 2. *** Foppens l. c. p. 501.

„ summum altare, ut decuit. Ipse etiam sequenti anno consecravit Lubecensem Episcopum, & celebravit ibidem cum suis Suffraganeis præsentibus Ducibus Saxoniæ Magnopolens. & Slesvicens. & Episcopo Verdensi, ac Duce Wilhelmo de Brunswick & Luneborg. Ipse sedit in sede Bremensi VI. annos & menses IV. & obiit in claustro Luneborg, & ibi honorificè sepultus est. „ Plura de ejus insigni Juris Ecclesiastici scientia jam aliàs à nobis commemorata fuerunt, non iterùm hîc loci repetenda.

Bartholdus Meyerus Juris Pontificii Doctor.

Profuit etiam *Bartholdo Meyero*, monacho Sanct - Ægidiano in urbe Brunswicensi, Juris Pontificii fuisse Doctorem: cùm enim à monachis cœnobii Bergensis propè Magdeburgum an. 1440. in Abbatem fuisset electus, Archiepiscopus verò Fridericus Hermannum Molitorem monachum Bursfeldensem præferret, ab eo confirmationem nullo modo impetrare potuit. Unde Romam profectus, causamque suam ipse strenuè agens, tantum effecit, ut tam Archiepiscopus, quàm ab eo confirmatus Abbas ad dicendam causam evocaretur. Quibus non comparentibus sententia pronuntiata condemnati sunt ambo. Accidit autem non multò pòst, ut Brunswigæ Abbas eligeretur Bartholdus; quò facto inter dissidentes constituta est concordia eâ ratione, ut Bartholdus acceptis ducentis aureis Rhenensibus, juri per postulationem legitimam acquisito, renuntiaret, Hermannus Prælaturam sine contradictione retineret. In hac compositione cautè, & consilio omnia egit Hermannus, vir singulari bonitate & modestia præditus, ingenuè fassus, in controverso negotio habere se conscientiam perturbatiorem; metuebat enim, nequa Simoniæ labes intervenisset.

Leonardus Abbas Vlierbacensis.

In Germania inferiori claruit post medium sec. XV. *Leonardus* Abbas Vlierbacensis, monachus S. Bertini, Decretorum Doctor, & in Academia Lovaniensi Professor. Seriùs aliquanto, nempe circa annum 1595. floruit *Joannes Dorotheus*, monachus S. Mariæ Vallensis, è Congregatione Cluniacensi, J. U. Doctor, & in Universitate Dolensi Burgundiæ minoris Professor primarius. Famâ raram ejus eruditionem, ac prudentiam divulgante, ab Archiepiscopo Bisuntino in Suffraganeum, ab Eminentissimis verò Cardinalibus Granvellano & Lotharingo in Vicarium delectus, atque utriusque Purpurati Patris appellatus *commune in negotiis expediendis Oraculum.*

Constitutiones Angliæ de Juris Studio.

Nec in Anglia Benedictini Juris Canonici studium abjecerunt. In primo Capitulo Generali * celebrato post Benedicti XII. constitutionem de resuscitandis literarum studiis in Ordine D. Benedicti apud Northampton anno 1338. mentio fit Domini Prioris de Bello, Incœptoris, i. e. Professoris in Jure Canonico. In secundo Capitulo Provinciali **, seu Generali celebrato iterùm apud Northampton an. 1340. ordinatum fuit, ut scribatur Priori Norwicensi pro D. Joanne de Withelye, ac Abbati de Reading pro D. Guillelmo de Stiverington Canonicis, ut ad studium Oxonium mittantur, sacros Canones docturi. In Capitulo tertio *** anno 1343. stipendia Canonum Professoribus decreta fuerunt, videlicet ut Incœptor in Jure Canonico percipiat in incœptu suo XX. marcas; & si duo vel tres simul concurrant, prædicta curialitas inter eos æqualiter dividatur. Anno 1444. in Capitulo Provinciali statutum fuit, " qoia ante hæc tempora ad evitandas expensas, quæ in Magistrorum incœptionibus esse solent, nonnulli ad incipiendum in Jure Canonico propinqui ad sua monasteria à studio fuerint revocati, in totius Ordinis verecundiam generalem: volentes igitur ut hoc futuris non contingat temporibus, sed in nostro Ordine Juridicæ Facultatis Doctores crescere possint, præcedentis auctoritate Capituli statuimus, ut quilibet nostræ Religionis incœpturus Oxoniæ in Jure Canonico, si eo anno, infra quem incœperit, alium non contingat incipere, percipiat de communi collecta viginti marcas: si autem uno & eodem anno duos in eadem facultate Juris Canonici, sicut priùs incipere contingat, percipiat uterque eorum de dicta collecta tantummodò decem marcas. - - - Item statuimus, quod nullus nostræ Religionis, & nostri Capituli incipiet in Oxonia, vel in Cantabrigia in Jure Canonico, nisi sub Doctore ejusdem Religionis, & ejusdem facultatis, si talis Doctor in studio in tempore incœptio-

Studendum sub Ordinis Professoribus.

* Clem. Reyner. Apostol. Bened. Append. part. 3. p. 101. ** ibid. p. 104. *** ibid. p. 107.

qui in honore habentur.

" cœptionis cathedram occupare contingat. -- Item ordinatū est, quòd Doctores Ss. Theologiæ, & Juris Canon. post susceptum gradum Doctoratûs, in monasteriis Abbates superiores habentibus, & aliis Ecclesiis Cathedralibus Abbates non habentibus, in Capitulo Provinciali, in claustro, choro, Refectorio, Capitulo, Processionibus, tam extra monasteria quàm intra, & ubique locorum, post Priores claustrales proximas sedes habeant, & post Suppriores Cathedrales propter gradus dignitatem, eos consimiliter volumus honorari: dum tamen ipsorum Doctorum mores & conditiones Religioni Doctoralique gradui sint conformes. - - Item statuimus, quòd Licentiati in Jure Canonico in suis gradibus suscipiendis caputia capparum scholasticarum cum buggio furrata habeant, sive cum syndone nigro linita, & similiter Baccalaureos ad lecturam Decretalium admissos caputiis cum buggio furratis, uti de cœteris ordinamus. - - Præterea studentibus nostri Ordinis præcipimus universis, ne quis eorum, quasi ab exteris mendicando, apicem Magistralem, seu gradum alium temptet ascendere, vel præsumat, sub Magistro aliquo seu Doctore, qui nostræ non fuerit professionis &c. " Atque ex his cuivis pronum est existimare, quantopere Anglicanæ Congregationis Superiores laborârunt, ut eorum monachi ad Juris Canonici studium se referrent.

Eorum privilegia.

Excellit præ aliis Feckenamus.

Quantam verò, quámque insignem illius cognitionem non pauci sibi comparârint, testis esto *Venerabilis Joannes Feckenamus*, Westmonasteriensis Abbas, & invictus fidei orthodoxæ Confessor in suo Opusculo contra Juramentum Suprematûs Regis Anglorum in causis spiritualibus. Cùm enim scrupulos conscientiæ, & rationes, quæ à suscipiendo juramento de Suprematu regio ipsum retinerent, Wintoniensi Episcopo in scriptis tradidisset, atque hic Feckenamo eos eximere laborâsset, ille Episcopi resolutiones & responsiones sacrorum Canonum scientiâ instructus doctissimè infirmavit. De Feckenamo seculi XVI. non minimo Ornamento plura suo loco.

Joannes Bischoff

In Helvetia eodem ævo Joannes Bischoff * monachus San-Gallensis, Decretorum Doctor, Vir in utroque Jure versatissimus Ticini cathedram Juris Canonici publicè docendo tenuit. Non semel etiam ad alias Academias postulatus. Quem & Oliverius Episcopus Sabinensis S. R. E. Cardinalis Neapolitanus in suorum familiarium & continuorum commensalium numerum cooptavit. Diversas Romam, atque alias legationes obivit. Ex Operibus ejus supersunt quatuor magni Tomi in Juris via ab eo conscripti.

Professor in Univers. Ticinensi.

Apud Fuldenses ** PHILIPPUS SCHENCK (Latinè *Pincernam* vocamus) à Schweinsburg, nobilis Hassiæ, vir prudens, doctus, & eloquens; qui jam inde ab adolescentia bonis moribus, literísque deditus, operam Juris utriusque prudentiæ in Maguntinensi & Coloniensi Academiis tantam navavit, ut inter Jurisperitos primo loco numerari potuerit: Facundiâ multos quidem pares, sed vix paucos uspiam superiores habuit. Promeruit certè partim liberalium studiorum sedula inquisitione, partim verò monasticæ religionis severitate, ut dignus idoneúsque habitus fuerit, cui cura omnis & tota ista gubernatio Fuldanæ ditionis ante etiam crederetur, committeretúrque, quàm Abbas & Princeps fuisset electus. Eligitur verò in Abbatem & Principem Fuldensem Abbatúmque Germaniæ omnium Primatem & Imperatricis Archicancellarium anno Domini 1541. præfedit laudabiliter novem annis, quibus exactis naturæ debitum exsolvit.

Philippus Abbas Fuldensis Juris utriusque peritissimus.

Inter ejus successores fuit JOANNES BERNARDUS, qui tempore tricennalis belli magna virtutis ac prudentiæ laude Fuldensem rexit Ecclesiam. Is doctrinam, atque utriusque Juris peritiam, quâ insigni præstabat *Romanus Hay* Imperialis monasterii Ochsenhusani in Suevia Presbyter Theologus, magni fecit, eíque ad jura Ordinis vindicanda præcipuos addidit stimulos. Nempe post Transactionem Passaviensem Sectarii in Germania, quâ vi, quà astu, Religiosis Ordinibus multa monasteria eripuerant. Quod cùm hi graviter nec immeritò ferrent, Cæsaris supremi Judicis officium implorârunt, ac Processus Judiciales ea propter in Camera Spirensi instituerunt. Æquissimam habere causam cùm visi fuissent, sententiâ secundùm eos latâ, Ferdinandus

Joannes Bernardus Fuldensis Abbas.

* Mezlerus de Vir. Illustr. San-Gallens. lib. 1, c. 54.
** Brusch. Mon. Germ. Chronol. p. 66.

nandus II. Imp. anno 1629. Edictum vulgavit, quò Status Acatholici monasteria injustè occupata & detenta dimittere jussi fuerunt. Cui edicto Summus Pontifex Urbanus VIII. cum Purpuratorum Patrum Senatu benedixit, miráque idcircò jucunditate animum suum fuisse repletum ad Cæsarem perscripsit. Ordines igitur antiqui rem judicatam pro se habebant, ac solam executionem & immissionem in monasteria exspectabant; cùm ecce nonnulli, ut bona antiquis Religiosis Ordinibus debita ad suam derivarent societatem, varias adhibuerunt machinas. Editis scriptis monasteria fuisse *Extincta* contenderunt, adeóque antiquis Ordinibus ullum jus agendi aut competiisse aut competere negârunt. Religiosi Ordines, nisi monasteria sua in deperditis habere mallent, causam suam contra hosce Adversarios defendendi necessitate adacti fuerunt. In Conventu igitur Ratisbonensi, quem condictâ die Abbates Ordinis S. Benedicti celebrârunt, P. Romano Hay negotium fuit datum, ut jus Ordinis Benedictini, antiquorúmque Ordinum, quorumcunque Religiosorum in Cœnobia sua ab Hæreticis detenta vindicaret. Is proinde Fuldam, instructioris Bibliothecæ & solitudinis ergò cum Illustriss. Principe Joanne Bernardo, Abbate Fuldensi descendens, *Astrum Inextinctum* scribere cœpit, etiam à cœteris Ordinibus antiquis deinceps animatus, & rogatus.

Romanus Hay de jure agendi veterum Ordinũ pro recuperatione suorum monaster.

Vindicem hunc haud magni facere visus est Paulus Laymannus; unde elato supercilio in eum sic è sublimi detonare non erubuit *, *Valde dubito, num sciat Adversarius noster, quid sit monasterium extinctum esse. Si enim id intellexisset, ipsum titulum Animadversionis in causa monasteriorum extinctorum, non sine reprehensione aliqua reliquisset. Docebo itaque Hominem, dummodo doctrinæ capax sit.* Quibus verbis P. Hayus se contemptum, ac veluti pro stulto habitum, qui disciplinæ capax non sit, haud immeritò conquestus est. Longè alia verò opinio atque existimatio Doctorum ac Professorum in celeberrimis Universitatibus Duacenâ, Lovaniensi, Viennensi &c. de Patris Hay doctrina atque utriusque Juris peritia fuit. Ii perlecto *Astro Inextincto* conceptis verbis asseruerunt, *Astrum Inextinctum, planis, evidentibus, solidissimisque rationibus, è sacris Canonibus petitis demonstrare, bona monasteriorum antiquorum, ab hæreticis per injurias bellorum, & temporum detenta, non fuisse Extincta aut Emortua, etiam per mortem omnium Religiosorum, qui ea possidebant, adeóque ea cum omnibus bonis, jus repetendi, & recuperandi, Religiosis sive exemptis, sive non exemptis, ejusdem Ordinis prorsùs competere.*

Ejusdem Aula Ecclesiastica & Hortus Crusianus.

ASTRO INEXTINCTO, quod magna Auctoris gloria ubique radiabat, ut *Joannes Crusius* caliginem inducere, ejusdem *Eclipsin*, sive *Deliquium* in publicam lucem emisit; quibus P. Hayus *Aulam Ecclesiasticam*, & *Hortum Crusianum* opposuit. „ Quod „ Opus, ut Facultates utriusque Juris „ in Alma Universitate Lovaniensi „ censuerunt, solidissimis rationibus „ apparet expositum, quo inprimis „ quid sint bona vacantia Civilia, quid „ Ecclesiastica rectè definitur: Secundò monasteria seu quaslibet Ecclesias Collegiatas per mortem omnium de Collegio particulari, vel „ alios fortuitos casus nequaquam extingui, rationibus ex utroque Jure „ depromptis adeò nervosè demonstratur, ut diversæ sententiæ nulla „ penitùs ratio supersit. Tertiò dilucidè tractatum, & ex Doctorum veriori sententia rectè conclusum per „ mortem omnium de Collegio Ecclesiastico Jus providendi de alio Prælato, seu Capite, ipso jure devolvi „ ad immediatum Superiorem, penes „ quem aliàs est potestas confirmandi Electum. Quartò Electionem per „ mortem omnium de Collegio Ecclesiastico ad Superiorem devolutam „ non pendere ab ejusdem Superioris „ libero arbitrio & voluntate, sed esse Collationem necessariam, & alligatam qualitatibus fundationum & „ beneficiorum vacantium, Doctorum authoritate reperitur ostensum: „ Hinc quintò irrefragabiliter infertur, & conficitur Ordines Regulares antiquos habere etiamnum spem „ Juridicam, certam & proximam sua „ monasteria destituta ubivis terrarum „ reparandi, adeóque perperàm nominari extincta: Sextò non immeritò notatas esse ultra quingentas allegationes non ritè factas „ à R. P. Joanne Crusio in libro, „ qui inscribitur: *Astri Inextincti* „ *Eclipsis* seu *Deliquium*, quæstiones-„ que

* *Justa* suæ dictæ defensionis fol. 443. & 444.

„ que inde dependentes fœliciter enodatas, aliósque ejusdem aliquot „ errores detectos.„ Hæc utriusque Facultatis Juridicæ Doctores Lovanienses in laudem *Aulæ Ecclesiasticæ* & *Horti Crusiani*.

SS. Canonum studium in monasterio Casinense invehitur.

In Monte Casino * cùm Superiores animadvertissent studium Juris Canonici monasterio suo ante omnia necessarium esse ad illius jura defendenda, introduxerunt illud. Laus verò hæc debetur *D. Hippolyto Pennæ à Neapoli*, qui postquàm magno ingenio doctrináque Philosophiæ atque Theologiæ Prælector fuit, atque Casinensis diœcesis Pœnitentiarius, ejúsque deinde Vicarius Generalis, tum Cellerarius, & Procurator Cœnobii Casinensis in Curiâ Neapolitana, denique in Abbatem electus Asceterium suum sex integris annis magna vigilantia, accuratè rexit, atque initio præter Philosophiam & Theologiam Scholasticam, & Moralem, sacrorum Canonum studium Cassinatibus potissimùm adeò necessarium invexit, operâ *D. Tiberii Gentilis* à Janua docti probíque Monachi usus. Tum verò Monachos Casinenses SS. Canonum amor & consuetudo mirum quantum tenere cœpit.

In exemplum adducitur Benedictus Canophilus.

Quos inter eminuit ** *Benedictus Canophilus Sangrinus*, qui priusquàm monasticum institutum Casini amplexus esset, Jus utrumque Romæ docuit, ut inter insigniores J. C. ejus ætatis haud immeritò fuerit numeratus, mirísque encomiis à doctissimis in Italia legalis scientiæ per id temporis Professoribus commendatus. Novis enim ac multiplicibus præstantis ingenii fœtibus Jurisprudentiam illustravit, ejusdémque facultatis studiosis, haud parùm commodi ac utilitatis peperit; Quamobrem Maximilianus Imperator in virtutis doctrinæque illius commendationem, Equitem Palatinum eum creavit an. 1512. quo tempore *Canophilus* adhuc in seculo degebat, peregitque eam ceremoniam Cæsaris nomine *Michael de Grassis*, Cardinalis Bononiensis, & Comes Palatinus, ejúsque honoris Cæsareum Diploma datum anno 1512. Julio II. Pontifice erat penes Josephum Canophilum, ut apparet ex momumento in Tabulario S. Laurentii de Aversa hac de re asservato. Nec in Monachatu *Sangrinus* à studiis solidissimis semisit, sed Opera Juridica non pauca, eáque insignis doctrinæ à nobis alio loco recensenda in lucem emisit. Præcipua & celeberrima illius lucubratio est *Extractus de Foro fori, & Foro poli*; quem inter alios Sigismundus Brunellus, Juris Utriusque Doctor Patavinus in literis ad Canophilum datis mirificè his verbis commendavit.

Ejus Opus Juridicum commendatur.

" Gratulor imprimis patriæ tuæ, gratulor universæ religioni, gratulor demum doctis hominibus, quòd Benedictus Sangrensis, vir literatissimus, ac integerrimus hodie illuxerit, qui suo admirabili ingenio, exquisitâ doctrinâ, summâ cum diligentia tot difficultates antea confusas, & apud Doctores sæpe dubitabiles, pro omnium studiosorum utilitate, miro ordine, atque, ut ajunt, divino quôdam spiritû motus ad breve compendium reduxerit. Vera fateri possum, mi Benedicte, non solùm alios, qui antea scripserunt, te adæquâsse, verùm etiam longè superâsse &c. Non minùs præclara sunt, quæ Ju. Ant. Rubeus, & Benedictus Bonfius celeberrimi Jurisconsulti de Canophili eximia Jurisprudentia censuerunt.

Multi Casinates in SS. Canonum scientia hic habentur.

Illud certè monasterio Cassinensi aggratulandum, quòd viros semper utriusque Juris habuerit scientissimos, qui jurium monasterii egregii fuerunt assertores, quos inter Seculo XV. commendantur à Gattola *Antonius Fractensis* Archivarius, *Andreas à Suessa*, *Honoratus Medici* jurium Cassinensium studiosissimus, pro quibus magnos diuturnósque labores suscepit; *Mathias Venusinus*, qui pluribus annis cœnobii Casinensis causas summis laboribus defendit in Curia Neapolitana, cùm ejus esset Procurator. *Gregorius Sayrus* in Thesauro Casuum Conscientiæ, ac Clave Regia Sacerdotum præcipuas Canonistarum difficultates ad communem praxin pertinentes doctissimè decidit, ita quidem, ut teste P. Gobat ***, *possit esse instar trium Jurisconsultorum*. His jungi debent, *Virginius Valsechus*, *Alphonsus Villagut*, & alii è Casinensi Archisterio, de quibus plura dabit Armellinus in Bibl. Casinensi.

Thomas Manarinus in Universitate Salisburgensi.

Nec Casinenses solùm, sed alii etiam Congregationis Casinensis Monachi vigilias suas studio Juris Canonici addixerunt. Unde sub initium Universitatis Salisburgensis D. Gratianus Fretsius

* Gattola Chron. Casin. Sec. XIII. p. 818.
** Armell. in Bibl. Casin. part. I. pag. 91.
*** Gobat Vind. Theol. num. 476.

SS. Canonum Professor.

sius Abbas & Præsidens Congregationis Casinensis in Germaniam direxit *Thomam Mannarinum* *, ejusdem Congregationis Monachum doctissimum, qui primus in dictâ Universitate anno 1624. SS. Canonum Professoris munus scitè sustinuit, ut eum elogio, quo Academia Patavina, in quâ Juris lauream adeptus erat, illum cohonestavit, nemo non dignissimum censuerit: Nempe Thomam Mannarinum *in rigoroso examine talem se gessisse, ut non Mannarinus, sed Abbas Panormitanus, omnium Canonistarum Pater & Magister cunctis visus fuerit.*

Ludovicus Engel.

Eâdem celeberrima in Universitate ab an. MDCLXIX.usq; MDCLXXIV. Ludovicus Engel, Mellicensis monasterii alumnus, celeberrimus Juris Mysta** *tamâ claritate SS. Canones est interpretatus, ut ab hujus eximii viri eruditione, & clarissimâ docendi methodo penderent ex dissitis etiam regionibus magno numero affluentes Auditores; hujus Oraculum ambirent doctissimi Viri; Hunc Tribonianum expeterent inclyti Principes, ut multorum audiret Consiliarius, & Universitatis Procancellarius.*

Cœlestinus Sfondrati.

Quinquennio post COELESTINUS SFONDRATI S. Galli Monachus, ac postea S. R. E. Cardinalis Juris Canonici cathedram conscendit. Tanta initio statim viri hujus doctissimi ac modestissimi fama erat, tantúsque discipulorum affluxus, ut aulæ spatium, licèt peramplum, capiendis auditoribus neutiquam sufficeret. Id quod Musæ Salisburgenses in *** Arbore Fœcunda eidem dicata ingenuè hisce deprædicârunt:

Atque ideò passim studiis excita juventus
Augustum, Themidis sacrata palatia, circum
Tanto discentûm numero cumulavit, ut amplo
Quamvis, non tamen immensam capiente catervam
Limine Palladio, per apertas sæpe fenestras
Affusa, aut foribus deberet plurima turba
Calcibus insistens Sfondratum audire docentem.

Ægidius Rambeck.

ÆGIDIUS RAMBECK Schyrensis in Bavaria monasterii cœnobita cùm eruditione juridicâ, tum inprimis pietate excellens, Ss. Canonum in eadem Universitate Salisburgensi subinde Professor, elegantissimi Calami Scriptor, inter alios præclari ingenii partus edidit, *Panopliam Libertatis Ecclesiasticæ*, Opus insigne in Romanâ etiam Curiâ commendatum. *Tabulas* itidem *Testamentarias*; *Bivium fori Contentiosi*; *Sylvam Beneficiorum Feudalium ex utroque Jure*; *Asylon fori Ecclesiastici*; *Pentecolon Successionis ab intestato debitæ*; *Ternionem Quartarum Legitimæ Trebellianæ & Falcidiæ*; *Dissertationem juridicam de Solutionibus*; *Epitomen possessionum ac remediorum pro iisdem competentium*... Et hic est ille Benedictini honoris vindex, qui cœlitûm icones per natalitios totius anni dies distributas Historiâ exornavit, quam *Calendarium Benedictinum* inscripsit; Opus illustre prorsùs & Sacro Ordini apprime gloriosum; cujus exemplaria exstant in Imperiali ad SS. Udalricum & Afram Augustæ Vindel. monasterio.

König.

ROBERTUS KÖNIG è Garstensi in Austriâ monasterio, in alma Salisburgensi Academia pridem Canonum Professor, principia Juris Canonici juxta librorum Decretalium seriem, nova facilique methodo per quatuor causarum genera succinctè ac eruditè explanata, publico usui dicavit edito Opere *Salisburgi* A. 1697. & 1714. in 4. In eâdem Juris Cathedrâ olim Canones per XIV. años prælegit

Guetrather.

PETRUS GUETRATHER Tegernseensis Abbas anno 1715. electus, qui Jus Eccl. ad normam Institutionum scitè digestum typo vulgavit Ratisbonæ 1706. Opus sanè perutile; siquidem omnium scientiarum, maximè practicarum, hæc est ratio, hæc conditio, ut rudis & inermis animus principiis primis & fundamentalibus, ex quibus systemata earum componuntur, imbuatur, ut hisce innutritus ad majora & graviora momenta, & difficultatum pondera ritè æstimanda, discutienda, & resolvenda habilis atque idoneus reddatur; quod *Institutionum*, ut vulgò vocantur, negotium est. Simili ferè actus consilio

Feinhals.

ALBINUS FEINHALS ad S. Pantaleonem Coloniæ Monachus expeditam concinnavit *Methodum utrumque Jus, Concilium Tridentinum, Bullarium Romanum, titulos, Capitula, &c. inquirendi, legendi, & citandi*; cùm enim in his tam latè patentem campum animadverteret, quem nemo peragrare posset, nisi primis ejusmodi elementis institutus esset, quæ demùm mentem ad suscipiendum hoc arduum

* Hist. Univers. Salisburg. Lib. II. cap. 7. p. 427. ubi *Mananus* vocatur, sed *Mannarinum* rectiùs vocari ab Armellino Bibl. Script. Congr. Cas. Part. II. p. 195. existimo.

** Anselm. Schramb in Chron. Mellic. Part. IX. n. 97.

*** Hist. Univers. Salisb. Libr. I. p. 143.

arduum iter confirmare possent, in usum & gratiam Juris Candidatorum præfatam enucleationem confecit, ediditque Coloniæ A. 1707. Majus tamen operæ pretium mihi fecisse videtur ANSELMUS SCHNELL Weingartensis, qui universum Jus Canonicum duobus Tomulis in 8. complexus, amplissimam hanc materiam velut in nuce iliadem exhibet. Neque suâ laude fraudandus ILDEFONSUS SEIDL Weichenstephanensis, cujus *Epitome Canonica* Frisingæ ab anno 1722. usque ad 1732. typis vulgata, ceu *gemma Juris* ab aliquibus habetur. Sed in castris sacræ Themidis maximè eminet veteranus ille miles, vel in primâ Jurisconsultorum acie starе dignus, FRANCISCUS SCHMIER Ottoburani in Suevia monasterii Professus, Juris Utriusque in Universitate Salisburgensi per plures annos Antecessor, ac subinde Rector Magnificus, cujus *Jurisprudentia Canonico-Civilis in tres Tomos distincta*, Salisburgi A. 1716. in fol. edita, *Opus est*, ex mente ipsius Facultatis Theologicæ Salisburgensis, *Reipublicæ literariæ maximè decorum*, *Universitati honorificum*, *Lectoribus universis utilissimum*. Hujus æmulus, & in eâdem cathedrâ, Rectorísque munere successor subinde extitit Clariss. P. ODDO SCHARZ Cremifanensis, cujus *Norma legalis* Salisburgi anno 1734. in 4. edita, omnium Juris peritorum calculos promeruit; maximè verò commendatur solida ejus *Refutatio Bœhmeri* Professoris Hallensis, qui *Jus Protestantium*, ut vocat, *Ecclesiasticum* ante aliquot annos ediderat; quo in opere novus ille Simius ex præconceptis opinionibus ita tùm de Fide & Religione Catholicâ, tùm de sacrâ Majestate, & hierarchiâ Ecclesiasticâ disserit, ut nocentissimum hæreseos venenum, sub specioso schemate incautis propinare studeat. Plures quidem adversus hunc Scriptorē calamum strinxêre, sed nullus hactenus eam, quâ *Scharzius* noster adhibuit ἀκρίβειαν, aut parem retulit laudem. Reliquæ illius commentatii partes apud Cremifanenses latitare dicuntur, sed ut puto, inelaboratæ, quarum proinde editio vix speranda est, *ne turpiter atrum desinat in piscem mulier formosa supernè*. Æmulatus est *Scharzium*, & penè in honoris contentionem cum eo venit PLACIDUS BÖCKHEN * S.Petri Salisburgi Professus, & Canonum Professor publicus, qui locupletissimas in universum Jus Canonicum exegeses vulgavit ibidem anno 1735. Tom. III. in fol. in quibus id præcipui relucet, quòd author nulli se glebæ adscriptum voluerit, sed ipsis ex fontibus sua Placita Lectoribus candidè propinet. Neque verò hic prætereundum existimo doctissimum P. THOMAM SCHMITZ Brauweillerensis prope Coloniam monasterii Professum, Theologiæ & Juris Doctorem verè eximiū ac Seminarii Congregationis Bursfeldensis in eadem urbe Præsidem, virum *in utraque palæstra exercitatissimum*, cujus commentarii in quinque libros Decretalium ad Theoriam & praxim coaptati, de meliori notâ commendantur. Huc etiam referendus PETRUS de MURGA Æmilianensis Hispanus, qui *Quæstionum & Commentariorum Canonicorum* Tom. VIII. Lugduni A. 1666. typis exscriptos posteris reliquit, operosè admodùm, nec sine delectu in hoc argumento versatus.

Schnell. Seidl. Schmier. Scharz. Böckhen. Schmiz. Murga.

Si jam ad eos, qui argumenta specialia ex Jure Ecclesiastico deduxerunt, velimus descendere, magnum hic è nostris syllabum possemus attexere. Pertinent huc *Laurentii à Dript* Gladbacensis Cantio Judicialis Prælatorum Ecclesiasticorum & Regularium, Neuhusii anno 1684. in 12. edita. *Virginii Alviset* Bisuntini Tractatus de Privilegiis Regularium. GEORGII GEISSER Abbatis Villingani, Privilegia O.S.B. quæstionibus Theologo-Juridicis illustrata. YSONIS PFAW Sangallensis Directorium Abbatum Exemptorum; Apparatus Pontificiorum Privilegiorum; Compendium ejusmodi Privilegiorum monasterio S. Galli accommodatum; De Privilegiis item Congregationis Helvetico - Benedictinæ. *Martini Resch* de Jure Patronatûs, *Christophori Döring* Dissertatio Juridica de causa possessoria. *Corbiniani Khamm* S. Udalric. Aug. Vindel. *Medicina Spiritualis*, seu de Censura Ecclesiastica &c. *Benedicti Widl* de Censuris, ac de Jure & Justitiâ. *Henrici Hardter* Assertio Canonica juxta seriem titulorum Libri I. Decretalium. *Corbiniani Gräz* de altâ clavium potestate. *Candidi Rottenbeusler* de Consuetudine. *Gregorii Dietl* de Legibus. *Benedicti Petschacher* de Contractibus in communi. *Ægidii Kibler* Resolutiones selectæ ex Jure Canonico. Et alia ejus commatis syntagmata, quorum nondum nisi obscura ad nos fama pervenit. Hæc verò & similia vel ideo nota-

Alii Canonistæ particulares.

* Obiit 9. Februarii 1752.

notatu digna sunt, quòd Scriptores ejusmodi interdùm accuratiùs speciales illustrent materias, quàm illi, qui obesa nobis obtrudunt volumina.

Studium Ss.Canonum Benedictinis proprium.

Atque ex his, opinor, undè liquet Benedictinæ Familiæ alumnos studium Ss. Canonum velut suo statui maximè congruum jam inde ab initio Ordinis præ reliquis solertiùs excoluisse, *ne fortassis*, ut loquitur Cassiodorus *, *reprehendi mererentur, quòd salutares Ecclesiæ regulas ignorarent, quas neglexisse scelus esse agnoscerent.* Inanis ergo & inepta est illa quorumdam persuasio, quâ autumant solitariam vitam degentibus id genus studii minimè congruere, præferúntque nudam & crudam simplicitatem, seu ignorantiam, quam magis docilem & profectui religioso habiliorem esse comminiscuntur, longè profectò à spiritu sacræ Regulæ alieni: maximam enim Divo *P. Benedicto* insedisse curam, ut monachi doctrinas, instituta & collationes Patrum, atque adeò sacros Canones continua lectione evolverent, patet ex ultimo S. Regulæ capitulo. Hinc *Dionysius exiguus*, *Cassiodorus*, *Gregorius M.* & alii primi regulæ Benedictinæ consecranei, grandia profectò Ordinis lumina, nihil antiquius habuerunt, quàm ut monachos ad assiduam SS.Canonum evolutionem pellicerent. Jam verò impositas nobis à Republica nostra partes implere, & quid honestum, quid congruum sit, statuere, ex eorum potissimum scriptis docemur, qui primi sub eadem, quâ nos norma vixère. Cùm igitur ex unanimi nostrorum Historiographorum relatu constet, doctissimos quosque monachos jam inde ab initio nascentis Benedictinæ Religionis sacrorum Canonum & Conciliorum studia præ ceteris complexos fuisse; *ne*, ut dixi, *viderentur tam salutares regulas Ecclesiasticas culpabiliter ignorare*; Neutiquam porrò à vero aberrabimus contendentes, id genus studii velut proprium ac hæreditarium Benedictinis, *tanquam venerandæ antiquitatis custodibus & depositariis*, præsertim competere. Qua de re Sodales nostros remittimus ad aureum *Mabillonii* Tractatum de studiis monasticis, ubi de hoc studio pari cum fructu & commodo à Religiosis excolendo eruditè ac solide suo more per integrum caput V. disserit, istámque nobis oppidò notabilem ingerit sententiam: *Ampliorem omninò & solidiorem disciplinæ Ecclesiasticæ ac monasticæ, sacrorúmque dogmatum ex annuo hujusmodi studio posse hauriri notitiam, quàm si in frigidis & spinosis Scholasticorum quæstionibus tota penè ætas conteratur.* Plura possent hanc in rem adduci notatu non indigna, sed iis tantisper sepositis ad Juris Civilis historiam, quatenùs hæc Disciplina inter nostros exculta fuit, pertexendam procedimus.

SECTIO II.

De Jure Civili, ejúsque inter Benedictinos cultu.

JUs Civile est, quod anctoritate Principis, sive Magistratûs secularis est conditum ad Reipublicæ gubernationem, & temporalem pacem salutémque civium conservandam. Varias sortitur divisiones, de quibus Juris interpretes prolixiùs agere solent: Nos ad ea, quæ illius inter nostros cultum concernunt, unicè intendimus. Quâ in periocha eò breviores erimus, quòd tametsi ex Q. MUTII sententia, *Turpe sit Patritio & Nobili Viro ignorare Jurisconsultorum scientiam*, illam tamen non callere homini Religioso vitio non est vertendum. Fuerunt nihilominùs ex Familia nostra vel antiquissimis temporibus, qui Jurisprudentiæ studio se addixerunt. Quid enim commemorem S. ALDHELMUM, anno Æræ Christianæ DCCIX. ad Superos translatum? Hic *Heddæ* suo in Episcopatu Shirburnensi antecessori, quod ex monasterio Malmesburiensi ad ipsum non accesserit, per literas ** aliquando se excusavit, eâ causâ, " quòd " haud parvâ temporum intervalla in " hoc lectionis studio protelanda sunt " ei, qui sagacitate legendi succensus *Legum Romanarum jura medullitùs rimabitur, & cuncta Jurisconsultorum decreta*

S. Aldhelmus Juris Cultor.

* Cassiodorus Inst. Monast. Cap. 23.
** Quas vide apud Warthon in Angl. sac. Part. II. ubi vitam S. Aldhelmi exhibet.

decreta imis præcordiis scrutabitur. Quæ verò causa hunc Divum impulerit, ut in assequenda Romanarum Legum scientiâ tempus & otium contriverit, oppidò me præterit. De aliis Benedictinis, quòd pariter, ut benè de Republica Christiana mererentur, id fecerint, exemplis testatum faciam.

Post Imperatoris Justiniani tempora in Occidente non adeò magnum Juris Justinianei usum fuisse, pro comperto habetur. Wisigothi Codicem Theodosianum compilationi dicti Imperatoris præferebant. Eorum Reges * in Hispania proprias adjunxerunt leges, quas ante annum millesimum aut
Petrus de Grannon circiter *Petrus de Grannon* coenobita Benedictinus in S. Æmiliani, ut vocant, monasterio duobus voluminibus,
Leges Gothorũ congestæ circa A. 1000. *Leges Gothorum & Regum*, inscriptis complexus est, quorum prius LXIII. posterius verò LXVII. capitibus absolvitur. In principio elogium posuit auctor *Legum XII. Tabularum*, quas omnes carmine Latino comprehendit: deinde Imperatorum Romanorum, tandémque Gothorum Regum Leges, quod *Forum Judicum* appellant, adjecit.

In Francia binæ obtinuerant Leges, *Salica* & *Ripuaria*. Sub annum verò
Marculphi formulæ. 651. Marculphus, Monachus Benedictinus in Francia, incertum cujus monasterii, libros duos Formularũ edidit, ut Notariis publicis monasteriorum, aliarúmque ecclesiarum exempli loco essent: at nulla publica eis accessit auctoritas, quæ vim legis eis tribueret. *Unde mirari licet*, inquit Mabillonius **, *immodicam multorum Criticorum censuram, qui, si quæ invenerint vetera instrumenta, quæ tantisper à Marculfianis formulis discrepent, ea incunctanter falsa pronuntiant; quasi publici juris factæ sint hæ formulæ, mox, ut editæ sunt; aut privati hominis placita pro lege habenda essent.* Quò magis iniquiores videntur, qui etiam Superiorum monumenta ad illas formulas exigunt. Postquam verò Carolus M. Franciæ gubernacula moderari coepit, exemplo Childeberti, Chlotarii, Carolomanni & Pipini, suorum Antecessorum quàmplurimas novas dedit
Capitularia Regum Francor. Leges, *Capitularia* ex eo dictas, quòd in certa capita & sectiones essent distinctæ; unde Stephanus Baluzius ***, neminem Regum Francorum veteris ævi tot leges tulisse, non ex vano asseruit. Eundem morem Caroli M. filii, *Pipinus* nempe Rex Italiæ, & *Ludovicus Pius* Imperator servârunt, & in Conciliis frequenter habitis, varia Capitularia negotia tam secularia quàm ecclesiastica concernentia ediderunt. Hæc verò Capitularia Caroli M. & Ludovici Pii ab interitu vindicavit, & in quatuor libros anno 827. digessit *Ansegisus* noster Abbas Fontanellensis, vel, ut Sigebertus Gemblacensis vult, Abbas Lobiensis, quorum duo priores causas ecclesiasticas, duo posteriores verò causas seculares continent. Post quartum verò librum tres appendices, quarum prima & secunda Caroli M. tertia verò Ludovici & Lotharii Capitularia complectitur, reperiuntur. Cùm verò ista Ansegisi Collectio etiam in Germania esset recepta, ut existimat Eckardus ****, in eâ evolvenda etiam nostri desudârunt. Certè Rhegino Abbas Prumiensis à Trithemio ***** *Jurista insignis* vocatur, qui suo tempore inter Alemannos Doctor famosus habebatur. Atque de Abbatibus Ordinis nostri in universum dictum sit, quòd si eis lectio *Collectionis Ansegisianæ* quoad duos libros posteriores, ut ex eis legum civilium notitiam haurirent, minùs necessaria fuerit, carere tamen eâ non poterant quoad duos libros priores, ut sacrorum Canonum peritiam adipiscerentur, non per eam tantùm causam, quòd suos ad eorum normam dirigere, sed & Conciliis interesse, ínque iis Episcoporum vice fungi, tum & alia obire munera, quæ non nisi Canonum scientia imbuti possunt, tenerentur.

horum Collector Ansegisus.

In Italia, quò Longobardorum arma non pertigerunt, *Codex* tantùm & *Novellæ* in aliquo pretio erant. Cùm enim Longobardi ****** à Narsete evocati sub *Alboino* Rege Italiam occupâssent, pro more victorum Leges suas Longobardicas introduxerunt, quas in scripturam primùm Rex Rotharis circa annum 637. redegit. Post hunc addidit quædam eisdem Grimoaldus. Inde Luitprandus Rex multas leges adjunxit, quæ in Codicibus MStis epigraphis distincta leguntur. Accesserunt,

Leges Longobardicæ.

* Nic. Ant. Bibl. vet. Hisp. Tom. I. lib. 6. cap. 15. pag. 380. col. 1. n. 347.
** Annal. Ord. S. Bened. Tom. I.
*** in Præfat. Capitul. §. 31. & §. 39. de compilatione *Ansegisi*.
**** Rer. Franc. lib. 30. n. 26.
***** de Vir. Illust. Ord. S. Bened. lib. 2. c. 54.
****** Struv. in Histor. Juris cap. V. de Hist. Juris Goth. & Longobard. §. V. p. 360.

runt Ratchisii & Aistulphi Edicta. His demùm Carolus M, Ludovicus, Lotharius, Pipinus, Guido, Otto, Henricus, Conradus, Impp. varia adjecerunt, quæ Legi Lombardicæ videmus inserta. Hasce verò Longobardicas Leges Petrus Diaconus Montis Casini primus omnium secundùm varia Jurisprudentiæ argumenta distribuit. Quam divisionem sive distributionem Legum Melchior Goldastus tribuit Petro Diacono Casinensi, qui sub Lothario II. Anno 1137. florebat, ob variam eruditionem, librósque evulgatos Vir celebratissimus; veterésque codices hanc ab eo susceptam curam testari dicuntur.

Leges Romanæ

Cùm verò devictis Longobardis, Franci, rerum domini in Italia, potestatem Italis fecissent, Jure vel Longobardico, vel Romano, vel Francico uti, factum est, ut *Leges Romanæ* majori adhuc neglectui haberi, atque à plerisque ignorati cœperint, quousque seculo demùm undecimo in lucem denuò ac usum protractæ fuerunt. Robertus de Monte * in suo Chronico nondum edito author est, Beatum Lanfrancum suo ævo reperisse Leges Romanas; id quod à vero abesse, jam aliàs à nobis ostensum fuit. Vitæ verò Lanfranci authori fidem non detrecto, cùm de eo testatur, quòd Papiæ adhuc in Italia, antequàm peragrasset ex parte Galliam, velut scientiis omnibus *Legum præsertim civilium* instructus, à doctissimis undecunque viris fuerit consultus. Quantam etiam Juris Ecclesiastici habuerit cognitionem, nullibi clariora dedit indicia, atque cùm in Anglia ad Cantuariensem Archiepiscopatum evectus de primatu cum Eboracensi Archipræsule habuit controversiam. Multò magis adhuc, quando jura Ecclesiæ contra Guillielmum cognomento *Conquæstorem* acerrimè defendit. Hic verò scientiâ sacrorum Canonum, qui arma duntaxat Ecclesiasticorum sunt, ut cùm maximè opus erat. Unde cùm sancto Thomæ nostro Cantuariensi ** etiam Archiepiscopo in simili causa contra Henricum II. Angliæ Regem pugnandum esset, Legum Canonumque lectioni usque adeò totum se affixerat, ut eum hinc abducere compulsus fuerit Joannes Sarisburiensis, cujus ille consuetudine plurimùm & consiliis utebatur: subjicere autem ei, dum sæviret truculenta persecutio, lectionem Psalmorum & Moralium Gregorii, ex quibus solatii aliquid & supernæ [illegible]tatis hauriret, quâ amaritudines [illegible]uli temperarentur.

nùm à Lanfranco repertæ?

Leges Angliæ

Anglia proprias etiam habebat Leges, scilicet *Leges sancti Regis Eduardi*. Quæ quidem priùs inventæ & constitutæ fuerant tempore Regis Edgari avi sui: verumtamen post mortem ipsius Regis Eduardi, quod tempus continet annos LXVII. prædictæ Leges sopitæ sunt, & penitus prætermissæ; sed postquàm Rex Edwardus in regno fuit sublimatus, consilio Baronum Angliæ, Legem LXVII. annis sopitam excitavit, excitatam reparavit, reparatam decoravit, decoratam confirmavit; & confirmata vocata est *Lex sancti Regis Edwardi*; non quòd ipse priùs adinvenisset eam, sed cùm prætermissa fuisset, & oblivioni penitus dedita à morte avi sui Regis Edgari, qui priùs inventor ejus fuisse dicitur, usque ad sua tempora, videlicet LXVII. annis. Subinde à Rege Guilelmo Conquæstore confirmata fuit. In cujus aula eo tempore *Ingulphus* Abbas Croylandensis ad jura cœnobii sui stabilienda, assiduam navavit operam, in qua per virorum, qui rebus tum Civilibus tum Forensibus exercitati, consuetudinem Legum Guilielmi, hoc est, Eduardi Regis à Guilielmo firmatarum, Normannico idiomate conscriptarum, atque ab iis, quas recentiores Angli Scriptores *** habent, multùm discrepantium, exemplar nactus, Crowlandiam secum detulit, atque ad Historiæ suæ calcem adjiciens posteritati servavit, velut ipse his verbis testatur. „ Attuli eâdem vice mecum Lundo„ niis in meum monasterium Leges „ æquissimi Regis Edwardi, quas Do„ minus meus inclytus Rex Williel„ mus autenticas esse, & perpetuas „ per totum regnum Angliæ inviola„ biliterque tenendas sub pœnis gra„ vissimis proclamârat, & suis justi„ tiariis commendârat eodem idioma„ te, quo editæ sunt, ne per ignoran„ tiam contingat nos vel nostros ali„ quando, in nostrum grave pericu„ lum, contraire & offendere ausu „ temerario Regiam Majestatem, ac „ in ejus censuras rigidissimas impro- vidum

ab Ingulpho posteris servatæ.

* ad an. 1032. apud Luc. Acher. in Not. ad vit. B. Lanfranci p. 37.
** Lud. Thomass. de vet. & nov. Eccl. Discipl. Part. 2. L. 1. c. 91. n. 12. pag. 275.
*** quos allegat Joan. Seldenus in Notis ad Eadmeri Histor. Nov. pag. 30. col. 1. edit. poste. Opp. S. Anselmi.

„ vidum pedem ferre contentas sæ-„ piùs in eisdem hoc modo. „ Hæc Abbas Ingulphus. Istarum verò Legum, eodem Ingulpho teste, AYO monachus Croylandensis apprimè gnarus erat.

Sacolus & Godricus Monachi Legum Angliæ periti.

Alios duos Benedictinos, *Sacolum* & *Godricum* legibus Anglicanis, sub Guilielmi I. tempora, id est, An. Christi MLXX. optimè fuisse institutos, testatur tabularium vetus cœnobii Abendoniensis; ubi legitur, *tantam secularium facundiam*, & *præteritorum memoriam eventorum* (id est, annalium juridicorum peritiam, ut paulò pòst explicabitur) *eis infuisse*, *ut cæteris circumquaque facilè earum sententiam ratam fuisse*, *quam edicerent*, *approbarent. Sed & alii plures de Anglis causidici per id tempus in abbatia ista* (sic ibi legitur) *habebantur*, *quorum callationi nemo sapiens refragabatur*, *quibus rem Ecclesiæ publicam tuentibus*, *ejus ablocutores elingues fiebant.* Nullus autem, inquit Joannes Seldenus in celebri sua Dissertatione Historica ad Fletam, quâ de Juris Romani, Codicis Theodosiani æquè ac Justinianei in Respublicas Occidentales introductione, ac in illis acquisita auctoritate agitur, nullus eis sive Justinianei sive Theodosiani Juris usus erat hìc publicus. Sed moribus majorum tantùm, patrióque utebantur illi Jure, quod & ante & ad nostra usque tempora ANGLIÆ COMMUNE vocitatur, quemadmodum temporibus Anglo-Saxonicis *Wunldrichte*, seu Jus seculare, seu *mundanum* ut distinctum à *Gadesrichte*, seu Jure divino, quod obvium est in legibus Anglo-Saxonum. Scilicet decisiones præeuntes, quales in Juris, quibus nunc utimur, annalibus; earum rationem, mutuámque analogiam præter Leges è re nata variatim novatas mutatásque, tum in musæis tum in foro tantùm adhibere solebant illi.

Rogerius Beccensis Codicis interpres.

Postquàm verò Leges Cæsareæ sub annum MCXL. in Angliam allatæ fuerunt, *Rogerius magister Vacarius*, gente Longobardus, Monachus Benedictinus, Prior, ac postea Abbas Beccensis, ac demum in Archiepiscopum Cantuariensem (quam tamen dignitatem ut acceptaret, nullo modo persuaderi potuit) electus, primus fuit, qui Codicem Justinianeum tum eximiis interpretationibus illustravit, tum in compendium redegit, atque in scholis publicè prælegit. Testem hujus rei *Joannes Seldenus* in laudata sua Dissertatione, omni exceptione majorem adducit Joannem Sarisburiensem, Episcopum Carnotensem, authorem coævum; cujus verba sunt: *Alias vidi*, *qui libras legis deputant igni*, *nec scindere verentur*, *si in manus earum Jura pervenirent aut canones. Tempore Regis Stephani silentia premi jussæ sunt Leges Romanæ*, *quas in Britanniam domus venerabilis Patris Theabaldi Britanniarum Primatis asciverat. Ne quis etiam libras retineret*, *edicto Regio prohibitum est*, & *Vacario nostro indictum silentium*; *sed Deo faciente*, *eò magis virtus legis invaluit*, *quò eam amplius nitebatur impietas infirmare.* Theobaldus hic Antistes Cantuariensis An. MCXXXIX. ex Benedictino Abbate monasterii Beccensis in Normannia creatus fuit. Domum ejus Leges Romanas in Britanniam asciviſſe, intelligendum Seldeno videtur de asseclis ejus, quos in comitatu seu itinere, Româ, ubi pallium à Pontifice accepit, in Angliam redux secum habuerat. Anglos carere legibus illis tunc apud exteros ita reflorescentibus noluere illi, adeóque exemplaria earum huc transvehenda curârunt, quæ Regi ita displicuisse, ait Sarisburiensis, ut publico edicto eas vetaret. Quem verò idem Sarisburiensis *Vacarium* appellar, eo nomine, inquit Seldenus, intelligi *Rogerium magistrum Vacarium*, etiam *Wacarium* dictum, gente Longobardũ, qui *Lethardo*, Abbare Beccensi, seu cœnobii S. Mariæ de Becco, Herluini diœcesis Rotomagensis in Normannia (quæ tunc Anglo suberat, uri & diu postea) & Theobaldi successore proximo demortuo, in ejus locum suffectus est, atque tempore Stephani, adeóque Theobaldi, cui procul dubio charus erat, in Anglia discipulos perquàm multos Jura Cæsarea è corpore Justinianeo docebat. Ita scilicet expressim *Chronicarum Normanniæ* ab anno MCXXXIX. in annum MCCXXXVIII. è Bibliotheca S. Victoris Parisiensis pridem editorum autor * in anno MCXLVIII. Sed res spectat ad annum sequentem MCXLIX. Nam obiit, inquit ille, *Becbardus* (legendum planè *Lethardus*) *VI*, *Abbas Becci*, *cui successit Rogerius magister Wacarius*, *gente Longobardus*, *vir honestus* & *jurisperitus*, *cùm Leges Romanas anno ab incarnatione Domini MCXLIX. in Anglia discipulos doceret*, &

Theobaldus Cantuariensis.

& Lethardus Beccensis.

Ejus obitus 1149.

* In Scriptor. Norman. pag. 983.

& multi tam divites, quàm pauperes ad eum causâ discendi confluerent. Neque solùm publicè docuit ille, sed etiam rogatu pauperum, quorum facculi non tantos faciebant fumptus, ut Corpus Justinianeum commodo nancisci quirent, uti & eorum, quibus compendiosior Juris tractatio placeret, Pandectas & Codicem (quemadmodum itidem in pauperum usum postea Summam suam Juris Canonici composuit *Raymundus*, quod ipse ait) in novem conjecit libros, qui studiosis promptuarii Juris ditissimi vicem supplerent: Idem de eo autor jam dictus, *suggestione pauperum*, statim post allata inquit, *de Codice & Digesto exceptos IX. libros composuit, qui sufficiunt ad omnes legum lites, quæ in scholis frequentari solent, decidendas, si quis eas perfectè noverit.* Docuerat igitur publicè hic Jus Justinianeum *Rogerius Vacarius* sub Stephano Rege, cujus anno XIV. id est, MCXLIX. Lethardo Abbati Beccensi datus est is Successor. Et palam videtur, per aliquot ante annos eum sic docuisse, etiam ex eo, quòd expressim dictum sit in Chronicis jam memoratis, eum tunc successisse, cùm doceret hîc, & multi tam pauperes, quàm divites ad eum eo nomine confluerent. Verisimilius est, etiam libros ejus hîc antè compositos, quàm Abbas factus est; id est, dum Prior Beccensis erat. Priorem enim antè fuisse liquet ex *Roberto de Torrineio*, Abbate etiam Beccensi MS. Nec sanè, postquam Abbas factus est, hîc docuisse eum facilè ex Roberto illo est eliciendum. *In anno MCXLIX.* ait ille, *obiit sanctæ recordationis dominus Letardus VI. Abbas Beccensis Ecclesiæ: vitæ suæ cursum virgo senex finivit VI. nonas Julii, Sabbatho infra octavas Apostolorum Petri & Pauli.* Festum illud ad Junii diem 29. spectat, adeóque obiit ille 2. Julii. *Huic sancto viro*, paulò post inquit idem, *successit dominus Rogerius secundus* (scilicet primus fuerat Lanfrancus ille, postea Cantuariensis Antistes) *in utroque Testamento apprimè eruditus, necnon Clericali & seculari scientiâ decenter ornatus, & ab omni communiter Congregatione electus in ipsis octavis videlicet Apostolorum Petri & Pauli* (id est, die Mercurii, qui Julii sextus erat) *qui benedictus apud sanctum Wandregisilum in die festivitatis S. Jacobi Apostoli* (seu Julii 25.) *à Venerabili Hugone Rothomagensi Archiepiscopo, ab eodem coram Conventu Beccensi in Sede sua collocatus est, ex tunc super gregem sibi commissum pro posse suo die ac nocte decenter invigilans.* Erat igitur in Anglia *Rogerius*, ubi Jus prælegebat, cùm electus est à Monachis Beccensibus. Inde in Normanniam transiit, ubi Abbas est consecratus. Atque *die ac nocte ex tunc super gregem suum decenter invigilasse* dicitur; unde satis sequi videtur, eum postea haud à regimine illo sacro ad Juris Civilis prælectiones terris in exteris divertisse. Sed sanè liquet, hîc antè per annos aliquot ab allato Jure Justinianeo eum illud publicè, ut dictum est, legisse. Atque observandum est, omnigena disciplinarum studia perquàm eminenter in cœnobio Beccensi illis in seculis viguisse, indéque Rogerium hunc inter studiosos ita demum præcelluisse. Robertus ille de Torrinejo in anno MCXVII. *mortuus est etiam*, inquit, *hoc anno vir religiosus, & magnæ literaturæ IVO Carnotensis Episcopus. Hic dum esset juvenis, audivit Lanfrancum Priorem Becci de secularibus, & divinis literis tractantem in illâ famosâ schola, quam Becci tenuit, in qua multi & nobilitate seculari, & honestate morum convenerunt viri prædicti, & qui postea ad summum apicem Ecclesiasticæ dignitatis attigerunt.* Etiam dum Rogerius hic noster cœnobio illi præfuit, *duodecim Abbates ad regimen Ecclesiarum inde assumpti sunt.* Et Seminarium erat semper feracissimum cœnobium illud, unde quàm plurimi in præfecturas apud Anglos sacras adsciti. Præfuit cœnobio Beccensi *Rogerius* hic *Vacarius* annis triginta aut circiter. Mortuus est anno MCLXXX. seu sub posteriora Henrici Regis secundi tempora, postquàm scilicet summa cum laude dignitate jugiter functus fuisset. *Nullus prædecessorum suorum, excepto sancto Herluino, primo Abbate, tanta fecit in Becco monasterio, quanta ipse*, ut verba sunt Roberti Montensis, qui ea quæ feliciter præstitit, sigillatim enumerat. Successit *Osbernus*, Prior Bellimontis, Monachus ejusdem loci. Utrum verò Oxoniæ, Cantabrigiæ, Londini, aut Theobaldi Antistitis Cantuariensis in ædibus, aliisve id genus sive secularium sive regularium professus fuerit, prælegeritque *Rogerius*, non omnino liquet. Nec an certo aliquo loco, quod tamen veri est multo similius.

Quod verò Stephanus Rex Angliæ *Rogerio* silentium indixerit, ne scilicet Jus

Juscivile docuit publicè.

Rogerius Lethardi Successor.

In Anglia Jus prælegit.

Obiit an. 1180.

Stephanus Rex

Angliæ Theobaldo Cantuar. infestus.

Jus Cæsareum, ut cœperat, ampliùs prælegeret, id in odium Theobaldi Cantuariensis Archiepiscopi, cujus asseclæ Leges Romanas in Angliam attulerant, ab eo factum est. Erat enim Rex sub id ipsum tempus Archiepiscopo infensissimus, utpote qui eum, eò quòd ad Concilium Remense injussu Regio se contulerat, proscripsit, ut vicissim Interdicti sententia Antistes regnum percussit. Henricum etiam Episcopum tunc Wintoniensem gratia apud Regem insigniter pollentem, atque summo conamine Theobaldo rebúsque ejus adversari solitum, in causa simul vix ambigendum est fuisse, ut legum prælectiones, ac libri Justinianei quorum domus Theobaldiana, ita ut dictum est, hic auctores fuére, ac splendidiùs inde clarescere cœperunt, improbarentur, atque ut eorum vetaretur usus. Postmodùm autem in gratiam regiam redeunte Theobaldo, atque, ut fieri amat, secundis de legibus illis cogitationibus habitis, effectu caruit edictum illud, aut revocatum, aut evanescens. Adeóque eo non obstante, libri retenti, lectiones, professio habita. Id quod expressim testatur coævus ille idem Joannes Sarisburiensis, ubi indictum Rogerio illi Vacario, primo hîc Legum Cæsarearum lectori publico silentium memorat. Statim enim subjungit: *Sed Deo faciente eò magis virtus legis invaluit, quò eam ampliùs nitebatur impietas infirmare.* Sic igitur factum est, ut Rogerius Vacarius ad prælectiones Juris Cæsarei, per aliquod tempus intermissas, denuò habendas rediret.

Rogerius cur & unde Vacarius dictus.

At curnam ac unde dictus est *Vacarius*? Ita enim, non *Wacarius*, ut in Chronicis antè citatis, nedum *Vicarius* apud Sarisburiensem, est planè legendum. Certè si familiæ cognomen fuisset, aut locum cognominis ejusmodi occupâsset, haud ita commodè dictus fuisset *Rogerius magister Vacarius*, sed aut *Rogerius Vacarius magister*, aut *magister Rogerius Vacarius*. Sed fateor, locutiones hujusmodi seculis maximè in illis fuisse, ut hodiéque satis incertas. At suspicio sanè mihi est, inquit Seldenus, *Vacarium* esse hîc nomen appellativum, quò designatetur *singulare munus susceptum, juris nempe lectioni hic vacandi, adeóque profitendi*. Quo nomine forsan & alii illo in ævo dicti. Ut armis, choreis, philosophiæ, postulationibus vacare usurpatum veteribus pro eo, quod est, his enixiùs præ aliis operam dare, ita *lectioni vacare* ac *professioni*, idque in seculo, de quo nunc loquimur. Certè minùs iniquè ita fit *Vacarius à vaco*, quàm *Accursius* ab *accurro*. Jam verò Accursius ipse, Advocatorum idolum illud, ut non à nomine vocatur, ad Caii verba de nominis ferendi conditione hæredis institutioni adjecta, quæ de honestis, non famosis, aut turpibus nominibus est admittenda. *Ut*, inquit, *instituo te hæredem, si imponas tibi nomen meum, scilicet Accursium, quod est honestum nomen, dictum, quia accurrit & succurrit contra tenebras Juris Civilis. Secùs si dixi, si imponas tibi nomen Vespillo, quod est turpe nomen.* Et non ita mirum est, ejusmodi eis in seculis nominum compositiones seu derivationes factas esse, cùm etiam non deessent, qui dubitarent, an Justinianus ipse à justitia sic dictus fuisset, an ex eo, quòd Justini esset filius, cui reverà ex sorore nepos erat, sed & filius adoptatus. At enim non vacat, incertæ *Vacarii* nomenclationi diutiùs inhærere.

Singularis autem viri existimatio ac dignitas etiam inde edificitur, quòd ejus æstimatio & modestia. tum in D. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis & Martyris successorem non solùm ab *Odone* Priore & Conventu, præ aliis magni etiam nominis viris tunc candidatis Lambethæ electus fuerit, verùm etiam ab Henrico secundo Rege, nec sine Suffraganeorum assensu, confirmatus, tum nullo modo induci potuerit ipse, ut tantum subiret munus, tametsi instantissimè eam in rem urgeretur. At verò non insignem viri modestiam, atque animi demissionem, sed eximiam ejus Jurisprudentiam hîc spectamus. Rem cum Seldeno in pauca conferamus. Ut *Irnerius* Bononiæ, seu in Italia, ita *Rogerius Vacarius* in Anglia Juris Cæsarei in Occidente instaurati expositor fuit primus; quemadmodùm etiam in Gallia, Monte Pessulano erat *Placentinus*, annis nimirùm post Rogerii nostri obitum XVI. aut circiter, id est, sub annum MCXCVI. quo tempore is in Monte Pessulano cœpit: *Rogerii nominis abolendi cupidus, eique tenebras se offusurum jactans*: quia famæ ejus, ac nominis celebritati haud parùm invidebat.

Magna ejus æstimatio & modestia.

Quemadmodùm autem *Rogerius*, monachus ac Prior Beccensis, in Anglia

Studium Juris in Germania.

glia, ut ostensum est, prælegebat, ita alii etiam monachi Juri tum Cæsareo tum Anglicano, tam in foro ac scholis extra cœnobia sua, quàm intra tunc incumbere erant soliti. Id quod etiam in Germania ab iis factum. Sic, ne fine exemplo loquamur, *Udalricus Baro de Altosaxo* apud S. Gallum à puero educatus, Majorum jussu ac voluntate diu Parisiis & Bononiæ utriusque Juris, Civilis & Canonici prudentiæ operam dedit; quâ insigniter eruditus in Abbatem anno MCCIV. electus fuit. Hic primus extitisse fertur, quem veterum chartarum monumenta *Principem* appellant; qui missus aliquando Romam ab aliquibus Principibus, ibi ab Innocentio Pontifice infulâ quoque primus Abbatum redimitus est. Conradus de Fabaria lib. vi. de Casibus S. Galli cap. 5. de hujus Principis & Abbatis studio juridico scribens: *Dulciloquis*, inquit, *Grammaticæ & Dialecticæ floribus informatum Parisios & Bononiam transmisit; jurisque peritia cum summa diligentia reparatum, omnibúsque bonis confirmatum ad summa provexit.* Et paulò pòst: *In Jure Forensi & Ecclesiastico quidquid excogitare poterat, faceto Minervæ poculo cunctis audientibus propinavit.* Quibos verbis docemur, Udalricum in Schola San-Gallensi utrumque Jus prælegisse. At ut ad Rogerium redeat oratio,

Udalricus San-Gallensis.

Mos ille quidem Jurisprudentiæ vacandi, & seculis ante Rogerium actis, & aliquantulum post ejus in Anglia professionem, haud parùm obtinuit. At verò circa quatuordecim à tempore, quo ipse apud Anglos prælectionem finivit, annos, aut planè, quantum ad prælectionem extra cœnobia attinet, desiisse, aut desinere ex Jure Pontificio debuisse morem illum, pariter est concedendum. Scilicet anno 1163. in Synodo Turonensi constituit ALEXANDER *Papa tertius*, ut * *nullus omninò post votum religionis, post factam in loco aliquo professionem, ad Physicam, Legésque mundanas legendas permittatur exire. Si verò exierit, & ad claustrum suum infra spatium duorum mensium non redierit, sicut excommunicatus ab omnibus evitetur, & in nulla causa, si patrocinium præstare voluerit, audiatur. Reversus autem in choro, capitulo, mensa, & cæteris, ultimus fratrum existat, & (nisi fortè ex misericordia Apostolicæ Sedis) totius promotionis spem amittat. Episcopi verò, Abbates, Priores, tantæ enormitati consentientes, & non corrigentes, spolientur propriis honoribus, & ab Ecclesiæ liminibus arceantur.* Qui Synodi Turonensis ** canon in Gregorianum Decretalium corpus receptus fuit. Atque hinc planè eliciendum morem antea nec quidem infrequentem obtinuisse, ut monachi alii, quemadmodùm & Rogerius noster, monachus Beccensis, tam extra quàm intra cœnobia sua Jura Cæsarea aliáque publicè prælegerent, docerèntque etiam & postmodùm intra cœnobia sua.

Seculo XII. Mos vacandi Juri desinit.

Tametsi autem in Germania occurrant hinc inde Juris Romani vestigia, leviùs tamen prioribus seculis impressa conspiciuntur; ast seculo demùm XIII. universim ferè nostris in partibus ita receptum videmus, ut pro Jure communi id facile haberetur. Sic in veteribus chartis & diplomatibus, passim jam occurrunt usitatæ Juris illius formulæ, puta renuntiationes factæ *Exceptioni non numeratæ pecuniæ, doli mali, actioni in factum, condictioni ob causam & sine causa, beneficio restitutionis in integrum, læsioni ultra dimidium, & generaliter omni beneficio Juris Canonici & Civilis.* Qualia legere est in *Hontheimii* Historia diplomatica Trevirensi, & in Gudeni, Lunigii, Leuchfeldii, aliorúmque Collectionibus Diplomatum. Nec in contractibus solùm, sed & in judiciario processu ordo Juris Romani servabatur. Exemplum hujus unum alterúmve exhibet laudatus *Hontheimius* Tom. I. pag. 638. Ubi notanda præsertim sententia favore Ecclesiæ S. Castoris anno 1282. lata adversùs *Robinum de Coverna* ad Juris Romani placita exactè conformata, & *de consilio Jurisperitorum* concepta, quorum consilium etiam intervenit sententiæ de 26. Martii 1287. apud eundem. Quæ licèt ita omninò se habeant, non tamen eapropter Jus Germanicum abrogatum, quin Romanum in hujus tantùm *subsidium* receptum fuisse potiùs censebimus, ad id credendum persuasi pluribus Juris Germanici Capitibus, Romano planè contrariis, apud Teutones tunc & imposterùm sanctè serva-

Seculo XIII. Jus Romanum in Germania receptum.

* apud Guil. Neubrigens. l. 2. c. 15. & in Concil. Tom. 3. part. 2. pag. 534. edit. 1618. Antiq. Collect. 1. lib. 5. tit. 37. c. 2. Append. ad Concil. Lateran. 3. part. 37. c. 2.
** Extr. tit. *Ne Clerici vel Monachi* cap. 5.

servatis; inter quæ unum pro exemplo hîc memorâsse sufficiat, sed oppidò notabile: scilicet *Decunces usuras*, in quibusvis negotiis apud Germanos permissas, uti testantur tabulæ apud cit. relatæ ad A. 1269. 1272. & seqq.

Initio ejusdem seculi XIII. Religiosis potestas adhuc facta erat fungendi munere *Advocati* pro suis monasteriis, prout manifestum fit ex Concilio Parisiensi, quod *Robertus de Corceone* Apostolicæ Sedis Legatus & S. R. E. Cardinalis celebravit anno 1212. At enim quia his temporibus multò plures ad Juris Civilis, quàm ad Theologiæ studium se conferebant, veriti Romani Pontifices, ne Juris Civilis Professio invalesceret, ac sensim sine sensu à Theologiæ cœterarúmque disciplinarum scholis studiosos avocaret, sub excommunicationis interminatione inhibuerunt, ne monachi, immò ne seculares Clerici, Presbyteri, & in dignitatibus Ecclesiasticis constituti ad audiendum Leges mitterentur. Id sancitum fuit primùm, ut mox audivimus, ab Alexandro III. *Extrav. C. Non magnoperè. Ne Clerici vel Monachi c. 3.* tum ab Honorio III. Pontifice Maximo anno 1217. refertúrque lib. 3. Decret. tit. ult. cap. *super specula*, ibique leguntur hæc verba: *Quia verò Theologiæ studium cupimus ampliari, ut dilatato tentorii sui loco funiculos suos faciant longiores; ut sit fides Catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus resistere valeat ascendentibus ex adverso, ad Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpositos, Cantores, & alios Clericos personatus habentes, nec non Presbyteros hoc extendi volumus, & mandamus.*

Studio Legum Monachis & Clericis interdicitur.

Robertus, Massiliensis Mon. ad Legum Studia animum adjungit.

Quamquàm non defuerit monachus, qui etiam post Alexandri III. & Honorii III. Summorum Pontificum, editam Constitutionem ab Abbate suo sibi potestatem fieri petiit, incumbendi ad Legum studia Pisana in Urbe. Is erat *Robertus*, Massiliensis monachus S. Victoris, qui sub annum 1213. * Abbati suo Bonfilio his verbis supplex est factus: *Nunc autem, quia per totam ferè Italiam Scholares, & maximè Provinciales, nec non ipsius Ordinis, de quo sum, quia plures Legibus catervatim studium adhibentes incessanter conspicio. .... Si vestræ igitur, Summe Pater, dignitati placeat, ut in hoc opere studium, pro posse meo, exerceam, quæso, & suppliciter obsecro, quatenus super hoc negotio charitativam mihi licentiam impendatis, & Pisano Priori vestris literis, ut mihi subveniat, mandare disponatis; si etenim quod exspecto, apud vestram misericordiam impetravero, Pisas, ad exercendum ibi studium, si Deus concesserit, adiero &c.* Doctissimus Fabbruccius **, hac nostra ætate in Pisana Academia Civilium Legum Professor, existimat, improbabile esse, assertũ monachum metuendæ utriusq; Pontificis Alexandri & Honorii Censuræ in publicam Gymnasii lucem prodeundo, sese subjicere voluisse, immò ad hujusmodi inobservantiam Superioris sui licentiam impetrare ausum fuisse. Quamobrem, si quid, inquit, tutò opinari licet, id unum est, Prælato suo supplices preces porrexisse, ut sibi facultas daretur *privatim* eximii unius, vel alterius Legum Interpretis audiendi, in ea Urbe, ubi Pandectarum Thesauro jam invecto, ipsius Literæ consulendæ foret opportunitas. Ita Cl. Fabbruccius. An verò privato hoc Legum studio *Robertus* monachus ab incurrenda Censura immunem se præstiterit, alii judicent. Rectiùs fecerunt cœteri Benedictini, quod plerique fecerunt, qui ut Pontificiæ Sanctioni, ut par erat, obsequerentur, à Legum studio se abjunxerunt. Quo pacto Juris Civilis schola minùs à nostris frequentari, contrà verò Juris Canonici & Theologiæ Professio vigere magis & celebrari cœpit. Quapropter ulteriora hîc non recensebo prout ad Jus Civile spectant, sed sola doctissimi Mabillonii verba ex Tractatu de Studiis Monasticis Cap. V. num. 111. pro coronide liberiùs adjiciam. Ea hæc sunt: *Quandoquidem monachos parùm decet hujusmodi studium*, de eo plura tradere supervacaneum est. *Præsertim cùm ipsis à S. Basilio interdicatur in Epistola ad S. Gregorium; sicut etiam ab Alexandro III. Pont. Max. præter alios, quos omitto. Quod tamen de iis videtur intelligendum, qui id expressè profitentur; secùs verò respectu illorum, qui Legum vel Institutionum universalem duntaxat ideam sibi comparare cupiunt, ut inde ad Jus Canonicum percipiendum faciliùs se introducere valeant &c.*

SECTIO

* Edm. Martene Tom. I. Ampliss. Collect. quem verò circa annum, certioribus utique documentis suppleт Guido Grandus in 2. Edit. Flor. Epit. Pandect. n. 9. & n. 11.
** In Dissertatione Historico-Critica de initio Univers. Pisanæ. Extat Collect. Opusc. Scientif. Tom. 21. pag. 7.

SECTIO III.

De Juris Publici scientia, quatenùs à Benedictinis exculta.

Quid sit, & quotuplex Jus Publicū.

Ciceronis monitum est *, *ut omnis, quæ à ratione suscipitur, de re aliqua institutio, à definitione proficisci debeat, ut statim intelligatur; quid sit id, de quo disputetur.* Sapientis hujus moniti memores à definitione & divisione *Juris Publici* tractationem quoque nostram exordiemur. Triplex autem potissimùm solet assignari Jus Publicum, *Naturale* scilicet, seu *Universale*, *Ecclesiasticum*, & *Profanum*. Universale, seu *Jus Naturæ & Gentium*, illud est, quo omnes penè homines utuntur: *Quod enim naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræquè custoditur, vocaturque JUS GENTIUM, quasi quo Jure omnes homines utuntur*, ut dicitur *L. omnes ff. de Jure & Justitia.* Jus *publicum* Ecclesiasticum censetur, *quod publicum, seu universalem Ecclesiæ statum & negotia illi connexa ordinat.* Jus verò Civile *publicum*, est illud, *quod statum, gubernationem & conservationem Reipublicæ principaliter concernit.* Juxta trifariam hanc Juris *Publici* speciem nostra imposterùm procedet dissertatio, eâ brevitate, quæ Lectoris animum & patientiam minimè fatiget. Cùm enim utilissimum hoc Juris Publici studium in disciplinæ methodicæ formam haud ita ac nunc, priscis temporibus redactum fuerit, à nostris quoque diu neglectum & quasi pro derelicto habitum fuit. Multa tamen, præsertim quæ ad Jus Naturæ & Gentium, tùm etiam ad Jus Publicum Ecclesiasticum, seu credendorum & agendorum regulam Christianis præscriptam pertinent, prostant in scriptis nostrorum Theologorum hinc inde respersa, è quibus pro usu & more temporum digestis solidè omninò refelli & convelli possint eorum ex heterodoxis Scriptorum ratiocinia, hypotheses, & systemata, qui se *Jurisprudentiæ*, quam vocant *naturalis* dictamina in disciplinæ methodicæ formam primitùs coëgisse gloriantur. In ista tamen librorum mole excutienda ita est versandum, ut ea tantùm seponamus, quæ spectant ad officia hominum in Societate aliqua civili constitutorum, & speciatim quæ ad *Jurisprudentiam* pertinent. Nam multa ab antiquis illis Scriptoribus pertractantur, quæ sunt fori duntaxat Theologici, aut quæ subtiliùs subinde excogitata sunt, quàm ut usum aliquem in vita & doctrina civili hodie habeant.

Interim fatemur lubentes, & à Protestantium Theologis, & à Jurisconsultis recentioribus in aliam à priscis viam callidè itum esse, ut suis repagulis expeditâ de Deo, de Religione, & officiis philosophandi libertate, Catholicis ea arma excuterent, quibus dogmata sua & disciplinam contutantur. Quo factum, ut Protestantes ad purum putum verbum Dei scriptum provocarent, Jurisconsulti verò ad *Naturam & Rationem* recurrerent, silere jussis Patribus, qui tum seorsim, cùm in synodis, de eo, quod justum honestúmque est, sententiam protulerunt. His verò sepositis, cùm Scriptura nulli non sectæ levi brachio accommodari possit, & natura naturæ facilè opponatur, tale jus ex opinionum suarum præjudiciis nobis procudérunt, quale à *Grotiis*, *Puffendorffiis*, *Thomasiis*, *Noodtiis*, *Barbeyraciis* &c. quos primordialis illius scientiæ Patres & Principes appellitant, nuper accepimus. Primùm autem hi in eo peccant, quòd Poëtas, Philosophos ethnicos, damnatos primis Ecclesiæ seculis hæreticos præ iis, quos *Patres* vocamus, laudent, extollant, atque ex orco in cœlum evehant, dùm ex adverso totum agmen Patrum dicunt imperitum, ineptúmque ad danda morum præcepta, perspicua, ut volunt, nulli non homini, à nemine tamen ante eos perspecta. *Juris Naturalis, & Gentium præcepta*, inquiunt **, *à morali Philosophia ante* Grotium *nemo rectè distinxit, nec scholasticis in mentem venit peculiari tractatione de iis agere, quamvis videret unus itémque alter hanc quoque disputationem ad moralem partem pertinere.* At certè *Grotius*, quem laudant, parùm verbis abest à Ca-

Protestantium de Jure Naturæ & Gentium opinio.

* Cicero 1. de offic.
** Bruckerus Hist. Phil. Tom. III. pag. 900.

à Catholicorum in Synodos, Patres, Theologos, ubi consentiunt, reverentiâ. Consilia Evangelica negat cum naturâ & ratione pugnare; *sed his*, ajunt, *nævis vir summus se polluit*; sic crisin modestiâ temperant, dum contrà, si quid in *Gregorio M.* & reliquis Patribus castigandum putant (*putant autem quàm plurima.*) statim stupidæ ignorantiæ, simplicitati, cæcitati, imperitiæ adscribunt; tum librâ grammaticali expendunt expressiones rhetoricas, græcanicas ipsi spuunt hinc inde sententias, & quasi hodie primùm nata cum iis esset sapientia, his paratitlis Catholicorum de obligationibus hominis erga Deum, seipsum & proximos, Doctrinam ex genuinis veri justique principiis conflatam, funditùs convelli dejicique autumant. Exemplis abundat Barbeyraci liber de Moralitate Patrum, quæ huc referre piaculum duco.

Eorum errores.

Peccant etiam in eo, quòd ignaris Historiæ Literariæ cupiant ii ipsi videri, qui calles non ante tritos inierint, novámque viam signârint, haud satis advertentes suam doctrinam hoc ipso novitatis indicio peritis reddi suspectam. At enim frontem si porrigant, fatebuntur opinor, *Athenagoram*, *Justinum*, *Arnobium*, *Lactantium*, *Augustinum*, *Ambrosium*, Gentilium opinionibus subinde suffarcinatos, transiisse ad Christianorum castra; horum libros solertissimus eorum compilator *Grotius* & laudat, & sequitur; laudes, quibus à suis ornatur, transfundit in Patres. Illos autem hic ita sequitur, ut ubi religio in Patriâ suâ prædominans, quam colebat, secùs suaderet, naturâ duce, & ratione jubente, ùt præ se ferebat, à Patribus abscederet. Vidit nempè acutissimus Scriptor, Religionis maximos in hominum societate effectus esse, dignam, quam Plato *Vinculum disciplinæ*, Plutarchus *Coagulum omnis societatis* appellaret. Vidit basin totius Religionis Christianæ solâ revelatione subnixam firmatámque; Sed ad pauca Catholicis & heterodoxis communia puncta totam quasi hujus revelatæ Religionis substantiam malè constringit, perperàm cetera dogmata, Ecclesiæ formam, & Sacerdotium Regiæ aut Statuum potestati permittit, ac subjicit. Aliter certè veteres Germani, apud quos Sacerdotes tanto in honore fuisse constat, ut in conventibus primas in voto & loco, ac etiam in jure coërcendi & silentium indicendi illis tribuerent; *Ut turbæ placuit*, inquit Tacitus *, *considunt armati, silentium per Sacerdotes, quibus tum coërcendi jus est, imperatur...* Ut hìc verò principia à *Grotio* jacta sunt, ita omne est, quod illis superstruitur. *Si quis*, inquit Morhofius **, *ad heterodoxa nonnullorum Novatorum statim in limine digressus fuerit, in errores infinitos paulatim prolabetur.*.

At verò si seriò proscriptis opinionum præjudiciis, ipsius naturæ rationalis intra nos loquentis dictamina, præceptionésque sequamur, liquidò apparebit istorum ex heterodoxis Scriptorum Ratiocinia, Hypotheses, & Systemata *fulgere quidem vanitate, sed frangi veritate.* Nec enim possibile fuit hominibus confusas & heterodoxas notiones sequentibus, ac Juris tum Pontificii, cùm Civilis Leges, & Patrum effata spernentibus, sacráque profanis fœdum in morem miscentibus, talia dare, quæ vel mediocriter peritis sufficere possunt. Saniori itaque ductus consilio Magnificus P. *Franciscus Schmier* in Salisburgensi Universitate Juris Antecessor, primus inter Catholicos vadum Jurisprudentiæ universalis ritè pertractandæ tentare sibi præsumpsit, ut infrà dicemus uberiùs. Hujus vestigia paulò pòst secutus est Clariss. Vir P. *Corbinianus Thomas* Elchingensis, qui Jus Naturæ & Gentium ad orthodoxiam Romano-Catholicam accommodatum, ac in disciplinæ Methodicæ formam scitè coactum dedit, sanæ Rationis viribus Catholicorum de moribus, officiis, aliísque Juris hujusmodi materiis disciplinam solidè corroborans. E veteribus referri huc possent *Hincmarus*, qui de Regis personâ & Regio officio scripsit, *Engelbertus* Admontensis, qui *de regimine Principum* egit, & alii plures, quos in simili argumento jam pridem versatos fuisse scimus, sed de his alibi fusiùs. Velim autem legi, expendíque ea, quæ doctissimi cordatique viri *Mabillonius*, *Ludovicus Elias Dupinius & Morhofius* monuerunt in suis Tractatibus de studiis ritè instituendis, ille P. II. cap. 7. pag. 299. alter L. IV. pag. 88. edit. latinæ. Tertius in Polyhist. Tom. III. Libr. VI. Sect. I.

Juris naturæ expositores.

Francisc. Schmier &

Corbinian. Thomas.

Jus Publicum Ecclesiasticum, quod attinet, doctrinam quidem illius

De Jure Publico

* Tacitus de moribus Germanor. cap. XI.

** Morhof. Polyhist. Tom. III. libr. VI. Sect. I. n. 1. p. 557.

Ecclesiastico. lius passim dispersam invenimus tum in Theologorum scriptis, tum etiam in Canonistarum commentariis, qui Jus illud promiscuè exponunt cum Jure privato juxta titulos Decretalium. Publicistæ itidem & Politici non pauca hujus Juris capita pertractant in decursu Juris Publici profani. Aliqui selectas de singulari argumento Dissertationes ediderunt; alii specialia politices Ecclesiasticæ Systemata elucidârunt. Ex antiquis occurrit *Adamus Villicus* Abbas S. Martini Coloniæ seculo XV. declivi conspicuus, qui insignem Tractatum *de statu Archi- & Episcoporum ac Patriarcharum ad Hermannum ab Hassia Coloniensium Antistitem* conscripsit, in quo sanè reconditioris ejus sacrorum Canonum, & Juris Publici notitiæ specimen elucet. Incipit, *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii.* Adservatur MS. in Bibliotheca Patrum S. J. & S. Martini Coloniæ, luce publicâ dignissimum. Huc etiam spectant, quæ *Joannes Caramuel* anno 1653. edidit, *de summi Pontificis, Patriarcharum, Archi- & Episcoporum, Abbatum, Sacerdotum, Diaconorum, Hypo-Diaconorum, Clericorúmque inferioris Ordinis electione, promotione, necessitate & honestate &c.* Nec ab hoc argumento abludunt ea, quæ Eminentissimus Cardinalis *Cælestinus Sfondrati* graviter disseruit in suo Tractatu typis S. Galli A. 1687. edito sub tit. *Gallia Vindicata*, quo in opere testimoniis exemplísque Gallicanæ præsertim Ecclesiæ, quæ pro *Regaliâ*, ac quatuor Parisiensibus propositionibus à *Ludovico Maimburgo*, aliísque producta sunt, refutantur. Sed huc maximè facit *Introductio ad Jus Publicum Romano-Ecclesiasticum, Coloniæ an. 1714. in 4. edita*, complectens statum Ecclesiæ Romanæ, dignitatem, potestatem, Curiam, Electionem summi Pontificis, ac reliquorum Ecclesiæ membrorum, Cardinalium, Primatum, Archi- & Episcoporum, necnon totius Cleri prærogativas, subordinationem, Jura & Privilegia, ex Jure Divino, Canonico & Civili tam publico quàm privato collecta, Authore *R. P. Gregorio à Mertzenfeldt* Benedictino ad S. Felicitatem in Schwartzachensi ad Mœnum monasterio. . . Lucem etiam Jurisprudentiæ Universali Ecclesiasticæ nuper affudit haud exiguam Clariss. P. *Hermannus Schollner* superioris Altachæ in Bavaria Professus, & Canonum Professor, optimè de Republicâ Literariâ meritus editâ Straubingæ anno 1751. Dissertatione Juridica Historico-Criticâ *de Magistratuum Ecclesiasticorum creatione &c.* Defensores Jurium summæ Sedis, plures enumerat Doctiss. Egger in Idea lib. I. pag. 275.

Systema Juris Eccl. in usum Catholicor. Illius verò Juris, licèt dignius sit & sublimius, dolendum tamen in Catholicorum maxime Principum Academiis nullam penè vel exiguam hactenus habitam fuisse rationem. Sed & in tantâ, quâ propè opprimitur orbis literarius, Canonistarum & Juristarum copiâ, vix ullus reperitur, qui illustre hoc studium methodo recenti universum sic uno clauserit libello, ut is facilè Antecessoris Catholici prælectionibus Academicis queat inservire. Tentavit id quidem recentior quidam Anonimus *, editis Francofurti anno 1746. *Principiis Juris Publici Eccl. Catholicorum ad statum Germaniæ in usum Tyronum accommodatis.* Verùm Author suspicioni obnoxium se fecit, quòd obscuro loco, sine nomine & approbatione editus, ea subinde arma procudat, quæ commodiora hæreticis, quàm Catholicæ pietati videntur: Sortem hinc, quam dolemus, ad valvas Ingolstadii, & in quibusdam aliis Universitatibus passus est libellus, qui cæteroquin optimus erit, si pauca demas, & quædam addas. Mallemus certè balneum effundi, infantem servari. Quâ Authoris mente editus sit sine nomine partus, nescimus. Ab eo Adversarios subinde arma petere scimus. Hæc fortè non adverterat incautus Scriptor, dúmque passioni suæ plus æquo indulget, hoc à plerisque Lectoribus nolens obtinuit, ut crederetur, vel hostis occultus Ecclesiæ, vel factiosus utique filius, qui matrem laceraret, aut parvipenderet. Optant hinc boni omnes, ut ipse vel alius opusculû sanè quàm doctum ac utile refundat & emendet, hásque aut similes quæstiones ad Jus Publicum Eccl. propiùs spectantes elucidet: I. *An in Lege gratiæ factâ inter Sacerdotium & Regnum differentiâ, Sacerdotii proëdria firmata sit & stabilita?* II. *An in Lege gratiæ potestas Hierarchica summa Apostolorum Principi Petro Christi in terris Vicario, ejúsque successoribus in Ecclesiam Universalem asserta fuerit?* III. *An reliquis Apostolis, eorúmque successoribus* Quæstiones in Jure P. E. discutiendæ.

 legi-

* Author creditur D. Georg. Christophorus Neller Aulanus Consistorii Wirtzeburgensis olim Assessor, nunc Trevirensis ad S. Simeonem Canonicus.

gitimis plenam & perfectam in Ecclesias particulares jurisdictionem Christus largitus sit, salvâ tamen subordinatione ad supremum Caput Ecclesiæ? IV. *Num potestas summi Pontificis sit Aristocratica, atque per jurisdictiones Episcoporum temperata?* V. *Utrum suprema clavium potestas limitationis, circumscriptionis, vinculationis nescia, supremo Capiti immediatè à Deo tamquam libero collatore, ad contradistinctionem potestatis Civilis & profanæ, liberè collata sit?* VI. *An spectato Jure Publico Universali Ecclesiastico ex consensu, aut jussione summi Pontificis Imperantibus, aut genti adversus gentem facultas competat cogendi infideles ad fidem & Religionem Christianam?* VII. *An supremum Mundi dominium ex beneficiario plurium Regnorum & Rerumpublicarum cum Sede Apostolicâ nexu efficaciter probari queat?* VIII. *Quinam in Hierarchia Ecclesiastica præter summum Pontificem emineant?* IX. *De Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archi- & Episcopis, aliisque officialibus &c.* X. *Num spectato Jure Publico Universali Ecclesiastico liceat immediatè ad summum Pontificem, vel ad Legatos summæ Sedis provocare &c..*

De Jure Publico Imperii Romano-Germanici.

Dicendum nunc aliquid de Jure Publico Civili seu profano. Sicut autem non una est Regnorum & Imperiorum forma, ita Jus quoque Publicum non est unum, sed suum cuique Reipublicæ peculiare ac proprium. Obvia nobis est Respublica Romano-Germanica, hinc & id, quod in ea obtinet, Jus Publicum Historiæ nostræ erit argumentum. Studium hoc Juris Publici diu à Germanis nostris, utì alia hujus commatis, neglectum fuit, cujus rei tres præcipuæ rationes afferuntur *, 1. Quòd notitia Juris ac Status Publici Imperantibus propria, adeóque ipsis relinquenda crederetur. 2. Quòd Civilium rerum non æquè ac aliorum studiorū exculta fuerit scientia. 3. Quòd maxima Jurisconsultorum pars Jura ad panem lucrandum, & molam farinariam facientia magis curârit.... Occasionem verò diligentiùs in cognitionem Status Jurisque Publici inquirendi subinde dederunt Romani Pontifices, & collisi inter se Imperii Principes; id quod præsertim *Ludovici Bavari* ævo factum comminiscuntur Historici. In illum enim adeo exarserunt *Johannes XXII. Benedictus XII.* & *Clemens VI.* ut unus post alterum excommunicationis fulmine in eum detonaret. Invenit quidem *Ludovicus* suos ex Ordine Minorum defensores; at ex adverso Pontifices haud pauciores ex aliis Ordinibus nacti sunt Hyperaspistes. Certè quàm arcta Apostolicam Sedem inter & Benedictinam propaginem necessitudo semper viguerit, rerum à Nostris gestarum illustrissima passim exempla testantur. Dolenda sunt bella & odia, quibus in Christi Vicarios nonnulli Cæsares depugnârunt; sed æquè deprædicanda pietas est, ac fortitudo eorum, qui sanctâ quâdam & simplici ac simul admirandâ generositate sese opponentes PETRI thronum & Hæredes supremis viribus tuebantur. Id fecêre plures è nostris, quos hîc referre non vacat, nec pluribus opus, ubi manifesta ob oculos versatur veritas.

Ejus apud Benedictinos studium.

Ceterùm evolvit se maximè in Germaniâ hoc Juris Publici studium, postremis duobus seculis, successu temporis apud Acatholicos magis magísque excultum. E nostris summa illius capita primus attigit *Adamus Adami* in sua Relatione Historica Pacis Westphalicæ. Sed in disciplinæ methodicæ formam coactum, & ad orthodoxíam Romano-Catholicam accommodatum primus dedit Clariss. P. FRANCISCUS SCHMIER; de quo noster, *Nibil*, inquit, *ejus ingenio acutius, nibil judicio firmius, nibil doctrinæ varietate, ut ita loquar, universalius.* Neque enim Juris tantùm Canonici, sed Civilis etiam, ac Publici tum Universalis, tum respectivè particularis, Imperii nempe Romano-Germanici erat scientissimus. Argumento sunt publicam in lucem emissa, ingentíque literati orbis applausû excepta, primùm Jurisprudentia Canonico-Civilis Tomis tribus comprehensa; tum Jurisprudentia Publica Universalis ex Jure tum naturali, tum divino positivo, nec non Jure Gentium; deinde Jurisprudentia Publica Imperii Romano-Germanici, novâ & scientificâ methodo concinnata, in tres tomos distincta. Quæ Opera Juridica, quanta in *Cl. Francisco Schmier* recondita & exquisita Jurisprudentia fuerit, abundè testantur. Quia verò quibusdam videri poterat hoc scribendi genus dedecere Virum Religiosum & meditationibus rerum spiritualium atque Ecclesiasticarum mancipatum, ipse Cl. Author hoc repagulum solida respon-

Francisci Schmier Opera de Jure publico.

* Schwederus Introd. in Jus Publ. c. 1. §. 5.

Rationem reddit Jurisprudentiæ Universalis à se conscriptæ.

ſponſione in præfatione ad Jurisprudentiam univerſalem removit, ſic inquiens: „ Quod à multis jam bene „ dictum, deductum, aut digeſtum „ eſt, utilitas publica non petit, ut „ ab alio recoquatur: quod verò, cùm „ maximè docendum, aut explican„ dum foret, à plerisque tamen ne„ gligitur, citra diſpendium omitti „ non poteſt. Quid, ait, Viro etiam „ Eccleſiaſtico magis conſentaneum, „ quàm Jus Divinum, tum naturale „ tum liberum intentiori curâ & ſe„ dulitate rimari, atque exinde Jus „ quoddam univerſale, quo homi„ nes cujuscunque conditionis in uni„ verſo Mundo ad bene beatéque vi„ vendum inſtituuntur, compilare? „ Quid ſtudioſæ, ſelectæ, & verè No„ bilis Juventutis Rectori propiùs con„ veniat, quàm ſana & ſecura trade„ re principia, quibus tenerior ætas „ imbuatur? Præceſsêre (ſubdit) in „ themate non abſimili Scriptores non „ vulgares, ſed vitæ ſanctimonia, Re„ ligionis zelo, doctrinæque præſtan„ tia inter primos collocandi, nempe „ ipſe Doctorum Angelus, Thomas „ Aquinas, in libris *de Regim. Prin„ cip.* nec non in Commentariis *in „ libros Politic.* Ariſtotelis Cardinalis „ Bellarminus, Hieronymus Uſorius, „ Epiſcopus Sylvenſis &c.: Nihil di„ cendo, in materiam, quæ merè vo„ catur *Politica*, & Aulis, quàm A„ cademiis aptiùs quadrat, calamum „ noſtrum haud excurrere, ſed intra „ limites juſtitiæ contineri. „

Quæ reſponſio Jurisprudentiæ Imperiali accommodanda eſt.

Quæ Author hiſce pro tuendâ ſua Jurisprudentia Univerſali protulit, prudens Lector cum grano ſalis tuendæ Jurisprudentiæ Imperiali applicare poterit. Addere lubet, & quærere, ubi & quot ſint Homeri, qui inter Catholicos in hac ſubtili æquè ac difficili materiâ onus & periculum in ſe ſumpſerint? Certè pauci ſunt: éſtque magnus iſte defectus Orthodoxæ Eccleſiæ non parùm nocivus, multùm deplorandus.

Jus Publicum in Catholicis Univerſitatibus non doceri juſta querimonia eſt Hermanni Hermetis.

Unde *Hermannus Hermes* cùm poſt medium ſeculi proximè elapſi Jus Publicum in Univerſitate Salisburgenſi doceret, magnoperè indoluit, *Juris publici in Catholicorum maximè Principum plerisque Academiis nullam vel exiguam hactenus habitam fuiſſe rationem.* Ab obitu Hermetis, quem Menkenius * incuſat, quòd Romanis Sacris addictus eò potiſſimùm collimârit, ut Catholicos à lectione Authorum Proteſtantium averteret, Jus Publicum in Univerſitate Salisburgenſi doceri, neſcio, quam ob cauſam, intermiſſum fuit. Quæ res cùm Magnifico *Franciſco Schmier*, Univerſitatis Rectori indigna, ac parùm ex uſu atque commodo ſtudioſæ Catholicæ Juventutis videretur, non manum ipſe tantùm doctiſſimam ad ſcribendum applicuit, ſed Celſiſſimo etiam Archiepiſcopo Autor extitit, ut reſtaurandi Juris Publici cogitationem ſuſciperet. Quia verò brevi pòſt *Franciſcus* noſter, incredibili omnium dolore, rebus humanis ereptus fuit, ejus in Rectoratu ſucceſſor COELESTINUS MAYR, nunc Reverendiſſimus Præſul celeberrimi monaſterii ad SS. Udalricum & Afram Auguſtæ Vindelicorum, propoſitis in medium graviſſimis rationibus, urgere non deſtitit, quoad demùm Celſiſſimus Princeps pro congruâ peculiaris Profeſſoris Juris Publici ſuſtentatione luculentos reditus clementiſſimè aſſignârit.

Noſtrorum operâ doceri incipit in Univerſitate Salisburgenſi.

Non omnibus Benedictinis Juris utriusque ſcientia neceſſaria eſt.

Nec opinor, Religioſis noſtris vitio eſſe dandum, ſiqui eorum cùm Juri Civili tum Juri Publico in Univerſitate Salisburgenſi à ſuis Prælatis operam navare jubeantur. Ut enim ultrò conceſſerim, utriusqúe hujus Juris ſcientiam non promiſcuè quibusvis Ordinis noſtri monachis eſſe neceſſariam, vix tamen eâ carere poſſunt illi Superiores, qui inter S. R. I. Status cenſentur. Novi certè Abbatem, qui quòd rerum politicarum ac Juris Publici minùs peritus eſſet, eas ad potentem Principem dedit literas, quæ non ſine ipſius rubore non acceptatæ, ſed ad monaſterium remiſſæ fuerunt. Deinde caſu accidit, ut aliquando ſupervenirem, dùm inter monaſterii alicujus Oeconomum & Abbatis Conſiliarium, regularem an ſecularem? acriter diſceptaretur. Caput controverſiæ erat de glandibus & baccis ſagorum aliiſque fructibus ſylveſtribus, utrùm vi juris venandi & foreſtæ ad Magnatem quendam, qui iſto jure in ſylvis monaſterii gaudebat, an verò ad monaſterium, ſylvæ proprietarium, pertineant. Et quidem Oeconomus vi longæ atque perpetuæ conſuetudinis ad monaſterium ſpectare contendebat, adducendo etiam Leges provinciales, quæ proprietario faverent; imò his etiam ſepoſitis, pro monaſterio nihilominus, velut ſylvæ proprietario

Quibusdam tamen.

Oſtenditur exemplo.

* In Catal. Hiſtor. §. 37. pag. 107.

tario standum esse asserebat, cùm utriusque fructus tam pendentes, quàm separati in dubio, attribui domino debeant. Consiliarius, qui, ut justitiæ amantissimus, ita cuique tribuere suum videri volebat, nescio, quos authores, & nisi memoria me fallit, *Gailium* allegabat, qui fructus sylvestres jure venandi & forestæ gaudenti adscribit. Addebat, fructus ejusmodi debere feris, ne fame pereant, relinqui, néque per glandis decussionem ac collectionem sylvam ac solum vertere compellantur. Contrà Oeconomus dicebat, hanc rationem proprietarium à jure suo non penitùs excludere. Meum non erat, hanc litem facere meam; existimabam tamen à Consiliario *Gailium* malè fuisse intellectum, cùm is Auctor sylvæ proprietario fructus sylvestres non planè abjudicet, sed eum in præjudicium Domini Forestalis jus suum non nimis extendere debere, solùm doceat; quæ sententia uti rationi est consentanea, ita aliis quoque Auctoribus probatur. Certè in casu controverso *Christophorus Harprechtus* sylvæ proprietario jura omnia favere, additis licèt nonnullis limitationibus, apertè docet. Quid verò deinde factum sit, pro certo affirmare non possum, audio tamen, monasterium inter, velut sylvæ proprietarium, & Magnatem, tanquam Dominum Forestæ, factam fuisse transactionem; quamvis, meo judicio, eâ non admodùm opus fuisset, cùm monasterium longâ & in Jure fundata consuetudine satis se tueri potuisset. Quem casum eâ verò causa brevissimè retuli, ut ex eo perspiciatur, quòd prudentia etiam Juris Civilis, hac præsertim ætate, quâ jura etiam liquidissima monasteriorum in controversiam trahuntur, opus sit Religiosis. Si enim Consiliarii, uti ille, quem adducebam, tametsi aliquo modo juris non ignari, suis consiliis nocere possunt monasteriis, quantò magis qui nullam illius habent cognitionem? Hinc illæ lacrymæ, quibus monachi *plangentis officio funguntur.*

In Germaniæ monasteriis, maximè Imperialibus Juris utriusq; studium necessarium est.

Certè si varia monasteriorum conditio perpendatur, negari non potest, quin eorum quàmplurimis in Romano Imperio non scientia tantùm Juris Canonici, sed Civilis ac Publici etiam planè necessaria sit. Cùm enim ditionibus gaudeant, subditósque habeant, iis tum jus dicere, tum contra vicinos, quibuscum lites haud infrequenter exoriuntur, tueri debent. *Si Antecessores nostri*, inquit suprà laodatus LAURENTIUS à DRIPT *, *in tam nobili & præclara scientia se diligenter exercuissent, nunquam monasteriorum jurisdictionem tantam jacturam passæ essent.* Felices sanè hujus temporis monachi, cùm tales inveniunt Advocatos, quibus securè credi possint res monasterii, nec eos misera cogit necessitas, sub fasce rerum temporalium, quas per semetipsos procurare oportet, gemere, cùm pro suis potiùs & alienis peccatis gemitus ciere deberent. At enim non omnes ea fide ac diligentiâ sunt, atque ille, de quo Gregorius Turonensis lib. VI. c. 14. refert, quòd monasterii Uticensis negotia procurans à morte ad vitam resuscitari à S. Abbate *Ebrulfo* meruerit. Multi in rebus, negotiis, ac causis monasteriorum administrandis incurii, negligentes, infideles sunt, prout cùm novis, tum antiquis exemplis doceri potest. Unde opera danda est Religiosis, ut ne omnes saltem in utroque Jure sint hospites. Certè si Advocati vel Officiales advertunt, Dominos suos jura non callere, non raro tantùm quandoque ipsos suspendunt, sed quâ eorum aliqui protervià sunt, in faciem ipsis exprobrant: *Sinite nos agere, vos nescitis quidquam...* Meminêrunt quippe scriptum Proverb. XVII. *Servus sapiens dominabitur filiis stultis*; & *qui stultus est, serviet sapienti*; cúmque de *Nummis* non de *Numine* jam *Numa* consultet, & seculares rerum administri Regioni magìs quàm Religioni, fami, non famæ studeant, *quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi*, facilè in alieno ludunt corio, liberales de non suo. Et verò quoties subinde vel Legum non satis periti, vel pecuniis corrupti res monasteriorum prodiderunt, nocivos contractus inierunt, injustas sententias dixerunt? Rem exemplis declarare possem, sed cùm sint odiosa, silentio prætermitto. Hoc rerum statu quò minùs Religiosi causas suorum monasteriorum agant, non est, ut religioni vel scrupulo sibi ducant, à quo ipsos relevat *S. Anselmus*, qui aliquando consultus à quodam fratre, qui diceret: *Relicto seculo veni ad Ordinem Monachorum, speram, me ibi posse penitus intendere vitæ perenni, & Deo. Ecce autem ex præcepto Abbatis mei secularibus negotiis intendo, & dum* res

* Caut. Prælat. Sect. 2. art. 6. pag. 154.

res ecclesiæ contra seculares defendere, tuerísque desidero, placito, litigo &c. inter alia ita respondit: *Monachus obedientiæ, quæ sibi injuncta est, ita studeat, ut & res ecclesiæ contra omnes viriliter justéque tueatur, & protegat, & de alieno per injustitiam sub dominium ecclesiæ nihil redigere satagat; si in hujusmodi conversatur, & vivit, quamvis pro talibus missas perdat, nonnunquam loquatur, cùm fratres in claustro tacent, & quædam similia horum faciat, vel dimittat, quæ ipsi nec faciunt, nec dimittunt: Obedientiæ virtus, quam exercet, hæc cuncta consumit, & vas suum integrum servans, farinam de sua mole fluentem, quæ illum æternaliter pascat, totam ac puram colligit, atque recondit &c.* Hactenùs D. Anselmus. Quomodo verò ipse in litibus & placitis se gesserit, vide, si lubet, in ejusdem vitæ lib. 1. pag. 792. apud Surium.

Monachis à litigiis & processibus, quantum fieri potest, abstinendum.

Ne quis verò existimet, à me Monachos & Abbates ad Jurisprudentiæ studium hîc excitari, quô lites in foro suscipiant, totóque, ut ajunt, secant horreo, eas, quantum fieri potest, evitandas moneo, ita ut cum Tectulliano * dicere possint: *Ego nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo: nulli officio advigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria observo; canales non odoro, cancellos non adoro, subsellia non contendo, jura non conturbo, causas non elatro. -- secessi de populo. In me unicum negotium mihi est. Aliud non curo, quàm me curem.* Verùm enimvecò secularium hominum improbitas monachos sæpè etiam invitos ac nolentes pco rebus tempocalibus lites movere aliquando constringit, ac necessitat. Sicuti autem ** in rebus majocis momenti raptoribus bonorum monastecii cedendum non censeo; sic pro minutiis servos Dei judicio contendere non pcobo. *Tutius enim est*, teste D.Becnardo ***, *omni Christiano, & maximè monacho possidere quidpiam minus, quàm cum lite amplius.* Eadem ecat mens Petri Blesensis ****, qui epistolam ad H.Radingensem Abbatem concludens; *Cessa igitur*, inquit, *immò cessent omnes Religiosi à litibus, quibus conscientiæ sanctorum vulnerantur, denigratur bonorum opinio, scandalizatur Ordo, animæ jugulantur; qui enim pro terra litigant, aut pro pascuis, indigni sunt in terra viventium, aut loco pascuæ collocari.* Numinis pietatem! quibus quámque acerrimis verbis Petrus non in eos litigatores invectus fuisset, qui ne solvant, quod debent, judicio contendunt. At enim *Servos Dei*, inquit Apostolus, *non oportet litigare*; & idem: *Hoc ipsum delictum est in vobis, quòd judicia habeatis, & non potiùs fraudem patimini.* Et credat quis, delicto illos immunes esse, qui per technas & fraudes proximum, cui in ære sunt, circumveniunt? Quod certè non fieret, si benevolentiæ potiùs, quàm litium juca perdiscere mallent.

Quis primus inter Benedictinos Juris peritus?

Si quis verò ad calcem hujus Histociæ ex me scice aveat, quis primus in Ocdine nostro habendus sit Jurispecitus, cespondeo, mihi vero pecquàm simile videri, quòd fuerit monachus ille, nomine SPECIOSUS, quem S. P. Benedictus in monasterium Terracinense direxerat. Huic enim commissa fuit rerum tempocalium cura, quippe qui teste D. Gcegocio l. 4. Dialog. c. 8. *studiis exterioribus*, id est, juxta Mabillonium, *humanioribus ac civilibus eruditus erat.* Illud vecò recens, atque ob novitatem suam memocatu non indignum, quòd in Patavina Academia, in qua antehac Juris Canonici Magisterium Regularium nemini, sed vel Laico, vel Doctori cuipiam ex Cleco seculari deferri consueverat *****, *Cyprianus Benaglia* è Congregatione Casinensi à Senatu Veneto, singulari ejus eruditionis opinione pecmoto sacrorum Canonum explanationi triginta annos nondum natus pcæfectus fuerit; neque vecò Patres prudentissimos ejus electionis pœnituit; nam exspectationem de se conceptam *Cyprianus* non solùm per triginta annorum decucsum eóque ampliùs æquat, sed etiam supecat, pcæsertim cùm doctrinæ excellentiam, insignis mocum honestas, caca modestia, ac religiosa pcorsùs pietas ubique comitentur. Agit de ipso Nicolaus Comnenus Papadoli in Hist. Gymnasii Patavini tom. 1. lib. 2. sect. 2. c. 2. pag. 155. n. 5. *Anno*, inquit, 1705. 6. *Augusti mihi biennio ante ad primam Canonum sedem vespertinam translato successit, me longè præstantior, Vir doctissimus* D. Cypria-

Cyprianus Benaglia primus è Regularibus SS. Canonum Professor in Academia Patavina.

* Lib. de Pallio.
** vid. Martene in Comment. S. Reg. c. 2. p. 58.
*** Epist. 387.
**** Epist. 117.
***** Armell. Bibl. Casin. part. 1. p. 145. Em. Card. Quirinus Epist. Dec. 1. n. 9. p. 2.

prianus Benaglia *Brixiensis*, *monachus Casinensis*, *qui eam sedem nunc exornat eruditione Canonicâ singulari, dissertationibus sapientissimis*, *virtute comi*, *liberali*, *& ad pietatis normam exactâ.*

Apologia pro Benedictinis, quos à publica Juris Canonica cathedra æmuli exclusos voluerunt.

Quô sapientissimi Veneti Senatûs exemplo illorum æmulatio rejicitur, qui Benedictinos à publica Juris Canonici cathedra exclusos voluerunt. Cùm enim *Benedictus Laudati* * è Congregatione Casinensi publicus Philosophiæ in Neapolitana Sapientia Professor sacrorum Canonum publicam Cathedram, quæ sub annum 1697. vacabat, pro egregia sua doctrina non immeritò peteret, invidi quidam, ne illam adipisceretur, scriptum evulgârunt, quo probare nitebantur, monachis minimè conveniens esse, ut publicè scientias, minúsque sacros Canones docerent; coactus proinde illud refellere, nobili ac erudito libello id statim præstitit, ostendens tum ratione, cùm Majorum exemplis, optimè ad monachos pertinere, scientias quaslibet, sacras præsertim, etiam publicè tradere, cùm idipsum maximo Orbis commodo, celeberrimi monachi, ex quibus plerique præcipuas Europæ Academias instituerunt, summa cum laude peregerint.

Juris Canonici & Publici Professores Benedictini:

Cùm non ita pridem Fuldense Lycæum in Academiam evectum fuisset, Cathedra Juris Canonici cessit in perpetuum Professori Doctori Benedictino, aliis, qui eam prima spe vix non devoraverant, dolenter id ferentibus.

In Academia Fuldensi,

Ottobura verò Imperiale in Suevia monasterium, inclytum ac dudum celebre doctorum Virorum Seminarium, fuit, quæ primum Cathedræ Cl. *Anselmum Erbium* SS. Canonum Professorem dedit, ut quâ insigni doctrina & celebritate illos in Frisingensi Lycæo docuit, eosdem in Academia Fuldensi explicaret. Velimus autem legi, & depurato animo evolvi, quæ eruditissimus cordatúsque Vir *Fr. Juniperus ab Ancona* graviter monuit, Tubâ altera, Clangore V. editionis Argentin. pag. 65. quæ cum aliunde nota sint, ea brevitatis causâ hîc non exscribimus. Illud verò liberaliùs memorandum duximus, quod *Felix Egger* ** de

Frisingensi,

Frisingensi Congregationis Benedictino - Bavaricæ Lycæo nobis suppeditat: Instituit illa paucis abhinc annis publicum tam in Theologia, quàm Philosophia studium, in quo nostri Ordinis Viri, babito delectu ex tanta Doctorum copia assumpti Professorum munere funguntur; nec vel infrequens Auditorum numerus, vel minor discipulorum fructus emergit. *Hinc certè permotus Patronorum nonnullus* Juris etiam tùm Canonici, cùm Publici *professuram gratiosè fundavit; unde posthac non erit aliquid*, *quod ad tam gloriosi scopi perfectionem & studiorum in omni genere maximam utilitatem desideretur.* Hæc ut cœlo cedróque digna cùm lubentissimus commemoro, pari quoque præconio celebrandum existimo plenum illud sublimioris providentiæ consilium, quod nuperrimè Excellentiss. D. Abbas Cremifanensis in Austria monasterii ALEXANDER amplexus est. Instituit ille, ut alibi jam memini, Academiam Nobilium, in qua demùm è suis Digestorum & Juris Publici Antecessorem constituit Exim. P. SYLVESTRUM LANGHAIDEN, qui erudita pariter, atque ad modernum Germaniæ usum accommodatâ *Senatus - consulti Macedoniani Exegesi*, Styræ typis anno 1750. editâ, alteram majoris momenti dissertationem recèns impressam dedit, in qua Causarum piarum libertatem ex Jure antiquo & novo doctè solidéque tuetur adversùs *Anonymi* Discussionem quæstionis: *An Princeps præcipuè Ecclesiasticus tutâ conscientiâ possit Monasteria lege vel statuto ab hæreditatibus quacumque ratione acquirendis excludere?* Prodiit abortivus hic partus A. 1750. in 4. sine nomine & loco editionis, quòd neque invidiâ, neque difficultatibus carere quamplurimis, pa- rens ipsius præsentiret. Etsi verò librorum quemadmodùm & liberorum, qui suos natales celant, apud eruditos cordatósque viros exile passim sit pretium, existimatióque non bona; hic tamen eò majori attentione dignus videtur, quòd *non veniat pacem mittere*, *sed gladium.* Illum hoc loco fusiùs discutere nostrum non sinit institutum. Egregia verò cùm nobis præsto sit hac de re Abbatum Diœceseos Moguntinæ epistola ad R.mum & Excellentiss. D. IGNATIUM Cæsariensem Archiep. S. Sedis ad tractum Rheni Nuntium Apost. denuntiatoria anno 1737. die 23. Octobris data, eam hîc exhibere, non erit incongruum; Ita enim habet.

Cremifanensi.

Discussio Quæstionis, an Princeps possit excludere monasteria à Jure successionis?

Reverendissime ac Excellentissime Domine!

Denunciatoria

„Quod in Republica usuvenire videmus, ut certus & inevitabilis a bello civili

* Armell. Bibl. Casin. part. 1. p. 99.
** Egger in Idea Lib. I. pag. 200.

Abbatum Germaniæ. civili atque intestino impendeat patriæ interitus, nisi tempestivè obviam eatur, & quoad ejus fieri possit, in herba sopiatur; Hoc in domo Dei, quæ Catholica est Christi JESU Ecclesia, per Germaniam diu, ex afflato per *Lutherum* veneno, laborantem certò certiùs videtur eventurum, nisi idoneum simul ac præsentaneum latiùs grassanti morbo, indiésque acriùs invalescenti, primâ quâque occasione remedium adhibeatur. In ea quippe qua versamur asperâ temporum crisi, eò jam res prolapsa apparet, ut non modò Principes tenebrarum, & seculi hujus Potestates, sed & ipsi, qui super gregis custodiam sunt positi, in Religionis avitæ, Divinæque pietatis exterminium unitim conspirare videantur, eos spumante vultu præcipuè designantes, quos Statûs religiosi excellentia, & arctioris vitæ cultus Deo viciniores, Romanóque Pontifici obsequentiores, & malis illorum artibus maximè contrarios ostendit. Cujus rei sanè tristissimæ consideratio quantumcunque bonos omnes habeat solicitos & discruciet, auget tamen dolorem evidentia periculi illius minimè contemnendi, quod nobis hodie intentatur, non modò à Principibus seculi, sed à Successore Apostolorum, ab ipsomet Domino nostro Archiepiscopo Moguntino *, qui licèt plusquàm exploratum habeat, primævas monasteriorum nostrorum fundationes, sæviente in has regiones hæresi, maximam partem fuisse dissipatas, attritas, desolatas, superantésque reliquias, ceu tabulas post nanfragium *nantes in gurgite vasto*, hodie à Nobilibus, rapacibúsque harpyis & perversis hominibus passim impeti, bellísque & aliis calamitatibus certatim concuti; nihilo tamen minùs pravis Pseudo-Politicorum quorundam consiliis in transversum actus, ac fucatis quibusdã prætextibus fascinatus, postpositâ anctoritate Apostolicâ, humanísque ac Divinis Juribus, & sacrorum Conciliorum Decretis nonnihil sepositis, novellâ quâdam constitutione Archiepiscopali hactenus inauditâ statuit; Constitutio Moguntina. *Ne bona immobilia deinceps ad nostras communitates*, quas minùs christianè *Manus mortuas* nuncupant, *deferantur, vendantur, legentur; Néve ingredientes vel ingressi Religionem, sive per Testamentum, sive per donationem, vel actum inter vivos, aut alio quocunque titulo, seu prætextu directè vel indirectè ejusmodi bona consignare monasteriis præsumant.*

Quæ constitutio utùt speciosis exornata verborum formulis, quæ incautis possint imponere, eam profectò in se continet indignitatem, ut finem depurato à præjudiciis animo penitiùs consideranti, & Divino Nomini ignominiosa, & Episcopali proposito invisa, & Religioni perniciosa, atque libertati Ecclesiasticæ æquè adversa, res nulla propè appareat. Ejus dig... Quid enim Divino honori probrosius, quàm Divini cultûs propagationi obsistere, atque Dominum Dominantium vel infimissimæ sortis hominibus postponere? Quid turpius & mali exempli aleâ plenius, quàm si qui Canonibus asserendis sunt constituti, eos ipsi ultrò proculcent, & contra eos abrumpant, à quibus suam ipsimet consecuti sunt auctoritatem? Et quid verò iniquius, ac libertati Ecclesiasticæ repugnantius, quàm jura & privilegia monasteriorum, Ss. Patrum auctoritate constituta velle convellere, ac iis denegare, quod ne vilissimis quidem personis abnuere fas esset? *Pudet dicere*, inquit D. Hieronymus in sua ad Nepotianum epistola, *Sacerdotes idolorum, Mimi, Aurigæ, Scorta, hæreditates capiunt; solis Clericis & Monachis hoc lege prohibetur, & prohibetur non à persecutoribus, sed à Principe Christiano.* Quid si ab Archiepiscopo? Certè si in cujuslibet Principis ditione tale statutum contra abjectissimos quosque lixas & calones conderetur, nemini dubium est, quin palàm omnes injuriam & Divini pariter ac humani Juris violationem exclamarent; si Status Equestris alioquì libertatem, immunitatem & exemptionem ab oneribus publicis per omnia crepans, & *manibus mortuis* longè rapacior, à Principe vel Cæsare simili modo à bonis immobilibus sui juris faciendis arceretur; Quid si tale statutum contra Statũ equestrẽ cuderetur. Si Canonici cujusdam ædis Metropolitanæ aut Cathedralis Ecclesiæ parili decreto ab eriscundis hæreditatibus, aut prædiis acquirendis, pluribúsve præbendis simul occupandis prohiberentur, vel certè ad ea restituenda cogerentur Episcopi, quæ sacris Ordinibus malè subduxerunt, & *suæ mensæ*, ut vocant, *Episcopali* addixerunt; Superi! qui clamores, quæ seditiones, quot dissidia, lites, abominationes personarent? Et jam Ecclesia Christi possit ejusmodi statutum contra Statum Monasticum, contra

* Is erat Carolus Philippus ab Eltz.

contra selectiorem corporis politici partem, & florem Ecclesiastici germinis dissimulare? & nisi dissimulet, immò benè factum acclamet, injustè agere existimabitur? Absit hoc à mente Christianâ. Melius est nobis juxta Augustinum, pro libertate Apostolicâ, pro Religione, pro patrimonio Christi, pro causâ Dei, pati supplicium, quàm pro adulatione recipere beneficium. Confidenter ista, quia, ut ille ajebat, *in jure & æquo decet animi magnitudo*; & *quisquis metu cujuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat* *; *quia magis timet hominem, quàm Deum.*

Repugnat honori divino &c. Ast verò quis adeo plebeiæ mentis, vel obstipi cerebri fuerit, qui non advertat ejusmodi statuto DEUM vilipendi, pietatem Christianam diminui, Vitam Religiosam in contemptum adduci, piis animabus offendiculum strui, Religionem atteri, Monasteriis lethalem plagam extremámque perniciem importari, ac demùm sanctam illam & Apostolicam libertatem à Ss. Patribus tam masculè propugnatam, adeò strenuè defensam, hoc ariete concuti ac penitùs subverti? Et primùm quidem *Salvianus* Massiliensis libro III. sub *Timothei* nomine ad Ecclesiam scripto apertè his verbis insinuat: *Si qui*, inquit, *à Parentibus offeruntur Deo filii, omnibus aliis postponuntur; oblati judicantur indigni hæreditate, qui digni fuerant consecratione, ac per hoc una tantùm re parentibus viles fiunt, quia cœperint DEO esse pretiosi. Ex quo intelligi potest, quòd nullus penè apud homines vilior est DEO, cujus utique fit despectione, ut eos parentes filios spernant, qui ad Deum cœperint pertinere.* Si enim prostibula seculi manerent, cum aliis procul dubio integram hæreditatem participarent. Hinc & illæ justissimæ *S. Ambrosii* querelæ adversus Valentiniani Legem Cod. Theodos. libr. 16. l. 20. in libello contra Symmachi relationem: *Scribuntur*, inquit, *testamenta ministris templorum, nullus excipitur profanus, nullus ultimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ; soli ex omnibus Clerico commune jus clauditur; nulla legata, vel etiam gravium viduarum, nulla donatio, & ubi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio mulcta præscribitur. Quod Sacerdotibus Fani legaverit Christiana vidua, valet, quod Ministris Dei, non valet...*

Pietati Christianæ. Alterum liquet ex eo, quòd ejusmodi Leges impediant Divinum cultum & animarum salutem; Illum quidem; quia ejus augmento, nitori & propagationi manifestè adversantur; Hanc verò; quia fideles & pios homines ab eleemosynis & bonis operibus avocant, quorum sanè intuitu nihil est, quod magis hominibus debeatur, quàm ut bonæ voluntatis liber sit stylus. Quam ob rem veteres Alemanni solemni Lege cavebant: *Ut si quis liber res suas, vel semetipsum ad Ecclesiam tradere voluerit, nullus habeat licentiam contradicere ei, non Dux, non Comes, non ulla persona*; ut habet cap. 1. Leg. Aleman.

Æquitati naturali. Pugnat etiam ejusmodi constitutio non solùm contra Jus commune, & Justiniani Leges, quibus Antecessorum placita correcta abrogatáque, & monasteria ac Ordines Religiosos ad successiones Professorum admissos fuisse constat ex LL. 55. & 56. Cod. de Episc. & Clericis; sed insuper naturalem lædit æquitatem, & inscriptam cordibus hominum sanctissimam violat Legem, vigore cujus liberi ad parentum & agnatorum, ac vice versâ parentes ad successiones liberorum vocantur, quam proinde Princeps æqui & boni custos ac dispensator Legem immutare ratione nullâ valeat.

Monasteriorum conservationi. Nec relevat prætensa Reipublicæ conservatio. Quæ enim ista conservatio velle præcipuam illius portionem destruere, ut vilior conservetur? Stante autem præfatâ constitutione, monasteria ipsa per lentas eviscerationes debere tandem in seipsis tabescere, ac in interitum vergere plusquàm manifestum est, hâc præsertim ætate, ubi plures sunt exactores, quàm benefactores, & nostri rerum Administri onera sua ferè universa imponunt monasteriis, tótque ea angariis affligunt, ut his, quod Jeremias deplorat, competere videatur: *Princeps Provinciarum facta est sub tributo...* Sive enim fossata, sive expeditiones, seu alia quælibet sibi arbitrentur agenda, de bonis monasticis ac pauperum Christi usibus deputatis volunt ferè cuncta impleri.

Vergit in pernicíem Reip. Eccl. Vergit quoque hæc constitutio in detrimentum & perniciem Reipublicæ Ecclesiasticæ, quia hæc sine adminiculo bonorum stabilium conservari nequit. Vergit etiam in damnum Civi-

* S. Augustinus ad Casulanum relatus II. Q. 3. can. *Quisquis*...

Civilis Communitatis; Quot enim cœnobia, tot xenodochia, & pauperum ac egenorum asyla *. Immò cùm cuilibet ex omni gente, sexu & conditione in solis ferè monasteriis pateat locus, & quivis aliàs ex humili statu ad honestum provehi possit, indéque oneratæ prolibus familiæ exonerari, & salutem quisque suam liberiùs valeat operari; mirandum certè, quomodo non omnis natio, non omnis populus, non omnis homo pro defensione juris ac libertatis suæ non assurgat? Vergit denique in Immunitatis ac libertatis Ecclesiasticæ eversionem; siquidem facultas acquirendi bona immobilia, agros & prædia, monasteriis competens, germen utique est non postremum libertatis Ecclesiasticæ: atqui per ejusmodi statutum hæc facultas de jure monasteriis concessa inanis & irrita redderetur; ergo ipsa libertas Ecclesiastica omnino labefactaretur, uti pluribus palam fecêre Scriptores, qui in simili argumento calamum contra Venetos olim strinxerunt, apud *Gretserum* de Immunit. Eccl. *libr. 1. Consid. VII.* relati.

& libertatis eversionem.

Multùm igitur res Ecclesiæ hujusmodi constitutione patitur, multùm disciplina obfuscatur, & ipsa, quam profitemur, Religio, ejus iniquitatem accusat, aut ipsi religionem ipsius conditorum accusemus necesse est. Et certè verendum, ne si tot justæ querelæ latiùs serpant, piorum offendatur animus, impiorum dicaces linguæ magis exacuantur, & Dæmoni ad vastitatem incubanti subdatur materia de ipsis hominum affectibus triumphandi: Dum nempè liberiùs grassante in monasteria sacrorum Antistitum libidine, bona ad luxum diripiuntur, mens fundatorum negligitur, patrimonium Christi malè prodigitur, pannosa in Religiosos sævit egestas, & dum census illis deperit, perit in Episcopos amor, qui olim eorum infulas ornavit, perit observantia, pietas languet, fatescit disciplina, cum disciplina exulat Religio, cum Religione Fides, cum Fide ipsa denique naufragat Ecclesiæ auctoritas.

Ejus funesti exitus,

Cùm itaque omnis constitutio, quæ ejus furfuris fermento est referta, ut funestos exitus secum importet, iniqua censeatur, & indigna, cui obtemperetur; immò per Bullam *Cœnæ* gravi anathemate damnentur, *Condentes statuta, ordinationes, constitutiones pragmaticas, seu quævis alia decreta in genere vel in specie, quibus libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut quovis modo restringitur, seu Sedis Apostolicæ, & quarumcunque Ecclesiarum juribus directè vel indirectè, tacitè vel expressè quomodolibet præjudicatur* *. Ut porrò quæ perperàm & inconsultè in Statûs religiosi & libertatis Ecclesiasticæ præjudicium in Moguntinensi Consistorio decreta sunt & publicata, ad majus saniúsque judicium gradatim referantur, neque permittantur ad totius corporis perniciem invalescere, quæ privatim malè irrepserunt, humillimè hoc negotium Ill.^mæ Celsitudini vestræ deferimus, submissâ, quâ par est, animi promptitudine supplicantes, quatenùs sui officii præsidium apud summam Sedem benevolè interponere dignetur, ac pro virili efficere, ut Sanctissimus Dominus noster clementiæ & æquitatis suæ oculos in nos convertere, atque emanatam Constitutionem Moguntinam supprimere & destruere, ac etiam clementissimè decernere dignetur, ut si aliqua loca, quibus per Concilium Tridentinum Sess. XXV. cap. 3. similia bona immobilia possidere permissum est, eis spoliata sint, eadem omnia illis restituantur. &c.„ *Hucusque Abbatum Denuntiatoriæ.*

& reprobatio ex Bulla Cœnæ.

Tanto autem vigilantiùs huic novitati convenit obviare, quanto periculosiùs radix cupiditatis per suffragia maligni temporis apud Germanos adeò jam invaluit, ut plerique non contenti sacras tot cœnobiorum facultates, vota fidelium, opes Deo dicatas, suo luxui, augendæque pantocratiæ victimas mactâsse, quasi imbrem in cribrum misissent, unà velut ex *auro Tholosano* relictis scoriis, penuriâ, copiditate, pristináque fame pressi, in superantium reliquias manum admoliri non desinant. Ipsi nempè ut sunt mirabilium captatores, à *Pharaonis* ætate somnia repetunt, imitantúrque macras illas & ob famem inexplebiles Regis Memphitici boves, quæ devoratis iis, *quarum mira species erat*, pristinâ tamen macie squalebant, *Genesis cap. 41.* Id secum subindè exigens *Mabillonius* nostros providè de instanti periculo his verbis commonuit *: *Magnam*, inquit, *Patrimonii S. Benedicti partem jam hæresis devoravit, rapuit.*

Gangrænæ serpenti obviandum.

* Vide dicta Cap. I. Sect. V. pag. 197.
** Confer Cap. *Noverit* libr. 5. Decretal. tit. 39.
*** Mabillon Præf. V. in Sec. III. Bened. n. 41. & 50.

pustque aliena manus; *reliquiis non parcent avidi comedones*, *nisi obsistat Monachorum Religio*, *Pietas*, *& Vigilantia.* Optimum verò ac ferè unicum grassantis illius mali remedium videtur, si Abbates parentum illorum cupiditati obsistant, qui levandæ familiæ, non devotionis causâ, filios gibbosos, deformes, stupidos, & seculo ineptos monasteriis includere tentant; *ut ita*, quemadmodum S. Udalricus ajebat *, *opus sit præfatis secularibus alium sibi nidum providere*, *ubi reponant pullos suos abortivos velut exheredatos.*

* S. Udalricus in prolog. libr. III. Consuet. Cluniac.

CAPUT III.

HISTORIA PHILOSOPHIÆ, ETHICES, MEDICINÆ, CHIMIÆ, MATHESEOS, MUSICÆ, ET ALIARUM ARTIUM.

Ordo & scopus tractationis

POstquàm prolixâ satis Tractatione pervagati sumus totum Theologiæ & Jurisprudentiæ campum, nunc ad eas digredimur facultates & disciplinas, quæ in harum scientiarum subalterno veluti obsequio ancillari censentur. Quam in classem referri solent, non solùm *Dialectica*, *Logica*, *Physica*, *Metaphysica*, &c. vulgari hodie *Philosophiæ* nomenclaturâ designatæ, sed etiam *Ethica*, *Medicina*, *Chymia*, *Botanica*, *Chirurgia*, *Mathesis*, *Musica*, & aliæ ejusmodi artes, quæ inter se cùm maximè conspirent, alteráque alterius opem poscat, sub uno capite non incongruè veniunt proponendæ. Quia verò promiscuâ earum Tractatione narratio nostra valdè obscurari posset, ordinis & perspicuitatis caussâ singulas singulis paratitlis distinctas expendemus, pristináque pariter ac recentiora Nostrorum studia eo usque contemplabimur, quousque illarum Scientiarum & Artium limina attigisse compertum nobis est. Enarrare enim omnia, quæ hîc dici possent, non ad nostrum, sed ad Historiæ Universalis pertinet institutum, ídque jam à multis haud perfunctoriè præstitum est. Primo itaque loco ad cancellos nostros revocanda venit *Philosophia*, quatenùs illa à seculo Æræ Christianæ VI. in monasteria secessit, ibíque sibi, utcunque potuit, nidum paravit.

SECTIO I.

Historia Philosophiæ in genere, ac in specie Benedictinorum.

Philosophia quid?

CUm Philosophia, si nominis rationem quæras, nihil aliud sit, atque *studium & amor sapientiæ*, hæc verò *rerum divinarum*, *& humanarum*, *caussarúmque, quibus hæ res continentur*, *scientia* esse dicatur, Majores nostri ejusdem studium nihil ab instituto Monastico alienum fore existimârunt. Quid dico alienum? imò ceu necessarium prærequisitum ad Theologiam omni tempore habuerunt. Et quidem primis statim temporibus nascentis Familiæ Benedictinæ in Angliæ, Germaniæ, Galliæ monasteriis, Philosophiam traditam fuisse Joannes Joachimus Maderus in Epistola ad Hermannum Conringium idoneis probat authoribus. *Cassiodorus* unà cum Venerab. Abbate *Dionysio Exiguo* Dialecticæ studuit, hujúsque operâ in tradendis Philosophiæ præceptis usus est, ut in suo libro divinarum Lectionum ipse testatur his verbis: *mecum Dialecticam legit.* GREGORIUM M. *literis Dialecticis ita institutum fuisse*, tradit Joannes Diaconus *, *ut nulli in Urbe ipsa putaretur esse secundus.* Ridendi ergò potiùs quàm operosè confutandi Protestantes illi scriptores, qui *Gregorium* odio in Philosophos exarsisse comminiscuntur, ut suos nempè *Moralium* libros pro fonte sapientiæ orbi

Ejus studium in Ordine S. B. antiquissimum

* Joan. Diac. in vita Greg. l. 1. cap. 1. p. 202.

orbi obtruderet. Etsi enim cum Apostolo inanis gentilium Philosophiæ jugulum acriùs petierit, librísque eorum, quos tamquam impios & blasphemos fugiebant & detestabantur Christiani, è medio tollendis omnem operam impenderit, meliora tamen, & pietatem Christianam magis decentia Philosophiæ præcepta surrogavit, conscriptis *Moralium* libris, quos Ecclesia hactenus summâ in veneratione habuit, indignum reputans plus idolorum Mimis, quàm Doctoribus Catholicis deferre.

Aldhelmus, De S. ALDHELMO * summo genere apud Anglo-Saxones nato jam alibi testatum fecimus, quòd in Cantuariensis monasterii schola ab Hadriano Abbate Philosophicis doctrinis institutus totius Angliæ oculos in se converterit. Beda. Venerabilis BEDA cùm librū S. Augustini de Doctrina Christianâ evolvendo, Dialecticam ad omnia genera, quæ in literis sanctis sunt penetranda, & dissolvenda, plurimùm valere intellexisset, eam cum cœteris Philosophiæ partibus addiscere omni ope ac studio est aggressus. Neque in Dialecticæ solùm cognitione, sed scientiæ etiam naturalis, cœterarúmque Philosophiæ partium intelligentia consequenda unicè desudavit. Argumento sunt Opera Philosophica, quàm multa ab ipso relicta.

Alcuinus in Dialectica Carolum M. instruit. B. ALCUINUS, qui Carolo Magno author fuerat, ut Lutetiæ Parisiorum publicum excitaret Athenæum, in eodem Philosophiam docuit. Quod idem Turonensi in Lycæo præstitit. Quid? quòd ipsum Carolum M. Dialecticæ præceptis imbuit. Hujus rei locupletissimum testem se nobis præbet Eginhardus in Caroli vitâ. „ In „ discenda Grammatica Petrum Pisanum Diaconum senem audivit, „ in cœteris disciplinis Albinum cognomento Alcuinum, item Diaconum de Britannia, Saxonici generis hominem, virum undecunque „ doctissimum præceptorem habuit. „ Apud quem & Rhetoricæ, & Dialecticæ, præcipuè tamen Astronomiæ ediscendæ plurimum temporis „ & laboris impertivit. „ Explosit verò Alcuinus absurdas eorum causationes, anilésque nænias, qui vitio vertebant, quòd Carolum Magnum impulisset ad studia Dialecticæ. Contra autem ipse palàm fecit, eam Augustino visam esse adptimè necessariam, ad elucidationem qualemcunque ejus mysterii, in quo latet adoranda divinarum Hypostaseon Trinitas: in qno usus est opportunus Categoriarum. *Ut convincerem eos, qui minùs utile existimabant, vestram nobilissimam intentionem Dialecticæ Disciplinæ discere velle rationes, quas Pater Augustinus in libris de sancta Trinitate quæstiones nonnisi Categoriarum subtilitate explanari posse probavit.* Quasi verò deinde ars illa, quæ animum ad rectè ratiocinandum instituit, Reges ac Imperatores dedeceat. Etsi enim in his, sicut in cœteris mortalibus humani ratiocinii facultas ea vi polleat, quâ mens unum ex alio rectè & directè inferat, extra dubium tamen est, quin intellectus multis erroribus sit obnoxius, nisi ars certis & demonstratis regulis naturali ejus potentiæ succurrat.

Porrò Alcuini Dialectica inter ejus extat Opera: quam cùm aliquando Ordinis nostri Philosopho monstrâssem, nasum ille corrugans, hæccine, inquiebat, est illa Alcuini Logica? ita hæc est, reposui, quam vos haud magni facitis, cui tamen fidei nostræ Adversarii resistere haud potuerunt, quáque hæreses ille teterrimas profligavit. Ite jam vos, vestráque Aristotelica Logica, Lutheri, Calvini, atque Zwinglii errores eliminate. Quod non insultandi, aut ullo modo contemnendæ Dialecticæ Peripateticæ gratiâ dixi, sed ne Philosophi longè doctissimi, atque de Ecclesia Catholica meritissimi dogmata in contemptu ponantur. Pauca sunt, brevia sunt, dilucida sunt: sed hæc ideò sunt, ut ne tempus, quod sacratiora studia sibi deposcunt, frivolis ac malè feriatis quæstionibus comburatur. Ejus Dialectica. *Nam Dialectici* (loquor cum magistro Gualtero S. Victoris Priore) *quorum Aristoteles princeps est, solent argumentationum retia tendere, & vagam Rhetoricæ libertatem, & syllogismorum spineta concludere. Hi ergo in eo totos dies & noctes terunt, ut interrogent, vel respondeant, vel dent propositiones, vel accipiant, assumant, affirment, atque concludant.* Sed Historiæ filum resumamus.

Rabanus Maurus. B. RABANUS MAURUS, Alcuini discipulus, atque sacrarum Literarum in Academia Fuldensi celeberrimus Professor, cùm optimè pervideret, quantoperè ad earum intelligentiam Dialectices studium prodesset, Auditores

* Vide dicta pag. 202.

tores suos ad illud verbis gravissimis excitavit, quæ posteà lib. III. cap. xx. de institutione Clericorum intexuit. Ea ego, tametsi prolixiora, non prætermittenda, vel ideò existimo, quòd ex iisdem nemo non intelligat, Dialecticès præcepta in antiquissimis Benedictinorum scholis fuisse explanata. Sic verò loquitur Rabanus: " Dialectica est disciplina rationalis quærendi, diffiniendi, & disserendi, etiam vera à falsis discernendi potens. Hæc ergò disciplina disciplinarum est: hæc docet docere, hæc docet discere, in hac se ipsa ratio demonstrat, atque aperit, quæ sit, quid velit, quid videat. Scit scire sola, & scientes facere non solùm vult, sed etiam potest. In hac ratiocinantes cognoscimus, quid sumus & unde sumus, per hanc intelligimus, quid sit faciens bonum, & quid factum bonum, quid creator, & quid creatura, per hanc investigamus veritatem, & deprehendimus falsitatem, per hanc argumentamur, & invenimus, quid sit consequens, quid non consequens, & quid repugnans in rerum natura, quid verum, quid verisimile, & quid penitus falsum in disputationibus. In hac enim disciplina unamquamque rem quærimus sagaciter, & diffinimus veraciter, & disserimus prudenter. Quapropter oportet Clericos hanc artem nobilissimam scire, ejúsque jura in assiduis meditationibus habere, ut subtiliter hæreticorum versutiam hac possint dignoscere, eorúmque dicta verificatis syllogismorum conclusionibus confutare. Sunt enim multa, quæ appellantur sophismata, falsæ conclusiones rationum, & plerumque ita veras imitantes, ut non solùm tardos, sed ingeniosos etiam minùs dirigant, attentos decipiant. Proposuit enim quidam dicens ei, cum quo loquebatur: *Quod ego sum, tu non es.* At ille consensit. Verum enim erat ex parte, vel eo ipso, quod iste insidiosus, ille simplex erat. Tum iste addidit: Ego autem sum homo. Hoc quoque cùm ab illo accepisset, conclusit dicens: Tu igitur non es homo. Quod genus captiosarum conclusionum, scriptura, quantum existimo, detestatur illo loco, ubi dictum est, *qui sophisticè loquitur, odibilis est.* Quamquàm etiam sermo non captiosus, sed tamen abundantiùs, quàm gravitatem decet, verborum ornamenta consectans, *sophisticus* dicatur. Sunt etiam veræ connexiones ratiocinationis, falsas habentes sententias, quæ consequuntur errorem illius, cum quo agitur. Quæ tamen ad hoc inferuntur à bono & docto homine, ut his erubescens, ille cujus errorem sequitur, eundem relinquat errorem, qui si in eodem manere voluerit, necesse est, ut etiam illa, quæ damnat, tenere cogatur. Non enim vera inferebat Apostolus, cùm diceret: *Neque Christus resurrexit.* Et illa alia: *Inanis est fides nostra, inanis & prædicatio nostra.* Quæ omninò falsa sunt, quia & Christus resurrexit, & non erat inanis prædicatio eorum, qui hoc crediderant. At quia falsum est, quod sequitur, necesse est, ut falsum sit, quod præcedit. Præcedit enim, non esse resurrectionem mortuorum, quod dicebant illi, quorum errorem destruere voluit Apostolus. Porrò illam sententiam præcedentem, quâ dicebant, non esse resurrectionem mortuorum, necessariò sequitur: *Neque Christus resurrexit.* Hoc autem, quod sequitur, falsum est. Christus enim resurrexit, Falsum est ergò, quod præcedit. Præcedit autem non esse resurrectionem mortuorum. Est ergo resurrectio mortuorum. Quod totum ita breviter dicitur: si non est resurrectio mortuorum, neque Christus resurrexit. Christus autem resurrexit, est igitur resurrectio mortuorum. Cùm ergo sint veræ connexiones, non solùm verarum, sed etiam falsarum sententiarum, facile est, veritatem connexionum etiam in scholis illis discere, quæ præter Ecclesiam sunt; sententiarum autem veritates in sanctis libris Ecclesiasticis investigandæ sunt. Ipsa tamen veritas connexionum non instituta, sed animadversa est ab hominibus, & notata, ut eam possint vel discere, vel docere. Nam est in rerum ratione perpetua & divinitùs instituta, quæ à Deo authore sunt facta. „ Hæc de Dialecticæ usu, necessitate, & præstantia B. Rabanus Maurus, qui etiam in Physica & Metaphysica, ut de *Ethica* nihil dicam, in qua planè tegnavit, se minimè hospitem ac peregrinum fuisse in libris tum de *Anima*, tum de *Universo* præclarè ostendit, in his siquidem de Deo, humana mente, & Angelis philosophatur; posteà verò de cœlestibus & terrestribus creaturis, non solùm de

Dialectica Clericis necessaria.

Falsæ sequelæ ex veris connexionibus

de natura, sed etiam de vi & effectibus earum per multa capita & sectiones instituit. Nec dubium, quin quæ argumenta ad Dialecticam, Physicam, & Metaphysicam attinentia literis consignavit, suos prius in Fuldensi Academia edocuerit Auditores.

Samson. In Hispania floruit seculo IX. *Samson*, Abbas monasterii S. Zoili, quem virum fuisse doctrinâ præstanti, subtili ingeniô, & in philosophiæ studiis versatum, colligit Morales * ex ejus apologetico, quod tribus libris distinctum scripsit contra Hostigesium, Malcitanum Episcopum, à quo in Concilio Cordubensi hæreticus non sine convitio vocatus fuerat.

Manno. Eodem ævo in Gallia ** *Manno* cœnobii S. Augendi monachus & Præpositus philosophiam in scholis docuit. Ejus discipulus fuit sanctus Radbodus Trajectensis Episcopus, qui primis literis apud Guntherum Coloniensem Antistitem avunculum suum delibatis, primò *ad Caroli Regis Francorum, scilicet Calvi, inde ad Ludovici ejus filii aulam se contulit: non quòd palatinos ambiret honores, sed quòd intra Regis palatium liberalium studia præclarè colerentur. Præerat autem Gymnasio illi Manno Philosophus: cui sanctus puer fervens discendi studio, sedulus adhærebat.*

Primus Philosophiæ Professor in Univers. Oxon. est Benedictinus. In Anglia *Joannes Æthelingiæ* Abbas, vir acerrimi ingenii, hoc eodem seculo IX. ab Alfredo Rege primus Philosophiæ Professor in Academia Oxoniensi constitutus, ejusdem fontes summo regni applausu aperuit. De eo vide superiùs dicta pag. 205.

S. Augustini Dialectica à Benedictinis tradi consuevit. Illud verò probè hîc notandum, non Aristotelis, sed plerumque *S. Augustini* Dialecticam à nostris fuisse traditam. Cùm enim Stagyritam ab antiquioribus Ecclesiæ Magistris repudiatum, atque ut Christianæ fidei hostem acriter lacessitum nôssent, ab explicandis ejus placitis multùm abhorruerunt. Venerabilem tamen *Bedam* Aristoteli operam dedisse, ex eo ad oculum liquere nonnullis videtur, quòd sententias ex eodem Philosopho decerptas in unum corpus redegerit. At enim collectionem illam Bedâ planè indignam, & longè recentioris esse Scriptoris eruditi contendunt Critici. Non igitur Venerabilis Beda Philosophiam Aristotelicam amplexus est, sed illam potiùs à Christianæ fidei confiniis arcuisse quidam probare volunt ex ejusdem Lib. IX. in cap. IX. Samuelis, & in cap. VII. Levit. Ego, cùm utrumque locum consuluissem, eum fuisse allegatum oppidò miratus fui, cùm sanctus Doctor nec verbulo Aristotelis mentionem faciat.

Re igitur incerta, juvat tantisper aures præbere *Ernulfo*, seu *Arnulfo* ex monacho Belluacensi Episcopo Roffensi, atque amico S. Anselmi Cantuariensis, qui ad varias quæstiones, quas illi vir quidam gravis, nomine Rambertus, proposuerat, respondens; „In quarta, inquit, quæstione sic quæritur: Si integer Christus sumitur, „utrùm solum corpus sine anima, aut „etiam anima cum corpore sumitur? „Cujus generis percunctationes ab iis „proponi solent, qui appetunt sapientes videri, quos magis delectat „Philosophicis disputationibus elatè „inservire, quàm Ecclesiasticis disciplinis & sacris auctoritatibus humiliter ac fideliter obedire. Hi timentibus Deum à fide potiùs quàm ratione probantibus, Corpus Christi „sanguinémque esse, quod sumitur „de altari, decipulas hujusmodi obtendere solent: Corpus Christi, quod „sumitur de altari, aut est animatum, „aut inanimatum; si est animatum, „mirum est, cur non ex se movetur; „si verò inanimatum, quomodo est „illud, quod surrexit à mortuis, & „vivit in sæcula sæculorum? Item „sic ajunt: Corpus Christi aut est corruptibile, aut incorruptibile: si est „incorruptibile, quomodo frangitur, „minuitur, inveteratur? si autem est „corruptibile, qualiter verum est, veram resurrectionem illud accepisse, „& veræ incorruptibilitatis particeps „esse? Has, ut dictum est, nodosas „disputationes illi objicere moliuntur, „quos amor humanæ laudis, quos favor fatigat popularis, qui gaudent „imperitis scrupulosarum parare laqueos quæstionum, quibus sacrarum non sufficit robur & auctoritas „Scripturarum, quibus cordi est potiùs sequi rationem sapientiæ secularis, quæ stulta est à sapientia Dei, „quàm fidei veritatem, quæ inscrutabilia penetrat. *Et quibusdam interpositis.* Hoc idcircò dixerim, ut „quæ sola fide intuenda sunt, in quæ„stionem

Notantur Philosophi, qui Mysteriū Eucharistiæ ad placita Philosophiæ exigunt.

Mysteria fidei sunt simplici-

* in Eulog. pag. 215.
** Bulæi Hist. Univers. Paris. Tom. I. ex vit. apud Surium d. 29. Novemb.

ter credenda non philosophicè disquirenda. „ stionem non adducatis, quia non est „ utile animæ Christianæ insolitis di„ sputationibus discutere mysteria re„ demptionis nostræ. „ Hæc Arnulfi verba Joannes Launoius * refert ex MS. Codice, qui Rotomagi asservatur in Bibliotheca Virorum Cl. Fratrum Bigotiorum. Porrò disputationes philosophicæ, quas auctor Ecclesiasticis disciplinis & auctoritatibus sacris opponit, aliæ non sunt præterquàm Aristotelicæ, quas scilicet Aristotelis Philosophia suppeditabat, ut nostræ redemptionis mysteria ludibrio exponerentur. Et miretur quis, si majores nostri Aristotelem, ex quo veteres hæreticos deprompsisse arma, quibus in arcem religionis nostræ invaderent, didicerant, procul à scholis suis abigendum existimârint.

Logica S. Augustini in usu est apud Benedictinos Professores. Contrà verò summo in pretio ac existimatione illis erat Dialectica ** sub nomine S. Augustini vulgata. Hanc non modò in monasteriis, sed publicis etiam in Academiis docuerunt. Ut enim de Parisiensi solùm schola loquamur, primus, quem post Caroli M. tempus Lutetiæ Parisiorum Philosophiam docuisse veteres tradiderunt, fuit REMIGIUS noster, Autissiodorensis monachus, de quo sic habetur in vita S. Odonis Cluniacensis Abbatis lib. 1. Remigius Autissiodorensis. *Odo vir beatissimus, ex Francorum prosapia extitit oriundus, sed intra domum Willelmi, robustissimi Ducis Aquitaniæ est alitus, nonodecimo ætatis suæ anno apud beatum Martinum Turonis est tonsus, ibique Grammaticæ laribus est educatus, deinde apud Parisium Dialectica Musicâque à Remigio doctissimo viro est instructus.* Sed Parisiis abeunte Remos Remigio ***, quò à Fulcone Archiepiscopo Remensi evocatus fuerat, ut scholas hujus urbis cum Hucbaldo S. Amandi monacho disciplinis sophicis nobiliter erudito instauraret, Parisios accessit Odo, qui magistri sui exemplo S. Augustini dialecticam docuit. S. Odo Cluniac. Qua de re sic in lib. 1. vitæ Odonis: *Odo his diebus adiit Parisium, ibique Dialecticam sancti Augustini Deodato filio suo missam perlegit, & Marcianum in liberalibus artibus frequenter lectitavit. Præceptorem quippe in his omnibus habuit Remigium.* Post hos vir illustris, Wilramus. nomine *Wilramus*, tradendæ Philosophiæ sumpsit provinciam, teste Trithemio ad annum MLXIV. Chronici Hirsaugiensis. *Claruit*, inquit, *his temporibus Wilramus ex Scholastico Bambergensi monachus Fuldensis, & tandem ex monacho Abbas cœnobii Mersburgensis ****, vir tam in Divinis Scripturis, quàm in secularibus literis non infimè doctus, qui in Parisiensi Gymnasio Philosophiam multis annis gloriosè docuerat.* Sic igitur usus obtinuerat, ut Lutetiæ S. Augustini Dialectica à Benedictinis traderetur: eam doctissimus ille vir Remigius tradidit, post Remigium Odo, & post Odonem Wilramus, aliique non pauci tradiderunt.

Controversia de unitate vel multiplicitate animæ: Controversiam Theologicam, an Philosophicam seculo IX. habuit *Ratramnus* Corbeiensis scholæ Lector cum alio ejusdem Corbeiæ veteris monacho, qui *unam in omnibus hominibus animam esse* prætendebat. Istius controversæ quæstionis statum Ratramnus in Tractatu, quem adversùs hunc monachum composuit, & quem Mabillonius in Præfatione Partis II. seculi IV. Benedictini testatur se legisse in membraneo Codice Bibliothecæ S. Eligii apud Noviomum, exponit his verbis: *Dicit namque*, scilicet ille monachus, contra quem scripsit Ratramnus, quod *omnis homo unus sit per substantiam, & omnis anima rationalis una sit anima per substantiam. Quod si ita est, sequitur, ut non sit nisi unus homo, & una anima, quod absurdissimum fore conspicit prudentia vestra.* Hanc de unitate vel multiplicitate animæ controversiam ad fidem & religionem spectare non solùm putavit Ratramnus, sed idem subinde etiam visum est sancto Thomæ Doctori Angelico, & omnibus post ipsum Theologis, qui Averrois unicum hominum intellectum asserentis errorem confutârunt. Hinc Patres Concilii V. Lateranensis sub Leone X. Summo Pontifice celebrati, solemni Decreto sessione octava, quæ habita est die XIX. mensis Decembris anni MDXIV. definierunt, animam hominis immortalem esse, atque in pluribus hominibus non unam, sed plures animas esse, & eos, qui contrarium docent, tanquam hæreticos vitandos & puniendos esse sanxerunt. Verùm, ut cordatè fatear, cum doctissimo Gravesonio ***** concilia- loquor, hanc de unitate vel multiplici- tur. citate

* de var. Aristot. in Academ. Paris. Fort. cap. 3. p. 183.
** In nova Operum S. Augustini editione RR. Patres è Congregatione S. Mauri hoc Opus S. Doctori abrogârunt, & in appendicem cum cæteris Operibus spuriis rejecerunt.
*** Flodoard. Lib. IV. Hist. Rem. cap. IX.
**** Veriùs *Eberspergensis in Bavaria*.
***** Hist. Eccl. Sec. IX. Colloq. III. p. 151.

citate animæ controversiam, quæ ex Philosophiæ principiis ortum habuit, nunc facili negotio conciliant Philosophi, qui in suis scholis & pulpitis docent, unam in omnibus hominibus esse animam *unitate specifica*, sed non *unitate numerica*, quia pro corporum, quibus infunditur, multitudine multiplicatur. Hac solemni scholarum distinctione evanescit, & in fumum abit illa controversia, quam nonnulli Dialecticæ argutiis plus æquo indulgentes in Ecclesia olim excitârunt.

Sec. X. Philosophiæ Studiosi & Professores: S. Dunstanus,

Seculo X. *S. Dunstanus* *, Glastoniensis tunc Abbas, & posteà Cantuariensis Archiepiscopus patrium solum vertere jussus ab Elwino Angliæ Rege, cujus ille perditos mores redarguere non cessabat, transmisso oceano, in Flandriam se recepit, mansitque aliquamdiu in Gandavensi S. Petri monasterio, ubi Wormarus Abbas erat. Sed cur hoc monasterium præ aliis in habitationem suam elegit? *Propterea quòd illud cæteris istius regionis monasteriis & professione virtutis, & philosophiæ documentis excellere videbatur.* In Germania claruit *Theodericus* monachus & scholasticus S. Albani propè Moguntiam, vir in Scripturis divinis, & in seculari philosophia doctissimus. Eandem laudem vel adbuc majorem Joannes Trithemius ** confert in *Remigium* Mediolacensem monachum, scholæ magistrum, ac posteà Abbatem, Philosophum undecunque doctissimum: sub cujus magisterio multi viri eruditissimi claruerunt. Non inferior utroque fuit *Othricus*, qui Magdeburgi in Saxonia philosophiam docuit. Hujus præter alios quàm plurimos discipulus fuit *S. Adalbertus*, Episcopus Pragensis, & multarum Gentium Apostolus; de quo author vitæ synchronus certos nos esse jubet, quòd philosophiæ scientissimus fuerit. *Quem Dominus credo*, inquit ***, *ad hoc humanæ philosophiæ studere voluit, ut pòst Divinæ Sapientiæ montes faciliori gressu scandere posset: aut potius seculi amara parvulus potare debuit, ut pòst vir factus Dei dulcia præcepta avidiori animo hauriret.* In Gallia *S. Abbo* Floriacensis monachus, ubi philosophiam addiscere constituit, Remos se contulit, ubi eam Remigius Autissiodorensis, aut Hucbaldus S. Amandi monachus, vel eorum in docendi munere successores magna cum nominis existimatione profitebantur. Quam edoctus in Angliæ subinde monasteriis tradidit. Legi hac de re potest Aimoinus Floriacensis monachus lib. de vita S. Abbonis. Certè Fulbertus Carnotensis Episcopus Abbonem in epistola ordine XXI. *magnum Philosophum* vocat. Remis etiam philosophiam hoc ævo docuit *Guibertus*, cujus discipulus fuit inter alios Herebertus Abbas Latiniacensis monasterii. Hic ex Judæo ortus, sed à puero Christianus in omni divina & humana philosophia inter Francos nulli inferior fuisse dicitur. Eidem Guiberto id temporis operam dedit *Fulbertus* S. Petri in valle Carnotensi monachus, qui omnium sui temporis Philosophorum doctissimus est habitus, ac philosophiam multo tempore docuit; à qua docenda neque Episcopus factus destituit. Quâ re magnam gratiam iniit à Willielmo Aquitaniæ Duce, qui Thesaurariam S. Hilarii Pictaviensis ei obtulit, ut legitur in Historia Aquitanica **** his verbis: *Fulberto quoque sapientia valde ornato Episcopo Carnotensi pro reverentia philosophiæ ejus à Francia ad se evocato Thesaurariam S. Hilarii gratis tribuit, & summo bonore eum excoluit.*

Theodericus, Remigius, Othricus, S. Adalbertus, S. Abbo Floriac. Guibertus, Fulbertus,

Hujusce viri complures præclari insignesque tum Clerici tum monachi discipuli fuisse perhibentur, quos inter in philosophia famosus etiam ille *Berengarius* extitit, qui eandem postmodùm seculo XI. in scholis Turonensibus S. Martini professus fuit. Cùm verò per se, ait Guitmundus, attingere philosophiæ altioris secreta non poterat; neque enim homo ita acutus erat; novis saltem verborum interpretationibus singularis scientiæ laudem sibi arrogare, & cujusdam excellentiæ gloriam venari, qualitercunque poterat, affectabat. „Sed postquàm à „ domno Lanfranco (docebat is cùm „ Philosophiam tum Theologiam incredibili omnium applausu in Beccen„ sis monasterii Athenæo) de re qua„ dam parva in *Dialectica* turpiter con„ fusus esset, & per eum liberales artes „ reviviscerent, & ad eum confluerent „ omnes: ille desertum se à discipulis „ dolens, ad scrutanda impudenter „ divinarum Scripturarum sacramenta,

Berengarius philosophatur, à B. Lanfranco confunditur,

* Gall. Christ. Tom. V. p. 192.
** Chron. Hirs. ad an. 980. p. 122.
*** vit. c. 2. n. 5.
**** apud Bulæum in Hist. Univers. Paris. Tom. I. p. 355.

„ ta, homo in his minimè versatus, „ sese convertit; & ea, quorum novitate omnium animos permoveret, „ oculósque ad se traheret, studiosè „ perquirens, maluit esse sub aliquâ „ hominum admiratione hæreticus, „ quàm sub oculis Dei vivere catholicus. Hinc seculi hominibus, qui „ peccare impunè cupiunt, placentia dogmata aperuit, legitima videlicet connubia, quantùm in ipso „ esset, & parvulorum baptisma evertens: altero, ut negato infantibus „ baptismate, adultis postmodùm baptizandis peccandi fræna laxaret. „ Ad hæc veritatem Corporis Christi „ in Sacramento Altaris contra omnium ecclesiarum fidem negare „ ausus est, ut minùs timidos redderet eos, qui tantum Sacramentum „ indignè perciperent: quæ omnia „ cùm per se, tum per egenos scholasticos, quibus vitæ necessaria præbebat, quaquaversum poterat, dis„ seminare sategit. „ Ut verò Berengarius hæretica sua dogmata stabiliret, fulcra ex Aristotelis Dialectica conquisivit. Quod Lanfrancus non dissimulat in libro de Eucharistia, ubi cap. VII. Berengarium his verbis alloquitur: „ Relictis sacris auctoritatibus *ad Dialecticam* confugium facis. „ Et quidem de mysterio fidei auditurus ac responsurus, quæ ad rem „ debeant pertinere, mallem audire „ ac respondere, sacras auctoritates, „ quàm dialecticas rationes. Verùm „ contra hæc quoque nostri erit studii „ respondere, ne ipsius artis inopia „ me putes in hac tibi parte deesse. „ Fortasse jactantia quibusdam videbitur, & ostentationi magis, quàm „ necessitati deputabitur; sed testis „ mihi Deus est, & conscientia mea, „ quia in Tractatu divinarum literarum nec proponere, nec ad propositas respondere cuperem Dialecticas quæstiones, vel earum solutiones. Et si quando materia disputandi talis est, ut per hujus artis regulas valeat enucleatiùs explicari, „ in quantum possum per æquipollentias propositionum tego artem, „ ne videar magis arte, quàm virtute, sanctorúmque Patrum authoritate confidere. „ Quibus verbis vir ille magnus non alludit, opinor, ad Augustini, vel Alcuini, vel alterius cujusdam Christiani Doctoris, sed Aristotelis Dialecticam, quæ argutias continet longè subtiliores, & vulgò periculosiores.

hæretica dogmata spargit,

eáque ex Aristotelis Logica corroborare nititur.

Post B. Lanfrancum in Academiâ Beccensi Philosophiam docuit *S. Anselmus*, qui quantoperè in eâ excelluerit, ejus Dialogi, præprimis *Monologium*, indicio sunt. Hoc enim rogatu Fratrum suorum, cùm Becci Prior esset, philosophico more explicavit. Ejus potissimum argumentum est, dari quoddam optimum & maximum, & summum omnium, quæ sunt, à quo, & per quod est, quidquid est. In libro de Fide Trinitatis Dialecticos, qui non nisi flatum vocis putant esse universales substantias, à spiritualium quæstionum disputatione exsufflandos monet. Scripsit etiam ex instituto librum de Arte Dialectica, quem inscripsit *De Grammatico*, in quo cum discipulo, quem secum disputantem introducit, disputans, cùm multas dialecticas quæstiones proponit & solvit, tum qualitates & qualia, quomodo sint discretè accipienda, exponit, & instruit. Quare audiendus non est Cameracensis in I. quæst. 3. litera 2. ubi ait, rationes quasdam Anselmi non modò demonstrativas non esse, sed & peccare in Logicam. Verùm longè certiùs ipse peccat, subiniquo in Anselmum animo: quoniam, ut jure monet Raynaudus in Theologia Naturali dist. 5. quæst. 1. art. 2. *bene intuenti patet, S. Anselmum præter cætera insignem Philosophum & Dialecticum fuisse.* Quod singillatim ostendere in singulis ejus scriptis, ubicunque opus fuerit, nostræ curæ & laboris erit, inquit Eminentiss. Card. Aguirre, qui Anselmum jure ac merito laudandum esse existimat, quòd Dialectica, & Philosophia speculatrice, præsertim verò Metaphysica, quæ & Theologia Naturalis dicitur, usus fuerit ad exornandam doctriam Catholicam, & ab objectionibus infidelium muniendam eò inferiorum disciplinarum satellitio.

S. Anselmus docet Philosophiam,

probat Dei existentiam,

conscribit librum de arte Dialectica,

defenditur.

Præcipuè impugnavit *Ruscelinum* Clericum, quem Raynaudus Pseudochristianum, & Pseudodialecticum fuisse scribit, quoniam asserebat, nullam rem ex partibus coalescere, & locum illum Scripturæ, in quo dicitur, Christum post resurrectionem comedisse partem piscis assi, ita interpretabatur, quasi Christus comedisset partem hujus complexi vocalis *piscis assi*. Quâ dementiâ nulla unquam major fuit. Nonnulli ajunt fuisse primum Antesignanum sectæ Nominalium, & referunt non levia jurgia eam ob causam excitata in schola Parisiensi.

impugnat Ruscelinum.

Addit

Addit Aventinus lib. VI. hæc faceta quidem, sed rudia & impolita carmina illius ævi contra eundem edita.

Carmen facetum, seu Satyra.

Quas Ruceline doces, non vult Dialectica voces:
Jámque dolens de se, non vult in vocibus esse:
Res amat: in rebus cunctis vult esse diebus.
Voce retractetur, res fit, quod voce docetur.
Plorat Aristoteles rugas ducendo seniles,
Res sibi subtractas per voces intitulatas:
Porphyriúsque gemit, quia res sibi lector ademit:
Quod res abrodit, Ruceline, Boëtius odit.
Non argumentis, nullóque sophismate sentis
Res existentes in vocibus esse manentes.

Odo Philosophiæ Professor

Ab insani hujus Nominalium primipili doctrina longè abfuit *Odo*, Clericus primùm Aurelianensis, postea Abbas Benedictinus S. Martini Tornacensis. Annus agebatur millesimus octogesimus sextus, cùm Aurelianis Tornacum à Canonicis ejus civitatis evocatus, ut Dialecticam doceret, de eadem tres libellos composuit, uti refert Herimannus Abbas monasterii S. Martini Tornacensis, qui medio circiter seculo sequenti scripsit narrationem Restaurationis ejusdem Abbatiæ à Dacherio Tomo II. Spicilegii typis exscriptam. Sed cùm aliqui jam hoc tempore *Nominales*, alii verò *Reales* vocarentur, his ultimis adhæsit: *Eandem Dialecticam non juxtà quosdam modernos in voce, sed more Boëthii, antiquorúmque Doctorum in re discipulis legebat: unde & magister Rambertus, qui eodem tempore in oppido Insulensi Dialecticam Clericis suis in voce legebat; sed & alii quàm plures magistri ei non parùm invidebant, & detrahebant, suásque lectiones ipsius meliores esse dicebant.* Paulò pòst: *Denique domnus Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus in libro, quem fecit de Verbi Incarnatione, non Dialecticos hujusmodi Clericos, sed Dialecticæ appellat hæreticos, qui non nisi flatum, inquit, universales putant esse substantias, dicens eos de sapientûm numero meritò esse exsufflandos.*

à doctrina Nominalium abhorret.

Lectori non ingratum fore opinor, si quæ etiam hac de re Joannes Bucelinus Cameracensis lib. IV. Annalium Gallo-Flandriæ memoriæ prodidit, ejus verbis hîc referam. Publicè docebat Dialecticam Insulæ Lambertus (Rambertum Herimannus vocat) idem Tornaci magister Odo faciebat. Utrumque plurimi Clericorum sectabantur, & passim fama celebrabat. Sed ut assolet propter locorum vicinitatem inter discipulos, invidiâ stimulante, gravis exorta est disceptatio, utri palma doctrinæ deberetur; his Lambertum, illis Odonem præferentibus, ut quemque amor rapiebat. Igitur ut finem disputationi faceret, Guibertus, Insulensis Canonicus, de quodam viro, quem surdum & mutum python insederat, quæsivit curiosiùs, quam utriusque Doctoris scientiam majori nixam soliditate crederet. Is ita nutibus respondit, ut manum dexteram per sinistræ palmam instar aratri terram scindentis pertrahens, & digito in Odonis scholam intendens, hujus doctrinam esse certissimam significaverit. Contra de Lamberto innuens digitum ad Insulense oppidum vertit, dein manû ori admota exsufflaverit, quasi assereret, plurimum inesse lectioni ejus vanitatis. Quæ ut nullam sanè fidem mereantur, saltem idonea fuere comprimendæ tum Lamberti, tum sectatorum ejus arrogantiæ, cùm nimiis Odonem sannis & probris incesserent.... Quid Lamberto factum non invenio. Odo Benedictinum amplexus institutum cùm virtute non minùs, quàm doctrina esset insignis, Abbas primùm Tornacensis, tum Episcopus Cameracensis creatus fuit.

præfertur æmulo suo.

Philosophi Benedictini. Sec. XI.

Fuerunt alii hoc seculo egregii Familiæ nostræ viri, quibus fatis ad laudem cessit, quòd ad Philosophiæ studium se contulerint. Angelrannus, Monachus primùm Centulensis, tum Abbas eximiæ virtutis ac doctrinæ Carnotum missus Fulberto in Philosophia operam dedit. Postea Centulam reversus, quæ didicit, suos docuit. Hinc jam, inquit Hariulphus in Chronico *, quod ingenti studio fuerat „ quæsitum, profertur magnæ scien„ tiæ margaritum: reparantur libri: „ conscribuntur, necdum conscripti: „ educantur pueri; dispertiuntur „ quàm plurimis sapientiæ Thesauri: „ illustratur patria, & ab omnibus „ circumquaque felix vocatur Centu„ la.„

Maurilius.

Maurilius è monacho Benedictino Archiepiscopus Rotomagensis siquis alius pietate ac doctrina Philosophiæ excelluit, cujus epitaphium ab his duobus incipit distichis.

Humani cives, lacrymam nolite negare
Vestro pontifici Maurilio monacho.
Hunc Remis genuit, studiorum Legia nutrix,
Potavit trifido fonte Philosophico.

Apud Cassinates eminuit Constantinus

* Extat in Acherii Spicilegio Tom. 2. p. 321.

Constantinus,

nus Philosophus, Petro Diacono cap. 23. de Vir. Illust. Casin. *Philosophicis studiis plenissimè eruditus.*

Ingulphus,

De Ingulpho Croylandensi Abbate in Anglia Cavens testatur, quòd bonis literis primùm in Gymnasio Westmonasteriensi, deinde in Academia Oxoniensi sedulò operam dederit, Aristotelem inprimis in Philosophicis ducem sibi adhibens. Quin ipse de se scribit, se Westmonasterii primùm, deinde Oxonii literas, & maximè Philosophiam Aristotelis coluisse, ac multos condiscipulos celeritate discendi post se reliquisse.

fiunt Peripatetici.

Cùm igitur labente hoc seculo Philosophia Aristotelica ab Arabibus ad Europæos propagata caput efferre cœpisset, nostris etiam venerationi esse cœpit. Cœteros in ea antecelluerunt

Gebehardus, Gerbertus,

Gebehardus, Augustanus Episcopus, qui quo tempore Abbas adhuc erat Elvacensis in Suevia, *Abbatum egregius* dici promeruit, & Gerbertus Remensis in Gallia Archiepiscopus, postea Sylvester II. Romanus Pontifex. Is cùm fortè in aulâ Imperatoris Ottonis II. versaretur, eidem opusculum* Philosophicum dedicavit. Cùm enim Imperator textus quosdam Aristotelis in medium protulisset, nec ab aulæ suæ viris doctis pro dignitate explicari videret, Gerberto negotium dedit, ut eos dissolveret. Id quod ipse in Dedicatione libelli sui his verbis exposuit: „ Meministis enim, & meminisse possumus, adfuisse tum multos nobiles scholasticos, & eruditos, inter quos nonnulli aderant Episcopi, sapientiâ præclari, & eloquentiâ insignes. Eorum tamen videmus neminem, qui earum quæstionum ullam dignè explicuerit, quòd quædam nimis ab usu remotæ nec dubitationem antè habuerint, & quædam sæpenumero ventilatæ dissolvi non potuerint. Vestra quoq; divina providentia, ignorantiam sacro Palatio indignam judicans, ea, quæ de *Rationali*, & *ratione uti* diverso modo à diversis objectabantur, me discutere imperavit.

docent Dialecticam Aristotelis,

Porrò Aristotelem cùm sub seculi duodecimi initium Averroës, Arabs Cordubensis, ita illustrâsset, ut Commentatoris cognomen adeptus, pronemodùm ipse quoque sectæ cujusdam princeps fuerit, ejus commentis Benedictini Croylandenses in Anglia adjuti, discipulis suis abstrusos Aristotelis sensus elucidârunt. Cùm enim Joffridus Abbas plures monachos quà humanas, quà divinas docturos literas Cantabrigiam transmisisset, ex iis *ad boram primam Frater Terricus, acutissimus Sophista* (Logicus seu Dialecticus) *Logicam Aristotelis, juxta Porphyrii Isagogas, & Averrois adolescentioribus tradebat.* Quod quidem nostrorum consilium & studium, inquit Cl. P. Mathæus ** Weiss in Lycæo Benedictino, maximo Ecclesiæ contra hæreticos adjumento fuit, cùm non jam sententiis tantùm sacræ Scripturæ, sed & rationibus, idonea argumentatione conclusis, Fidei dogmata explicata sunt, & Philosophia est ad ancillandum Theologiæ vocata & admissa.

in Academia Cantabrig.

Non omnibus Benedictinis probatur Aristoteles.

Mirati proinde subit, quòd Nicolaus sancti Albani monachus Petro Cellensi Abbati morem Aristotelicum disputandi exprobrârit. Sic enim loquitur in epistolâ, quæ nona est libri IX. epistolarum Petri Cellensis: *Ironico typo subsannans* (me Petrus) *hic bonum dormitâsse Homerum Aristotelico more sic logicat.* Et verò Petrus lib. IX. epistola XII. certum quoddam Aristotelis consilium laudat, quamvis illud non omnino sequatur: *Non ignoro*, inquit, *apud Aristotelem dubitare de singulis non esse inutile.* Nonnihil tamen hujus Philosophi placitis Petrum fuisse addictum, ex Nicolai exprobratione colligitur.

Adelardus,

Hæc dum Petrus & Nicolaus inter se litigant, eodem ferè tempore *Adelardus*, Bathoniensis in Anglia Benedictinus, egregius, siquis alius, inter Britannos Philosophus, de rerum, sive naturalium compositorum causis cum Nepote suo disputationem instituit; quam subinde in morem Dialogi conscriptam Richardo Baiocensi Episcopo nuncupavit. Adelardi præterea in rebus Philosophicis, maximè quæ ad Physicam spectant, doctrinam testantur Problemata, sive Naturales Quæstiones LXXVI. quod Opus, Philosopho dignum Joannes Lelandus libro *** de Scriptoribus Anglis appellat.

Abælardus a Philosophiæ studio laudatur.

Hoc ævo perquàm celebre etiam fuit nomen Petri Abælardi. Sanè quemadmodum *veteris Græciæ Philosophorum omnium ingenia Socratico ore defluxisse*

* Edidit Bern. Pez. Tom. I. Thes. Anecd. Part. 2. p. 148.
** Cap. IX. pag. mihi 159.
*** Cap. 171.

fluxisse observat ex vero Vellejos Paterculus, sic, teste Christophoro * Heumanno, Abælardus non solùm vocatus est in epitaphio, sed verè fuit *Gallorum Socrates*, hoc est, dux & auctor gregis literati numerosissimi. Longè alia de Abælardo fuit opinio S. Bernardi, qui ei sese opposuit, & Dialecticam Aristotelis exprobravit. Sic enim eâ de te loquitur in epistola ad Innocentium II. *Habemus in Francia novum de veteri magistro Theologum, qui ab ineunte ætate in arte Dialecticâ lusit, & nunc in scripturis sanctis insanit. Olim damnata & sopita dogmata, tam sua videlicet, quàm aliena suscitare conatur, & insuper nova addit.*

vitupera-tur.

Fuit Roscelini Nominalium Primipili discipulus.

Otto Frisingensis Episcopus eadem de Abælardo memoriæ prodidit lib. I. de gestis Friderici I. Imperatoris: *Habuit primò præceptorem Roselinum quendam, qui primus nostris temporibus in Logica sententiam vocum instituit.* Et post alia: *Inde magistrum induens Parisios venit, plurimum in inventionum subtilitate non solùm ad Philosophiam necessariarum, sed & pro commovendis ad jocos animis utilium valens.* Et denuo. *Sententiam vocum seu nominum in naturali tenens facultate non cautè Theologiæ admiscuit. Quare de S. Trinitate docens & scribens, tres personas, quas S. Ecclesia non vacua nomina tantum, sed res distinctas, suasque proprietatibus discretas hactenus & piè credidit, & fideliter docuit, nimis attenuans, non bonis usus exemplis inter cætera dixit: sicut eadem oratio est propositio, assumptio, & conclusio, ita eadem essentia est Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ob hoc Suessionis Provinciali contra eum Synodo sub præsentia Romanæ Sedis Legati congregata ab egregiis viris & nominatis magistris Alberico Remense, & Leutaldo Novariense Sabellianus hæreticus judicatus, libros, quos ediderat, propriâ manu ab Episcopis igni dare coactus est.* Hinc Gualterus Lutetiæ in monasterio S. Victoris Prior Abælardum inter quatuor errorum Franciæ Labyrinthos numerare non dubitavit. Quin acriter etiam, velut inauditarum inventor & assertor novitatum à Gosvino celebri id temporis Philosopho impugnatus fuit.

cum eo insanit.

est inventor novitatum.

Erat is honestis parentibus Duaci, vel propè Duacum natus, ibidémque primas literas didicisse videtur. Inde Parisios se contulit Dialecticæ addiscendæ studio, ubi Joslenum magistrum habuit. Cùm illic scholas habetet Abælardus, & insolitas novitates docetet, eum palàm impognâsse, & disputando revicisse dicitur Goswinus. Tum in patriam reversus, Duaci scholas aperuit, ibidémque sancti Amati Canonicus factus est; sed terum labentium inanitatem, scholæ labores multiplices & exiguos fructus, mundi denique justa pericula repntans animo, de relinquendo seculo seriò cogitare cœpit, Deum sic orare solitus: *Domine Deus, si ex te est, custodi mihi hanc voluntatem.* Hæc cogitatio sensim accendebatur ex colloquio tum Alvisi, Abbatis Aquicinctensis, tum ejus officialium seu ministerialium, qui negotiorum causa Duacum frequentabant, & suavem de se spargebant odorem; retardabatur verò amore parentum & scholarium suorum, qui eum impensè diligebant. Dum sic propositum differt, paullatim tepescere cœpit primns ille ardor, insedítque animo Parisios studiorum causa repetere cum amico, nomine Haimerico, sed cùm sodalis iste morbo, ac deinde morte interceptus esset, retentus est domi Gosuinus, cujus animo sensim recalescere cœpit primigenius ille fervor, ac tandem cum Bernardo fratre Aquicinctum, celebre Ordinis nostri in Belgio monasterium, se recepit, & in cœtum fratrum receptus est. Illic brevì in meliori Philosophia, hoc est, virtutum studio profectum fecit, demúmque Abbas creatus est. Felix, qui dicere potuit:

revincitur à Goswino.

Linquo coax ranis, cras corvis, vanáque vanis;
Ad Logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

Cœterùm cùm ipse posteà etiam Abælardus, quîcum Gosuinus in philosophicam arenam descenderat, in monasterio S. Dionysii monachus Benedictinus factus fuisset, ad cellam subinde extra cœnobium secessit, scholis more solito vacaturus. Ad quas quidem tanta scholarium multitudo confluxit, ut nec locus hospitiis, nec terta sufficeret alimentis. „ Ubi (sunt „ ipsius Abælardi verba) quod pro„ fessioni meæ convenientius erat, sa„ cræ plurimum lectioni studium in„ tendens, secularium artium disci„ plinam, quibus ampliùs assuetus fue„ ram, & quas à me plurimùm requi„ rebant, non penitus abjeci: sed de „ his quasi hamum quendam fabrica„ vi, quo illos philosophico sapore in„ escatos ad veræ philosophiæ lectionem

Abælardus jam Monachus

Philosophiam maximo concursu docet.

* In Conspect. Hist. Lit. c. 4. §. 34. p. 103.

„ nem attraherem: ficut & fummum „ Chriftianorum Philofophorum Origenem confueviffe, Hiftoria meminit Ecclefiaftica. Cùm autem in Divina Scriptura non minorem mihi „ gratiam, quàm in feculari, Dominus contuliffe videretur, cœperunt „ admodùm ex utraque lectione fcholæ noftræ multiplicari, & cœteræ „ omnes vehementer attenuari. Unde „ maximè magiftrorum invidiam atque odium in me concitavi.„ Quod Otho Frifingenfis Epifcopus teftatum quoque reliquit in Lib. I. de rebus geftis Friderici I. cap. XLVII. *Ubi* (fcilicet Parifiis) *occafione quadam fatis nota non benè tractatus* (Abælardus) *monachus in monafterio fancti Dionyfii effectus eft, ibi, die noctúque lectioni ac meditationi incubans, de acuto acutior, de literato efficitur literatior.* Chronicon item Morini accenfe: *Petrus Abælardus monachus & Abbas, vir erat religiofus, excellentiffimarum Rector fcholarum, ad quas penè de tota Latinitate viri literati confluebant.* Quibus liquet verbis, Abælardum celebrem habuiffe in fuo monafterio philofophicam fcholam, quæ velut examen quoddam Parifienfis fcholæ fuit.

non fapit ad fobrietatem.

Cùm verò, ut quod res eft, dicamus, Abælardus non usque ad fobrietatem faperet, fed infano philofophiæ amore correptus effet, veteres Philofophos, maximè Socratem ac Platonem tanti habere cœpit, ut ea de iis prædicaret, quæ orthodoxa fides planè refpuit atque abhorret. Clariffimus P. Edmundus * Martene ejuscemodi encomia ex Chriftiana ejus Theologia benè multa excerpfit, quæ hîc à paucis fortè Sodalium noftrorum in Germania lecta in medium attuliffe me non pœniteat.

nimiis & immeritis laudibus veteres extollit Philofophos.

1. Sic comendat Philofophos gentiles, ut digni *illi videantur, quibus etiam Deus fuæ fidei arcana revelare dignaretur.* Hanc verò revelationem non divinæ gratiæ, fed eorum continentiæ tribuit his verbis: *Tum ipfa continentiffimæ vitæ fobrietas quodam eis merito idipfum acquifivit*, fcilicet Dei cognitionem.

Ex ejus fententia Deus fidei arcana Philofophis revelavit.

2. Præ cœteris tamen hoc privilegium tribuit Platonicis: *Revolvatur*, inquit, *& ille maximus Philofophorum Plato, ejúsque fequaces, qui teftimonio fanctorum Patrum præ cæteris gentilium Philofophis, fidei Chriftianæ attendentes, totius Trinitatis fummam poft Prophetas patenter ediderunt, ubi videlicet Mentem, quam* Νοῦν *vocant, ex Deo natam, atque ipfi coæternam effe perhibent, id eft, Filium, quem Sapientiam Dei dicimus, ex Deo Patre æternaliter genitum. Qui nec Spiritûs fancti perfonam prætermififfe videntur, cùm animam mundi effe affirmârunt tertiam à Deo &* Νῷ *perfonam.* Neque id in Abælardo ferre potuerunt ejus adverfarii, quòd Spiritum fanctum affereret effe animam mundi. Non tamen ibo inficias, Abælardum Platonicorum verba in fenfum Catholicum inflectere tentâffe. Verùm omninò contra Platonis ejúsque fequacium mentem, qui Νοῦν, five Mentem fummo Deo, animam mundi Deo & Νῷ feu Mente inferiorem faciebant. Et certè plures Deos à Platone admiffos fuiffe docet S. Auguftinus in lib. de Civitate Dei, unde & S. Bernardus jure redarguit Abælardum, quòd, *dum multùm fudat, quomodo Platonem faciat Chriftianum, fe probat ethnicum.*

præprimis Platoni,

3. Non folùm Platonem, fed omnes ejus difcipulos Chriftianos facere tentavit Abælardus. Nam non multò poft citata jam libri ejus primi verba hæc addit: *Pluribus quoque Sanctorum teftimoniis didicimus Platonicam fectam fidei fanctæ Trinitatis plurimùm femper affentiri, & eam diligentiùs cæteris Philofophis à Platone & fequacibus ejus diftingui ac defcribi.* Tum referens id, quod à Valerio Maximo fcribitur, Platonis parvuli dormientis ori examen apum infediffe, prodigium illud non fuavitati ejus eloquii cum vatibus attribuit, fed *excellentius*, inquit, *& convenientius id interpretandum effe non dubito, fi ad divinæ dignitatis gloriam hoc miraculum referatur, ut hoc ei Deus infigne præfagii conferret, qui divinitatis fuæ per eum diligentiùs arcana revelaturus effet. Oportebat quippe, ut fummæ Sophiæ, quæ Chriftus eft, Verbum videlicet & Sapientia Dei Patris, fummus Philofophus, ejúsque fequaces plurimùm atteftarentur.*

quem cum fuis facit Chriftianum.

4. Fidei donum non Platonicis tantùm, fed omnibus tribuit Philofophis. Sic enim in libro 2. *Gentiles fortaffe natione, non fide, omnes fuerunt Philofophi.*

Fidei donum Philofophis attribuit.

5. Eis non modò SS. Trinitatis, fed Incarnationis Verbi quoque myfterium difertis verbis afferit: *Quis etiam afferat nullis eorum* (Philofophorum) *fidem incarnationis revelatam effe, ficut & Sybillæ, licèt in eorum fcriptis non videatur expreffa?*

6. Ex

* in admon. præv. ad Pet. Abælard. Theol. Chrift. Anecd. Tom. V. p. 43.

Cælo eos asserit.

6. Ex hujusmodi principiis cœlestem beatitudinem Philosophis minimè denegandam infert. *Nulla*, inquit, *ratione cogendi videmur, ut de salute talium diffidamus gentilium, qui ante adventum Redemptoris, nullo legis scripto instructi, naturaliter juxta Apostolum, ea, quæ legis sunt, facientes ipsi sibi lex erant.* Et non multò pòst: *Hæc idcircò induximus, ne quis post legem etiam datam usque ad adventum Christi, de salute fidelium gentilium desperet, si sine perceptione sacramentorum sobriè ac justè vixerint, inter quos quidam Philosophi tam vita quàm doctrina claruisse noscuntur.* Et iterùm: *Quid de Philosophis ante adventum Christi tam fide quàm vita clarissimis diffidere cogamur, ne indulgentiam sint assecuti?*

Certus est de eorum salute.

7. Longè certior fuit Abælardus de salute Philosophorum, quàm de salute catechumenorum sine baptismo decedentium, unde paulò ante finem libri 2. improbat Ambrosium scribentem de salute Valentiniani Imperatoris catechumeni defuncti minimè desperandum, *cùm hoc*, inquit, *non solùm Evangelio, verum & sanctis Doctoribus adversari penitùs videatur.*

Judæis præfert,

8. Philosophos suos etiam Judæis ipsis, quos in proprium Deus elegerat populum, non obscurè præfert. Sic enim in libro 2. *Nam & hunc finem esse eis* (Philosophis) *propositum constat, de perceptione sc. æternæ vitæ, quem & ipse Dominus nobis assignavit, & quem Israël minùs attendebat, spe & ambitione terrenæ felicitatis magis subjectus, quàm desiderio æternorum. Unde & eis literæ veneratoribus nulla retributio in lege de observatione legis juxta literam promissa, aut exspectanda est, nisi prosperitas terrena, ad quam toto inhiant desiderio.*

Socratem SS. Martyribus æquiparat,

9. Inter Philosophos Socratem sanctis Martyribus comparare non veretur. Nam secundùm ipsum, Socratem *quasi martyrem, & certum de remuneratione occubuisse, tam divini quàm seculares commemorant codices.*

ineptè illum excusat,

10. Ut sanctum efficeret Socratem, quod iste Philosophus de communitate uxorum suis præscripserat, excusare non erubuit, ad sensus figurativos ejus verba detorquens, contra manifestam Socratis mentem, qui ipso fatente Abælardo, *Uxores quoque communes fore instituit, ut nullus proprios requirat liberos, cùm scilicet ignorarentur veri eorum patres.*

Non tamen habendus hæreticus.

Ex quibus omnibus satis apparet, in quantos errores Abælardus nimio suo philosophandi studio prolapsus sit. Si quid ipsum excusare potest, illud præsertim esse existimamus; quòd scripta sua peritiorum ac proinde ipsius Ecclesiæ judicio subjecisse videtur. Devixit verò Abælardus XI. Cal. Maj. MCXLII. anno ætatis suæ 63. nempe climacterico. Epitaphium demortuo sequens fuit positum.

Gallorum Socrates, Plato maximus Hesperiarum
Noster Aristoteles, Logicis, quicunque fuérunt,
Aut par, aut melior, studiorum cognitus orbi
Princeps ingenio varius, subtilis, & acer,
Omnia vi superans rationis & arte loquendi
Abalardus erat. Sed nunc magis omnia vincit,
Cùm Cluniacensem monachum, morémque professus
Ad Christi veram transivit Philosophiam,
In qua longæva benè complens ultima vitæ
Philosophus quandoque bonis se commemorandum
Spem dedit, undenas Majo revocante calendas.

Conradus Imp. Wibaldi Abbatis nugis philosophicis delectatur.

Wibaldum, Abbatem Stabulensem & Corbeiensem, virum quàm doctrinâ tam prudentiâ hoc ævo insignem Conradus hujus nominis Imperator III. non magni tantùm fecit, ejúsque sapientissimis consiliis in maximis imperii negotiis usus est, sed quandoque etiam philosophicis, ut ita dicam, illius nugis inter prandendum oblectari cœpit. Qua de re ipsum Wibaldum * in epistola ad Manegoldum scholæ magistrum audire præstat: „ Argutias, inquit, & sophisticas conclusiunculas, quas *gualdicas* à quodam Gualone vocant, nec exercebis superbè, nec contemnes penitus. Hæc hujusmodi sunt: Quod non perdidisti habes, cornua autem non perdidisti, cornua ergo habes. Item: Mus syllaba est, syllaba autē caseum non rodit, ergo mus caseum non rodit, mirabatur dominus noster *Conradus* Rex ea, quæ à literatis vafrè dicebantur, & probari non posse hominem esse asinum ajebat. Jucundi eramus in convivio, & plerique nobiscum non illiterati. Dicebam ei, hoc in rerum natura non posse fieri, sed ex concessione indeterminata nascens à vero mendacium falsâ conclusione adstringi. Cùm non intelligeret, ridiculo eum sophismate adorsus sum. Unum, inquam, habetis oculum? quod cùm dedisset, duos, inquam, oculos habetis? quod cùm absolutè annuisset; unus, inquam, & duo tres „sunt,

* ep. 146. inter ejus epistolas apud Cl. Martene Collect. Ampl. Tom. II. col. 337.

„ sunt, ergo tres oculos habetis. Captus „ verbi cavillatione jurabat se tantùm „ duos habere oculos. Cœterùm fac, „ ut hæc exsolvere non possimus, quod „ periculum, aut quod incomodum „ nobis imminet? de justitia, de pie„ tate, de frugalitate, de pudicitia „ utraque, & illa, cui alieni corporis „ abstinentia est, & hac, cui sui cura „ est, disputatio neglecta dispendium „ parit, non auræ popularis amisso „ disputationis præconio, sed vitæ po„ tiùs atque morum detrimento. „ Hæc ille: ex quibus docemur, præ Philosophia scholastica pluris faciendam esse Religiosæ vitæ cultoribus, atque adeò præ omnibus Christianis Philosophiam moralem. Sed de hujus studio posteà.

Philosophiæ tradendæ in Universitate Parisiensi triplex methodus. Commodùm hîc attexere Egassii Bulæi * verba posse mihi videor, quibus in aperto constituit, quodnam in Universitate Parisiensi, in qua Benedictini non Philosophiam tantùm docuerunt, sed & primi docuerunt, Philosophiæ genus, seu potiùs Philosophiæ tradendæ methodus à primo usque ad seculum quartum, id est, à seculo nono usque ad duodecimum inclusivè viguerit. Una methodus, inquit, antiqua & simplex, altera Peripatetica seu Aristotelica, tertia phantastica, & garrula. Prima bona; secunda tolerabilis; tertia vitiosa. Prima bona. Prima, inquam, illa est, quâ tradebantur regulæ Dialecticæ nudè & simpliciter citra quæstionum multiplicium ambages, & talis methodus ab *Alcuino* observata fuit, ut ex ejus Dialectica typis impressa constat, vel legi solebat, quam & doctissimus *Remigius Autissiodorensis* suis discipulis prælegebat Parisiis circa an. 900. & post eum *Odo Aquitanus*, & post Odonem alii magno studio, summóque consensu, ut scribit Launoius in lib. 2. de varia Aristotelis fortuna cap. v. hæc autem docendi methodus ad Platonicam accedebat, quæ simplicior erat Aristotelicâ.

Secunda tolerabilis. Verùm cessit Augustinus Aristoteli & Christianus Gentili, cujus videlicet Dialectica tradi cœpit temporibus Berengarianis: indéque Nominales & Reales altercandi imò digladiandi occasionem acceperunt. Nominales oppugnavit S. Anselmus noster. Aristoteli adhærere cœperunt *Ingulphus*, *Gebehardus*, *Gerbertus*, *Terricus*, *Petrus Cellensis*, aliique Benedictini.

* Hist. Univers. Paris.

Tertia vitiosa. Tertium denique Philosophiæ genus & illud quoque Peripateticum, sed vitiosum est, quod in quæstiones abiit frivolas, inutiles, & inextricabiles, tantæ curiositatis & subtilitatis, ut nulla ingenii acies eas dissolvere posset & explicare. Talis erat Carnificianorum Philosophia apud Saresburiensem in Metalogico: in qua præter cœteros excelluisse hoc seculo perhibetur *Petrus Abælardus* noster. Et ea tantoperè scholaribus placuit, ut cœteri Magistri, qui eadem methodo non uterentur, pro asinis haberentur, & ab omnibus penè desererentur. Hos impugnavit *Arnulfus* noster Belluacensis, cujus verba suprà retulimus. En triplicem Benedictinis usitatam philosophandi methodum, quæ usque ad seculum duodecimum inclusivè tenuit. Prima bona, secunda tolerabilis, tertia vitiosa.

Philosophiæ studium apud Benedictinos languere incipit. Seculo autem XIII. uti alia literarum studia, sic Philosophia apud nostros passim languere cœpit. Unde seculo sequenti Clemens V. in Concilio Viennensi sancivit, ut monachi in primitivis scientiis, hoc est, ut Benedictus XII. explicat, in Gramatica, Logica, & Philosophia instruantur. Dicto audientes fuerunt Benedictini Angli, è quibus Adamus Estonus, monachus Norwicensis, in Collegio Benedictino Oxoniensi, vulgò Aulâ Glocestrensi, Philosophiam ita imbibit, ut peracto ejus cursu Græcus Philosophus, ob quotidianum Græcarum literarum exercitium, & alter plane Plato vel Aristoteles, teste Pitseo, videretur.

De Aristotele benè meretur Cardinalis Totavillæus. Seculo XV. Aristotelem magno sibi beneficio devinxit *Guilielmus* noster Cardinalis *Totavillæus*. Cùm enim anno 1452. Caroli VII. Regis auctoritate Academiam Parisiensem instauraret, Philosophi hujus doctrinam, maximè Ethicam, non verbis tantùm commendavit, sed & docendam & discendam, edito statuto præscripsit. En Cardinalis verba: *Item sequens approbamus statutum, quòd scholares priusquàm admittantur ad determinandum, audiant veterem artem totam, librum Topicum potissimè, quoad quatuor libros, & libros Elenchorum Priorum & Posteriorum completè, etiam librum de anima in toto vel in parte.* Et post alia: *item illud statutum innovamus, quod nullus admittatur ad licentiam in dicta Facultate, nec in examine Beatæ Mariæ, nec in examine beatæ Genovefæ,* nisi

nisi ultra prædictos libros audierit Parisiis, vel in alio studio generali librum Physicorum de generatione & corruptione, de cœlo & mundo, parva naturalia, videlicet libros de sensu & sensato, de somno, & vigilia, de memoria & reminiscentia, de longitudine & brevitate vitæ, librum Metaphysicæ, vel quòd actu audiat eundem, & quòd aliquos libros Mathematicos audiverit, quódque audiverit libros morales, specialiter librum Ethicorum, quantum ad majorem. Ad hoc autem statutum, quod pernecessarium est, adjicimus, præcipientes, ut prædicti libri audiantur, non cursim, & transcurrendo, sed studiosè & graviter. Specialiùs autem mandamus, quatenus ipsi scholares diligentiùs insistant Metaphysicalibus libris & Moralibus addiscendis, alioquin in Tentamine volumus & mandamus illos, ut merentur, repelli.

Aristotelem sequuntur Benedictini.

Cùm igitur à tanto, támque Eminentissimo Viro, Archiepiscopo ac Cardinali, cujus in Aula tum Regia tum Pontificia ingens erat authoritas, Aristotelis doctrina tantoperè fuisset commendata, fieri non potuit, ut non eam quoque nostri Ordinis Philosophi suspicerent, atque amplecterentur; illi maximè, qui non homines ex Philosophia, sed Philosophiam ex hominibus, eorúmque comendatione æstimare solent. Atque sic Augustini & Alcuini Ecclesiæ Patrum Dialecticæ cesserunt Logicæ Aristotelis, hominis ethnici, ac gentilis.

Patrum in Philosophicis auctoritas.

Quod cùm dico, animus dicere non est, præ Aristotelis Dialectica Augustini Logicæ (*si tamen, quæ sub ejus nomine circumfertur, ab illo profecta fuit*) majus pretium statuendum esse; *Quoties enim*, inquit vir doctissimus Ludovicus Antonius Muratorius *, *de meris profanis rebus, sive cognitionibus agitur, à Religionis negotio omninò disjunctis, non alio loco habendi vel ipsi sancti Patres, quàm quo singuli privati Auctores.* Veneranda profectò semper est Conciliorum, sanctorúmque Patrum auctoritas, sed quæ in dogmatis est certissima magistra veritatis, talem se præstare nequit in his etiam, quæ sunt ultra fines sanctissimæ Religionis, doctrinæque Christianæ. Quare nescio, quo plausu excipiendi sint illi, qui in Physicis, in Historiis profanis, & hujusmodi argumentis *Augustinum*, *Thomam*, *Bonaventuram*, *Antoninum*, aliósque sanctitate simul & eruditione celebres viros producunt, rati, se istorum auctoritate firmissimum suis sententiis comparâsse præsidium, & ad ista certè magna nomina incutiendum esse mirum suis adversariis timorem. At sancti Patres in hisce artibus humanis ac scientiis, non Christum, sed Platonem, sed Aristotelem, sed Avicennam, homines videlicet impios aut cœcos habuêre magistros, aut suum intellectum fallacem, aut alios homines erroribus obnoxios secuti sunt. Quid ergo hîc certi à sanctis Patribus polliceri tibi possis? Tantum sanè eorum dicta valebunt apud cordatos viros, quantum rationibus & robustissimis neque fallacibus argumentis nitentur. Præterea non hoc suæ Ecclesiæ, non Conciliis, non Patribus dedit Christus, ut populum fidelem Astronomum facerent, Physicésve, Chronologiæ, Historiæ profanæ, rerúmque similium sine ullo errore peritum. In Crucifixi schola satis est docere, satis ediscere, quæ verè de Religione credenda, quæ piè facienda, ut ametur Deus, cœlorúmque Regnum vi beatissima tandem rapiatur. Sed hæc manifestiora sunt, quàm ut pluribus argumentis indigeant.

Aristotelis Philosophia à plerisque deserta.

Ab Aristotelis Philosophia vel latum unguem deflectere multi nostrûm hodie sibi religioni ducunt, nisi quòd quidam ad Cartesii castra transierint. Neque hoc vitio illis à me tribuitur, modò ad explicanda fidei dogmata, præsertim de sanctissimo Evcharistiæ Sacramento, non infeliciter, ut aliquando audivi, Cartesium adhibeant. Quid ergo Superiores hujusmodi doctrinas in monasteria admittunt? cur non exemplo Universitatis ac Facultatis Theologicæ Parisiensis id genus novitates in Philosophiam introduci, materiam primam, & formas substantiales negari, principia Philosophiæ Cartesii à Novatoribus, quò *transubstantiationem* liberiùs impugnent, in præcipuum Patronum cooptati, doceri prohibent? *Sed*, inquis, *Aristotelis Philosophia hodie multis non arridet*; Non cibi, credas velim, sed palati quandoq; vitium est; si fortè intelligerent, haud dubiè ipsis arrideret. Sed demus, meritò Aristotelem deseri; quid tum? ac si verò SS. Patres, aliíque Ordinis nostri viri doctissimi, *Alcuinus*, *Paschasius Radbertus*, *Lanfrancus*, *Anselmus*,

* De ingeniorum moderatione in religionis negotio lib. 1. cap. 21. p. m. 158.

Quà Philosophiâ usi fuerint veteres Benedictini.

lelmus, *Durandus*, *Guitmundus &c.* SS. Eucharistiæ dogma sine Peripateticæ Philosophiæ auxiliis propugnare haud valuissent. His mirùm sacra Scriptura & traditio, velut præcipua doctrinæ sacræ principia satis erant ad fidei dogmata tam fidelibus explicanda, quàm contra sectarios propugnanda; neque sibi alia præsidia ex philosophicis Gentilium libris conquirenda existimabant. Quid? quod de SS. Eucharistiæ Sacramento ne quidem ex Philosophia disputandum existimârunt: habuerunt nempe pro mysterio fidei. *Tolle verò*, dicebant cum S. Ambrosio, *tolle argumentum, ubi fides quæritur.* Ita S. Leo IX. ex Ordine Benedictino Pontifex Romanus B. Lanfrancum nostrum in Romana Synodo An. 1050. facere jussit. Cùm enim is propter literas Berengarii non sine laude ad ipsum scriptas, quibusdam in suspicionem venisset, ne fors cum hæresiarcha adversa fidei communi de Eucharistia sentiret, Papa tunc præcepit, ut surgeret Lanfrancus, qui vocatus synodo præsens aderat, & pravi rumoris maculam à se abstergeret, & fidem suam exponeret, expositámque plus *sacris authoritatibus*, quàm argumentis probaret. Itaque surgens, quod sensit, dixit, probavit, omnibus placuit, nullis displicuit, sicque absolutionis sententiam tetulit.

Wulstani Wigorniensis Doctrina.

Hæc de se ipso nos docet Lanfrancus*, qui in Synodo Londinensi *Wulstanum* ex Monacho Benedictino Wigorniensem Episcopum, virum etsi vitæ sanctimonia illustrem, ut literarum tamen nimis imperitum, nimísque simplicem ea dignitate privavit. *Wulstanus* coactus indumenta pontificalia deponere, divino animi ardore repentè inflammatus Regi dixit: *Melior te his me ornavit, cui & reddam*: atque ad sepulchrum sancti Eduardi, cujus beneficio episcopus factus fuerat, profectus, & vestitu insigni sese exuens, baculum ita altè in lapide monumenti defixit, ut nulla vi extrahi posset. Quo miraculo Rex & Lanfrancus territi, magnoperè virum sanctum oraverunt, ut resumptis insignibus, suo potiretur honore. *Wulstanus*, inquit Malmesburiensis**, *non ita hebes in literis, ut putabatur: cætera sciebat præter fabulas Poëtarum, & tortiles Syllogismos dialecticorum, quæ nec nosset*, nec *nosse dignaretur*. Cœterùm probè doctus poterat sermonem quemlibet extemporaliter facere, auditorum lacrymas, gaudia cœli, & pœnas inferni proponendo movere, persuadere docendo, quod vellet, dum quadraret avitæ doctrinæ, nec aliter vivebat, quàm docebat. Ego sancti hujus Antistitis exemplo malim cum Apostolis, Apostolicísque viris rusticus censeri, & piscator indoctus, dummodò sim vir bonus, & fide catholicus, quàm cum Cartesianis sine fide sana & doctrina eruditissimus haberi Philosophus, atque contra totam Theologiam, ne dicam, totam Ecclesiam, negare, accidentia realia sine subjecto in Eucharistia remanere. Ab hac Cartesii Philosophia longè aversus fuit *Guitmundus* noster, Archiepiscopus Aversanus, qui annis abhinc propè septingentis ætatem egit. Is enim libro 3. de veritate Eucharistiæ paulò ante medium in Tomo XVIII. Bibliothecæ Patrum editionis Lugdunensis sic ait contra Cartesianos Impanatores: *Si enim carnis & sanguinis horrorem metuunt, cur non sufficit Ecclesiæ ratio per sanctum Ambrosium in libro de Sacramentis generaliter respondentis, rerum quidem substantias mutari, sed propter horrorem, priorem saporem, colorémque & cætera quædam accidentia, ad sensus duntaxat pertinentia retineri.* Et paulò post: *De colore quoque, & cæteris hujusmodi accidentibus non est difficilis ratio, cùm ipse Dominus se per diversas legatur species discipulis demonstrasse, & nunc eis solitum colorem ostendisse, nunc ad instar solis & nivis transfiguratum resplenduisse, nunc se exhibuisse tanquam peregrinum.* &c. Quæ Guitmundi verba clarissimo sunt indicio, antiquos Ordinis nostri Patres & Doctores cum Ecclesia agnovisse accidentia realia, & in Eucharistia post conversionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi tealiter existentia admisisse, neque aliud per *species panis & vini*, quo nomine Concilia & Doctores priscis temporibus usi fuerunt, intellexisse. Quid ergo Sodales quidam nostri castra Cartesii sectantur? *cujus principia*, ut præter cœteros Catholicos Theologos pronuntiat Richardus de May Doctor Regens Ordinis Prædicatorum in Academia Tolosana, *eam continent doctrinam, quæ, etsi dubitandum non sit, de recta & Christiana Cartesii fide, tamen quod de speciebus panis & vini in Sacramento*

Guitmundus à Cartesii Philosophia alienus.

* Lanfrancus in Comment. adversus Berengarium.
** De Gest. Pontif. Angl. lib. V.

mento Eucharistiæ credendum est, evertit, *& viam parat ad Atheismum.*

Authoris protestatio.

Ne verò hactenus dicta mihi apud cavillatores fraudi sint, conceptis verbis edico, à me neutiquam affirmari, quòd ubi fides de SS. Eucharistiæ Sacramento præcessit, rationi & disputationi, ut ferè fit in Theologia Scholastica, subsequi non liceat; id quod non sine utilitate fieri potest; tunc nempe, quando opus est, mysterium fidei, sacram Eucharistiam, etiam per rationes naturales contra sectarios tueri, qui fidem rationi subjiciunt, ac cum magistro suo Berengario Sacramentum Eucharistiæ *contra naturæ rationes* esse contendunt. Ita cum eodem Berengario egit B. Lanfrancus, cujus nefandam hæresim non sacris tantum authoritatibus, sed argumentis etiam ex Philosophia petitis prostravit.

Quid Cartesiani de Eucharistiæ speciebus sentiant.

Deinde non sum nescius, quòd qui Benedictini, deserto Stagyrita, in castris militant *Cartesii*, pro certissimo habeant, substantiam panis & vini in Sacramento Altaris in substantiam Corporis & Sanguinis Christi converti, persistentibus tamen ac permanentibus in Sacramento pristinis speciebus panis ac vini, sed in modo tantùm, quo hujusmodi prodigium contingat, ritè explicando hæsitent, ac laborent. Iste enim ab Ecclesia nullatenus fuisse definitus ipsis videtur. Hic verò alius ab alio dissentiens, novam quisque ut plurimùm comminiscitur expositionem; doctiores plerique ad dogmata aliorum revincenda, quàm ad sua stabilienda: ita ut de ipsis dicere liceat, quod olim D. Augustinus * de Manichæis asseruit: *Plus in refellendis aliis diserti & copiosi, quàm in suis probandis certi & firmi.* Fuit annis proximè præteritis Benedictinus, qui, cùm nullius explanatio ipsi satisfaceret, suo ex ingenio, quo cœteroquin non obtuso præstabat, novam procudit. Ut primùm verò suam sententiam publicâ in concertatione discutiendam proposuit, vix non ab omnibus *Impanator* palàm proclamatus fuit. Unde cùm suprà dixi, Cartesii sententiam de Sacramento Eucharistiæ in Monasteria à Superioribus non passim admittendam esse, hand aliud dicere propositum mihi erat, quàm non cuivis Professorum permittendum esse, ut modum, quo hujusmodi prodigium fiat, sua ex mente & cerebro exponat, ne quod fidei dogmati adversatur, discipulos per imprudentiam doceat.

In Gallia Cartesii doctrina nostris inhibita.

Nostris in Gallia Sodalibus nulla Philosophiæ Cartesianæ docendæ potestas fit à Superioribus. Atque hujus denegandæ licentiæ plures sunt rationes. Primò enim constat, præcipuas Cartesii assertiones de materia prima, de formis substantialibus, de accidentalibus, de alteratione, de transmutatione substantiali &c. fuisse jam anno seculi proximè elapsi vigesimo quarto à Facultate Theologica Universitatis Parisiensis confixas. Deinde quia Ludovicus XIV. Galliarum Rex anno 1675. edicto solenni cavit, ne quis Cartesianæ Philosophiæ dogmata imposterùm docere præsumeret. Denique quia sacra Cardinalium Congregatio examini, seu indici librorum à summo Pontifice præposita, Opera Cartesii Philosophica, donec corrigantur, damnavit. Quis igitur non demiretur, quòd quam Philosophiam Galli Benedictini docere prohibentur, ejus tradere placita Benedictini quidam Germani à Superioribus permittantur?

Fortunatus Schenzach Atomista.

In Universitate Salisburgensi cùm *Fortunatus Schenzach*, vir egregiè doctus, non multis ante annis Philosophiam doceret, Thesibus Philosophicis prælo subjiciendis placita Atomistica inseruit, quæ propterea jussu Superiorum suppressæ fuerunt. Demùm ad Monasterium Seonense ex Universitate redux tutamen Atomismi, editis libris, apertè suscepit; cujus tamen doctrinam alii Benedictini in Bavariæ Athenæis Frisingensi & Ettalensi, scriptis in lucem datis, acriter oppugnârunt. Quos nihil moratus *Schenzachius Medullam Philosophiæ ac Theologiæ Corpuscularia* typis mandavit; quo in Opere non fidem Christianam Atomismo, sed Atomismum fidei Christianæ se accomodare videri voluit. At virum ipsum ad suam proloqui *Medullam* audiamus: „ Id unum adhuc multorum conatibus, quos in „ excolendo Atomismi agro impigrè „ hactenus exantlârunt Medici, de- „ esse videbatur, ut quem intra Na- „ turæ pomœria fertilissimum effece- „ tunt, etiam intra Fidei sacrarium „ ad explicanda Religionis Christia- „ næ Mysteria non infœcundum „ ostenderent. Multorum quippe „ animis altissimè fixa hæret persua- „ sio, Fidei & Atomismo invicem con- „ venire, ut luci ac tenebris. Hinc fa- „ ctum, ut eidem igne passim ac fer-

* Lib. I. de utilit. cred. cap. I.

„ ro à quibusdam sectæ potiùs domesticæ, quàm almæ veritatis incremento studiosis interdicatur. Fuere tamen aliqui de Arte Medica optimè meriti, qui hoc negotii, quamvis ab eorum instituto prorsus alieni (ut etiam hac in parte ora obtunderent loquentium adversa) in se admiserunt, & bellam Fidei cum Atomismo consensionem demonstrarunt, tametsi vadum tentâsse potiùs, quàm tranâsse dicendi sint. Eorum hìc vestigia non dux, sed miles tantùm succedaneus premo, & quò illi strenuè præcesserunt, eos de longinquo solùm insequi allaboro, quia nihil facilius putavi, quàm veritatem veritati, Naturam Fidei, & Rationem Revelationi conjungere. Non eget quidem Fides nostra humanæ sapientiæ præsidiis, utpote cœlesti robore fulta, & sui abundè secura; nihilominùs tamen haud respuit etiam congesta per scientiam naturalem suffragia. Fides levatis perpetim ad cœlum oculis, unde totum ipsi lumen micat, incedit: Ratio autem semitam complanare debet, ne in veritates Philosophicas ad pedes projectas incauta offendat. Fideles authoritate Bibliorum duci, Gentiles verò & Increduli Rationum pondere ad obsequium compelli debent. Fides quid indubiè credendum exponit: Ratio, quî credenda Naturam excedant quidem, non tamen evertant, ostendit. Unde nemo facilè inficias ibit, altissima SS. Trinitatis, Dominicæ Incarnationis, Eucharistiæ, ac Prædestinationis Mysteria quoad *substantiam credendorum* ex revelatis potissimùm testimoniis pendere; quoad *modum explicandi* tamen etiam non nihil præjactis in Philosophia principiis debere.„

Fidei Christianæ atomismum accommodat.

„ Quapropter hic non fidem Christianam Atomismo, sed Atomismum Fidei Christianæ accommodamus: nec quid credendum curiosè investigamus, sed qui canones Philosophici credendis ritè sint applicandi, operosè laboramus. Fides nobis tota in tuto est: num illa verò novam secum invehat entium creatorum classem, quam Natura ignorat, absque ulla temeritatis nota penitiùs indagamus. Quidam rerum minùs, quàm par est, periti Atomismum sublestæ fidei accusant, eúmque cum Doctrina Christiana vix ac ne vix quidem cohærere arbitrantur. Dum sine *accidentium absolutorum* entitatulis, quæ à Corpuscularis perpetuo mulctantur ostracismo, multa Fidei capita nec explicari congruè, nec masculè propugnari posse opinantur. Alii perperàm errores Berengarii & Wicleffi ab Atomistis resricari, quin & impium cum Atheis cornu exaltari criminantur: Ast inficetè omninò, & inolita solummodò pervicacia obstetricante: nam atomismi placita probè semel percepta Naturæ phænomena sic enubilant, & Fidei mysteria tam expeditè in propatulo collocant, ut quibus sana in corpore sano residet anima, confestim perspiciant, quàm Ratio liberaliter Fidei, & Fides Rationi manus porrigat opitulatrices, ne alterutra in veritatem aut cœlitùs revelatam, aut physicè demonstratam impingat. De cœtero pauca tantùm hìc expono, & plura tacitus insinuo, quia sapienti scribo.„ Hæc doctus ille Benedictinus Atomista.

Seculo XV. Aristotelis Philosophia in monasteriis viget.

Seculo decimo quinto, ut suprà dicebam, Aristotelis Philosophia in Benedictinis Monasteriis altas cœpit agere radices, tametsi non omnes continuò monachi ad ejus placita animum retulerint. Certè in Italia *Hilarion* * monachus SS. Nazarii & Celsi Veronæ, Congregationis S. Justinæ, quæ nunc Casinensis dicitur, post annum 1460. claruit, Philosophus insignis, qui cùm à Philosophia Aristotelis abhorreret, transtulit Dialecticam S. Joannis Damasceni, in omnibus hujus sancti Patris Operibus publicâ luce donatam. Qui verò illam vel didicerint, vel è nostris docuerint, me præterit; paucos fuisse conjicio.

Exortæ in Anglia tricæ, Heynesio Duce.

Quòd si mihi propositum esset, ea tantùm de Sodalibus nostris memoriæ prodere, quæ cum insigni quapiam laude conjuncta sunt, tacendum planè mihi foret de quibusdam in Anglia Benedictinis Philosophis, non quòd docti non fuerint, sed quòd in disputando modum planè non tenuerint. Cùm enim in Universitate Oxoniensi cum monachis Cisterciensibus sæpiùs disputâssent, & diutiùs easdem quæstiones philosophicas contrivissent, pro eo ut ex hoc attritu flamma veritatis eluxerit, feralis discordiæ incendium erupit. Rem gestam Antonius à Wood in

* Vid. Armell Bibl. Casin. Part. I. p. 224.

in Historia prædictæ Universitatis ad annum CIↃDXVII. his verbis commemorat.

„ Ineunte hoc anno, sub finem scilicet Quadragesimæ (*quæ quidem anni pars à seditionibus tum præcipuè gliscentibus infames olim reddidit Oxonienses*) gravissima inter Benedictinos & Cistercienses, de quæstionibus quibusdam philosophicis, in scholis sub id inter eosdem eventilatis coorta est dissensio; quæ sanè eousque exarsit, ut depositis argumentis, non ratione, sed pugnis decisum fuerit, fusis denique Cisterciensibus, & in Hospitia sua compulsis. Cœterùm nec impunè triumphârunt Benedictini, quibus & mulctas pecuniarias, & pœnas, ut par erat, alias irrogavit Academia, quæ res eorum adeò animos exacerbavit, ut injurias hasce (sic enim facti sumus mortales, ut quæ passus fuerit, non quæ meritus quisque expendat) vel ipsorum Procuratorum sanguine ulcisci decreverint, hortante præsertim, omnémque industriam eodem conferente, *Johanne Heynes*, Aldermanno, Prætore autem nuper urbano, qui pœnis etiam, quas meritò pridem dederat, lacessitus, animum (consilio *Thomæ Birydall* generi sui fretus) adversùs Academiam infensissimum gerebat, & *Athenas* nostras turbandi, vel (*quod faxit Deus, ne unquam eveniat*) evertendi occasionem captabat, Benedictinos proinde armis instruens, & ad prælia omni studio impellens.

Seditio philosophica ex verbis ad verbera. Decimo itaque sexto Aprilis in præfati Johannis domicilio (*quod utique concrematum nuper à scholaribus questi fuerunt apud Regem Burgenses*) noctu conveniunt conjurati; horámque ibidem exspectant, quâ Urbem perlustrantes, & siqui Academicorum extra Collegia sua, Aulásve, pernoctarent, explorantes Procuratores, ad *Quadrivium* accederent; quos tandem è prædictis Ædibus (*ut ex equo Trojano*) prorumpentes adorti sunt cum Duce suo *Heynesio* seculares, quatuórq; Benedictini, & rem sanè tam fortiter gessêre, ut nisi aliquorum vociferatio, accedente porrò gladiorum strepitu, cives excitâsset (qui nempe lectis exilientes, atque arma rapientes, ad pacem tuendam festinabant) superiores evasissent. Intervenientibus autem, quos dixi Burgensibus, in domicilium sese præfatum receperunt malè meriti, latebrásque illa nocte invenerunt; cœterùm ubi cum die illucescerent conscelleratorum nomina, & latibulum, fuga sibi prospiciendum arbitrabantur Benedictini, captis statim cum *Heynesio* secularibus tribus, carcerique pariter mancipatis. Haud ita multò pôst habita de tumultu (*in quo scilicet nonnulli haud sine vitæ discrimine vulnerati fuerant*) quæstione, ejusdem Dux ac Incentor deprehenditur *Heynesius*, & Oxoniâ propterea in perpetuum exturbatur; de quo tamen dubium non est, quin si injurias resarcire minimè recusâsset, mitiùs fortasse cum ipso esset actum. Quinimò aliquanto pôst pœnitentiam simulans veniam tandem impetravit; licèt in Urbe dein haud ita diu perstiterit, authoritatem se omnem apud vicinos deperdidisse, & apud illos juxtà & Academicos evilescere in dies animadvertens, qui propterea Urbe ultrò cessit, & egestate, ut ferunt, haud levi pressus in exilio quodammodò diem obiit.

Heynesius.

Seditioni porrò isti interfuit *Thomas Birydall* prædictus, qui flagitii ejus coram Commissario compertus, eandem cum prædicto pœnam luebat, eodem die S. Dionysii Oxoniâ pariter excedere jussus; quo pariter judicio damnati sunt *Guilielmus Backer*, *Thomas Bradshaw*, & *Thomas Buclonde*, tametsi revocati tandem fuêre, pœnámque remissam habuerunt. Earundem insuper turbarum adjutores ex deprehensorum confessionibus comperiuntur Dominus *Joh. Gytto*, Capellanus, Canonici duo *S. Frideswydæ*; Dominus *Davy*, monachus Abendonensis è Collegio Londinensi Oxon. Dominus *Gryffyth* (qui vulneratus cùm esset, equum conscendit, & Hydlyngtonam propè Oxoniam aufugit) Denique *Wraton*, *Glaynesford*, *Draycot*, aliíque haud pauci, de quibus non dixerim, quas quisque pœnas subierit; uti nec qualem res ipsa exitum sortita fuerit, hîc ut & alibi passim, propter Registrorum lacunas coëcutire coactus. „ Hactenus *Antonius à Wood*, qui nomina tamen quatuor illorum Benedictinorum, non quòd illorum famæ parceret, sed quòd in Registro non reperisset, silentio involvit. Sed quicunque hi monachi fuerint, stolidè in animum induxerunt, se disputando victores fore, si manus conferendo vicissent. Sed nempe hoc præpostero agunt modo, quos non amor veritatis ad disputandum allicit,

Thomas Birydall & alii incentores relegantur.

sed

ſed victoriæ impellit cupiditas. Infelix Philoſophiæ ſtudium, quô monachi Ariſtotelis placita cum oſtentatione doctrinæ addiſcunt, Chriſti verò manſuetudinem ac humilitatem dediſcunt.

Monachi Winchecombenſes Privilegium obtinent.

Ab hujuſmodi rixis, odiis & pugnis, quibus id temporis Univerſitas Oxonienſis ad horrorem paſſim exæſtuabat, ut in ejus legitur hiſtoria, longè abfuerunt alii Benedictini monaſterii Winchecombenſis, qui ab egregio ſuo Abbate *Richardo Kederminſter* cùm philoſophicas, tum alias diſciplinas ad ſacræ Scripturæ intelligentiam referre edocti erant, ut in Hiſtoria Theologiæ Poſitivæ palàm fecimus. Meritò egregiæ doctrinæ ac eruditionis ſequens privilegium ab Univerſitate Oxonienſi impetrârunt, ut laudatus Antonius à Wood * his verbis enarrat. „ An. CIↃDXXI. decimo autem quarto Januarii diſpenſatum erat per Regentes in plenâ Congregatione Magiſtrorum ad inſtantiam Reverendi Patris *Richardi Kederminſter*, Abbatis de *Winchecombe*, quod *quilibet niger*, monachus Ordinis S. Benedicti, *poſtquàm ſit admiſſus in domicilio ſuo ad Logicam & Philoſophiam, ut moris eſt apud eos* (ſic eſt in quodam Regiſtro) *licitè poteſt in ſcholis proficiſci, ſuo ſcholaſtico amictus habitu, & ibidem poſt magiſtros & baccalaureos ſedere & diſceptare, ſeu replicare: proviſum tamen eſt, quòd nullus eorum ſic admiſſus in generalem Logicum vel in generalem Philoſophū priùs præſumat ſedere, ſeu hujuſmodi Actus ſcholaſticos exercere, niſi ejus admiſſio priùs regiſtretur, in communi regiſtro Univerſitatis.* Indultum autem illud egregium nec temerè impetratum, inſtante, quem prædiximus Abbate, in charta pergamena deſcriptum eſt, & publico Univerſitatis Sigillo munitum.

Joachimus Perionius Ariſtotelis vindex.

Cùm *Petrus Ramus* ** in Academia Pariſienſi Regius Profeſſor, illud pervicaci ſtudio, totiſque viribus agitaret, ut Ariſtotelis doctrinam è ſcholis eliminaret, novas Dialecticas inſtitutiones à ſe concinnatas protulit, quibus, ejúſque in Ariſtotelem animadverſionibus ingens derepentè facta eſt omnium ſtudiorum perturbatio. Cui periculoſæ novitati ut Senatus Academicus maturè occurreret, *Joachimo* noſtro *Perionio*, Theologiæ in eadem Univerſitate publico Profeſſori, viro non inferiori Philoſophia, quàm eloquentia provinciam demandavit, ut pro tuenda Ariſtotelis doctrina calamum ſtringeret. Manum is operi non ſegniter admovit: præter enim geminam, eámque inſignem Orationem anno 1543. editam, tres etiam libros de Dialectica Ramo objecit, quibus ejusdem maleſanam doctrinam fortiter repreſſit. Id verò præ ceteris omnibus laudis retulit, quòd Ariſtotelis Philoſophiam ex græco in latinam linguam eo ſtyli nitore verterit, *ut deinceps Philoſophi, qui antea*, teſte Wione, *infantes erant, latinè loqui cœperint, & paulatim repudiatis verſionibus & formulis antiquiorum, barbariem dediſcere, quâ eorum diſciplinæ & libri horrebant.*

Recentiores Philoſophi Ariſtotelici,

In Monte Caſſino ſeculo decimo ſexto Ariſtotelis Philoſophia principatum obtinuit, cujus dogmata monachi doctiſſimi *Benedictus San-Germanenſis*, *Theophilus Senenſis*, *Lucas Fractenſis*, *Bernardus Genuenſis*, *Antonius Firmanus*, *Mathias Venuſinus* cùm publicè docuerunt, tum commentariis illuſtrârunt. Idem ab aliis in Germania, Italia, Hiſpania ſeculo decimo ſeptimo præſtitum fuit, hácque ipſa, quam in præſens vivimus, ætate cumulatè præſtatur. Eminent. Cardinalis DE AGUIRRE Ariſtotelem ejusque Commentatorem D. Thomam Aquinatem contra recentes utriusque impugnatores tribus voluminibus publicam in lucem emiſſis propugnavit.

Cardin. de Aguirre.

Pari eruditionis & dignitatis ſplendore illuſtriſſimus *Cæleſtinus Sfondratus* Curſum Philoſophicum Sangallenſem tribus quoque Tomis comprehenſum typis evulgavit A. 1696. Hoc itidem tempore *Henricus Heinlein* Philoſophiæ in Univerſitate Salisburgenſi Profeſſor intra brevem biennii periodum omnem Philoſophiam complexus publico dedit. Eandem limpidiſſimo ſtylo elucidavit *Placidus Renz* Weingartenſis, *Corbinianus Khamm* ad Ss. Udalricum & Afram Auguſtæ in pulvere ſcholaſtico veteranus *difficultates*, ut vocat, *Summuliſticas* hactenus penè neglectas operosè ad incudem denuo revocavit, eáſque dexterrimè reſolvit, edito opuſculo anno 1699. Tandem *Ludovicus Babenſtuber*, *Bernardus Oberhauſer*, & alii Salisburgenſes Profeſſores, conſummatæ in omni genere doctrinæ Viri, ſuos *Curſus Philoſophicos* ad mentem, ut præferunt, Doctoris Angelici concinnatos

Sfondratus, Heinlein, Renz &c.

* Lib. I. pag. 247. col. 1.
** Bul. in Hiſt. Univerſ. Pariſ.

tos ediderunt; de quibus, & aliis ejusdem ferè generis prolixiùs Parte IV. hujus Historiæ agemus.

Constantinus à Brixia Platonicus.

Ex diverso autem *Constantinus à Brixia* *, Monachus SS. Faustini & Jovitæ in eadem urbe alumnus *insignis Platonici* nomen sibi comparavit. Unus enim fuit ex iis Philosophis, qui præteritis seculis decimo sexto & septimo ab Aristotelicis placitis, quæ tanquam Delphica oracula antiquitas veneranda suscepit, desciscere, & in illum classicum canere non dubitârunt. Egit id Venetiis in S. Gregorii M. cœnobio, ubi Philosophicas disciplinas dum celebri fama ac plausu doceret, librum scripsit Naturalis Philosophiæ contra Aristotelem, eodem ferè tempore, quô *Bacconus de Verulamio*, *Gassendus*, *Cartesius*, aliique veluti ex condicto Aristotelis Philosophiam evertere audacter aggressi sunt; non deficientibus tamen, qui has doctrinarum novitates, ut periculi plenas, parúmque cum fidei nostræ principiis cohærentes, improbârunt, & impugnârunt.

Vitalis Terra Rubra eclecticus.

In nullius etiam magistri verba cùm jurâsset *Vitalis Terra Rubra* **, Parmensis Monachus, atque in Academia utraque Bononiensi & Patavina Philosophiæ Professor celeberrimus, præcipuos è priscis Philosophis diligentissimè consuluit, de singulis eorum sententiis non tanquam honorarius arbiter, sed peritissimus judex dijudicans: Aristotelem præ cœteris scrutatus, Theorematis pluribus disceptationi publicæ expositis, in tenebris palpatum coram Purpuratis Patribus & Principibus experientia sæpiùs patefecit; tanto equidem plausu, ut eum summum Philosophum omnes acclamârint.

Robertus Gabets Cartesianus.

Litem Philosophicam *De veritatis inquisitione*, sive *de la Recherche de la Verité* duos inter Philosophos in Gallia superiore seculo circiter agitatam, suam fecit *Robertus de Gabets*, Monachus *** ex Congregatione SS. Vitoni & Hidulphi. Cùm enim *Malebranchius*, Presbyter Oratorii de veritate indagandâ Opus Philosophicum publicâsset, eidem *Simon Foucherius*, Canonicus Divionensis aliud opposuit. *Malebranchius* verò ab hoc Antagonista provocatus defensionem conscripsit, quam iterum *Foucherius* alio adortus est Tractatu. Dum hi verò in arena philosophica calamos conserunt, *Robertus* liti se accinxit componendæ. Evulgavit igitur in publicum, *Critique de la Critique sur la Recherche de la Verité*, id est, *Criticam Criticæ de Veritatis inquisitione*. Cui iterum à Dn. *Foucherio* alio Opere responsum fuit. Fuit verò *Robertus*, teste *Petro Bælio* ****, bonus Philosophus Cartesianæ sectæ addictissimus. *Missi sunt*, inquit, *huc* [*Roterodamum*] *non pauci ejus Tractatus Philosophici*, *qui fortean propediem in lucem prodibunt*. In his est brevis responsio Epistolæ cuidam, quæ sine nomine Autoris prodiit *Parisiis* ante annos xv. circiter sub hoc titulo: *Lettre d' un Philosophe à un Cartesien de ses amis*. Credit ipse Autor responsionis, Jesuitam *Rapinum* scripsisse illam Epistolam, sed fallitur. Scripsit eam, vel omnia conjiciendi argumenta me fallunt, ipsáque adeò opinio summorum hac in re judicium, Jesuita *Pardies* ex Provincia Beneamia oriundus, & Lutetiam accersitus docendæ Matheseos ergò, quâ in sparta egregiè inclaruit.

Udalricus Staudigel Andecensis Empiricus.

Vaticinari, & deliria literis mandare quibusdam visus est R. P. *Udalricus Staudigel* *****, Monachus Andecensis Congregationis Bavaricæ, vir minimè indoctus, dum Philosophiæ Aristotelicæ, vel potiùs methodi, quâ in scholis hodie illa traditur, partes defendendas nullatenus suscepit. Is enim posteaquàm scholas, quas communiter altiores appellamus, & in quibus severiores cùm Philosophiæ, tum Theologiæ disciplinas edocemur, reliquerat, nactus otium aliquod, ad illud animum applicuit, ut quid illud esset, quod iisdem exportârat, seriò secum reputaret. Cùm igitur omnium primò in Dialectices suæ penum inquisivisset, cohibere se vix potuit, quin indignaretur ipse sibi, damnarétque studium, aut studii saltem assiduitatem, quam Logicæ consecraverat. *Non ampliùs*, inquit, *vacabat indulgere blandimentis, ac tanti censere, velut ante hac, Opera Logicæ*. Constabat animus scientiis vacuus, phantasia chymæris turgida, facultates reliquæ

* Armel. l. c. Part. I. pag. 128.
** Carol. Patin. in Lyc. Patav.
*** Epist. de Scriptis Adespotis, quæ extat ad calcem Vincent. Placcii de Scriptor. Anonym. & Pseudon. **** Epist. mox cit.
***** Vid. Tract. Mabillonii de Stud. Monast. quem P. Staudigel Latio donavit. Morhoff polyhist. Tom. I. libr. 2. c. 5. n. 52.

quæ nedum artibus, sed & aliis adjumentis destitutæ. Harum econtra locum occupabant garriendi facilitas, disputandi pruritus, argumentandi dexteritas, rixandi libido; paucis, obvia quædam promptitudo, res quaslibet vocandi in dubium, vel, ut glorioso scholarum utar vocabulo, de iisdem disputandi problematicè. Cura ultima veri. Et hæ, quas modò tetigi, soboles erant illæ egregiæ, quas in me genuerat Logica: hoc bravium, tot sudoribus in circo Logico acquisitum. Puduerat me sanè vanitatis hactenus à me tam adoratæ. Quamobrem à Logica cum rubore transgressus ad Physicam transtuli scrutinium, quam in me reliquerat sui imaginem intuiturus. — Verùm totum simul contemplatus Physicæ systema, *prout à scho is expeditur*, in eodem iterum reperi prope nihil, præter ingentem abstractionum mathematicarum acervum, contentiosas nænias, nugas impertinentes, futilium disputationum alimenta. Quocirca non aliud ausus eram præsumere de me, nec sentire aliud, quàm quòd factus essem egregius disputator, cymbalum tinniens, cassa nux, magnus scientificus, at magnus adhuc rerum naturalium ignorator. Quid? quòd, nec aliud quidem suggestum mihi fuerit, inito censu, quid in Metaphysica didicissem. „ Hæc ille de nostrorum in Germania Philosophia, seu methodo potiùs, quâ plerumque illa in monasteriis, ex Catholicis hausta Athenæis, tradi consuevit. Quæ verò cùm multis mentis aberrationes viderentur, non eam vim ac virtutem apud Sodales nostros habuerunt, quin non à plerisque in philosophandi studio antiquâ oberretur chordâ. Unde etiam multorum reprehensionem non effugerunt.

Crisis Philosophiæ apud Germanos usitatæ.

Possem hîc ego *Jacobi Bruckeri*, recentis admodùm & pereruditi Scriptoris, qui Philosophiæ historiam Germanicè conscriptam typis vulgavit, de nostrorum (ut de aliis nihil dicam) quorundam in Germania Philosophia, ejúsque tradendæ methodo * adscribere verba, non quòd ea omnia, quibus in Scholasticam cùm Philosophiam, tum Theologiam, atque in Opera Philosophica à nonnullis nostrûm edita iniquior esse videtur, meo confirmare calculo velim, sed ne quid, quod ad historiam Philosophiæ pertinet, deditâ operâ silentio involvisse videar. Quia tamen & Germanicè scripta, atque ejuscemodi sunt, ut veritatis minùs patientibus bilem movere possint, duco prætermittenda.

Aristotelis laudum responsio.

Quid verò ad hæc Philosophi nostri? Rident, ac magnum enimverò testimonium, inquiunt, si *Bruckerus* verso pollice Philosophiam condemnet. Quid enim iste *Bruckerus*, quid hominis est? an non è Novatorum grege unus, quorum convitiis Scholastica Philosophia, hæreseon malleus, quantoperè vapulet, quis est, qui nesciat? Et hujus tu *Bruckeri* testimonium adducis? Hoc loco contentionis reciprocare serram nolim, sed *Bruckerum* non tam Philosophiam Scholasticam, per se alioquin utilem, necessariam, & veritati tum quærendæ tum invenniendæ aptissimum instrumentum, quàm ineptias à quibusdam in ea tradi solitas vituperâsse dico. Non ille formam syllogisticam, armorum genus contra hæreticos maximè necessarium, sed futilium opinionum, ac doctrinarum, ut ita dicam, fæces meritò perstrinxit. An non Author *Philosophiæ Quadripartitæ* ex Joannis Caramuelis Grammatica audace ea suæ Dialecticæ inseruit, quibus risum captare, atque aucupari nonnullis visus est? Acta cùm Philosophorum, tum Eruditorum Lipsiensium ** plura id genus afferunt exempla, è quibus ego hîc unum adduco, sex novas nempe Conjugationes verbi substantivi *Sum* in Philosophia, nisi Author fallitur, multum utilitatis habituras. En prima! *Sam, Sas, Sat, Samus, Satis, Sant.* Secunda: *Sem, Ses, Set, Semus, Setis, Sent*: Tertia: *Sym, Sys, Syt, Symus, Sytis, Synt.* Quarta: *Som, Sos, Sot, Somus, Sotis, Sont.* Quinta: *Soim, Sois, Soit, Soimus, Soitis Soint.* Sexta: *Sum, Sus, Sut, Sumus, Sutis, Sunt.* Ut appareat, quantæ utilitatis sit inventum hoc, en propositiones: *Homo sat animal, Petrus set, Deus syt, Deus sot, Caramuel sut alter Aristoteles*, quæ hunc sensum habent: *Homo est animal: Petrus existit: Deus existit duratione simultanea ab æterno in æternum: Deus est & fuit, & erit: Caramuel est alter Aristoteles: Angelus est & erit in æternum.*

Futiles nugæ in Philosophia.

Ab iis videntes

Cui jam amabò, ne dicam, heterodoxo, sed viro etiam catholicissimo, ri prudentes ad has nugacissimas nugas nausea non obo-

* Period. 2. Sect. 2. lib. I. cap. 1. de Philosophia Scholastico - Aristotelicis. pag. 87.
** an. 1716. m. Octobr. pag. 462.

abhorrent. oboriatur ? Enimverò novi virum & authoritate & doctrina eximium, qui dicere non dubitavit, se, si filium Philosophicis disciplinis instituendum haberet, nunquam facturum fore, ut ad Philosophos illos, apud quos loco sapientiæ tantum stultitiæ & ineptiarum compararet, eum à se dimitteret: præstare enim rudem, atque ignarum, quàm talibus nugis esse eruditum, quas cùm didiceris, duplo stultior sis. Tum ex me sciscitari cœpit, an nulla ergo nostros apud reformandi hujusmodi studii spes superfit? respondi, aliquos, quibus veræ ac solidæ doctrinæ radius illuxit, sapientiorem philosophandi methodum, paulò pòst à nobis recensendam, animo secum versari, alios autem exiguam, aut nullam præbere spem meliora sapiendi; cujus rei rationem, ut hîc in medium afferam, uti necesse non habeo, ita nec existimo consultum.

Commendatur Philosophia Salisburgensis. Majori utique ac meliori usui esse potest *Philosophia Thomistica Salisburgensis*, sive *Cursus Philosophicus secundùm doctrinam D. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici in celeberrimâ Archi-episcopali Universitate Salisburgensi, methodo & norma ibidem usitata concinnatus, ac typis vulgatus anno* 1705. à Cl. LUDOVICO BABENSTUBER*. Cùm enim annis superioribus in lucem prodiisset Theologia Scholastica Salisburgensis Cl. *P. Pauli Mezger*, doctisque omnibus mirificè, ut par erat, placere cœpisset, continuò in hac Universitate non tantùm infimi, ac medii, sed & summi quique auditi sunt, qui Cursum quoque Philosophicum methodo, doctrináque hîc recepta & usitata edi desiderarent. Quoniam verò Doctor ille veteranus post tot egregios per universam encyclopædiam exhaustos labores præcipiti jam senecta paulatim fatiscebat, ac rude tandem aliquando videbatur donandus, nemo ab ipso, utut omnes optarent, ausus est exspectare ampliùs rem tantæ operæ, tantíque moliminis. Cùm proinde alius, qui susciperet hanc elucubrandæ Philosophiæ provinciam, circumspiceretur, ad Cl. *Ludovicum Babenstuber* ventum est, quòd is unus omnium maximè posse videretur. Quàm multa causantem hortari magnoperè, ut auderet, aggressi sunt ii, qui tum authoritate apud illum plurimum poterant; atque ille præsertim Salisburgensis Theologiæ Conditor, qui ingenii sui viribus plus æquo diffisum vehementer excitavit. Quid multa ? dedit manus, negotium suscepit, ac celebre opus confecit. Huic igitur Philosophiæ operam dantes juniores nostros Religiosos nemo jure culpaverit: in eâ siquidem multa sunt scitû digna, quæ laudentur, pauca verò, quæ meritò redarguas.

Sed maximè attendenda Mabillonii. Etenim, ut quod sentio, candidè edisseram, scitè omninò monet *Magnus Mabillonius*, multa esse cùm in Logica, tum Physica & Metaphysica, quæ Monachis magnopere addiscenda haud sint. „ *Quid enim prodest,*** inquit, *exempli gr. tam acriter „ac fusè de Logicæ objecto disputare ?* „Quid inquirere, utrùm illud sint *entia „rationis*, an termini, qui sunt eorum „notæ, ac signa, eò quòd de utris„que Dialectica pertractet ? Rursus „quid scire juvat, num universale fiat „dependenter ab intellectu? an Uni„versale genericum, vel saltem speci„ficum reverâ existat ex naturâ rei ? „an dentur entia rationis? an Deus sit „sub prædicamento substantiæ ? Plu„ráque id genus alia in æquivocis ple„rumque tantùm consistentia, quæ„que paucis verbis possent expendi, „æquivoca explanando, vel rationes „hinc inde innuendo, si fortè id etiam „fieri expediat.„ In eadem cum Mabillonio sententia esse Eminentissimum Cardinalem nostrum QUIRINUM, ex iis non obscurè colligere mihi videor, quæ ipse in Commentario de rebus ad se pertinentibus hisce verbis narrat: & Cardinal. Quirini monita.

„ Philosophiam mihi (adolescenti) „in Brixiano Gymnasio tradidit P. Lancellotus Jesuita, & ipse in præsens su„perstes, & benè recordor, inter The„ses, quas eo præside, publico exami„ni subjeci, hasce fuisse: *Utrùm bo„mo in actuali prædicatione retineat uni„versalitatem: Utrùm Propositio possit „transire de vera in falsam.* Mirari au„tem modò mihi subit, quî fieri po„tuerit, adeò ingentibus plausibus „meam illàm actionem exceptam fuis„se, ut tanquam admirandi ingenii „condiscipulis meis proponi merere„tur; námque ingenuè fatebor, fasti„dium mihi creâsse exercitam pro eo„rum temporum more subtilitatem, „quum

* Legesis ejusdem præfationem.
** Tract. de Stud. Monast. Part. 2. c. 9. §. 1. pag. 160.

„quum in argumentis longè utiliori-„bus occupari posse arbitrarer.„ An non igitur Eminentissimo Cardinali tædium oboriturum esset ex Thesibus illis, quas publici Athenæi Professor Benedictinus, duobus abhinc & quod excurrit, lustris evulgavit: *Natura Thomisticè universalis in actuali prædicatione?* Et quid verò de aliis pluribus ejusmodi quisquiliis? *Unde laboris plus haurire mali est, quàm ex re decerpere fructus.*

Cùm ego aliqnando EDMUNDI PURCHOTII *Institutiones* Philosophicas nonnemini ex nostris Philosophiam docenti laudâssem, ille summi hujus Philosophi comendationem surdâ præteriens aure, in sermonem de Logices objecto ingressus, mirificè quendam Benedictinum N. in publico etiam Lycæo Professorem laudavit, quòd in Thesibus typo vulgatis prolixè & fundatè probaverit, *Ens rationis esse Objectum Logicæ.* Quod cùm audissem, misertus fui hominis, ac longè magis discipulorum ejus, quos hujusmodi frivolis ac inanibus imbui placitis summæ doctrinæ loco habuit.

Id genus inutiles quæstiones eliminantur.

Mabillonii monita, de quibus paulò antè, in animum altè demisit *Dionysius Sammarthanus*, qui cùm ante supremam totius Congregationis S. Mauri Præfecturam Philosophiam in monasteriis S. Remigii Remensis, & S. Germani à Pratis doceret, relegatis spinosis & inanibus quæstionibus, totus in veri cognitione versabatur. Quem virum utinam plures imitarentur, inanésque ac futiles quæstiones ex Philosophiæ adytis eliminarent, ob quas illa ipsa princeps ac regina artium Philosophia nunquam tam multos habuit sui studiosos, ut non etiam, licèt immeritò, suos habuerit obtrectatores. Verùm subtilis illa disputandi methodus, & adulterina Philosophiæ species ita nonnullorum, qui ab acuto ingenio celebrari volunt, animos occæcavit, ut his quoque temporibus Sodalinm nostrorum nonnemo extiterit, qui verissimum illud, neque ulli unquam in dubium vocatum primum principium: *Quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, non exponere modò, quod multi faciunt, sed distinguere etiam, quod nemo hactenùs ausus est, voluerit. Cui vir doctus paucis respondendum putavit: *Cessa ab hac distinctione; omnis nimia subtilitas inimica veritati.* Alius rem magnam præstitisse sibi visus est, quòd contra unam unicam Positionem quinquaginta aliquot Objectiones, videlicet *Contra primò, contra secundò* &c. suis dictaverit discipulis. At enim de hodierno philosophandi multorum studio differere, res aleæ ac periculi plena videtur; cùm, si minus illud probatur, ejus Professores de sua doctrina & sapientia nimium quantum detrahi existiment.

Philosophiæ in Universitate Salisburg. tradendæ præscripta methodus.

Utinam Philosophia eâ methodo à Sodalibus nostris in monasteriis tradatur, quâ in Benedictina Universitate Salisburgensi deinceps ab iisdem tradenda est. Venit paucis ante diebus in manus meas *Decretum*, quo Magnificus D. P. Rector ejusdem Almæ Universitatis, Vir præcellentis doctrinæ, Dominos Academicos voluit præmonitos, quam viam ad perdiscendas scientiarum disciplinas imposterùm eos insistere oporteat, non vulgarem illam, tritam, & modico sæpiùs fructu calcatam, sed certam, veram, solidam, omniúmque rectè sentientium judiciis comprobatam. Decretum his verbis conceptum est:

Illustrissimis, Perillustribus, Multùm Reverendis, Prænobilibus, Nobilibus, Ornatissimis, ac Doctissimis DD. Academicis salutem in Domino.

Decretū Visitationis Universitatis Salisburg.

„DEcreto nuperæ Visitationis Reve-„rendissimorum &c. &c. Domi-„norum Dominorum Præsulum Assi-„stentium hujus Universitatis ad majus „emolumentum ac splendorem inge-„niorum, maximè è Nobilitate, atque „ut animi eò magis ad SS. Theologiæ „interiorem scientiam, cognitionem-„que Juris non Civilis modò, sed & „Naturæ ac Gentium, & Publici Ger-„manorum (cujus studium *Reverendissimus ac Celsissimus Dominus Dominus Leopoldus Eleutherius, Archiepiscopus, & S. R. I. Excelsus Princeps Salisburgensis, ex Illustrissima & Antiquissima Liberorum Baronum de Firmian Prosapia &c. &c.* tantoperè promo-„tum voluit, ut Prælectiones Juris „Publici &c. assignata ex ærario suo „liberali dote clementissimè fundave-„rit) maturè præparentur; constitu-„tum sancitúmque est

IN THEOLOGIA.

„Præter Lectiones Scholasticas & „Polemicas in *Collegiis Publicis* certis „hebdomadæ diebus horisq; Professor-

„S.Scri-

„S. Scripturæ explicabit Prolegomena „*Theologiæ Dogmaticæ* ex Locis Theo„logicis petita: videlicet tractabit de „S. Scripturæ auctoritate, librísque „ejusdem Canonicis, de genuina in„terpretandi ratione, de libris apo„cryphis &c. De Traditionibus Apo„stolicis, de Conciliis, quænam in iis „præcipua, & contra quos hæreticos „&c. definita fuerint. De SS. Patrum „Scriptis juxtà seriem chronologicam: „quâ ratione eorundem lectio sit utili„ter instituenda &c. De auctoritate „veterum Philosophorum in ordine ad „res Theologicas. Demúmque de usu „rationis naturalis in Theologia. His „deinde Collegiis publicis etiam priva„ta subordinabuntur. Sicut autem „posteriorum frequentatio cuivis libe„ra relinquetur, ita ad frequentanda „Collegia publica DD. Theologi primi „& secundi anni omninò se adstrin„gendos noverint, non accepturi Te„stimonia aut Attestata, nisi ex illis „quoque peculiariter examinati sua „specimina dederint.„

IN PHILOSOPHIA.

„I. Peripatetico - Thomistica Phi„losophia integra more Scholastico ut „hactenùs tradetur, per biennium ab„solvenda. Sed eidem adjungetur Phi„losophia Dogmatico - Experimenta„lis, atque eruditio cœtera, quantam „res tempúsque ferent.„

„II. Matura plurium annorum de„liberatione gravibus sanè de causis in „eam sententiam concessum est, ut, „quod aliquamdiu in scholis obtinuit „negotium dictata calamo excipiendi, „non quidem ex integro, sed maximam „saltem partem tollatur. Quod magno „commodo Auditorum fiet.

„III. Quamobrem liber prælegetur „planus, brevis, & copiosus, faciléque „parabilis, quo singuli debebunt esse „instructi, & ex quo permulta exerci„tatione erudientur.

„IV. In *Logica* bini per singulas „hebdomadas, non impeditas, assigna„buntur dies, in quibus loco Lectio„nis Logicalis bis habebitur Lectio Or„dinaria ex Mathesi, in quâ tradentur „non spinosa illa & sublimia mathe„mata, sed quantùm ad Physicam & „Historiam erit necessarium. A metu „quoque difficultatis, & sumptus in „instrumenta faciendi eos absolvimus: „nisi qui intimiùs has disciplinas in „Collegiis privatis condiscere fortè „volent.„

„V. In Physica præter Libri expli„cationem scribenda moderatè dicta„buntur ea, quæ ad eruditionem, Ex„perimenta, & Observationes Phœno„menorum naturæ pertinent.„

„VI. In eâdem biduum pro bina „lectione ordinaria dabitur P. Profes„sori Historiarum, à quo accipient „*Principia Historiæ* cùm Sacræ tum Ci„vilis, maximè S.R.Imperii. Quarum „prior ad Theologiam, altera ad Juris„prudentiam ipsos paulatim viâ planâ „deducent.„

„VII. Quoties opportunum fuerit, „Collegium habebitur, in quo ea, quæ „tradita fuerint, experimentis demon„strabuntur; aut nullâ discipulorum, „aut levissimâ omninò impensâ.„

„Ex his Disciplinis omnibus DD. „Philosophi non secùs atque ex Peri„patetica tam pro Gradu, quàm aliàs „examinabuntur.„

„Reliqua tam in Theologia, quàm „Philosophia ad rerum ordinem per„fectionemque spectantia suo quæque „tempore præscribentur.„

„Hoc ut Deus Opt. Max. cui ado„rando ingenia omnia unicè laborare „& exerceri necesse est, benè vertat, & „ad veræ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ „suæ cultum, atque augmentum ce„dere faciat, DD. Academicos ad se„dulum in literis excolendis laborem „& indefessam operam pro eo, quo in „ipsorum honorem & utilitatem feri„mur, studio enixè in Domino horta„mur, & hanc ab ipsis mutuam vicem „exigimus, quam facilè speramus, ut „quod pro eorum decore suscipitur, „grato animo agnoscant, & sincero „obsequio constanter exequantur.„ Actum Salisburgi die 14. Augusti anno Domini MDCCXLI.

(L.S.) *P. Oddo Scharz, O. S. Benedicti, Celsissimi & Reverendissimi Archiepiscopi, & S. R. I. Excelsi Principis Salisburgensis Consiliarius Intimus, Universitatis Rector mppria.*

Atque hæc quidem sunt Statuta decem abhinc annis condita in Benedictina Universitate, non magis pro illis, qui Philosophiæ exponunt placita, quàm pro eis, qui addiscunt, digni sanè ut propter eorum observantiam cùm epomidem, tum pallium gerant Philosophicum.

Nunc verò Philosophus, non intrepidi magis animi, quàm perspicacis ingenii, solidæque doctrinæ in me- Andreas Gordonus Phi-

Lofophiæ scholasticæ mutationem & emendationem suscipit. dium prodit, qui primus Philosophiæ in Scholis Catholicis Germaniæ mutationem & emendationem suscepit, atq; veteri & Scholasticæ Philosophiæ bellum indixit. *R. P. Andream Gordonum*, Benedictinum Scotum, dico, cujus sententia est: Philosophiam novam esse veteri, sive Scholasticæ præferendam, illámque utilitatis ergò amplectendam, hanc verò futilitatis causa eliminandam *. Philosophia verò *Scholastica*, & antiqua ab ipso vocatur illa, quæ ante Copernici (& *Cartesii*) tempora in scholis ferè omnibus, fuit publicè tradita; quæ pleraque sua placita ex antiquissimis Philosophorum libris deprumpta, thesium & quæstionum nomine, in forma Logica proponit, & ratiunibus atque auctoritatibus pluribus corroborat: quæ in singulis ferè quæstionibus varia sibi fingit & format argumenta, in forma syllogismi, vel alterius demonstrationis, proponi solita, respondet: doctrinam verò certam ubique paucis absolvit. *Philosophia* verò *nova* dicitur illa, quæ veritati potissimùm immorans, paucas opiniones, eásque non nisi levi brachio tractat, neglectis ubiqne syllogismorum, & aliarum argumentationum lugicarum ambagibus: quæ in Physica plerasque tradit disciplinas mathematicas, & nova experimenta, omnémque respuit autoritatem, nisi ratione, aut experientia fundatam: quæ in omnes ferè Protestantium, & in varias Catholicorum scholas jam introducta, atque in reliquas omnes, *Gordono* quidem judice, recipi meretur. Est verò hæc Philosophiæ novæ generica tantùm descriptio: illius enim abusus nemo prudens approbaverit.

Philosophiæ scholasticæ nomine quid intelligatur.

Audax verò erat *Gordoni* facinus, Philosophiæ Scholasticæ inferre bellum, quæ plurimos semper habuit, hodiéque habet defensores. Hinc fieri non poterat, ut ipsi non acres pugnæ, atque adeò inimicitiæ, & quæ has consequuntur, convitia, calumniæ, & detractiones suscipiendæ fuerint. Malim verò, ut ipse *Gordonus* fata sua in *nova* docenda Philosophia exponat **. Sic verò loquitur: „Cùm Philosophiæ docendæ mihi imposita esset provincia, „mox inanem Philosophiam veterem, „sive scholasticam deserere, & quantum in me erat, abrogare, ejúsque „in locum Philosophiam novam & utilem substituere, decreveram. Catholicorum in Germania ad hunc scopum „præiverat nemo, sed omnes gravi Philosophiæ scholasticæ veterno detinebantur immersi. Aderant quidem „opera quædam mathematica, sed indigesta hæc sunt volumina demonstrationibus sæpè necessariis & experimentis novioribus plerumque destituta, proindéque tironibus in Collegio instituendis inepta. Physicæ „verò experimentalis præter nomen „parùm omninò notum fuerat. Nullus igitur collegio meo aptus erat Auctor domesticus. Auctoris extranei „in hunc usum difficillima comparandi copia. Autorem verò protestantem prælegere & explicare, ut nôsti, „nefas fuisset. Inveteratæ itaque ad „calamum dictandi consuetudini per „duos annos invitus obtemperavi. „Hoc tempore omissis plerisque Philosophiæ scholasticæ quæstionibus vanis & inutilibus, multa ex eadem retinebam, paucis Philosophiæ novæ „placitis hinc & inde quasi furtim inspersis, ut sensim tandem ad scopum „propositum pervenirem, ac ne omnimoda mutatio & saltus ab uno extremo ad aliud illos offenderet, quos „lucrari cupiebam. Hoc modo de anno in annum scopo proposito magis „magisq; appropinquare conabar. Verùm cautelis omnibus non obstantibus observabatur facilè meus Philosophiam mutandi animus partim ex „scriptis exigui sanè momenti intereà „editis, partim ex sermonibus privatis. „Hinc si quid novi aut insoliti sive publicè sive privatim proponebam, contradicentibus ad unum omnibus nemo mihi ferebat opem. Juvenilis „ætas, quamvis annum 25. jam compleviſſem, plerisque fuit lapis offensionis, & momenta rerum à me proposita viri gravis auctoritate destituta „exposuit ludibrio: ipsi etiam amici „mei saltem plerique, ut à scopo nunquam attingendo abstinerem, & labori, ut existimabant, inani parcerem, suadebant. Singulari tamen „Superiorum meorum prudentiæ debeo, quòd propositum laudârint, sed „frœna suaviter injiciendo fervorem „fortè nimium prudenti sanè consilio „coercuerint.„

Gordoni fata in docenda Philosophia Nova.

„Hæc cùm ita se haberent, de Philosophia integra conscribenda & edenda cogitanti A. 1740. prima mihi cura fuit invenire, qui sumptus editioni faceret. Bibliopolæ verò hujus „urbis

Ejus Philosophiæ protelata editio.

* Vide Scriptum Gordoni an. 1749. impressum, cui titulus: *Varia Philosophiæ mutationem spectantia.* Ex hoc omnis hæc narratio deprompta est.

** pag. 10.

„urbis & vicini quidam, utpote protestantes, oblatam operam recusabant metu styli & doctrinæ scholasticæ. Ad bibliopolas igitur remotiores confugiendum erat. Tandem „Ratisbonensis rei indignitate motus „librum edendum suscepit ea lege, ut „magnus non esset. Conditioni annuens, ut difficultatibus præfatis me „paulisper extricarem, librum dictum „conscripsi, ubi hæreseos periculum „nullum, novitatis crimen eluditur, „cùm ex Auctoribus probatis & notis „pleraque deprompta sint, utilia multa atque jucunda proponuntur, & „ad Physicam experimentalem, novámque Philosophiam proximè accedit. Circa medium anni 1743. „manuscriptum prælo paratum bibliopolæ tradidi, & Censoribus in Philosophia nova & Mathesi nonnihil „peregrinis. Differebatur impressio „de die in diem, nescio qua de causa. „Tandem verò pars una uni, pars altera alteri typographo demandata „fuit: Horum alter Pedepontanus hostium furore vexatus mox prælo utebatur, mox ab eodem aufugit, donec rebus ferè omnibus orbatus prælo per anni dimidium & ultra abstinere coactus est; pristino dein restitutus officio, charta hinc inde comparata, & literis mutuatis impressionem tanto tempore interruptam denuo aggressus est. Indéque chartæ „& typi diversitas sæpe maxima, & „errores typographici frequentes: in „tanto enim rerum discrimine nihil „aliud exspectari poterat, nisi opus „valde imperfectum. Talis erat, amice! rerum mearum facies, tale Philosophiæ meæ fatum.

Adversarii genius. „Hisce adversario nova fortassis „arma suppedito, quæ tamen haud „quaquam metuo. Si enim solo veritatis amore dimicet, de illius ad „veram Philosophiam conversione non „despero. Aliunde novi virum, quemadmodum ego illi haud ignotus sum: „novi illius animum rixarum haud ita „cupidum; neque è solo illius calamo „dissertationes dictas profluxisse credo, „sed *juvat socios habuisse*. His fortasse „ut morem gereret potiùs, quàm ut „famam meam læderet, quæ legi, „scripsit. Fulmen hoc & alia similia „dudum, antequam vibrata fuerunt, „mihi minitati fuerant adversarii his „in partibus Socii. Sed bruta fulmina impavidum non terrent. Qua „verò de causa tanta vi petor? Quoniam multis personatis in Germania „ad commune reipublicæ emolumentum larvam detrahere conatus fui, „& studia præcipuè Philosophica in „scholis Catholicorum reformatione „opus habere dixi. Huic conatui cùm „aliis tacentibus illi soli palàm resistant, querelæ antiquæ, qua *attentati in literas regni* arguebantur, denuò dant locum. At mundus nunc „magis sapit, quàm ut ampliùs ita „facilè decipi velit. Quòd si ergo „diuturnum in literas regnum exercere cupiant, illis ego auctor sum, ut „futilibus abrogatis, utiliora & saniora amplectantur: secùs si agent, spero, eorum in literas regnum finietur brevi.„

Mutatio Philosophiæ necessaria adstruitur. Mutationem igitur Philosophiæ omnino necessariam esse, per undecim jam annos aliis persuadere Cl. Gordonus * conatus fuit tum alibi sæpiùs, tum præcipuè duabus Orationibus ad initium studii philosophici publicè dictis anno 1745. & 1747. Prioris titulus est: *Oratio Philosophiam Novam Veteri præferendam suadens.* . . Alterius: *Oratio Philosophiam Novam utilitatis ergo amplectendam, & Scholasticam Philosophiam futilitatis causa eliminandam suadens.* Reformationis hujus negotium, difficultatibus non obstantibus, felicem grogressum indignè ferentes duo è Societate Jesu Professores, alter Wirceburgensis, R. P. *Petrus Eisentraut*, Moguntinus alter, R. P. JosephusPfriemb P. *Gordonum*, ejúsque conatus publicè tandem impugnare aggressi sunt. Prior id fecit in quatuor dissertationibus Philosophicis de electricitate habitis; alter edito scripto sub hac epigraphe: *Apologia, quâ errores R. P. Andreæ Gordon, O. S. B. contra Philosophiam Scholasticam in duplici Schediasmate commissi proponuntur, & Vindiciis petitis confutantur à P. Josepho Pfriemb, S. J. AA. LL. & Philosophiæ Magistro, ejusdémque in alma, sempérque Cathol. Univers. Mog. Prof. Publ. & Ordinar. h. t. Subtilis Facultatis Decano.*

Gordonistæ injuriis agunt non rationibus. Serò nimis verò id duo Antagonistæ fecerunt, cùm Philosophiæ reformandæ studium nunc pluribus etiam in Germania Catholicis arrideat; „*Adversarius uterque*, inquit *Gordonus*, „*injuriis agit, non rationibus*, hoc solùm discrimine, quòd magis impudens sit Moguntini Professoris calamus,

* Lege Præfationem.

„mus, quàm Wirceburgensis. Neutrum itaque responso directo dignor: „sed mentem Amico, qui Dissertationes Wirceburgenses mecum communicavit, aperui duabus Epistolis „ad illum datis.„ Hæ duæ Epistolæ, in quibus Novæ Philosophiæ Historia à P. Gordono propugnatæ, à PP. Jesuitis impugnatæ texitur, typis datæ fuerunt Erfordiæ sumtibus I. H. Nonnii, MDCCXXXXIX. in 4. Ad calcem habetur * P. S. *De Scripto R. P. Opffermann S. J. nuperrimè hîc edito.* Dum hæc sub prælo sudabant (sunt verba P. *Gordoni*) & illud jamjam relitura erant, prodiit hîc loci scriptum sequens: *Philosophia Scholasticorum defensa contra Oratorem Academicum Erfordiensem, sive Confutatio duarum Orationum, quas R. P. Andreas Gordon O. S. B. Philosophiæ Doctor & Professor publicus in Universitate Erfordiensi ad solenne initium studii Philosophici, in pauculo, qui residui erant* (Hi tamen superabant unam vel alteram Jesuitarum in humanioribus classem) *discipulorum consessu annis* 1745. & 1747. *suasurus amplectendam quandam Philosophiam novam, & eliminandam Scholasticam antiquam Erfordiæ pronunciavit. Authore P. Luca Opffermann S. J.*„ Futilia „hujus scripti argumenta, & stili impudentia ejusdem ferè sunt farinæ, „ac Apologia modò confutata: præ„missis igitur animadversionibus con„futata cadunt.„

*pag. 79.

Cl. *Gordoni* vestigia hodie premit alius Benedictinus Philosophus sine epomide & palliu; his tamen in quovis Athenæo vel Academia minimè indignus. Is est R. P. *Udalricus Weis*, Ursini, Imperialis Sueviæ monasterii Professus, & Studiorum Director, qui Opus Philosophicum *De Emendatione Intellectûs Humani*, omnibus ferè doctis majorem in modum laudatum juris publici fecit anno 1747. Docuerat ille paucis ante annis in sui monasterii schola noviorem Philosophiam, ubi ipsi nihil metuendum, nihil cavendum erat à Scholasticorum æmulatione, livore, & invidia. At cùm instauratio literarum domi suæ feliciter & tentata, & suscepta in Philosophica Gente strepitum & tumultum excitâsset, cautiori pede incedendum sibi esse putavit. Tacito multorum murmure vapulavit, quòd veterem illam & strigosam philosophandi methodum in contemptu ponat, multique qui Peripatetico veterno aut lethargo decubuerunt, ne quidem operæ pretium existimârunt, defæcatius philosophandi genus ponderare, sed satis habuerunt, ut inscito clamore illi obgannirent, atque ceu rei novitiæ obloquerentur. Noster verò Philosophus suâ parùm esse existimavit; è re tamen esse putavit, obloquentia ora opprimere, ut ne aliis noxio sint exemplo, vel melioris gustûs ingenia porrò in sequiora seducant, & corrumpant. Adversarios suos in classes dispescuit, atque ut omnia eorum præjudicia è medio tolleret, non tam ferram contentionis cum illis reciprocare, quàm ab omnibus se expedire statuit, opponendo illis accuratum Opus *De Emendatione humani Intellectûs*; quod instar Logicæ satis perfectæ, solidæque servire potest illis, quos & antiquæ doctrinæ mysteria, pretiúmque non nescire interest, & ad penitam rerum cognitionem regiâ viâ eniti, dirigíque. Quo etiam Opere nemo nisi hebes ingenio non intelligit, Authorem & scholasticarum rerum minimè esse rudem, & porrò idem saxum vulvere non cogitare. Quod verò nonnunquam acriùs ferulam, rerum indignitate fortè concitatam, strinxerit, bilis nemini cieri debet, cùm non tam Philosophos, quàm Philosophiam ipsam tam plausibilem infectetur, nec ullus tam immodestas impotentésque crises in ejus Opere reperiet, qualium exempla in mutuis Scholasticorum conflictibus legere est. Venerationi sunt Authori egregii Philosophiæ Scholasticæ Promachi & Optimates, neque non scit Scholasticorum multorum in accuratam naturæ cognitionem merita, qui ab antiqua methodo apertè deficere religioni sibi ducentes eam cum nova confœderare, atque componere moliti sunt, Philosophi cœteroquin insignes. At vulgaris illa, quæ tum in domesticis viget, tum publicis etiam ut plurimùm Athenæis, quæ per Germaniam sacri plerumque homines muderantur, sapiendi ratio longè ab illorum studiis abest, & abhorret. „ Utinam verò, „ exclamat Author, utinam Opus „ istud reliquorum prodromum in „ eum finem, in quem finem scriptum „ est, nonnihil proficiat, & ad seria „ magis studia explosis sterilibus, ni„ mis metaphysicis, nimis vocabula„ riis illis, salivam moveat, & cieat „ orexin! Utinam Ordo saltem noster „ sacerrimus, sacríque Patresfamilias „ etiamnùm in tempore elegantiores „ has literas deniq; suis civitatibus do„ nent,

Udalricus Weisius

Veterum exculere num eutere tentat.

Edit Opus De Emendatione Humani Intellectus.

Ejus scopus & votum.

» nent, sicque avitam in re literaria
» gloriam Majorum nostrorum indu-
» striâ partam recuperet gens Benedi-
» ctina, ut quas, barbarie quondam
» dominante, diutissimè in sacris suis
» recessibus, velut asylis profugas ser-
» vavere, Musas paulò severiores de-
» nuò civitati, lucisque primæ assere-
» ret. Certè studiis istis augustiores
» magnificentiæ Numinis, illustriores
» rerum sacrarum, Dogmatum, Re-
» ligionis, Asceseósque ipsius ideas in-
» generari, hominem mansuefieri, ho-
» nestatis sensum exacui, affectus ci-
» curari &c. passim per hoc Opus do-
» cebimus. Dignæ tamen sunt tot
» Illustrium Philosophorum, Viro-
» rúmque aliorum insignium de inuti-
» litate observatæ hactenùs in litera-
» riis methodi querimoniæ, quæ de-
» nique priùs audiantur, admittan-
» tur ad animum, & ponderentur,
» quàm rejiciantur. Præsumi tamen
» deberet, non sine momentis gravi-
» bus, quæ saltem examinari merean-
» tur, tot Athenæorum publicorum,
» privatorúmque studiorum inter Or-
» thodoxos ipsos emendationes tum
» Principum, Magistratuúmque jus-
» sibus suscipi, & adornari, tum
» passim suspirari, quod communem
» de sterilitate studiorum hactenùs
» frequentatorum sensum abundè te-
» statur. Non desunt vires, non ele-
» gantia ingenia, quæ secùs inutili-
» ter Reipublicæ tanto delectu in mo-
» nasteria subducuntur, & quibus fœ-
» noris talentorum suorum veri sic
» occasio adimitur, nisi desint animi,
» & arctior nonnihil concordia. Se-
» cùs metuo, ne denique turpiter
» alienum exemplum segnes sequi co-
» gamur, qui nostro præire facilè po-
» tuissemus. » Atque his dictis Cl.
Author præfatione in Opus suum Philosophicum *De Emendatione Intellectûs humani*, imponit finem, Lectorem verò posthac meliora à se exspectare jubet. Et verò Operis hujus sanè quàm præclari promulside omnium eruditorum accendit sitim, quam ut proximo quoque tempore explere possit, omnia ei ad commentandum & scribendum necessaria præsidia ex animo optamus.

Varia de eo judicia. Fuerunt tamen è nostris, qui Opus hoc ceu obscurum in contemptu ponerent; id quod cùm ego aliquando ex alicujus ore audirem, in mentem venit Cœci illius, qui cùm utroque orbus lumine nihil videret, culpam in ædes conferebat, quòd obscuræ ac tenebricosæ essent. Certè Opus Em. Cardinali Quirino obscurum visum non est, qui in Itinere suo Germanico Ursinum delatus Authori ad ulteriora animos addidit. Obscurum visum non est doctissimis Lipsiensis Academiæ Professoribus, qui illud non modò in Actis Eruditorum, *Opus illustre* vocârunt, sed Serenissimo etiam Hassiæ Lantgravio Episcopo Augustano, in cujus diœcesi Ursinum est, laudârunt, quo tempore ex thermis Carolinis Augustam reversus, per Lipsiam iter instituit: quâ collaudatione Celsissimus Princeps delectari visus est, ut qui nihil majori habet curæ, quàm ut Clerus suæ Diœcesis cùm secularis tum Regularis eruditione & doctrinâ solidiori excolatur. Hoc de Opere Vir illustris L. B. de *Petrasch* Societatis literariæ Regio-Cæsareæ, quæ Olomucii est, Præses & Institutor optimè meritus in suis ad Eminentiss. Cardinalem *Quirinum* Brixiensem Episcopum idibus Novembris anno 1748. datis ita rescribebat: *Nec ignotus Tibi erit* P. Udalricus Weis; *qui excellenti suo libro*, Emendationem *puto* Intellectûs humani, *Logicam saniorem, Peripateticis exutam ineptiis, inter orthodoxos Germanos dare nunc ausit primus. Non exigua mihi inde spes perlucet multa monasteria Scholasticas desertura argutias, ac juvenes rationibus, non sophismis pugnare edocendos esse. Dignioribus sese studiis impendent & ipsi* Suarezii *discipuli, ac in meliora ducentur, qui maximum firmissimúmque ad nostra usque tempora fuêre columen Pedantismi. Hi enim ne unici solíve remaneant, ac omnes Ludis suis videant effugere, certè & ipsi utilioribus se dare vix ampliùs negabunt. Quid enim gloriosis intolerabilius contingere posset, quàm si à duobus fermè seculis suscepta apud vulgum Bohemicum sapientiæ Salomonicæ opinione deciderent. Sufficientem profectò jam in Silesia sustinent mortificationem superbi Doctores, dum Regis Borussiæ mandato Gallicos Italicósque Rhetoricæ ac Latinitatis instaurandæ Magistros in Collegium Vratislaviense suscipere coacti sunt. Prævideo quidem non ab his tantùm, sed & ab aliis Religiosorum cœtibus multas Patri* Weisio *oppositiones, fortè etiam persecutiones oriundas esse, si his non jam tempestivum, ut intellexisse somnior, initium factum est. Hic Tu*, Eminentissime Domine! *multa apud monachos præsertim tui Ordinis in sanioris hujus Philosophiæ favorem agere valebis, ne*

Quid Lipsienses, & Olomucenses eruditi de eodem statuerint.

barbarico inhærentes fermento hostem putent, qui depravatæ rationi sese obtulit Medicum. Quoad seculares jam illum plurimæ Literatorum Societates in amicitiam recepêre; hîc nil habet, quod timeat; nam omnibus fætebant diu prædicamenta. Academia nostra Austriaca illum Socium magno honore recepit, ac ego Reginæ nostræ hâc hyeme me eum non absque fructu commendaturum spero. Hæc ille. In eundem verò librum & Authorem sic allusit amicus Musis nostris calamus:

Simonides olim memorandi repperit artem;
Nullus adhuc artem repperit ingenii.
Hujus at ingenuè nuper moderamina scripsit
Lamindus Pritan, † *ingeniosus homo.*
Nunc Intellectûs artem novus arte Magister
Weisius *exponit, tollere menda docens.*
O felix Scriptor! felix Opus! atque Beatus,
Cui Dux à teneris Weisius *ipse foret.*

† Muratorius de Moder. ingenior.

Weisii Apologia.

Ceterùm vix orbis eruditi conspectûm plausúmque subierat insignis partus, cùm illicò *Fortunatus à Brixia* è Minoritarum familia monachus ferulam in eum strinxit, ac editâ *de qualitatibus corporum sensibilibus Dissertatione Physico-Theologicâ*, infelicibus aliquot plagulis nigerrimum theta *Weisio* inurere, hujúsque orthodoxiæ hostiliter detrahere non est veritus, quem tamen noster egregiè excepit editâ Augustæ anno 1750. Epistolâ Apologeticâ ad Eminentiss. Card. QUIRINUM, in qua eum his affatur verbis: *Et quò magis*, inquit, *querelam meam, quàm ad Te converterem*, MAGNE QUIRINE! *Tua sedes calumniarum & criminationum, quas in me congessit* Fortunatus, *patria est: Brixiæ natales suos habent: interest honoris mei ibi purgari & vindicari maximè, ubi primò vulgata maximè percrebuit* Fortunati *criminatio, ut fiduciam & conscientiam innocentiæ meæ magis faciam manifestam. In oculis Tuis, quidquid rei est, gestum, unde intelligere debeam Viri Clarissimi consilium me certiùs apud illud Tribunal denuntiandi, cui summus à primo rei librariæ in Ecclesia Judex tanta cum gloria præs. Apud Te igitur causam veluti capitis dicere incolumitatis meæ refert.* Hæc ipse sui vindex maximè idoneus. Ast præstat motos componere fluctus, & spretis ejusmodi censoribus, quod res est agere.

Notantur Philosophi Scholastici.

Multa verò cùm superent Virorum Illustrium testimonia, quibus Scholasticorum Philosophorum vitia liberiùs notantur, unum ad fidem majorem faciendam pro coronide adscribam. Ita enim *Cozzandus* magni vir nominis, *Incidi*, inquit, *in nescio quod hominum genus strigosum & elatum, quos* Sophistas *dicunt, tricarum strophis & argutiis, ut otio abundantes, qui me à studiorum meorum dulci & amicâ divulserunt quiete, méque invitum & ingratiis meis in diatribas deduxerunt suas, disputationum vorticibus, verborum involucris & ænigmatibus passim strepentes, & quæ omnem prorsus excludunt Musarum suavitatem.* Hercules tuam fidem! Quæ monstra verborum, quæ nominum portenta non andivi? quæ non, planè extra chorum acumina sensi? Quot dissultantes ac planè desultorias quæstiones? Quantum in illis animadverti inanitatis, vanitatis, ineptiarum? Quoties mihi non sine risu audire contigit illos ita simul contendere, ut absurda & ridicula alter proponeret, alter verò importuna quædam, & nihil sanè ad rem responderet? Demonactes Epicteti Stoici auditor dixisset: *Nónne vobis videtur hic hircum emulgere, & ille cribrum subjicere?* Cum his aliquot annos consumpsi, & quidem ætatis meæ meliores, cùm videlicet vegetum ingenium in pectore vivido vigeret; tandem cùm me saturum nugarum suarum habuerunt, fucis & gerris dimiserunt onustum, & barbarie quadam sic intimè affectum, ut vix postliminio illa exuere potuerim." Hæc ille; quîcum loquitur *Ludovicus Vives* Valentinus in libris XII. de corruptis Artibus, & quinque de tradendis disciplinis, cum indice copioso editis Lugduni Batavorum ex officina Joannis Mairi CIϽIϽXXXVI. in 12. quos legendos nostris Sodalibus consulimus, atque ad melioris frugis Philosophiam cum iis pergimus, de qua



SECTIO

SECTIO II.

Historia Ethicæ seu Philosophiæ Moralis.

Studium Ethices Monachos maximè decet.

DOctrina de moribus solet appellari ETHICA seu *Philosophia Moralis*, quæ de virtutibus & vitiis, omninóque de bonis & malis disserit, ac Regulas benè vivendi intuitu æternæ felicitatis præscribit. Hanc in scholis hodiè negligentiùs, quàm par est, excoli queruntur boni omnes. Disputationum quidem multum est, sed vivæ validæque morum doctrinæ parum; cujus tamen cognitio monachis præsertim multò fructuosior, ignoratio multò perniciosior existit. Quæ enim inter Philosophos seu Democritos, seu Pyrrhonios, seu Peripateticos, seu Cartesianos disputantur, inanes clamores, rixas, contentiones sæpè sæpiùs in monasteria importare solent; quæ verò in *Morali* disputantur *Philosophiâ*, modestiam, animi demissionem, pacem ac tranquillitatem inter cœnobitas conciliare nata sunt. Ex quo intelligi potest, hujus disciplinæ dogmata monachis esse magis necessaria, iisque uberiores afferre fructus: Nullus enim unquam, quòd Peripati nesciret placita, minùs propterea religiosus, bonúsque existimatus est; hæc autem ignorata, aut neglectui habita non singulis modò monachis, sed integris etiam monasteriis exitium attulerunt. Nec pluribus opus, quando veritas manifesta ob oculos versatur, rémque ipsam facta patrata docent.

Huic se maximè devovebant veteres Christiani.

Quanto autem studio huic morum disciplinæ sese devoverint veteres Christiani, ex eo colligitur, quòd cùm se Philosophos, *non verbis, sed factis crederent*, ut scribit Cyprianus de bono sapientiæ, *& de rebus divinis summisque certiùs multò atque elegantiùs disserere posse, quàm seculi hujus Philosophos, nôssent*, doctrinam Evangelii *Philosophiam* appellare non dubitaverint. Ita Theodoreto *Evangelica Philosophia*, Salviano *Philosophia Christiana*, Clementi Alexandrino & Socrati ἀληθὴς φιλοσοφία, dicta est. Atque eandem ob rationem *Philosophorum* nomen ad Christianos traductum perhibet *Clemens Alexandrinus*, qui hanc nobis horum definitionem suggerit Stromatum libr. VI. p. m. 642: *Philosophi apud nos dicuntur, qui amant sapientiam, quæ est omnium opifex ac magistra, hoc est, filii Dei cognitionem.* Partes verò illius Philosophiæ latiùs enumerat libro II. pag. 380. his verbis: *Hæc ergò tria noster sibi vindicat Philosophus, primò quidem contemplationem; secundò præceptorum executionem; tertiò virorum bonorum constitutionem, quæ quidem cùm convenerint, verum Gnosticum conficiunt.* Similia habent alii Scriptores Ecclesiastici, quorum loca hîc, ubi alia agenda sunt, non cumulamus. Nec defuêre, quibus visum est ipsam Religionem Christianam, sensu quodam excellentiori quamdam esse philosophiam. Cùm enim philosophia generaliori notione veritatum & Deum & homines & utriusque partis res concernentium sylloge sit, quæ intellectum humanum à præjudiciis liberatum ad cognoscendum felicitatis fontem *Deum*, séque ipsum & res alias ad eundem scopum collineantes manu quasi ducit, rectè indè intelligitur, idem quoque munus Christianam Religionem poscere, quæ & sola ita nobis Deum revelat, ut digno eum majestate supremâ, quâ gaudet, modo colere valeamus; & præjudiciorum fontes nulli rationi pervios detegit, verámque inveterato malo medicinam affert, atque ita felicitatis humanæ viam non aspernantibus pandit patentissimam, dúmque & intellectum instruit, & voluntatem efficaciter movet, ipsam quoque sapientiam nobis exhibet pulcherrimam.

S. Benedictus inter Philosophos morales primus.

Hac sublimiori philosophiâ cœlitùs instructus sanctissimus P. BENEDICTUS, meritò inter gentis nostræ Philosophos morales primatum sibi vindicat. Quis enim alius eminentioris hujus philosophiæ, *quæ in vitæ ac morum emendatione potissimùm versatur*, præcepta tradidit uberiùs, explicuit luculentiùs, atque ipse Dictator noster sanctissimus? *Socratem* ferunt primum fuisse, qui Ethicam cœlo devocavrit; At quanto veriùs id de S. BENEDICTO affirmari potest, cujus sacram Regulam afflatu Spiritûs sancti fuisse conscriptam sacra attestantur Concilia *. Quæ *Socratis*, quæ *Platonis*,

* Vide superiùs allata pag. 195.

nis, quæ *Aristotelis* Ethica cùm *D. Benedicti* Regulâ in comparatione conjungi mereţur? Quàm multos deinde, quámque præclaros nactus est discipulos? Absit verbo jactantia. Quòd si in Catholica Ecclesia ulla unquam exorta est Religiosa familia, in quâ Philosophia, quæ ad conformandos mores, instituendæque vitæ rationem pertinet, floruit; ea certè Benedictina fuit familia: unde quondam extiterunt tam multi, támque propemodùm innumerabiles virtute ac sanctitate illustres viri, qui Ethices præcepta sanctissimæ vitæ comprobârunt exemplo. Etsi enim quàmplurimi de Philosophiæ sententiis neque ipsi cum Adversariis conflixerint, neque literis quidquam consignârint, non eò minùs è numero Philosophorum fuerunt. Vitâ illi, non oratione, factis, non dictis, moribus, non sermonibus philosophabantur: quod pulcherrimum ac verissimum est philosophandi genus. Integritatem, justitiam, fidem, fortitudinem, constantiam, omnem denique virtutem & colebant ipsi, & alios colere jubebant. Quo eorum exemplo quàmplurimi non è fæce tantùm plebis, sed ex flore primariæ nobilitatis incitati, Proceres, Principes, Reges, atque Imperatores, rebus humanis nuntio misso, in hujus Philosophiæ studium toto pectore, aliâ omni cogitatione posthabitâ incubuerunt.

Benedictini Philosophi Morales. S. Greg. Mag.

Quid jam de illis dicam, qui sobriè, justè, ac piè vivendi morales præscripserunt doctrinas? *Gregorium* Magnum fuisse *arte Philosophum*, scribit in ejus vitâ Joannes Diaconus. Quàm verò Philosophorum sectam sit amplexus, non aperit. Ethicen ab eo cultam fuisse, nullus ignorare potest, nisi in Operum ejus lectione fuerit hospes ac peregrinus. Certè *Christianorum Senecam* eum libenter cum Cl. Dionysio Sammarthano vitæ scriptore, appellarem, nisi de illo satiùs videretur dicere, quod de Abraham Ambrosius: *Magnus planè vir, & multarum virtutum clarus insignibus, quem votis suis Philosophia non potuit æquare. Denique minus est, quod illa finxit, quàm quod iste gessit.* Quantæ venerationi atque existimationi ejus Libri Morales in Ecclesia Catholica semper fuerint, difficile est dictu. Vix in lucem editi, jussu Episcoporum, publicè ad sacras vigilias lecti, in varias linguas translati, in compendium, ut semper ad manus essent, redacti, innumeris codicibus descripti fuerunt. In his verò ostendit, dari aliquod extremum, seu finem in rebus humanis, ad quem omnia, quæ agunt homines, referri oporteat: tum quid sit ille finis docet: deinde quibus rebus, fugâ nimirum vitiorum, ac exercitio virtutum ad eum perveniatur, commonstrat. Hæc qui tradit, an non veram tradere Ethicam dicendus est?

Ethica SS. Patrum injuriosè perstringitur.

At enim manum mihi hîc injiciunt duo Acatholici Professores, *Joannes Barbeyracius*, & *Christophorus Heumannus*, atque quæ ego de S. Benedicti, Gregorii, aliorúmque Benedictinorum Ethicâ deprædico, nec titivillitii habenda pronuntiant. Et quidem *Barbeyracius* Calvinista Tractatum Gallicè scriptum vulgavit contra moralem doctrinam Patrum, quam multis fordere nævis insimulavit, *Remigius* verò Ceillier è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi, edita anno 1718. apologia, ab iisdem luculenter vindicavit. *Heumannus* verò Lutheranus, si Superi annuerint, non *Benedictum* modò ac *Gregorium*, sed omnes, nullo dempto aut excepto, Ecclesiæ Patres de ponte Ethices dejicere ac deturbare molitur. En *Heumanni* verba *: *Exortâ luce Christianæ religionis simplex illa quidem, sed verissima Ethica orbi reddita fuit: quæ & produxit homines in omni virtutum genere admirabiles & in adversissimis rebus beatos. Postea verò quàm Doctores Ecclesiæ Ethicam tractârunt philosophica quadam ratione, non priùs exculta Logica, sine qua in studio Ethico parùm profeceris, simúlque pro fundamento substernentes Sacrum codicem vera interpretatione, cujus illi subsidiis & adminiculis carebant, destitutum; accidit, ut ejusmodi traderent doctrinas morales, quæ continerent falsa multa, tandémque desinerent in monachismum, hoc est, Ethicam maximè barbaram & irrationalem.* Hæc *Heumannus*, publicus in Acatholica Universitate Gottingensi Professor. Quid respondendum verò Sanctorum Patrum atque Ecclesiæ Doctorum non censori modò, sed etiam contemptori? num paribus conviciis cum viro agendum, aut quod præstat, rationibus contra eum in arenam descendendum? At conviciari non est meum; disputare autem hujus loci æquè non est. Vindicent alii, nisi res magis

* Cap. V. §. XXXIV. p. 238. *quem rogatum volo, ut Abbatis Fleury Discursum V. Histor. Ecclef. de Doctrina Morali legat.*

gis insulsa sit, insulsè dicta refellere, vindicent, inquam, contra Heumannum sanctorum Patrum, Ecclesiæque Doctorum Ethicam; nos ab historiæ filo pertexendo dimoveri nos non patiemur, ita tamen, ut Benedictinos tres quatuor ethicè philosophantes auscultemus: tum verò lector judicium ferre poterit de inepta, ut mitissimè loquar, censurâ, qua Heumannus moralem monachorum Philosophiam perstrinxit.

Petrus Mauritius Cluniac. Prodeat igitur in medium primus S. *Petrus Mauritius*, cognomento Venerabilis, Abbas Cluniacensis, nobilissimæ prosapiæ, ac nemini seculo duodecimo, quod virorum Illustrium feracissimum fuit, aut ingenii acie, aut doctrinæ magnitudine copiâque dicendi secundus. Is Petrum Pictaviensem, ut vult Duschesnius, aut *Petrum Abælardum*, ut Mabillonius existimat, ad fugam sęculi, vitæque monasticæ cultum invitans, cùm eo sic philosophatur. „Laboranti tibi, „fili dilectissime, in secularis literatu„ræ scientia, & gravi humaniorum stu„diorum fasce onustato misertus: cùm „nullam labori mercedem, nullum „oneri tuo levamen videam, te tem„pus inaniter consumere ingemisco. „Si enim verè philosophandi hic so„lus & certus finis est, ubinam vera „beatitudo consistat agnoscere, & „agnitam adipisci, ut ea adepta de „misero possit esse beatus, nec beati„tudo valeat dici, cui boni aliquid „deest, summum autem bonum bea„ta æternitas est; quis dicere audeat „eum philosophari, qui universis la„boribus suis non ad æternam beati„tudinem, sed ad æternam miseriam „tendit? Sudaverunt in hujus beati„tudinis inquisitione antiquorum in„genia, & quod altissimè reconditum „latebat, velut de occultis terræ vi„sceribus multo conatu eruere conten„derunt. Hinc artium adinventiones, „hinc multiplices argumentationum „perplexiones, hinc sectarum invi„cem compugnantium infinitæ dissen„siones: quarum aliæ in corporum vo„luptatibus, aliæ in animæ virtutibus „beatitudinem constituebant: aliæ su„pra hominem quærendam esse cen„sebant, aliæ aliud afferentes omni„bus contraibant. Hos errare, & „quod in supernis celabatur, in imis „quærere, & mendacii confusione „mortales in terra falli, Veritas de „cœlis intuens, eorum miseriæ con„dolens, de terra orta est; & ut „à talibus videri posset, similitudine „carnis peccati assumpta, his & simi„libus malis laborantibus clamavit di„cens. *Venite ad me omnes, qui la„boratis & onerati estis, & ego vos re„ficiam. Tollite jugum meum super „vos.* Et quia eos profunda veritatis „ignorantia teneri vidit, magisterii vo„ce assumpta subjunxit: *Discite à me, „quia mitis sum, & humilis corde, & „invenietis requiem animabus vestris.* „Et cùm in montem conscendisset, „apertè, non tantùm ubi vera beati„tudo invenienda esset, sed etiam qua„liter ad eam perveniendum esset, edo„cuit: & omnium beatitudinem in„vestigantium curiositatem compe„scuit, dicens: *Beati pauperes spiritu, „quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* „Ecce sine Platonicis meditationibus, „sine Academiarum disputationibus, „sine Aristotelicis laqueis, sine Philo„sophorum doctrinis, inventus est lo„cus & via beatitudinis. Sileat ergò „humana præsumptio, audito divino „magisterio. Conticescat falsitas, „quia docet Veritas. Deserat docen„tis cathedram homo, quoniam ad „docendum residet Deus homo. *Bea„ti*, ait, *pauperes spiritu: quoniam „ipsorum est regnum cœlorum.* Quid „igitur charissime, scholas oberras? „quid & doceris & docere conaris? „Quid per millia verborum, quid per „multos labores inquiris, quod sim„plici sermone, quod parvo labore, „si volueris, assequi poteris? Quid „inani studio cum Comœdis recitas, „cum Tragœdis deploras, cum Me„tricis ludis, cum Poëtis fallis, cum „Philosophis falleris? Quid jam non „Philosophiæ, sed, quod pace tua „dictum sit, tantam stultitiæ operam „impendis? Stultitiæ, inquam. Nam „& hoc veri Philosophi dictum est: „*Nónne stultam fecit Deus sapientiam „mundi?* Curre ergo, fili mi, ad pro„positam tibi à cœlesti magistro totius „Philosophiæ unicum fructum, regni „cœlorum beatitudinem: quam adi„pisci non poteris, nisi per veram „spiritûs paupertatem. Verus enim, „ut suprà dixi, Magister totius mun„di scholæ præsidens, & cathedras „falsa docentium evertens, pauperem „spiritu dixit esse beatum, quoniam „ei esset summa beatitudo reposita, „hoc est, regnum cœlorum. Aggre„dere viam paupertatis, quâ itur ad „beatitudinem regni cœlestis. Viam, „inquam, aggredere paupertatis, non „tantùm corporeæ, quantum spiritua„lis-

Via ad veram beatitudinem à Christo designata.

„lis: non tantùm rerum, quantum hu„militatis, non tantum carnis, quan„tum mentis. Eris tunc verus Phi„losophus Christi, cùm in te stultam „fecerit ipse sapientiam mundi. Nam „si secundùm eundem Apostolum „volueris esse sapiens, stultus esto, ut „sis sapiens, neque te Logicæ gar„rulitatem, Physicæ curiositatem, vel „aliud quidlibet scire glorieris, *nisi Chri„stum Jesum, & hunc Crucifixum.* „Quia si ipso donante esse merueris: erit „de te gaudium Angelis Dei: qui gau„dent super uno peccatore pœniten„tiam agente: erit & sanctis homini„bus multa lætitia, quia dum gau„det unum membrum, congaudent „omnia membra. Erit & mihi super „omnia jocunditas, qui te quasi uni„cum filium suscipiam, lacte pietatis „alam, gremio amoris consovebo, in„ter Christi parvulos educabo, inter „tyronum multitudinem armis cœle„stibus armabo, & ad spiritualem mi„litiam quantum licuerit, animabo. „Aderit supernum auxilium, ut in ca„stris Cœlestibus pariter militantes ho„stem vincamus, vincentes coronemur: „& veraciter philosophantes, ad Philo„sophiæ debitum finem, beatam æter„nitatem scilicet, pertingamus."

Heumannus perstringitur. Quid jam censet *Heumannus* de hac Petri Venerabilis Ethica? Quæro ex ipso, an non falsâ illâ, ad quam proh dolor! plurimi mortalium anhelant, detecta felicitate, veram, ad quam omnes aspirare deberent, beatitudinem, ceu præcipuum Philosophiæ finem, commonstrârit? Quæro ex ipso, an non brevissimam, facillimam, atque rectissimam ad eam consequendam viam ostenderit? Quæro ex ipso, an non præclarissima moralis doctrinæ principia in animo Petri inseruerit? Si hoc inficias ire nequit; num audebit huic Philosophiæ virgam suam censoriam incutere? num audebit, ex ejusdem præceptis vitam transfigere, *monachismum*, hoc est, *Ethicam maximè barbaram & irrationalem* deinceps vocare? Certè hoc facere ei non licet, nisi divinum Christi magisterium verbis injuriosis, ne dicam, impiis & blasphemis proscindere sustineat.

Ethica Ven. Hildeberti. Venerabilis *Hildebertus* ex Cluniacensi Monacho primùm Cenomanensis Episcopus, tum Archipræsul Turonensis erat seculi duodecimi clarissimum lumen, ac verè Epictetus; qui quàm in ea disciplina, quæ circa mores ad honestatis regulas conformandos occupatur, præclarè institutus fuerit, indicio sunt primùm ejus moralis de *Honesto & Utili* Philosophia, tum *Tractatus metricus de quatuor virtutibus vitæ honestæ*, deinde *Liber de Querimonia, sive de conflictu carnis & animæ partim prosa, partim metro ad imitationem Boëtianæ Consolationis Philosophiæ*. In his Tractatibus animi perturbationibus mederi, mores componere, à teterrima vitiorum servitute in justam plenámque libertatem se vindicare, ad verum decus, quod in virtute positum est, pleno gradu contendere, & Deo acceptam vitam ducere, hoc est, veram Ethicam & moralem Philosophiam præclaris monitis ac præceptis docuit. Quæ si Heumanno minùs arrideant, ipse ceu novus ac melior Epictetus, alia proferat, eáque in medium adducat.

Opus Ethicum Ven. Engelberti. Venerabilis *Engelbertus* Abbas Admontensis in Styriâ, cùm animum non in supernarum modò ac cœlestium, sed moralium etiam rerum contemplatione præclarè exercuisset, de virtutibus moralibus tractationem conscripsit, quam gloriosissimis Austriæ juvenibus Ducibus *Alberto*, & *Othoni*, Alberti I. Imperatoris filiis dicavit; quorum ille, *Albertus* inquam, cognomento *Curvus* seu *Contractus*, Fratri Friderico, Pulchro, Romanorum Regi in Austriæ Ducatu anno MCCCXXX. successit, eundémque ad annum MCCCLVIII. quô ad plures abiit, strenuè sapienterque gubernavit. Otto verò ipse est, qui primus ex Austriæ Ducibus anno MCCCXXXV. die SS. Processi & Martiniani Dux Carinthiæ solenni ritu creatus fuit, eique præfuit usque ad annum MCCCXXXIX. quo maximo sui desiderio apud omnes relicto decessit. Ambobus, dum adhuc mollioris ætatis fluctibus agitarentur, & inter aulæ delicias, fortunæ blandimenta, Domúsque splendores, in diversos mores facilè flecti possent, necessariam se operam præstiturum judicavit *Engelbertus*, si ea quæque saluberrima de Virtutibus, Principe dignis, præcepta, quæ uspiam apud magnos viros extarent, in unum corpus colligeret, ad quod illi ceu limpidum minimèque fallax speculum mores suos, totiúsque deinceps vitæ rationes, cum Reipublicæ salute detrimentisve arctissimè conjunctas, exigerent, componeréntque. Quæ *Engelberti*, viri jam senis, & experti, consilia quàm opportuna fortunatáque fuerint, Alberti & Ottonis

vir-

virtutes, résque præclarè gestæ à Rerum Austriacarum Scriptoribus tantoperè celebratæ satis postea demonstrârunt. Engelberti Opus Bernardus Pezius * publici juris fecit, cui, credo, Heumannus *monachismi*, hoc est, *Ethicæ maximè barbaræ & irrationalis* notam innrere nolit; cùm id facere nequeat, quin inverecundos suos aculeos in sapientissimos quosque viros, quorum moralia præcepta & consilia *Engelbertus* collegit, non etiam conjiciat.

Trithemius in Ethica excellit.

JOANNEM TRITHEMIUM, Abbatem Spanheimensem, fuisse magnum sui temporis Philosophum, apud omnes in confesso est; sed in Philosophia morali planè regnavit; cùm infusa totius Ethices præcepta ejus animum penitus irrigârint. Argumento esse possunt vel solæ ejus Epistolæ Familiares, quarum unam eámque non totam, quin nec dimidiam hîc adscribemus **. Sic verò cum Kymolano Carmelita philosophatur: „Ad veram te Philoso„phiam, quæ Christum Dei virtutem „& sapientiam profitetur, prædicat, „amat, laudat, imitatúrque, præcin„xisti, in ejus oportet fideliter dile„ctione permaneas, ut fructum sem„piternæ felicitatis accipere merearis. „Venire autem ad veram sapientiam „nequeunt, qui falsam imitantur. Et „quænã est sapientia falsa, nisi quæ hu„jus mundi, divino teste Gregorio, cor „machinationibus tegere, sensum ver„bis velare: quæ falsa sunt vera osten„dere, quæ vera sunt falsa demonstra„re. Hanc qui sciunt, cœteros super„biendo despiciunt, hanc qui nesci„unt, subjecti & timidi ipsam in aliis „mirantur. Hæc sibi obsequentibus „præcipit honorum temporalium cul„mina quærere, adeptâ temporalis „gloriæ vanitate gaudere, malum pro „injuriis reddere, hujúsque vitæ com„moda vehementiùs amare. Nostra „verò sapientia est, ô Kymolane, nil „per ostentationem fingere, sensum „verbis aperire, vera ut sunt diligere, „falsa devitare, bona gratis exhibere, „mala libentiùs tolerare, quàm face„re; nullam injuriæ ultionem quære„re, pro veritate contumeliam lucrum „æstimare. Timor autem Domini, si„cut ait scriptura, initium sapientiæ „est. Beatus homo qui sapientiam in„venerit veram, & cui providentia „affluxerit Christiana. Melior est ac„quisitio ejus negotiatione auri & ar„genti: Primi & purissimi fructus ejus, „quia pretiosior est cunctis opibus, & „omnia quæ desiderantur, ei nequeunt „comparari. Vera etenim sapientia „est, cujus mens illustrata fulgoribus, & „verum quod amat intelligit, & bo„num amat, quod cognoscit. Exem„plum sapientiæ à sole capiamus, ut „inter cognitionem & amorem possi„mus discernere. Sol non omnes ca„lefacit quibus lucet, & sapientia mul„tos quidem docet, quid sit facien„dum, non tamen continuò accendit „omnes, ut bonum velint opere ad„implere quod noverunt. Nam sicu„ti aliud est multas scire divitias, aliud „possidere, neque notitia divitem fa„cit, sed possessio divitiarum, ita mul„ta scire ac sapienter intelligere non „verè sapientem facit, si operum ex„hibitio non sequatur. Omnis enim „sapientia nostra in hoc uno consistit, „ut cognoscamus Deum, ipsúmque „ritè colentes super omnia, quia sum„mum est bonum, totis viribus dili„gamus. Hæc est Philosophia Chri„stianorum, hæc sapientia certa fide„lium, ad quam omnes aliæ scientiæ „principaliter sunt referendæ. Hæc „est consummata sapientia, quam om„nes gentilium Philosophi in tota sua „vita quæsiverunt, nec unquam in„venire, comprehendere, aut tenere „potuerunt, quia religionem aut pra„vam retinuerunt, aut omnem peni„tus sustulerunt. Quisquis autem hu„jus perfectæ sapientiæ familiaritatem „obtinere meruit, verè sapiens est, ei„que deinceps quidquid ingenii & la„boris poterit, libenter impendit: con„temptísque omnibus publicis & pri„vatis actionibus ad hujus se contem„plationis stúdium convertit. Arbi„tratur enim, nec fallitur certè, mul„tò esse præclarius divinarum huma„narúmque rerum investigare ac scire „rationem, quàm perituris struendis „opibus, aut vanis accumulandis ho„noribus inhærere. Quibus rebus „quoniam fragiles terrenæque sunt, & „ad solius corporis pertinent cultum, „nemo melior effici potest. Neque enim „alia sapientia est quàm veritas, in „qua tenetur & cernitur summum & „incommutabile bonum, quod in nul„lo est loco, & nusquam deest, quia „ubique est totum. Hæc nobis sola „philosophandi causa est, beatitudi„nis desiderium. Est autem mentis „nostræ vera beatitudo summi & in„com-

Quæ vera sit sapientia.

Causa philosophandi est beatitudinis

* Tom. III. Thesauri Ancedot. nos præfationem Editoris hic desloravimus.
** Lib. I. Ep. XXVI. pag. 460.

nis desiderium. „commutabilis boni fruitio, quæ ex „cognitione & amore veritatis subori„tur. Veram nunc igitur, ô Kymo„lane, quæram sapientiam, quæ in „sola fide Domini nostri JESU CHRI„STI formata consistit, sine cujus „cognitione & amore nemo beatus „evaserit unquam, sicut S.Præsul Au„gustinus in quodam loco dicit: Nam „qui sine Salvatore salutem vult habe„re, & sine vera sapientia, quæ est „Christus, æstimat se prudentem fieri „posse, non sanus sed æger, non sa„piens, sed stultus in ægritudine assi„dua laborabit, & fatuus in tenebris „ignorantiæ permanebit. Ad veram „sapientiam Christus via est, Fides „itineris dux, custos intemerata hu„militas, decor & indumentum omni„um terrenorum contemptus. Ad hanc sacer nos Christophilus cohortans ait: *Nemo fratres vos seducat. Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum, & Dei sapientia contemnitur ab his, qui gloriantur in sapientia vanitatis.* (1.Cor. 3.) Bonus Christianus, amator Dei, contemptor mundi, hostis vitiorum & cultor virtutum, verè sapiens est, etiamsi omnem mundi sapientiam penitus ignoret, cui nihil est alienum, nisi quod virtuti incongruum. Quocunque accesserit, sua secum omnia fert, & totus mundus ei possessio est, quoniam eo toto sicut suo utitur. Metu non frangitur, nec potestate mutatur, non extollitur prosperis, nec tristibus deprimitur. Ubi enim vera sapientia, ibi virtus animi, ibi constantia, ibi fortitudo. Sapiens in Christi amore fundatus semper idem est, non minuitur, ut Ambrosius ait, neque augetur mutationibus rerum, nec ut parvulus fluctuat, ut circumferatur omni vento doctrinæ, sed manet perfectus in Christo, fundatus charitate, radicatus fide. Sapiens igitur defectus rerum ignorat, & varios animi nescit affectus, sed fulget sicut sol justitiæ sine macula coram Deo & hominibus. Ut verò tales evadamus ô Ky„molane, summâ laborandum curâ, „quoniam major & miserabilior cura „non est, quàm rebus intendere vanis, „terrenis, atque caducis, quæ animæ „non solùm nihil confert boni, sed „maximo afficit potiùs malo. Disca„mus utilia & necessaria, quorum „cognitio beatitudinem repromittit: „nec imitemur eos, qui necessaria nesci„unt, quoniam superflua didicerunt.„ Prosiliat nunc *Heumannus*, excreet, & siquid Abbas Trithemius non Ethicè, aut barbarè, insulsè, ac sine ratione dixit, obeliscis suis dispungat.

Cortesius Ethicam docet. *Gregorii Cortesii*, monachi primùm, tum Abbatis in Congregatione Casinensi, ac posteà S. R. E. Cardinalis Philosophiam quanti *Benedictus Theocrenus* fecerit, ex ejus verbis ad Cortesium perscriptis * abundè intelligimus: *Omnis philosophiæ, cujus candidatus apud te professus sum, scientiam ita in arduo positam video, ut undecunque ad eam sine aliquo duce & prævio ingredi parem, materiæ difficultate deterrear; te unum Deus mihi obtulit, à quo certissimum ad tantam rem adeundam auxilium exspecto, præterea à nemine.* Fuit verò Theocrenus vir longè doctissimus, ut qui unus delectus fuit, cujus fidei, doctrinæ, ac disciplinæ cura & institutio primogeniti Regis Galliarum commendaretur. Tum verò quæ virtutis, morum, ac officii præcepta à Cortesio proponi atque explicari quondam audiit, Regium suum discipulum cum cura edocuit. Præterea de Cortesii Ethica præclarum ferre testimonium potest *Hieronymus Adurnus* Urbis Genuensis Dux ac Princeps, quem, ut effrænatam obscœnas cantandi odas licentiam compesceret, Cortesius hac Ethica epistolari ** aggressus est.

Præclara Ethices præcepta. „Cùm omnium Legislatorum ea „potissimùm mens id consilium esse „debeat, ut civitate stabilita, optimis, „& legibus & institutis, sic ad ea ci„ves assuescant, ut quoad fieri potest, „legibus ipsis mores sint consentanei. „Maximè planè ad id assequendum „prodest, si de his, quæ facere opor„tet, quæque evitare, cives ipsi inter „se quam sæpissimè fuerint collocuti. „Maximum námque momentum ha„bet ad stabiliendos, evertendósve „mores, quales quotidie sermones ha„beantur. Index certè morum est „oratio, quæ tum demùm in nobis „honestè secúsve affecta esse consue„vit, cùm jam in alterutram partem „morem habitúmve, crebro usu, actio„néque nacti fuerimus. At verò Re„gem in civitate legem vivam esse cre„didit Aristoteles, qui tanto melior, „tanto solertior esse debet in regen„dis moribus instituendáque civitate, „quan-

* Theocreni epistola habetur inter Cortesii Epist. Fam. p. 109.
** L. c. pag. 68.

„quanto inanimis animata præstare „certissimum est, & ea potissimùm ani„mæ parte viventia, quæ non in sensi„bus tantùm, sed etiam in ratione ipsa „dominatur. Enimverò cùm in magna „civitate multa Principes latere necesse „sit, quòd soli diversa, & penè infi„nita negotia sustineant, non arro„gans videri debet, si honesti justique „gratia, adde etiam amore in ipsum „Principem, quispiam inventus fuerit, „qui si quid in tanta mole, veluti in „vasto corpore, luxatum fuerit, ad „ejus notitiam deducat, ut illius o„pera reponatur. Morbum siquidem „omnem, qui in quavis corporis par„te oriatur, in caput demùm redun„dare, neminem opinor esse, qui ne„gare audeat. Est sanè Princeps in „civitate idem, qui in domo paterfa„milias, is verò, modò liberaliter in„stitutus sit, non obscœnè tantùm fa„cta, sed dicta etiam turpiter, aut „coercere, aut certè pœna prosequi „volet. Qua in re, tanta extitit, in „rectè institutis civitatibus, gravissimo„rum hominum cura, ut etiam cùm „necesse esset quippiam nominare, quod „obscœnum aliquid in cogitationem „revocare posset, alieno nomine nte„rentur: hinc nimirùm metaphoræ, „hinc similitudines, & ejus generis „complura: etsi paullùm hac in re con„troversiæ exstitit inter antiquos Phi„losophos. Siquidem Stoici acuta qua„dam partitione, nihil esse obscœnum „ostendere nitebantur. Quos tamen „omnes & prætereà Cynicos, ratio „ipsa, communis vitæ usus, & Academi„corum insuper autoritas tefellebat, „verum esse negantium, quod à pe„tulantibus illis Philosophis diceretur, „qui quemadmodùm flagitiosa dicen„do obtegere non curàrunt, sic in ob„scœnis patrandis, lucem ipsam & „turbas non verebantur. At quanto „secus parens ille Philosophiæ Socra„tes, qui cùm speciosum juvenem pan„lò petulantiùs loqui audisset, plum„beum dixit gladium ab eo extrahi ex „vagina eburnea. Enimverò licuerint „omnia priscis illis Philosophis verita„tis expertibus; nunc verò Christiana „lex quemadmodùm in cœteris omni„bus, quæ laudabilia sunt, culmen „ipsum arcémque obtinuit, sic in hac „etiam parte, æqua fermè animadver„sione dicta ipsa ac facta compescuit. „Fornicatio, inquit Paulus, nec no„minetur inter vos. Rursus: Stulti„loquium & scurrilitas, quæ ad rem „non pertinet. Te verò dudum ex„spectare scio, quonam hæc nostra „spectet oratio: quidque sibi velit tam „altè & ex philosophia repetitum „principium. Quod si non penitus „auribus careres, aut certè si ita affe„ctæ tibi essent, ut Principis decet „esse, statim audita de honestate ser„monis, déque verecundia disputa„tione, quonam perventurus essem, „intellexisses. Quis enim non audiat, „quinam sint perditorum adolescen„tium in honestissima hac civitate, per „totas noctes, cantus, quæ sermonis „licentia, quæ procacitas obloquendi? „Circumstrepunt voces obscœnæ gra„vissimorum civium aures, feriunt vul„nerántque lascivi cantus tenerarum „virginum mentes & corda. Matronæ „porrò castissimæ, licèt ad id horæ in „tenebris & nocte versentur, cuperent, „si fieri possit, pudore & verecundia, „in occultiora etiam loca se illatebra„re. Id rogo ad aures tuas nondum „pervenit, quod non opifices modò, „sed vilissima quæque mancipia, & au„diunt & erubescunt. Parietes me„dius fidius ipsi hanc tantam licentiam, „si fieri posset, incursu suo refutarent. „Aut si fortè & tanquam in Milesio„rum, aut Alexandrinorum & Syba„ritarum moribus sis educatus, nihil „tibi momenti habere videntur, ad „evertendam non disciplinam tantùm, „sed etiam statum Reip. parùm mihi „diligenter videris, pace tua dixerim, „in Platonis tui Rep. versari. Qui „non tantùm severiorem musicam im„mutari prohibet, sed id fieri posse ne„gat, absque Reip. immutatione. An „non audisti præclarum artificem „Thimotheum, quòd id ausus fuerit, „Lacedemone expulsum, extorrem „deinceps exulémque vixisse? Hoc„cine illud fuit, quod de te sibi polli„cebantur cives tui, cùm funestam „illam universi patrimonii direptio„nem, moribus & ingenio tuo com„pensatum iri putabant, ut quantum „detractum esset rei familiari, tantun„dem accessurum exspectarent civili „disciplinæ? Quare summoperè tibi „cavendum est, ne non tantùm lon„ga pace cumulatis divitiis, sed hone„stis etiam moribus direptam spolia„támque patriam, posteris tuis dere„linquas. Hîc verò nequaquam ne„cesse est, ut id sibi impunè licere opi„nentur, quod poëmatum hæc con„sueverit esse licentia, ut liberè pro„caciter obloquantur. Ausus enim est „mihi quidam nuper Ovidium oppo„nere, qui cùm dixisset, nihil apud „Me- Ethica respuit obscœnos sermones.

„Menandrum absque amore scriptum
„reperiri, demùm subjecerit, & solet
„hic pueris virginibúsque legi. Dignus
„quidem, ut quod factum est, pro hac
„mente perpetuo multaretur exilio.
„Longè verò diversa mens fuit Pauli.
„Qui inter tot amatoria Menandri,
„præclarum illum senariolum delegit.
„Corrumpunt bonos mores colloquia
„mala. Dixerit licèt de quodam Ha-
„drianus & censor & Imperator, ut
„Apoleus ait: Lascivus versu, mente
„pudicus erat. Dixerit Catullus; Ca-
„stum esse decet pium poëtam ipsum,
„versiculos nusquam necesse est. Dixe-
„rit postremò alius, cujus etiam no-
„men erubesco: Lasciva est nobis pa-
„gina, vita proba. Si namque vera
„est omnium Philosophorum opinio,
„verba esse earum rerum quæ sint in
„animo notiones, nemo, ut opinor,
„adeò demens reperietur, ut cùm nul-
„la labe maculatum animum habeat,
„affinis ei crimini velit esse, cujus om-
„ninò culpa carere se noverit. Sed
„nimirùm perinde atque intus affecti
„sunt, sic etiam necesse est ab illorum
„verbis animum mentémque declara-
„ri λόγος γὰρ ἔργου σκιὴ κατὰ Δημόκριτον. Qua-
„re nunquam assequentur, ut non plu-
„ris sit apud nos alius ob sermonis ho-
„nestatem Parthenices cognominatus,
„ut non magis judicio meo probati
„sint, qui tam absolutam pudoris ra-
„tionem habuerunt, ut neque ductari
„exercitum, neque arrigi aures, neque
„quæsitum per membra soporem, vo-
„luerint dici. Quin etiam tantùm ab
„illorum opinione distat opinio mea,
„ut etsi nunquam æquanimiter, minus
„tamen iniquo animo, toleraturus sim,
„id in soluta oratione, quàm in poe-
„matis peccari. Cùm quòd divinum
„quiddam esse carmen ipsum omnes
„ferè consentiunt, quod obscœnitate
„illa nequaquam debeat inquinari,
„tum etiam quòd suavitate quadam &
„oblectatione cantûs, ad verborum
„obscœnitatem accedente, faciliùs in
„animos illabuntur carmina, & incau-
„tas audientium mentes ipsa suavitate
„convulnerant. Enimverò quid te
„ego conor instruere, sus, ut ajunt,
„Minervam? quasi per te ipse nescias
„impudentium adolescentium con-
„gressus istos, verissimè rationis obje-
„ctu refellere: qui consueveris etiam
„extemporali eloquentia, illud quod
„tantoperè oratores admirandos facit
„consequi, ut inferior causa, superior
„esse videatur. Quare cùm hoc tan-
„tùm adjecero, concludam epistolam,

Verba impura animum produnt impurū.

„nequaquam sustinens eâ libertate te-
„cum uti, quam ipsemet mihi tradide-
„ris. Grave vulnus existimationi tuæ,
„familiæque vestræ ignominiam sem-
„piternam inussisse videtur, miserrima
„isthæc patriæ tuæ direptio. Quæ ta-
„men eo pacto elevare solitus es, ut vel
„omnem culpam in eos transfundas,
„qui parùm memores virium suarum,
„potentissimo exercitui nullis præsi-
„diis, se obsistere posse sperârunt. Vel
„in primos exercitûs ductores, quibus
„tantum aberat, ut imperare posses,
„ut etiam tibi invito, illis fuerit pa-
„rendum. Nunc autem adepto patriæ
„tuæ imperio, si corruptelam hanc
„morum, non tantùm æquo animo
„toleraveris, sed prættereà nutriveris
„tacendo & dissimulando, non in for-
„tunam amplius, aut ea, quæ supra
„diximus, sed in te ipsum & in per-
„versam quandam naturam, quod à
„te quidem alienum est, isti obscœnè
„loquentium fluctus redundabunt. Ut
„jam optatius tibi esse debuerit, pa-
„triâ carere, quæ te exule florens opu-
„lentáque visebatur, quàm adepto
„regno tibi posterísque tuis, sempiter-
„num dedecus acquisiisse. Quando ne
„tu quidem negare audebis, longè
„majorem fieri honoris jacturam, si ci-
„vitatis mores te regente corrumpan-
„tur, ut ejus rei in te princeps culpa
„esse videatur, quàm si nescio quid
„divitiarum amiserit, cujus jactura &
„brevi reparari potest, & ejus te au-
„torem fuisse constanter poteris dene-
„gare. „

Quid jam *Heumannus* in hac Ethica epistolari desiderat? Negabítne, à *Cortesio* contra obscœnas cantilenas ac sermones præclarè fuisse disceptatum? negabítne sua eum principia altè ex philosophia repetiisse? negabítne, eum ignorâsse, quibus rationibus fiat, ut mala colloquia corrumpant bonos mores? Exspectamus ab *Heumanno*, ut paribus principiis atque argumentis ex ipso Ethices meditullio haustis Martini Lutheri, sectæ suæ magistri, sermones, ut vocant, convivales [*Tisch-Reden*] tueatur, in quibus multa ita turpiter, propudiosè, ac obscœnè dicta sunt, ut vel ipsa in prostibulo scorta, iis auditis, in ruborem dari possint. Quod si hoc non unquam facturus est, calamum deinceps à conviciis in alios conjiciendis abstineat, quæ certè in auctorem suum recident, eique vel crassæ in philosophia morali ignorantiæ, vel protervæ cujusdam maledicentiæ notam inurent nunquam obliterandam.

Lutheri sermones convivales notantur.

Seculo

Cardin. Agvirre Ethicam commentariis illustrat.

Seculo superiore Eminent. Cardinalis *de Agvirre*, alter sapientissimus Socrates, postquàm philosophiam morum, sive libros decem Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum commentariis illustravit, de virtutibus & vitiis, non Theologicis, sed quatenùs intra terminos rationis naturalis & moralis continentur, præclarissimè disputavit, atque egregia etiam scripta in hoc genere posteritati reliquit. Neque tamen ejus libri ita frequenter apud Germanos Benedictinos in eorum extant bibliothecis, multóque minùs aut publicè in scholis exponuntur, aut privatim à multis leguntur. Quid ita verò? videlicet, quia virtutes & vitia omnibus perspecta sunt, neque quisquam est, ne è vulgo quidem Fratrum Laicorum, qui se de ejusmodi argumento judicium ferre posse diffidat; idcircò in hujusmodi libris aut exponendis aut evolvendis tempus haud esse conterendum opinantur. Quæ res tamen multò aliter se habet, nimiúmque quantum intercedit discrimen inter eos, qui ex virorum doctrina atque eruditione præstantium scriptis ac lucubrationibus de rebus ipsis sanum ferre judicium didicerunt. Neque desunt exempla, ex quibus cognoscere licet, quàm magnum sæpè monachis in dignoscendis virtutibus vitiisque glaucoma objiciatur. Igitur, ut Mabilonii verbis colophonem adjiciam: „Deplorandi sunt nonnulli, religio„sam vitam degentes, arbitrantes ethi„cen Christianam suâ ipsorum minimè „interesse, sed tantùm Christi fidelium „universitati conducere; cœterùm „oportere, ut ejusmodi doctrina à mo„nachis præsupponatur, virtutésque „illas unicè comparare sibi studeant, „quæ monasticæ conversationi pecu„liariter debentur, quod perinde est, ac „si monachorum conditio quid aliud „omninò videatur innuere, præter „perfectionem Christianam, & valeat „quis religionem ad amussim profiteri, „sine exacta moralis disciplinæ cogni„tione. „ Hæc ille, digna omninò, quæ altiùs menti insigantur. Nunc à Medicis animorum, ad curatores corporum convertenda oratio.

Ethica Christiana primis ad Religiosos spectat.

SECTIO III.

Historia Medicinæ proùt inter Benedictinos exculta.

Quid in Medicina Divinum.

Artis Medicæ origines, progressus & vicissitudines longiùs indè à capite arcessere, nostri non est res instituti; quid tamen in ea *Divinum* reluceat, vel leviter tangere non erit incongruum: sive enim corporis structuram, in qua exercetur, nostris timemur obtutibus, nihil in illa est, quod non summi Opificis sapientiam loquatur; sive cum morbis, quibus homo subjicitur, res nobis est, tot sunt horum formæ, species, figuræ, tot in illorum causis recessus, ut sæpè Medicis in τῷ θεῷ fit subsistendum; quod & *Hippocrates* advertit, & *Hieronymus Jordanus* integro libro exposuit. Est & in ipsis remediis divinum quid, quibus utùt efficacissimis sæpè manum injiciunt fata. Quædam ab imperita & plebeia manu exhibita ultra fidem operantur. Vilia subindè & contempta gravissimos lethalésque morbos avertunt. Est ubi cœli & syderum influxus vires medicamenti auget, suspendit, impedit, tollit. In Medicis quoque ipsis singularis quædam felicitas adjuncta divinum quid protendit. Est in mediocriter doctis illa quandoque animi vis, quæ doctissimos destituit. Ne quid de illis dicamus, qui precibus à Deo salutem ægrotorum impetrârunt, sunt qui medicâ vi pollent in morbis per tactum curandis. Sicut autem in istis omnibus divina manifestè relucet providentia, sîc etiam in Ægrotorum curâ maximè sese prodit Christiana Philosophia; *ut sicut Christo, ita eis serviatur*; quia ipse in extremo judicio dicturus est; *Infirmus fui, & visitâsti me.* Hâc Philosophiâ probè instructus SS.mus P. BENEDICTUS nihil fortiùs aut expressiùs in Regula sua inculcat atque *infirmorum curam*. Neque enim simpliciter curandos jubet infirmos, sed eorum *cura*, inquit, *ante omnia & super omnia adhibenda est, ut sicut reverà Christo, ita eis serviatur.* Multa quidem in sua Regula * *ante omnia* facienda aut fugienda præscribit; at solam infirmorum

S.P. Benedictus CURAM INFIRMORUM gravissimis verbis præcipit.

* Martene Comment. in cap. 36. Reg.

tum curam, ut notat Hildemarus, *ante omnia & super omnia* adhibendam esse voluit, eoquòd, inquit, *nulla res ita agenda est cum tanto studio, quomodo obsequium infirmorum, nec ipsa ecclesia agenda est cum tanto studio, quanto domus infirmorum.*

Ejus monito veteres Benedictini obtemperárunt.

Hanc S. Patris monitionem ac legem piissimi quique majores nostri cordi animóque ita altè infixam habuerunt, ut quò maximam gererent infirmorum curam, vel ipsi artem medicam addiscerent, vel certè quidem unum alterúmve, qui ejus periti essent, inter monachos reciperent. Neque enim consultum ducebant, infirmos ad medicos extra monasterium dimittere, ne, dum corpus curaretur, quid morbi anima ex seculari aura contraheret. Quin etiam, quò minùs medicus evocari posset, paupertas monasterii sæpiùs obnuntiabat. S. STURMIONI Abbati Fuldensi * senio & morbis confecto Carolus M. *Winterum*, nobilem Medicum, quo ipse utebatur, adesse jussit. Fecit hoc Princeps, quod S. Abbatis operâ in gravissimis negotiis quà sacris quà politicis multùm, beneque usus fuisset. Sed medicatio infeliciter cecidit. *Winterus* enim, haud scio, an ignoratione morbi falsus, an victûs gravitate, dum potionem medicatam haud satis scitè dilutam propinat, ægro mortem acceleravit XVI. kal. Jan. anni DCCLXXIX. Verùm humilium Monachorum non est, ut tanto se honore dignentur, suísque morbis à Principum, Regum, atque Cæsarum archiatris medicinam fieri discupiant. Beneficium se Abbatibus debere ptofitentur, si curam gerant, ut in monasterio inter fatres non desit qui aliquantùm mederi possit.

Winterus nobilis Medicus.

Cassiodorus monachos ad Medicinæ studium adhortatur.

Verba Cassiodori *De Instit. Divin. Liter. cap.* 31. quibus Monachos curam infirmorum habentes ad medicinæ studium adhortatur, huc cumprimis spectant: „Sed & vos alloquot „statres egregios, qui humani cor„poris salutem sedulâ curiositate tracta„tis, & confugientibus ad loca San„ctorum, officia beatæ pietatis impen„ditis: tristes passionibus alienis, de „periclitantibus mœsti, susceptorum „dolore confixi, & in alienis calami„tatibns mœrore proprio semper atto„niti; ut sicut artis vestræ peritiam „decet, languentibus sincero studio „serviatis ab illo mercedem recepturi, „à quo possunt pro temporalibus æter„na retribui. Et ideo discite quidem „naturas herbarum, commixtionés„que specierum sollicitâ mente tracta„re: sed non ponatis in herbis spem, „non in humanis consiliis sospitatem. „Nam quamvis medicina legatur à „Domino constituta, ipse tamen sa„nos efficit, qui vitam sine dubitatio„ne concedit; scriptum est enim: *Om„ne, quod facitis in verbo, aut in ope„re, in nomine Domini Jesu facite, gra„tias agentes Deo & Patri per ipsum.* „Quòdsi vobis non fuerit Græcarum „literarum nota facundia, imprimis „habetis herbarium Dioscoridis, qui „herbas agrorum mirabili proprietate „disseruit, atque depinxit. Post hæc „legite Hippocratem atque Galenum „latinâ linguâ conversos, id est, The„rapeutica Galeni ad Philosophum „Glauconem destinata, & Anony„mum quendam, qui ex diversis an„ctoribus probatur esse collectus. De„inde Aurelii Cælii de medicina, & „Hippocratis de herbis & curis, di„versósque alios medendi arte com„positos, quos vobis in Bibliothecæ „nostræ finibus teconditos, Deo au„xiliante, dereliqui.„ Hæc Cassiodorus.

iisque libros legendos præscribit.

Igitur ita mihi videtur sentiendum, monachi artem medendi aut ipsi ex libris proprio Marte, ac studio sibi comparabant, aut si qui illius periti ex seculo ad conversionem venerant, ab ipsis eam addiscebant. Nec illorum respuenda opinio, qui existimant, quod cùm Philosophia in monasteriis doceri solita fuerit, ejus Professores intet physicos tractatus nonnullos quandoque ttadere consueverint, qui ad medicam pertinebant scientiam. Unde Alcuinus Philosophiam in Physicam, Ethicam, & Logicam divisit: Physicam verò dispecuit in Arithmeticam, Astronomiam, Astrologiam, Mechanicam, MEDICINAM, Geometriam, & Musicam. Porrò MEDICINAM, ait, *esse scientiam curationum ad temperamentum & salutem corporis inventam.*

Unde monachi artem medendi sibi comparârint.

Illud certè de *S. Gregorio M.* memoratu dignum est, quòd, cùm adhuc Abbas esset Romæ in monasterio S. Andreæ, inter alios monachos aliquem habuerit (ut ipse lib. 4. Dialog. c. 55. narrat) qui medicæ artis haud imperitus *ei sedulò obsequi, atque in assiduis ejus ægritudinibus excubare soli-*

S. Gregorii M. medicus est Monachus.

tus

* Brunner Annal. Boic. Part. I. l. 5. p. 713.

tur erat. Cùm verò jam Romanus * Pontifex accepisset, *per Anastasium medicum* hominem secularem in quodam Virginum Parthenone *multa mala contigisse*, ei monasterii hujus, & cœterorũ, quæ sacræ Virgines incolerent, fores occludendas esse censuit, de animæ potiùs, quàm de corporis salute sollicitus.

V. Beda scribit libellum de minutione sanguinis.

Venerabilis BEDA nomen aliquod inter Medicos meritus est libello quodam exiguæ quidem molis, utili tamen ac curioso, quem de minutione sanguinis edidit: quâ verò ratione ad illum conscribendum usus fuerit, non satis liquet; si conjecturæ tamen locus est, credo, occasionem cepisse ex infelici cujusdam sanctimonialis phlebotomiâ. Cùm enim S. Joannes Beverlacensis ex Benedictino Monacho Archiepiscopus Eboracensis quodam tempore iter fecisset, ad quoddam pervenit monasterium, vulgari nomine *Hunetadum* vocatum, in quo Abbatissa morabatur *Hereburc* (Hereburga) nomine cum sanctimonialium congregatione. Hæc ergo Episcopo lacrymabiliter narravit, quandam Sanctimonialem ex suo grege magno vexari dolore, quoniam phlebotomata est in quartanæ lunæ ætate, quam Episcopus **lacrymis coactus Abbatissæ sanissimam sua fecit oratione. Ait Beda, dixisse Johannem audisse se à Theodoro Archiepiscopo, quia *periculosa sit satis illuc temporis*, nempe lunæ quartæ *phlebotomia, quando & lumen lunæ & rheuma Oceani incremento est.* Ne aliis verò simile malum ex minutione sanguinis oboriretur, Ven. Beda dies fastos, ut ita dicam, & nefastos annotavit, quibus venam incidi ad conservandam sanitatem vel conduceret, vel eidem officeret.

Dido Abbas medicinæ peritus.

DIDO erat seculo nono (anno 847.) Abbas monasterii S. Petri Vivi Senonensis, ad quem medicinæ peritissimum Marcwardus Abbas Prumiensis ægrotos suos monachos curandos his cum literis transmisit „Reverentissimo & plurimorum præconiis celebrando *Didoni* Abbati *Marcwardus* plurimam salutem. Artis vestræ singularis peritia multorum oratione pervulgata, fratris *Nithardi* potissimùm relatione nobis innotuit. Quo etiam referente comperimus, passim vos accessum indigentibus aperire, & sempiternam usuram temporali ægrotantium remedio procurare. Unde tametsi vobis adhuc sumus ignoti, non dubitavimus propter ejusdem religionis unitatem, cujus etiam vos observantissimos gratulamur, materiam præstandi nobis beneficii ultrò proponere, parati vestræ opinatissimæ liberalitati modis quibuscunque respondere. Namque & filii nostri, quos & vestros optamus, molestia corporis laborabant, quàm aliquot adhibiti apud nós medici propulsare nequiverunt. Hos, Domino & vestræ charitati fidentes, curandos vobis offerimus; ut per vos optatæ sanitatis solatia temperantes, auctori ejusdem nobiscum gratias referant, & vestro labori. Illi quidem devotionem, quam solam possunt, utpote monachi, repensent; nos autem dignum omnino servitium persolvamus. Petitionem nostram diu verbis extendere noluimus, ne fortè de vestræ charitatis perfectione dubitare videremur, quæ non solùm ignotis, verùm etiam inimicis prodesse contendit. Et ideò, ut optimè nôstis, oraculi mandatum attestatione prophetica confirmatur. Optamus vos valere.„

Cura & sollicitudo pro monachis ægrotis.

Has literas ad Didonem ex persona Marcwardi scripsit *Lupus* Abbas Ferrariensis ***. Qui cùm in ejusdem Marcwardi monasterio nepotem haberet, qui capitis dolore affligeretur, adversùs eum non aliam medicinam, quàm potus parcitatem præscripsit in literis ad laudatum Marcwardum. *Capitis autem dolorem nepoti meo parcitas potûs forsan detrahet, si ejus appetentior fuerit deprehensus, alioqui nostro curandus reservabitur medico, qui omnes, quarum nullum non ignorat, depellere se posse confidit infirmitates.* Quis verò peritus hic Æsculapius fuerit, monachus an vir secularis? memoriæ non prodidit.

Adversùs capitis dolores potûs parcitas præscribitur.

S. Betharius Abbas Casin. libros de medicinâ edit.

S. BERTARII eodem ævo **** Abbatis Casinensis & Martyris artis medicæ peritiam commendant Tractatus medicinales de innumeris morbis conscripti, & à Leone Marsicano in Chronico Casinensi laudati. Angelus verò Nuceus in Notis ad hoc idem Chronicon, „Opus non est, inquit, ad tempora recurrere, quibus Bertharius nondum Monachus, medicum egerit vel officio

* Lib. 5. ep. 6.
** Folcard. in vit. S. Joan. Beverlac.
*** Inter ejus epistolas 72.
**** Jo. Bapt. Mar. in Annot. ad CXII. Pet. Diac. de Vir. Illustr. Casin.

officio vel doctrina, atque hos libros medicinales composuerit: Clerici enim itémque monachi, quin & Episcopi, atque Archiepiscopi medicinam olim exercuêre; infra lib. 3. cap. 7. de *Alfano* Clerico. *Qui medicinæ artis scientiam non parvam habebat.*„ Parisiis anno 1696. 12. Gallicè auctore Medico Regio Agnano prodiit * libellus, cui titulus *le Prestre Medicin*, in quo disputatur, nihil esse congruentius, quàm ut Sacerdotes & Monachi medicinam faciant; quod & ab Ægyptiis, qui iidem etiam fuerunt Sacerdotes, & in multis aliis populis omni tempore factitatum, & Doctori Legis etiam injunctum à Christo, ut exemplum Samaritani imitetur, *Vade, & tu fac similiter.* Luc. X. v. 37. *Pendant plusieurs siecles l' Eglise n'a pas eu un Medecin, qui ne fust ou Evéque, ou Pretre, ou Religieux. Quantité de Rois ont pris leurs Medecins dans les Cloitres. Les Papes ont eu souvent leurs Capelains pour Medecins, & les Chanoines ont souvent fait profession de la Medecine. Les Medecins de la Faculté de Paris n' eurent dispense & permission de se marier qu'en* 1480. *que le Cardinal de Touteville la leur accorda en reformant l' Université* id est; *In Ecclesia Christiana per multorum seculorum spatium vix usquam repertus est medicus, qui non fuerit Episcopus, aut Presbyter, aut Monachus. Permulti Reges, aliíque viri Principes haud aliis Medicis, atque Monachis usi fuerunt. Pontifices ipsi Maximi non rarò remedia adversùs morbos ex Capellanorum suorum manibus receperunt. Canonici etiam in multis Ecclesiis pro Medicis se gesserunt. Professoribus Medicæ Facultatis in Academia Parisiensi haud priùs potestas, ut connubia inirent, facta est, quàm Cardinalis Toutevilleus ex Ordine S. Benedicti Universitatem reformavit; id quod anno* 1480. *factum esse constat.*

B. Vulferius medicus. Quæ Hugo Menardus ** de *B. Vulferio* ex Glabro Rodulpho lib. 2. cap. 19. memoriæ prodidit, lectu non indigna sunt. *Beatus Vulferius*, inquit, *fuit Monachus Reomanensis in pago Tornodorensi dulcis admodùm moribus & conversatione.* „ Huic in ecclesia post horas nocturnas oranti Dominica octava Pentecostes multi apparuerunt vestibus albis induti & purpureis stolis, quos præcedebat Episcopus. Percunctanti Vulferio dixerunt se gladiis occubuisse Saracenorum, atque in cœlum advolare, eúmque brevì secuturum: quod ita accidit. Nàm cùm esset artis medicæ peritissimus, mense Decembri ivit ad monasterium sancti Germani Antissiodorensis, ut quibusdam ægrotis arte suâ, si quam posset, opem afferret. Ibi diem obitûs sui prædixit. Et triduo pòst illucescente aurora acri dolore correptus est. Accessit ad altare S. Mariæ, & Missâ ritè celebratâ se contulit ad domum infirmorum. Ubi splendida quædam virgo ei apparuit eum consolata, & paulò pòst obiit anno tertio supra millesimum, quo Guillelmus Dux Navarræ dictus sanctus cum Saracenis dimicavit, quo in bello prædicti illi, qui beato Vulferio apparuerunt, occubuerunt.„

Monachi Corbeiæ medici celebres. Studium medicinæ floruisse in novâ Corbeja argumento sunt plures monachi, qui eâ arte omnium celeberrimi in Germania habiti fuerunt. *Wicbertus* ex monacho Corbeiensi sextus Hildesheimensis Episcopus anno 880. creatus, primæ notæ medicus erat. *Agius* sub Warino II. Abbate Religiosus arte medica ita claruit, ut B. Hathumoda, Ottonis utriusque Saxoniæ potentissimi Ducis filia, & Abbatissa Gandersheimensis non ita procul à Corbeja dissiti, consiliis tum ad corporis tum ad animi curam frequentiùs & confidentiùs uti voluerit. Adfuit supremùm ægrotanti, ejúsque vitam ** subinde literis consignavit. „ *Si quando aliter in dolore ad aliquid gustandum adduci non poterat, hac arte sibi persuasum, si aut à nobis transmissum, aut à nobis paratum diceretur.* Ad superos concessit sanctissima Abbatissa anno 874. ætatis suæ trigesimo quarto. *Thiadagus* monachus cùm literis medicis apprimè instructus esset, Boleslaus senior Dux Bohemiæ, paralysi laborans, illum ex monasterio Pragam evocavit, ejúsque operâ feliciter usus est. Cujus Ducis favore adeptus est Episcopatum Pragensem. Jure igitur Paulinus ***, ipse Medicus doctissimus, qui apud Corbeienses, Bernardo Monasteriensi Episcopo Abbatiam tenente, aliquamdiu egit, Monachos Corbeienses celebravit, quòd studium medicinæ non mediocriter excoluerint. In Chronico autem Corbeiensi ad annn 1055. notatur, Arnoldum Abba-

* Vide Fabric. Bibl. Græc. vol. 12. p. 741.

** Extat in Peziano Thes. Anecdot. Tom. I. Part. 3. p. 289. V. C. Eckardus Commentar. de Reb. Oriental. Franc. *Agium* à *Wicberto* non distinguit.

*** Apud Leibniz Tom. 2. Scriptor. Rer. Brunsv.

Abbatem colicâ sæpiùs afflictum solis baccis Juniperi comestis dolores vicisse. Item ad an. 1159. quendam de Ickenrod *solo lacte* pro potu & cibo vitam perduxisse ad annos CXXXI.

In monasterio San-Gallensi plures Medici. Fieri non potest, ut in magna hominum frequentia singuli optatâ perfruantur sanitate, nec unquam morbis laboretur. In San-Gallensi monasterio priscis temporibus magnus erat monachorum numerus, & inter hos, ut fieri amat, non rarò infirmi, atque ægroti. Quâ verò Abbates erga suos cœnobitas erant charitate, cura, & sollicitudine, voluerunt, ut eorum quidam medicinæ studerent, quò ægrotantium confratrum morbis mederi possent. Eckkehardus Libro de Casibus monasterii S. Galli trium præcipuè Medicorum mentionem facit.

Iso Magister. Primus est ISO, scholæ San-Gallensis Magister perquàm celebris, à nobis alio loco laudatus. Hic non tantùm scientiam pretiosa conficiendi pharmaca & unguenta callebat, sed à Deo gratiâ etiam curationum donatus fuerat. De eo sic Eckkehardus *: „Fulsit autem ibi S. Galli lucernula illa „quidem per miracula. Nam, uti plurima doctus, cùm unguenta quidem „facere nôsset, leprosos & paralyticos, sed & cœcos curaverat aliquos. „Quod quidem, dum id diu celâsset, „virtute sanctitatis suæ magis fecisse, „vellet nollet, tandem patuit. Nam „dum pauperculum quendam cœcu„lum mendicare audisset ad ostium, „misericordia tantilluli motus unguen„tum afferri jubens egreditur ad vi„dendum. Cujus cùm digitis benedi„cens tractaret oculos, unguentóque „lenire inciperet, exclamavit puer, vi„deo (inquit) Domine video, & per „aliquot dies convalescens oculis tan„dem quidem clarissimè vidit. Quod „tamen ille, ut celatum esset, unguen„ti pretiosissimi, quod manu ferret, fa„ctum affirmans virtute non menti„tus est. „

Notkerus Physicus. *Notkerus* à medendi arte *Physicus*, seu *Medicus* appellatus in re medica adeò quidem excelluit, ut multis etiam longè antè morbos prædiceret, & incredibili propemodùm felicitate eos inde curaret. Quam quidem ob rem Imperatorum, Regum, Principúmque limina frequentiùs terebat, illud Hippocratis usurpans: *In quamcunque domum ingressus fuero, ad ægrotantium salutem ingrediar.* Monachorum enim ars medica summis Principibus jucunda fuit, quam in valetudine cum sua tum suorum experti fuerunt. Illud verò festivum est, quod de Notkero his verbis Eckkehardus narrat: „Me„dendo autem mira & stupenda fre„quenter fecerat opera, quoniam & „in aphorismis medicinalibus, specie„bus quoque & antidotis, & Progno„sticis Hippocratis singulariter erat in„structus, ut in urina Henrici Ducis „versutè se decipere temptantis appa„ruit. Qui cùm ei urinam mulierculæ „cujusdam cameralis pro sua inspicien„dam mitteret: Miraculum, ait, nunc „& portentum Deus facturus est, quod „nunquam est auditum, ut vir utero „pareret; nam Dux iste circa trigesi„mum ab hodie diem filium ex suo ute„ro editum ad ubera suspendet. Eru„buit tandem deprehensus ille, viróque „Dei, ne se medicare renueret (nam „ad hoc adductus erat) munera misit, „fœminámque illam virginem puta„tam medicus Sanctigallensis suppli„cem sibi reduxit in gratiam. Nam ut „prognosticus ille prædixerat, ipsa par„tum dederat. Sed & Episcopo Ka„minaldo cùm fluorem narium diu„turnum addoctus citissimè sedaret, „odorato cruore variolam morbum die „ei tertia prædixit futurum. Sed pustu„las ille die dicta sibi erumpentes cùm „eum restringere peteret: Enimverò fa„cere potero, sed nolo, quia necis tuæ „reus karrinas tot ferre non potero, quia „si restinxero, morti te trado: pustu„lásque tandem eruptas ita in brevi „sanaverat, ut nec saltim de una fue„rit signabilis. Hæc pauca de pluri„bus, quæ medicus egit, hîc libâsse „sufficiat. „ Ita Eckkehardus. Notkeri autem ævo (sub annum 954.) erat etiam *Eckkehardus* cognomento Senior in S. Gallo medicus, qui Victoris monachi oculos, ab inimicis gravissimè læsos, sanavit. Eckkehardus

Gerbertus Floriacensis. *Gerberti* Floriacensis & Remensis scholæ Magistri suo ævo celeberrimi medicarum rerum scientiam ex ejus epistola ** ad R. amicum exploratam habemus, in qua non sibi artem medendi sed remediorum materiam deesse scribit: *Grandia quidem poscis, dulcissime frater, sed tuis meritis non indebita. Nam quid est tam optabile, quod benevolentia tua non promereatur? quid tam humile quod conferri amicis hæc tempora sinant? Itaque cùm tibi desit artifex medendi, nobis remediorum materia,*

* cap. 2. pag. 51.
** extat apud Duchesne in Collect. Scriptor. Rer. Franc. Tom. 2. p. 831.

teria, supersedimus describere ea, quæ medicorum peritissimi utilia judicaverint vitiato jecori. Quem morbum tu corruptè postuma, nostri apostema, Celsus Cornelius à Græcis ἀπόστημα dicit appellari.

Fulbertus Carnotensis

Gerberto in schola Floriacensi operam dedit *Fulbertus* monachus S.Petri in Valle Carnotensi, qui posteà ipse, apertis scholis, discipulos suos, qui & frequentes & inclyti fuerunt, non modò ad præclarissimas quasque disciplinas, sed artem etiam medicam, quibus volupe erat, instituit. Quid? quòd Fulbertus factus Carnotensis Episcopus eam artem exercere non destitit. Extat Hildegarii ejus discipuli epistola ad E. de potione, quam præscripserat ipse Præsul. *Potionem hiera, quam D. Præsul tibi mittit, sumes cum aqua calida ante crepusculum diei: Nocte, quâ debes eam accipere, non cœnabis.* Et ipsâ nocte positam potionem, in quo distemperanda est, asperges salis gemmâ, vel si hæc non adest, delicato sale ad pensum unius scrupuli. Acceptâ potione sedeas ante focum absque ullo tumultu cavens tibi penitus à frigore, & si paululùm cubueris, non nocebit. Nolo tamen ut dormias, cùm primùm senties moveri tibi ventrem, deambula pedetentim, & sic ad secessum vade. Si propter solutionem tandem cœperit te sitis, nequaquàm bibas, nisi paululum aceti cum aquâ calida mixti propter stomachum diluendum, seu relevandum. Quod etiam non urgente siti facere poteris, solutione propemodùm vacante prandere differas, quousque senties catarcticum nihil amplius operari velle. *Cùm sederis ad mensam, vide ne quid nimis. Neque manduces aliquid stipticum, vel plus æquo salsum.*

præscribit potionem medicam.

Quid de unciâ scribat?

Ipsemet Fulbertus de Uncia, Scrupulo, & ejus partibus sic scribit:

Uncia viginti scrupulos & quatuor ambit,
Dimidium stater, ac seminucia dicitur ejus.
Terna dua sicla;
Quarta siclus, vel sicilicus, vel denique sicel;
Sextula sexta modò solet, & modò sicla vocari.
Octavam appellant dragmam.

Goisbertus Medicus in seculo

A Divo Fulberto autem, aut certè qnidem ab ejos discipulis institutus fuit GOISBERTUS Carnotensis professione primùm Medicus, deinde Monachus Benedictinus. Ordericus Vitalis ad annum 1076. prolixè narrat, quantâ curâ & sollicitudine Goisbertus Medicus peritissimus plurimos, quos morbis affectos curabat, ad contribuendum de bonis suis Uticensi cœnobio induceret. Dum *Goisbertus* Medicus Compatriotas suos & amicos in Galliis visitasset, & officium artis suæ indigentibus atque petentibus impendisset, plures amicorum, & familiarium suorum, quibus antea fideliter arte suâ servierat, adiit & de suis superfluitatibus eleemosynas facere pro æternâ salute beniginter incitavit, maximéque de iis rebus, quæ ad laici personam non pertinent, Monachis S. Ebrulfi dare eos admonuit. Ipse verò Goisbertus, dum ad conversionem venit, optimam domum, quam in vico habuerat, 30. libris Carnotensium vendidit, totúmque pretium Uticensibus contulit. Hic erat staturâ procerus & exilis, moribus benignus, & tractabilis, magnanimus & dapsilis. Et qoia Medicinæ artis erat peritissimus, multis erat notus & necessarius, ac familiaris amicus, qnos quâ ratione ad benefaciendum Monasterio Uticensi induxerit, legi potest ac meretur Ordericus Vitalis.

erga monachos optimè affectus,

fit ipse monachus.

Rudolphus monachus celebris Medicus.

Nec prætereunda sunt, qnæ is ipse Autor refert de *Rodulpho* Monacho qui laudem non mediocrem adeptus erat inter Medicos Salernitanos, toto orbe clarissimos. Ut in Grammatica & Dialectica, in Astronomiâ quoque nobiliter eruditus est, & musicâ. Physicæ quoque scientiam tam copiosè habuit, ut in urbe Salernitanâ, ubi maximæ Medicorum scholæ ab antiquo tempore habentur, neminem in medicinali arte præter quandam sapientem matronam sibi parem inveniret.

Constantinus Africanus est.

Præ Rudolpho tamen in eâdem scholâ eminuit non multis post annis CONSTANTINUS *Africanus*, Monachus Casinensis, seculo undecimo medicinæ scientiam ita complexus, ut ejus cognitione cum paucis conferendus, nemine inferior habitus fuerit. Ad eorum morem qui à Dispade morsi sunt, plenis faucibus avidè & sine interspiratione cunctas physicas disputationes haurire constituit, ut omnes dein faterentur, novom Hippocratem effulsisse, eámque ob causam, Hebræam, Syram, Chaldaicam, Græcam, Latinam, Italicam, Persicam, Arabicam, Ægyptiacam, Æthiopicam & Indicam linguam discere curavit. Huic artis medicæ scientissimo Monacho Schola Salernitana, à studio Medicinæ celeberrima, sua si non prima incunabula, certè quidem amplif-

amplissima debet incrementa. Cujus rei testes sisto duos *Hermannos*, *Hermetem* & *Conringium*. Et Prior quidem *Hermannus Hermes* in Fasciculo Juris publici pag. 642. ita loquitur:

Ejus rei testes duo Hermanni.

Primus Hermannus Hermes.

„Picentinorum civitas, Salernum, in „ sinu maris Tyrrheni posita ad ostium „ fluminis Silari, vel à Salis, vel ab „ ipso amne Silaro nomen mutuata „ est, ab exiguis principiis incremen- „ tum cepit maximum an. 974. cùm „ *Bonifacius VII.* Pontifex hanc to- „ tius regionis metropolim constitue- „ ret. Floruerunt quidem dudum „ hìc *Studia Medica*, sed Regum & „ Principum decretis non fuit Acade- „ mia, donec monachi Cassinenses, „ & ex iis maximè *Constantinus* (qui „ Opera sua medica an. 1060. Deside- „ rio Abbati suo dedicavit) Medici- „ næ operam navarent. Hinc Ro- „ gerius Rex Siciliæ & Salerni Prin- „ ceps anno 1100. mandavit, sub „ confiscatione bonorum, ne quis „ medicinam exerceret, nisi à magi- „ stratu & judicibus probatus, quam „ legem Fridericus * Barbarossa anno „ 1150. occupato regno Neapolitano „ ampliavit, & vetuit, ne quis ad „ Medicinam admitteretur, nisi à Col- „ legio Salernitano aut Neapolitano „ probatus. Atque his privilegiis „ gaudens schola Salernitana in Aca- „ demiam evecta est, maximè ob Me- „ dicinam ibi florentissimam.„ Hæc *Hermannus Hermes*, sequentia verò *Hermannus Conringius*.

Alter Hermannus Conringius.

„ Salernitana Schola vetustate „ quidem Bononiensi non cedit, imò „ fortassis eam superat; splendore ve- „ rò & institutis docendi eam pluri- „ mis sequitur passibus, minimè om- „ nium assequitur. In vicino urbi illi „ cœnobio Cassinensi à S. Benedicto „ usque Scholam habitam monasti- „ cam, verisimile quidem est, vel ex „ iis, quæ antè diximus in univer- „ sum de id generis phrontisteriis; „ viris tamen doctis, perinde ut Ful- „ dam, & Corbeiam nostram, claru- „ isse illum locum, utut opulentissi- „ mum, haud temerè probaveris. Se- „ culo autem undecimo habuit *Con-* „ *stantinum* hominem Afrum, quem „ post triginta novem annos studio- „ rum gratiâ peregrinationibus per „ Asiam universam, sub Mahumeda- „ norum imperio doctrinæ omni ge- „ nere florentem exactos, patriâ pro- „ fugum Salerni primò, inde inter „ monachos cœnobii exceptum fe- „ runt. Et sanè ille *Desiderio* Abba- „ ti suo, qui pòst Victor III. Papa „ fuit, circa annum sexagesimum post „ millesimum haud pauca medici ar- „ gumenti ex Arabico latinè versa „ (utut hoc plerumque dissimulet, si- „ bi arrogans ea, quæ Isaaci Aben „ Amram Judæi, aliorúmque esse cla- „ rissimum sit, si utriusque scripta „ contuleris) dedicavit. At verò „ jam tum in ipso Salerni oppido „ scholam aliquam sive medicam, sive „ aliam fuisse institutam, nullum in- „ dicium nobis superest. Etenim „ viderat quidem hactenus Latinus „ orbis libros aliquot medicos partim „ Latinè exaratos, partim ex Græco „ in eandem linguam translatos, per- „ paucos tamen, eósque non magni „ pretii. Cujusmodi maximè scri- „ ptis sua ætate fuerit instructa Italia, „ colligere est ex sermone Cassiodori, „ quo monachos suos ad divinas hu- „ manásque lectiones manuducit. „ Cùm nemo itaque Latinorum Græ- „ cam linguam intelligeret, & latinè „ scripti libri medici non nisi rarissimi „ invenirentur, hactenus quidem me- „ dicæ artis studia ex dignitate coli „ haud potuerunt. At post Canstan- „ tini operam facilius id effectû fuit, „ præsertim eò loci, ubi scripta ipsius „ omnium commodissimè haberentur. „ Tum demum itaque, & hâc, quam „ diximus occasione, nata Salerni vi- „ detur schola quædam Medica. Sa- „ nè cœpisse jam illam circa annum „ millesimum centesimum, haud „ injuriâ fortè dixeris, attendens, „ quam severâ Lege Rogerius primus „ Siciliæ utriusque Rex, & Salerni „ Princeps, rem medicam facere jus- „ serit. Sub finem ejus enim com- „ muni scholæ istius magistrorum con- „ silio scriptus est libellus ille Poëti- „ cus de *conservanda valetudine* in gra- „ tiam Roberti Normanniæ Ducis, qui „ tamen, quòd sibi regiam Angliæ „ dignitatem vindicaret contra Guil- „ lelmum Rufum fratrem, Anglorum „ Rex audivit. „ Hæc ** Conrin- gius: ex quibus profectò liquet, Con- stantino in acceptis referri debere, quòd Medica ars à Saracenis in Italiam, adeóque in Occidentem, translata fuerit. Quò factum, ut illo tempore

Ante Constantinum studium Medicinæ apud Latinos in exiguo flore.

Schola Salernitana libellus Poeticus conscribitur.

* Hic Hermes corrigendus. Fridericus Conrado III. successit, qui imperavit ad annum 1152.
** De Script. XVI. Secul. Sect. XI. de Medic.

pore Salerni, quod oppositum adjacet Casinensi monasterio, medica scientia vel institui, vel teflorescere, ac perpoliri cœperit.

Bulæi tertium testimonium de Constantino. Tertium de Constantino locupletem testem adduco Cæsarem Egassium Bulæum, cujus verba ex Historia Universitatis Parisiensis *, libro extra Galliam in Benedictinis Bibliothecis tarissimo, in gratiam Sodalium nostrorum, adscribere integra non gravabot: „ Iisdem temporibus, inquit, „ Constantinus Afer, patriâ Carthaginensis, Chaldaicè, Arabicè, Persicè, Ægyptiacè, & Indicè doctus „ in Academia Babylonica à pueroinstitutus post 39. peregrinationis annos reversus in patriam, demum in „ Italiam trajiciens, monachico habitu sumpto, apud Casinum Salerni docet, multaque Opera Medica „ è diversis gentium linguis transfert „ in Latinum, ut legitur in Chronico „ Casinensi l. 3. c. 34. eáque *Desiderio* „ Abbati suo Papæ facto dedicavit. „ Hinc scholæ Salernitanæ fama celebrari cœpit, quæ Eduardo Anglorum Regi libellum de conservanda valetudine versibus conscriptum „ transmisit ante annum 1066.

Versus ex Schola Salernitana pro conservanda valetudine.

Anglorum Regi scribit Schola Tota Salerni:
Si vis incolumem, si vis te reddere sanum,
Cur. s tolle graves, irasci crede profanum,
Parce mero, cænato parùm, non sit tibi vanum
Surgere post epulas, somnum fuge meridianum;
Non mictum retine, non comprime fortiter anum:
Hæc bene si serves, tum longo tempore vives.

Ad hanc scholam moris fuit hoc & sequente seculo mittere studiosos Artis Medicæ, ut eam illic ad unguem addiscerent: At si vera scribit Joannes Saresberiensis, multum suo jam tempore nempe circa an. 1160. de fama & celebritate pristina & antiqua deperdiderat. Dico *antiqua*; non est enim credendum, natam fuisse scholam illam Constantini prædicti temporibus. Siquidem jam an. 984. celebris erat, ut indicat Hugo Flaviniacensis sic scribens de Adalberone Episcopo Virdunensi. *In Salernum eodem anno benedictionis suæ, curationis gratia profectus, reversus in Italia obiit, 14. kal. Maij, & relatum corpus ejus Verduni sepultum est. Vixit in Episcopatu 3. annis, & successit Heymo an. 988.* Similiter Ordericus Vitalis ad an. 1059. de Rodulfo (cujus suprà meminimus) verba faciens, quem in omni scientiarum genere versatum fuisse ait, subjungit:

Scholæ Salernitanæ celebritas ante tempora Constantini.

Physicæ quoque scientiam tam copiosè habuit, ut in urbe Salernitana, ubi maximæ Medicorum scholæ ab antiquo tempore habentur, neminem in Medicinali arte præter quandam sapientem Matronam sibi parem invenerit.

Constantini discipuli erant *Atto* & *Johannes*, monachi etiam Casinenses: & quem postremo loco nominavi, vir erat in physica arte dissertissimus: unde à Petro Diacono *Medicus* vocatur: qui post Constantini sui Magistri transitum aphorismum edidit Physicis satis necessarium. Obiit autem apud Neapolim, ubi omnes libros Constantini sui Magistri reliquit. Constantini discipuli.

Nec silentio involvendus est *Alphanus*, monachus & ipse primùm Casinensis, tum Archiepiscopus Salernitanus, qui arte medendi eruditus, eáque causa Victori III. Summo Pontifici inprimis acceptus, Medicinæ studium Salernitana in urbe cum Constantino Afro instauravit. Alphanus sodalis Constantini.

Post Monachos Casinenses, quibus Facultas Medica Salerni plurimum debet, celebris hoc ævo fuit in Italia *Dominicus* Abbas Casæ Aureæ, vir religiosus & eruditus arte Medicinali, pro quâ multùm placuit Henrico III. Imperatori, ut Berardus in Chronico Casauriensi testatur. Ab eodem Imperatore alius Abbas medicâ suâ scientia magnam iniit gratiam. Erat is JOANNES Fiscamnensis, ab exilitate corporis *Johannelinus* appellatus, monachus primùm Divione in cœnobio S. Benigni, ubi *medicinali arte per ipsius Patris jussionem* Abbatis sui Willelmi edoctus fuit. Quæ res fecit, ut Henrico III. acceptus esset, ut argumento est præfectura Erbrestensis, qnam, concedente Henrico, in Suevia obtinuit. Hinc illa familiaritatis occasio cum Agnete, quæ ob eam causam Fructuariense monasterium, utpote à Guillelmo Divionensi Abbate, Joannis institutore, conditum excoluisse videtur. Porrò quantæ doctrinæ ac virtutis fuerit, testatur Joannes Chronographus Divionensis Cœnobii (ubi monachus fuerat Johannes Abbas) de eo tum superstite, agens in hunc modum: *Hic Italiæ partibus Ravennæ ortus, literis eruditus, ac medicinali arte per ipsius Patris jussionem edoctus, religiosæ conversationis ejus, doctrinæ quoque ac omnium virtutum ipsius præ cunctis aliis exstitit imitator studiosus. Qui ab exilitate Johannelinus*

Dominicus Abbas Medicus Henrico III. imp. acceptus. Item Abbas Joannes. Ejus laudes.

* Ad an. 1085. pag. 479.

nullus diminutivo nomine est dictus ; sed humilitatis, sapientiæ, discretionis, & cæterarum virtutum tanta in eo refulsit gratia, ut sicut sanctus refert Gregorius in libro Dialogorum de Constantino Presbytero, ita in hoc mirum esset intuentibus, in tam parvo corpore gratiæ Dei tanta dona exuberare, sed quia adhuc domum habitat luteam, sufficit hoc tantùm dixisse.

Balduinus monachus medicus

Apud Gallos in monasterio S. Dionysii *Balduinus* monachus medicinæ scientiam ita assecutus erat, ut pauci. Unde in Angliam jussu sancti Eduardi Regis transfretavit, ut Lestanum sancti Edmundi Archimandritam curaret, qui curiositate motus ubi sanctum ejusdem corpus attrectare præsumpsisset, ambarum manûum digiti retorti sunt. *Ille*, Eduardos Rex, *Balduinum S. Dionysii monachum ejus artis* (medicinæ) *peritum dirigendum curavit ; qui cùm in cæteris probè, in digitorum curatione nihil promoveret, mirari cœpit homo : sed causam morbi à scientibus edoctus, in loco remansit, amorem martyris totis præcordiis amplexus.*

curat valetudinem B. Lanfranci.

Cùm verò *B. Lanfrancus*, Cantuariensis Archiepiscopus, sub idem tempus morbo tentaretur, eidem Balduino Archipræsulis valetudo à Rege commendata fuit, ut ex Lanfranci epistola XVIII. ad Osbernnm Exoniensem Episcopum data discimus , cujus argumentum est ; quòd *Balduinum Abbatem secum detineat , quò minùs Richardi placito adesse queat : Excusari proinde illum, & causam differri rogat.*

„ Lanfrancus indignus Antistes
„ Osberno Exoniensi Episcopo di-
„ gno Antistiti salutem cum
„ otationibus.

„ AD Frachenam villam nostram,quæ „ cœnobio sancti Edmundi proxi- „ ma est, veni ; in quâ, Rege præci- „ piente, & corporis mei infirmitate „ urgente aliquam accipere medici- „ nam disposui ; pro qua re Balduinum Abbatem detineo, cui Rex enrandæ hnjus ægritudinis curam suo „ ore injunxit ; qui contra Richar- „ dum ad hunc conventum de qui- „ busdam querelis placitum accepit ; „ sed Abbate apud vos, & apud eum „ de hoc itinere excusato, causam „ ipsam dilatam esse rogo & volo , „ quoadusque in unum conveniamus, „ & pari studio pariter ipsum nego- „ tium sine aliquo partium favore de- „ finiemus. Omnipotens Dominus „ vos benedicat , & in omnibus ve- „ stris negotiis promptus auxiliator „ assistat. „ Hæc B. Lanfrancus, qui & ipse, teste Ludovico Thomassino, artem medicam calluit. Ejus discipulus erat Guitmundus , qui libros suos contra Berengarium Rogerio cœnobii Crucis sancti Audœni, seu sancti Leufredi in Neustriâ, ni fallor, monacho , medicæ artis perito , inscripsit.

S. Anselmus ægrotum discipulum impensè commendat

S. Anselmus cùm Beccensis adhuc esset Abbas, suos inter monachos numerabat aliquem, Mauritium nomine, quem præ cœteris diligebat. Is verò cùm capite vehementiùs laboraret, à S. Præsule in Angliam ad Lanfrancum Archiepiscopum & Cantuariensis monasterii Abbatem missus, eique commendatus fuit his verbis : „ De ægritu- „ dine capitis ejus, vestram pietatem, „ quantum apud vos possum , rogo „ præcipuè, quatenùs propter Deum, „ & æternæ salutis retributionem,vo- „ bis instantibus, à dilecto amico no- „ stro, Domino Alberto medico,quan- „ tum potest, perquiratur, & curetur.„ Easdem preces repetit in aliis literis ad Henricum Priorem Cantuariensem datis. Nec his contentus, alias iterùm ad Gondulsum & Herluinum, Cantuarienses monachos , dedit, quibus de Mauritii valetudine admodùm sollicitus, eam ipsis commendat. Denique ad ipsum medicum *Albertum* scripsit, Mauritium ei commendans, ut arte sua medica ipsum curet. „ Dom- „ num *Mauritium* nostrum meritis „ Dominum , conversatione fratrem, „ curâ filium charissimum, quem ad „ reverendi Domini & Patris nostri „ Archiepiscopi jussionem in Angliam „ mittimus, quantum apud vos no- „ stra potest amicitia , & ejus exigit „ infirmitas, & vestra sufficit, ope- „ rante Domino , medicina, vestris „ manibus curandum propter Deum „ committimus. Quatenùs & illi tem- „ poralis salus per vestrá operationem „ tribuatur, & vobis æterna per divi- „ nam misericordiam retribuatur ; & „ Frater Anselmus, quem jam possi- „ detis amicum , in servum à vobis „ ematur. „ Nec Albertus in curanda Mauritii valetudine suam operam desiderari est passus. Quare Anselmus iteratis literis ei gratias agit, quas, consulendo fugam seculi, conclusit. An verò Albertus, mundo valere jusso, in Benedictinam Familiam subinde concesserit, exploratum non habeo.

Alberto medico.

Ægidius monachus Regius Archiater

Seculo XII. in Gallia floruit *Ægidius* Corbeiensis, sive Corboliensis, non in Anglia ad S. Albani fanum, ut Balæus scribit, sed Parisiis natus, uti alter *Ægidius Parisiensis*, qui circa A. C. 1198. scripsit, in Carolino libro V. testatur. Cùm verò in Medicinæ scientia ita processisset, ut alios post se longo intervallo relinqueret, Philippi Augusti Galliarum Regis Archiatrum egit. Quo in munere tum ipsa scientia, tum etiam fidelitate benevolentiáque Principi satisfecit. In Opere autem, quod in Parisiensium gratiam *de compositorum medicamentorum virtutibus* * versibus lusit, gravi censura in Salernitanos animadvertit, quòd nullo facto discrimine, quibuslibet ad rem medicam admissis concederent.

notat Salernitanos.

Nondum maturas medicorum sugere plantas,
Impuberes pueros Hipocratica tradere jura.
Doctrinâ quibus esset opus, ferulaq; flagello,
Et pendere magis vetuli doctoris ab ore,
Quàm sibi non dignas cathedra præsumere laudes.

fit Theologus.

Denique postquàm *Ægidius* cùm Lutetiæ tum in Monte Pessulano in magnis discipulorum frequentiis artem medicam docuisset, Parisios denuò reversus, séque ad Theologiæ Scholasticæ studia, Viro Religioso utique digniora, transferens, Magister etiam in ea facultate ac Lector publicus ordinatus fuit.

Rigordus monachus Regius Archiater.

Non minùs celebris Archiater erat Philippi Augusti *Rigordus* ** sancti Dionysii monachus, qui etiam ipsius vitam literis mandavit.

Quem *Petrum Bladuinum* vocant Balæus X. 45. & Pitseus ad An. 1130. pag. 200. de eo Guillelmus Malmesburiensis lib. 2. de Gestis Pontificum Anglorum pag. 253. „Emicuit præcipuè „nostris temporibus Abbas *Faricius* in „melioribus rebus: Tuscus genere, „*arte Medicus*, civis Aretinus, noster „profectò monachus. Cujus laudes „effigiare quia successit animo, non „quod ipse comminiscar, sed soda„lis mei *Petri* monachi versus appo„nam, quibus & laudati hujus Ab„batis virtus enitescit, & si quis hæc „lectione dignabitur, versificatoris in„primis egregii leporem animadvertet. „Erit ergò hic experimentum eloquen„tiæ duntaxat exiguum; cœterùm ipse „aliàs in pluribus assecutus est famam „altioris gloriæ: „

Faricius Abbas.

Vir probus, & prudens, vir certè consiliorum,
Extera ditavit, curavit & intima morum.
Omnibus instructus, quos tradit litera fructus,
Ad decus Ecclesiæ vertit monumenta Sophiæ.
Omnibus imbutus, quas monstrat Physica leges,
Ipsos demeruit medicandi munere Reges &c.

Præprimis *** Regis Henrici, qui fuit filius Wilhelmi Conquæstoris, favorem ac benevolentiam sibi conciliavit. Is enim Faricium Abendoniensi monasterio præficiendum curavit per Robertum Lincolniensem Episcopum, qui eum, utpote quovis alio utiliorem futurum, monachis approbavit. Et quidem eorum exspectationi ille optimè respondit, tantámque sui opinionem excitavit, ut Anselmo Archiepiscopo mortuo Rex eum substituturus fuisset, nisi obstitissent quidam Episcopi, qui ejus inflexibilem æquitatis normam metuebant.

Adelardus monachus medicus.

ADELARDUS, monachus Bathoniensis, Physicus ac Medicus præstans claruit seculo XII. ac teste Vossio **** varia in physicis & medicina literis consignavit.

Sub annum 66. ejusdem seculi *Wichbertus* vel *Wichbartus* monasterio S. Michaelis in Hildesheim præfuit, *Doctor eximius artis medicæ*, ex remotis partibus oriundus, quondam Canonicus B. Virginis: sed relicto sæculo ad monasterium se contulit.

Bernardi epistolæ de Studio Medicinæ.

Hoc etiam ævo ad S. Bernardum, Cistercii Abbatem, venerat monachus quidam Benedictinus ex monasterio S. Germerii, qui inter Cistercienses recipi enixè rogavit. Cùm à Mellifluo Doctore admissus fuisset, monachi San-Germerienses ægrè id tulerunt. Ad quos ille binas dedit epistolas, quæ à Mabillonio allegantur, ac si ex iis confici posset, medicinæ studium à S. Bernardo in monachis minùs probari. At enim R. P. *Udalricus Staudigel* è Congregatione Bavarica, vir doctus, ut studium Medicinæ, cujus erat Doctor, in monasteriis tueatur, se penitus reperire nihil dicit in allegatis epistolis, quòd vel peritiam damnet sanctus, vel usum medicinæ. „Narrat equidem in „illarum priore, quòd monachus qui„dam venerit ad se, suscipique roga„verit in monasterio suo. Rogatus, „cur susceptionem ambiret, urgens „animæ periculum prætendit. Et un„de periculum illud? quòd compul„sus ab Abbate suo fuerit, mederi ty„rannis,

* Apud Conring. Differt. 3. de Antiq. Academ. pag. 440.
** De Rigordo vide plura apud Voss. de Hist. Lat. c. 57. p. 459. ult. edit. Possev. Tom. 2. Appar. Sac. Carol. Dufresne in Indice Auctorum Glossar. med. & inf. Latinit.
*** V. Mabill. Annal. Tom. 5. pag. 418. **** Cit. loco.

„rannis, raptoribus, excommunicatis. Conscientiæ nimirùm sibi duxit „monachus iste, hujusmodi sceleratis „& ab Ecclesia rejectis, ac sequestratis medicinam facere. Interim Sanctus nec medicinam damnat, nec „monachum, quòd eandem exercuerit; ut ex epistola patet: sed quòd „periculum ex obediendi circumstantiis eidem incumbens, effugerit, solerter commendat. Quid? quòd, „dum monachi illius monasterii, unde „fugerat medicus Religiosus, strepitabant, illum non obedientiâ compulsum, sed proprii questûs cupiditate „accensum, & vagandi curiositate depravatum, hinc inde discurrisse, artémque suam venditâsse: ne tum quidem aut artem aut studium notaverit; sed monachum propter fugæ honestatem, tam misericordia, quàm „ulteriori suorum consortio dignum „pronuntiaverit. Sciebat utique sapientissimus iste sanctus, nec solem „propter involventes ipsum nebulas, „nec aurum, propter adhærentes eidem leviter sordes vituperari.„

Excursus monachorum ad medicinam faciendam improbatur. Illud verò rectè dictum, nec à vero alienum est, quòd labente hoc seculo, tum monachus ille San-Germeriensis, tum alii Ordinis nostri, quin imò Canonici Regulares artis medicæ periti, ex monasteriis excursiones fecerint, ut hominibus mundanis, qui vel morbis laborabant, vel aliàs valetudine minùs secundâ utebantur, medicinam facerent. Id quàm viris Religiosis sit indignum, nemo non videt. Quid enim turpius, atque abjectius excogitari potest, atque homines Deo sacratos ægris spe lucri consulere? Non in hunc finem ipsis permissum fuit, arti medicæ operam dare, *scire potestates herbarum*, *usúmque medendi*, sed ut suâ industriâ, scientiâ, charitate Confratres adversa cum valetudine conflictantes in pristinam restituerent sanitatem. Unde eùm in Concilio Lateranensi II. Oecumenico X. sub Innocentio II. an. 1139. celebrato Canones plures sanciti fuissent, *Nono* prohibitum fuit, ne Monachi & Canonici Regulares Jus Civile & *Medicinam* gratiâ lucri temporalis addiscant & exerceant. Eò usque enim progressa erat hæc consuetudo, *ut & Monachi & regulares Canonici* (verba sunt Concilii) *post susceptum habitum & professionem factam spreta beatissimorum Magistrorum Benedicti & Augustini Regula leges temporales & medicinam gratia lucri temporalis addiscerent.* Quod eodem canone vehementissimè reprehensum fuit atque prohibitum. Si qui verò Episcopi, Abbates aut Priores, ad id conniverint, eos exauthorandos, & excommunicatione puniendos Concilium decrevit. Ab hoc Concilio vigesimus quintus agebatur annus, cùm Alexander III. anno 1163. Turonense celebravit Concilium, in quo Canones decem editi fuerunt, quorum octavus Medicinæ praxin & Physicas confectiones, Legúmque Civilium lectionem Viris Religiosis prohibet, ne mundanis rursum actionibus involvantur, & in interioribus eo ipso deficiant, ex quo se aliis putant in exterioribus providere. Iterùm in Concilio Parisiensi, quod anno 1212. *Robertus de Croceone* S. R. E. Cardinalis & Sedis Apostolicæ in Galliis Legatus celebravit, saluberrimæ constitutiones editæ fuerunt, inter quas & ille canon fuit, quo jubetur juxtà Lateranensis III. Concilii Decretum, ut Regulares Jurisprudentiæ aut Medicinæ extra claustra dantes operam, infra duos menses ad cœnobium redeant sub pœna excommunicationis, non obstante Abbatis sui licentiâ, quam dare non potuit.

Monachis intra monasterii licet esse medicis; uti fuerunt Per hos tamen Canones monachis interdictum minimè fuit, in monasteriis artem exercere medicam, quò confratribus & sodalibus suis in ægrotationibus præstò essent. Nunquam enim aliàs Gregorius IX. Statuta illa, quæ Abbates Benedictini anno 1226. in provincia Narbonensi ad restaurandam disciplinam regularem ediderunt, & in quibus etiam de medicis in monasterio, ut cum omni humilitate & reverentia faciant artes, mentionem fecerunt, pontificia authoritate confirmâsset. Hinc post hæc etiam tempora & Abbates & monachi virtute ac doctrina conspicui extiterunt, quos in arte medica optimè versatos fuisse constat. Quis virtute, pietate atque disciplinæ regularis instauratione in Italia magis eminuit, atque *Gometius* Abbas Florentiæ in monasterio S. Mariæ? **Gometius Abbas.** Is artis salutaris non imperitus * Oleum, seu Balsamum illud pretiosissimum, & ubique celeberrimum contra vermes, qui in humanis, præsertim puerorum visceribus gignuntur, eísque aliquando mortem afferunt, aliósque graviores morbos efficacissimum, quod usque in præsens in Florentina Abbatia haud parvo impendio componitur, & pau-

* Armell. in Bibl. Casin. part. 1. p. 182.

pauperibus distribuitur, sua opera ac sapientia primus adinvenit, cunctisque largiter dari consuevit. Naturæ concessit *Gometius* in fama sanctitatis anno 1442. .. Peritiam Artis medicæ, quâ his temporibus claruit *Conradus* Nurenbergensis ex monacho Mellicensi Abbas Obernburgensis, testatam faciunt Opera Medica literis consignata.

Joannes Trithemius Medicinæ peritus. *Joannem Trithemium*, Abbatem Spanheimensem, Medicinæ non fuisse ignarum, fidem facit ejus *Opus Hieraticum* pro variis morbis depellendis. Certè Theophrastus Paracelsus ingenuè fatetur, in chirurgia sua conformanda, polienda, numerisque suis absolvenda, adjutum etiam se fuisse Trithemii scriptis. Etsi verò Trithemii opem in morbis multi expeterent, nullis tamen perinde atque pauperibus adversâ valetudine oppressis præstò fuit. Horum ægrotationes quibuscunque potuit remediis levare studuit, Qua benignitate promeruit, ut invidendo elogio * *Patris pauperum & medici infirmorum* cohonestaretur. Cives amplissimæ Urbis Berolini vix desiderium Trithemii ferre poterant. Quo enim tempore apud Electorem Joachimum studiorum causâ commorabatur, compluribus morbo correptis opem tulit. Inter alios *Lescanium* presbyterum, ac posteà Alberti Marchionis Brandeburgici Capellanum aulicum, gravissimus dolor capitis multo tempore afflixerat. Quos iste non consuluit Machaones ac Podalyrios? sed frustrà omnes. Solus *Trithemius* aptam morbo medicinam facere novit. Unde

Lescanius sospitatori suo Trithemio. Lescanius posteà sospitatori suo tantas, quantas maximas potuit, grates habuit. Testes affero ejusdem literas, ad Abbatem Trithemium scriptas **:

„ Etsi parvo tempore vobiscum Reverende Pater in Ursulo sum conversatus, non parvum tamen ex ipsa conversatione profectum reportavi, quoniam vestro medicamine de gravissimo capitis mei dolore, quem per annos decem & octo continuè ac sine intermissione aliqua sustinui, & à nullo medicorum poteram relevari, Domino Deo miserante curatus sum & plenè convalui, de quo paternitati tuæ infinitas gratiarum actiones dico, méque totum in mancipium do, & impendo. Omnipotens Deus reverentiam vestram & in corpore & in anima salvam & incolumem perpetuò conservare dignetur, sicut me miserum miserandúmque hominem vestra pietas misericorditer respexit, & de tam gravi ac diuturno capitis dolore curavit, de quo medici nostri omnes semper, quotquot consului, desperaverunt. O spes mea post Deum unica salus & promotor egregie, calamo exarare non valeo tenui, quanta vobis sum charitate obnoxius & inclinatus, in tantum ut si vestræ complaceret paternitati, omnibus vitæ meæ diebus me vobis obligare in famulum unà cum his quæ possideo, vellem ac optarem. Vestræ namque gratiosæ paternitatis recordatio semper apud me est, & de memoria cordis mei nullo unquam momento potest deleri, qnoniam non est hora, in qua præsentiam vestri non cogitem. Valde autem sum tristis, & multi civium Berolinensium mecum dolent vehementer de perpetua paternitatis vestræ absentia, qui omnes nihil magis cupimus, quàm si foret possibile, quod aliquando ad nos redire tis. Novimus enim plures, quòd princeps noster clarissimus multùm desiderat reditum vestrum, & quotidie vestrum dicitur præstolari adventum. O si ad nos citò revertatur vestra paternitas, quanto cum gaudio suscipiemini à nobis? -- Laus cunctipotenti Deo, qui non deserit sperantes in eum, cujus benignitas vestram paternitatem mihi meritò colendam, felicem in ævum conservare dignetur. Amen. Ex Berlin decima tertia die mensis Maji. Anno Domini millesimo quingentesimo septimo. „ *Rescriptum Trithemii fuit sequens.*

Trithemii Rescriptum. „ Literis tuis amantissime vir, quibus mihi de tua sanitate magnificè gratias agis, quid aliud respondere aut possum, aut debeo, quàm illud quod Joannes Messue medicus in principio cujusdam aggregationis suæ præfatur dicens: *Sanat solus languores Deus, & de frugalitatis solo produxit in largitate sua medicinam benedictus, gloriosus, & excelsus.* Unde non mihi, sed Deo gratiarum actiones habendæ sunt, quia sua bonitate non solùm infirmos sanat, sed cùm sit omnipotens, etiam mortuos vivificat. Ego autem non

* Vid. Joannis Gotfridi pastoris ecclesiæ in Mandel propè Creuzenach epistolam ad Trith. lib. 2. famil. n. xvii. p. 539. ** extant loc. cit.

„ non medicum, sed monachum profiteor Christianum, cujus si quid tibi profuêre consilia, ille meritò benedicendus & collaudandus est, à quo totum accepimus bonum, quod intelligimus. Memoriam verò mei, quam te jugiter habere testaris, cùm pro peccatis meis intercedendo converteris ad Deum, esse mihi gratissimam scias, hoc est, ut quoties in altari sacrificium redemptionis nostræ oblaturus Deo Patri omnipotenti memoriam amicorum tuorum celebras, etiam orando pro me mentaliter dicas: *Oro te Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, per dolorem vulnerum Jesu Christi Domini nostri, memento etiam servitoris tui licèt pravi Joannis Tritbemii Abbatis, & quicquid peccaverit in te, per sanguinem ejusdem filii tui misericorditer Ecclesiâ tuâ per me postulante, relaxa.* Si hanc memoriam mei sedulò habueris Lescani charissime, beneficio me quàm maximo donâsti. Reditum verò meum in Marchiam sicuti promittere postulantibus cum Principe amicis vobis non audeo, ita non temerè nego. Potest enim omnia Deus, cujus nutum & voluntatem sequi, omnis creaturæ salus. Futurorum autem nulla mortalibus est determinata cognitio. Vale nostri memor. Herbipoli penultima Augusti. Anno Christianorum millesimo quingentesimo septimo. „ Hæc Abbas Trithemius. O pium verò Medicum! ô sanctum Galenum! qui pro curatione morbi non æs fulvum sibi appendi, sed preces ad Deum pro se fundi exigit. Quicunque Religiosi hâc ratione secularium morbos curant, Deo hominibúsque acceptabile faciunt Opus.

Nicolaus Ellenbogius. *Nicolaus Ellenbogius* * monachus Ottoburanus in Suevia doctissimus lib. 3. ep. 49. scribens anno 1518. ad Sebastianum Biderb. utriusque Juris Doctorem, qui scire cupiebat historiam vitæ ejus: *Debinc*, ait, *ad Sueviam reversus, amicorum consilio Galliam petii, & in nobili illo medicinali studio Montispessulani medicos audivi, cupiens paternæ artis hæres fieri.* Erat enim filius Udalrici Ellenbogii medici Sigismundi Archiducis Austriæ.

Lucas Ant. Firmanus. De *Luca Antonio Firmano*, monacho Casinensi hæc habet Petruccius cap. 22. ** *Lucas Antonius de Firno in Cassino sub Hieronymo de Placentia Abbate monachus factus est, vir in philosophia & medicina doctissimus. Floruit temporibus supradicti Imperatoris. ... Obiit Cajetæ temporibus nostris, & sepultus est in monasterio S. Angeli.*

Pius de Marra. *Pius de Marra* *** patriâ Neapolitanus, sed è Barulo (*Barletta*) in Apulia oriundus, nobili Familia, in cœnobio S. Severini Neapolis monasticæ militiæ nomen dedit an. 1595. Fuitque non Theologiæ tantùm, ac utriusque Juris Professor celebris, sed rei etiam Medicæ insigniter peritus. Nascentis etenim per id temporis Neapoli Chymicæ artis, varia & utilia pro hominum sanitate conservanda, ac restituenda, experimenta feliciter exhibuit, & alios facienda clarissimè docuit; cujus studiũ æmulatus *Franciscus Cardinalis Boncompagnus*, Archiepiscopus Neapolitanus sæpissimè unà cum *Pio* chymicis operationibus strenuè insudabat. In monasterio S. Severini nobile Pharmacopolium sua industria *Pius* erexit, copiosáque suppellectili, ac necessariis instrumentis ditavit.

Basilius Valentinus cœteris excellit. Quid verò differo, quem ante omnes forsan nominare debuissem, *Basilium Valentinum*, natione Germanum, professione monachum in S. Petri cœnobio Erphordii, nisi fallor. Hunc Michaël Majerus Philosophiæ & Medicinæ Doctor, Comes Palatinus &c. *absolutissimum Medicinæ Hermeticæ auctorem* vocat. Unde non ipse modò ejus omnia opera accuratè recognita typis vulgavit, sed aliqua eorum etiam Petrus Joannes Faber, Medicus Monspelrensis è Germanico in Latinum vertit: Quin ipse Basilius ****, *Libros*, inquit, *equidem meos laudare nolo, quod me etiam dedeceret, sed reipsa periculo facto se ipsos laudabunt.* Nec, opinor, Sodalibus nostris, quorum non adeò multis Basilii Opera unquam visa, ne dicam lecta fuerunt, rem ingratam facturus sum, si integram ejus præfationem *de Magno Lapide Antiquorum Sapientum* hìc adscribam, cùm quæ ad Medicinæ studium attinent, in ea scitu non indigna contineantur.

„ Postquàm humani quid passus sum „ timoris, incepi considerare ex natu„ ræ simplicitate miserias hujus mundi, „ & deflevi mecum penitus delicta à „ primis nostris parentibus commissa, „ & quòd pœnitentiæ locus in terris „ nullus

* Baluz. in Notis ad vit. Pap. Avenion. p. 1055.
** apud Gattol. Hist. Casin. Sec. XI. p. 689.
*** Armell. Bibl. Cas. part. 2. p. 144.
**** in Curru triumphali Antimonii pag. 23

„nullus esset, sed homines in dies pe„jores fierent, quódque pœnitentiam „non agentibus æternæ impenderent „pœnæ absque fine imperscrutabili„ter duraturæ; ideóque acceleravi, „quoad potui, malo me subtrahere, „mundóque valedicere, & me Deo, „ut famulum, addicere.„

exemplo majorum Medicinæ studet.

„Cúmque jam aliquamdiu in Or„dine meo vixissem, & illud temporis „spatium, quod post absolntionem „pensi mihi ipsi ad orandum impositi „reliquum foret, nollem frustra ab„sumi, ne cogitationes meæ per otium „novis peccatis causam præberent, „constitui apud me rimari, pérque „anatomiam ejus arcana indagare, „quod post æterna illa in temporali„bus summum reperi, & postquàm „multos libros in monasterio nostro à „philosophis longè ante me scriptos, „qui & ipsi naturam studendo & in„dagando assequuti fuerant, invene„rim, animum hoc mihi lubentiorem „addidit, ad discendum ea, quæ ipsi „sciverant; & quamvis difficile id mi„hi contigerit, tamen cùm omne in „initio grave in fine facilius sit, Deus „quoque, quem sedulò oravi, ut vide„rem, quæ alii ante me non viderant, „concessit.

Conmonachum ægrotum

„In Conventu nostro collegam „habui, quem nephriticus à calculo „dolor vexabat, ita ut sæpe æger de„cumberet. Hic medicos multos „ad se vocaverat; at à nullo præsen„taneam opem sentiens, Deo vitam „mancipavit, ab omni humano auxi„lio derelictus. Tum ergo institui „anatomiam herbarum, distillavi eas, „sal extraxi, & quintam essentiam; „verùm nullam ex omnibus invenire „potui, quæ fratrem illum ab affectu „suo liberaret, licèt permultas ten„târim: nam non erant in suo gradu „adeò efficaces, ut huic malo mede„rentur: Et sic nullnm vegetabile offen„di, quod non sex annorum spatio atti„geram. Hinc acriori mentis indagine „cogitationes meas intendi circa hoc „negotium considerando, mecúmque „inii etiam ea addiscere, scientiáque as„sequi fundamentali, quæ Creator in „metalla & mineras terræ abdiderat. „Ac quò magis quærerem, eò plus in„veni: unus enim semper ex altero se „deducebat rivus; & Deus fortunam „mihi concessit, ut multa experirer, „ac oculi mei viderent etiam illa, quæ „natura mineralibus & metallis infu„derat, adeò diversa, ut ignaris ca„ptu sit difficillimum.

pertinaci Medicinæ studio

sanitati restituit.

„Inter ea omnia incidi in minerale, „quod ex multis coloribus composi„tum, & in arte maximæ efficaciæ est, „huic spiritualem essentiam extraxi; „eáque fratrem meum ægrum paucis „diebus pristinæ sanitati restitui. Nam „hic spiritus adeò fortis erat, ut spi„ritum fratris mei corroborare potue„rit, qui horas suas quotidie pro me „oravit, donec mortuus sit: supere„rat autem diu, postquam convalue„rat: Ejus quoque meæque preces „tantùm valuerunt, ut Creator & mi„hi aperuerit, & propter meam dili„gentiam demonstravit etiam illud, „quod prudentibus, uti se vocant, „absconditum manet.

Notitiam de lapide philosophico promittit.

„Atque ita hoc Tractatu Lapidem „antiquorum ad sanitatem & consola„tionem hominum in hac miseriarum „valle cœlitus nobis, ut terrenorum „summum thesaurū, concessum, indi„care, & quantum mihi licitum aperire „volui, velut tute leges, non pro mea, „sed posterorum utilitate scribens; post„quàm cognitionem ex scriptis mul„torum expertissimorum virorum con„secutus fuerim, ita ut & tu ex mea „doctrina, Philosophiæ addicta, quæ „brevissima verbis, at prolixa sensu, „petam, cui veritas innitatur, cum „præmio temporis ac æternitatis voto „assequi possis, Amen.„ Hæc Basilius Valentinus, qui teste Hellemontio *, suos omnes confratres adeptam Philosophiam edocuit, & *universalis medicinæ possessores* effecit. Michael Majerus supra laudatus, quò nemo alius Basilii scripta & attentiùs & sæpiùs à capite usque ad calcem perlegendo contrivit, se physicas claves, quibus fons sanitatis referatur, in eis reperisse testatur.

Udalricus Staudigel Medicinæ Doctor.

Superioribus annis in Andecensi Congregationis Bavaricæ celebri monasterio vixit R. P. *Udalricus Staudigel*, suprà à me laudatus, qui uti Medicinæ erat Doctor, ita de studio & usu medico, Clero cuivis etiam Religioso competentibus, periodos satis prolixas concinnavit, quas Mabillonii *Tractatui de Studiis Monasticis* à se in Latinum converso intexuit. In his verò fatetur, & pronuntiat, studium & exercitium Medicinæ per sacros Canones utrisque & Ecclesiasticis & Religiosis prudenter interdici, sed tunc solùm *: si cancellos suos egrediatur, in

* L. c. pag. 445.

in methodum illam pervadens, quam Galenicam nominant. „Hæc etenim „admodùm lubrica est, ambagibus „tarda, lucris insidiosa, &, quod ca- „put rei, quibusdam aliis operationi- „bus, ab Ecclesiastico decore quan- „doque non parùm alienis, occupa- „ta. In hac in ambitu suo librata, „quemadmodum nolim ut sese disti- „neant Reges, ita nec, ut sese sacer- „dotii Regalis exerceat zelus. At ve- „rò si studium Medicum ita intelliga- „tur compositum, ut verborum cer- „tas formulas constituentium effica- „ciam; herbarum, radicum, foliorum, „florum, seminum, lapidúmque do- „tes naturales, jussúmque Dei suis „temporibus ab ipsis exercendum, & „in opera complendum scrutetur, de- „inceps magnas earum virtutes, ad „morborum sanationes referat, ac ul- „timò, quando, & quomodo, ut do- „tium suarum efficaciam in proximo- „rum opitulationem exerant, appli- „canda sint, solerter indaget: Eccle- „siasticis unquam prohibitum non pu- „tem, nec etiam prohibendum, ne „Religiosis quidem.„

Ignorantiam in reprehensionem vocat.

Præsertim *P. Staudigel* cum Hellmontio * molestè fert, quòd non parùm sæpe uterque Clerus cùm Secularis tum Regularis, medicam in rebus dotem, velut impressos iisdem Divinæ miserationis characteres & stigmata non solùm in numero nullo ponat, atque ad aram ignorantiæ appendat; verùm etiam si quem videat effectum, ab earundem dotium applicatione profectum, nexum verò causarum cum effectu non cognoscat, confestim ad infernalem Rempublicam confugiat, emicantem ex effectibus gloriam Deo deneget, vicissim diabolo imputet, & ejusdem interventui attribuat. Ne verò falsâ vel injustâ criminatione Clerum onerare videatur, ex compluribus experientiis, quas ipsemet edoctus fuerat, memorabile exemplum his verbis recenset.

Verborum formulâ oculorum dolores curantur.

„Exposuit mihi quondam in sacro confessionum tribunali vir quidam mediocris fortunæ, formulam quandam, quacum oculorum dolores quoslibet indifferenter sustulit, super patientes reverenter, & cum intimâ compassione pronuntiatâ: volens scire, num id à se fieri posset, salva cùm religionis, tum conscientiæ suæ innocentia & integritate; consideratis verbis singulis, & simul eorundem combinatione, quid jure reprehenderem reperi nihil. Constabat formula certis rythmis: rytbmos ingrediebantur mera Passionis Dominicæ mysteria, aberant sub pronuntiatione ceremoniæ, nullum peractam curam sequebatur minerval, gratis acceptum, gratis dabat: sola desiderabatur in proximis averruncata miseria. Perpensis bene simúlque combinatis omnibus respondi tandem, me nihil in hac formula reperire, quod meritò reprehendetem: uteretur porrò pro lubitu, sanarétque quos posset, excluso quovis timore, vel injuriâ religionem, vel maculâ conscientiam afficiendi. Reposuit, usum hujus formulæ sibi jam aliquoties interdictum à diversorum Ordinum Religiosis, ceu superstitiosum, & saltem occultum cum diabolo commercium continentem. Substiti nonnihil, tam responso, quàm admiratione suspensus; at paulò post in cubiculum meum concedens, sequentem formulam à S. Hildegarde matronæ cuidam diuturno sanguinis profluvio laboranti missam, in chartam descripsi, descriptámque bono viro, quem interim exspectare jusseram, reversus tradidi, cum additis precibus, ut eandem iisdem viris Religiosis, qui priùs suam damnaverunt, ostenderet, & qualem de eadem sententiam ferrent, exquireret. Formulæ tenor erat: *In sanguine Adæ orta est mors, in sanguine Christi extincta est mors. In eodem sanguine Christi impero tibi, ô sanguis, ut fluxum tuum contineas.* Erant hæc verba pectus inter & umbilicum suspendenda, in nomine ejus, qui omnia rectè disponit. Secuta fuit Matrona sanctæ Abbatissæ consilium, & consecuta sanitatem: præterque Matronam complures adhuc alii. Rediit, prout rogaveram, post aliquot tempus sponsor, retulitque, rejectam ab iisdem formulam, & ab uno laceratam etiam in multa frustula præ zeli excandescentia. Tum enimverò mecum ingemui, quòd majorem, etiam apud Theologos, nacta sit auctoritatem Diaboli malitia, quàm divinæ bonitatis amplitudo. Quasi verò sathanas triumphum quærat in illis rebus, per quas ipsemet ductus fuit in triumphum. Licuit sanè Petro claudum

Quam improbant improbant Confessarii,

à quibus etiam formula S. Hildegardis rejecta fuit.

* Loc. cit. p. 429. Fallitur verò V. C. Jo. Albert. Fabricius, dum in Bibl. Græc. Vol. XII. pag. 741. scribit, Hellmontii sententiam viro eruditissimo Jo. Mabillonio adeò fuisse probatam, ut eam libro suo de Studiis Monasticis insereret, lectoribúsque commendaret. Non fecit hoc Mabillonius, sed ejus interpres P. Staudigel.

dum erigere per hoc: *In nomine Jesu Christi surge, & ambula*: Et non licuerit per sanguinem Christi sanguini imperare, ut fluxum sistat. „ Hæc ille.

Lepida Cardinalis Quirini narratiuncula.

Festivum etiam est, quod Em. Card. *Quirinus* sibi, adhuc Theologiæ Professori evenisse narrat. „Evenit, inquit, ut calculo per sectionem eximendo me laborare suspicarer, eáque de causa ad Laurentium Bellinum (eo celeberrimo Medico Florentinum Monasterium nostrum utebatur) confugerem. Evanuit tamen citò mea illa formido, & quo pacto id acciderit, haud abs re puto hîc referri, quòd unà simul præclarissimi illius Viri miser exitus intelligetur. Eo igitur timore correptus Bellinum adeundum censui, paratus, quam ille protulisset sententiam, ceu Galeni & Hippocratis oraculum admittere; nam Bellinus inter plures editas de re Medica doctissimas lucubrationes, scriptorem maximè classicum se exhibuerat in libro, quem de Urinis, nec non de structurâ, & usu Renum conscripserat. Scalas ejus domus eo mœstiùs conscendi, quòd nunciatum mihi ab ejusdem famulo fuisset, herum suum viscerum dolore excruciatum in lectulo jacentem à me deprehensum iri. Ut primò ipsi factus sum propior, non quidem percontatus est adventus mei causam, sed illam exponere incepit, ob quam ipse cubili affixus manebat, dolores scilicet, unde torquebatur. A me deinde amicè poposcit, quodnam opus esset, quo me juvare posset; moxque morbum, quo tentari verebar, ipsi declaravi, quod paucis feci. Paucis pariter ipse respondit, nullum judicium de mea illa suspicione ferre se posse, nisi lotii in crystallino vitro à me redditi diligenter post aliquot horas proprietates observâsset. Parui ejus præcepto, móxque discessi, æquè pariturum me spondens in reditu, quem mihi faciendum præscripserat ad diem posterum. Verùm, antequam iste dilucesceret, obiit Bellinus, iisdem, quos dixi, doloribus enectus. Manavit fama, ortos ipsos fuisse ex inedia, quâ jam diu corpus suum conficiebat. Etenim pro re certa statuerat, quæ corpori suo inerat, pinguedinem, non quidem adipem esse, quem ipsius corporis habitus postularet, sed immundam quandam fæcem morborum procreatricem, ac propterea si hanc extrema cujusvis ci„bi parcimonia abstergeret, atque ex„tennaret, bene se consulturum suæ valetudini. Id mihi his ipsis verbis ante aliquot menses affirmaverat, dum unà simul jactaret per eam parcimoniam jam sibi feliciter cessisse veteris, corruptiq; hominis eversionem, atque unum inposterum studium se manere novi, saníque hominis superinduendi. Hunc in modum miserè extinctus est excellentissimus Medicæ artis Doctor, postremo hoc etiam erga se adhibito experimento demonstrans, verum fuisse, quod de ipso passim ferebatur, eundem scilicet opinationibus quibusdam suis plus æquo indulgere consuevisse. Unà cum Bellino extincta est, nescio quo pacto, morbi illius, cui me obnoxium suspicabar, formido omnis; nam paulò pòst certo certius cognovi, eandem animo meo insitam fuisse non aliquo vitio, quo renes laborarent, sed ex frequenti calculorum sectione, quam Florentiæ ea tempestate factitabant peritissimi Lithotomi Colligianus, & Lancisius, compluribus eo morbo affectis Florentiam confluentibus, vel ex remotis regionibus, ut ex eorum peritia & dexteritate levamen, ac remedium, si fieri posset, ducerent. Bini ex illis, ni fallor, meo in monasterio hospites recepti, eandem sibi prorsus salutiferam experti sunt; contra Strozzius Florentiæ Archiepiscopus à Colligiano exsectus intra paucos omnino dies occubuit. Nil mirum sectiones istas imaginem mali, quo reapse carebam, indidisse animo meo acri, & fervido. Vim, qua præditus is foret, pares alias imagines effingendi, quum mihi sæpe incommodam accidere, Bellino narrarem, reponebat ille, eandem cum adolescentia desituram; durat tamen adhuc, indéque gloriari possem, ex Medici dicto, senili hac etiam ætate inesse animo meo, *quæ quondam juvenili in corpore vires.* „

Nicolaus Alexandre è Congr. sanct. Mauri insignis Medicus & Chirurgus.

In Congregatione Gallicanâ S. Mauri id genus studii pauca habet exempla; dum tamen Medicinæ professio sibi pro scopo præfigit utilitatem publicam, ejusmodi intentio rectificat, quidquid ista occupatio ab hujus instituti sanctitate posset habere alienum. Hoc fine ductus D. NICOLAUS ALEXANDRE S. Faronis Meldensis Monachus anno 1678. professus arti Medicæ & Chirurgicæ sua cum primis addixit studia, atque in usum egenorum duo egregia ac bonæ frugis plena edidit Opera, quorum primo titulum fecit: *La Medecine & la Chirurgie*

gie des pauvres, i. e. Medicina & Chirurgia pauperum; Alteri: Dictionaire Botanique & Farmaceutique, i. e. Lexicon Botanicum & Pharmaceuticum. Illud typis exscriptum prodiit Parisiis anno 1714. in 12. alterum A. 1716. in 8. Lectoris patientiâ abuti fortè videret, si utriusque utilissimi sanè operis contenta prolixiùs referre vellem, id notâsse sufficiat, quod Philippus le Cerf in suâ Bibliothecâ historico-critica Scriptorum Congr. S. Manti pag. 5. his verbis commemorat: Le P. Alexandre a eu principalement en vue en les publiant, le soulagement des pauvres, auxquels il prescrit les remedes, qu'il croit les plus convenables dans leurs maladies, & qui exigent le moins de dèpense.

Medicinæ studium hodie in monasteriis penè cessat.

Hodie Medicinæ studium in monasteriis Familiæ nostræ passim desiit. Cùm enim artis medicæ periti ubique ferè locorum ad manum sint, quid ad eam monachos incumbere necesse est? Nec quæ exempla veterum monachorum adduxi, magnoperè movent, ut literæ medicæ in cœnobiis hoc ævo resumantur. Quibus enim temporibus Medicorum magna penuria erat, monachis vitio verti non poterat, quòd quidam huic scientiæ operam navarent, eâ impulsi ratione, ut sanitatem depulsâ ægritudine restituere Confratribus possent. At ubi hæc ratio cessat, meritò etiam studium cessat. „ Quòd si tamen nonnulla, inquit Mabillonius *, anatomicè sciantur circa humani corporis structuram, id neutiquam improbo, dummodo tamen honesti fines non transcendantur; poterit enim talis notitia proprii individui intelligentiæ, corporisve saluti inservire, quæ nobis curæ quodammodo esse debet. At verò distinctam morborum seriem, nec non varia pharmacorum genera peculiari indagine velle discutere, hoc, inquam, Monachis nullatenus dicimus permittendum. Quòd si contingat, aliquos jam pridem in seculo id genus scientias didicisse, poterunt, Superiore annuente, iis tantùm uti in Sodalium ægrotantium commodum, secus verò aliorum.„

Contra Superiorum voluntatem non est medendum.

Quæ duo posttema verba, secus aliorum, ii notent velim, qui si à Superioribus beneficium medendi hominibus impendere secularibus prohibentur, eos duros, austeros, inclementes, ac si nulla viscera misericordiæ haberent, insimulare non verentur. Fuit non ita multis ante annis, qui se persuaderi est passus, ut noctu, clam, inscio ac maximè invito Superiore, monasterio egrederetur, ut personæ graviter ægrotanti consuleret. Quod pessimè ab ipso factum fuit, etiamsi illa subinde ejus operâ convaluerit. Nemo enim rectè charitati litat, qui obedientiam postremo loco habet. Non placent Deo id genus charitatis victimæ, quas contra parendi studium susceptas ab altari suo velut abominabiles dudum rejecit.

Novum medicinæ studium in Elchingensi monasterio.

Aliud, illúdque sacrum Medicinæ studium hodie floret apud Patres Benedictinos Elchingæ, quod est celebre & Imperiale in Suevia propè Ulmam monasterium. Uti enim pietas ad omnia utilis est, ita charitas hosce Ascetas ad opem iis ferendam impellit, quos ceu effigies & imagines Dei Optimi Maximi invidia mali dœmonis per magorum & sagarum veneficia de statu integræ valetudinis deturbat, miserúmque in modum variis immissis morbis discruciat. Qui primus verò superiore seculo novo huic laudatissimóque artis Asclepiadeæ studio operam dedit, fuit cœnobita Gregorius nomine, monasterii sui, me adolescente, Senior, rerum experientiâ, ac doctrinâ vir eximius. Hoc medendi genus, non turpis lucri gratia, sed amoris ergò adversùs proximnm piè susceptum ac institutum bona fors excepit; quàmplurimi enim omnis ætatis, sexus, conditionis, ac religionis homines pristinæ fuerunt restituti sanitati. Unde ad Elchinganum monasterium, ceu novam Medicorum Academiam, magnus frequénsque morbis è veneficio contractis laborantium concursus. Quid? qoòd complures verbi Lutherani præcones, si necesse fit, nominari possunt, qui eâ causâ Elchingam ceu ad sacram anchoram confugerunt. Memini, me puerum audivisse virum è Lurheri secta, qni honorifica gratáque mente recuperationem valetudinis suæ à veneficis afflictæ Monachis Elchinganis in acceptis retulit. Monstrantur hodiedum cultri, forfices, falces, lapides, aliáque id genus monstrosa complura, quæ ex hominum corporibus veneficio infectis educta fuerunt. Urcei, si bene memini, fragmenta ex

Ejus primarius cultor Gregorius cœnobita.

ote

* Tract. de Stud. Monast. Part. 2. c. 9. n. 4. p. mihi 163.

ore nonnaminis ejecta, Abbas Meinradus b. m. insignis Mathematicus, artifex, ac Dœdalus ita scitè pristinæ compagi restituit, ut integrum denuò vas exhibeant. Rogatus Gockelius, Ulmensis in proxima vicinia Physicus, ac Medicinæ Doctor, quid de hoc medendi genere sentiat, respondit, se existimare, quòd qui ex corporibus ejuscemodi res educendi scientiam possideant, easdem etiam in illa immittendi peritiâ non destituantur. De Lutherani hujus Medici lepido ingenio si aliàs non constaret, id responsi pro sarcasmo, ac injuriosa contumelia accipi posset.

Narcissus Böglini. Qui hodie post *Gregorium* supra laudatum, aliósque successivè plures Medicæ hnic seu scholæ seu officinæ præest, *Narcissi Böglini* fert nomen. Ejus ope sacrisque medicamentis innumeri jam convaluerunt; quorum curationes, ut audio, ipse Vir Clarissimus haud indiligenter in literas refert, ut typis aliquando descriptæ, *esse Deum*, ejúsque verum cultum *in Israël*, Ecclesiâ Romano-Catholicâ, faciant quàm testatissimum.

Benedictinorum de arte Medica Scriptorum agmen claudat vel in pri-
Benedict. Feyjoò. ma horum acie stare dignus R.^mus^ *P. Benedictus Hieronymus Feyjoò* Hispanus, qui diuturnâ indagine variis quidem in scriptis, quæsivit certitudinem Medicinæ, sed non invenit; *Imò*, inquit ipse, *inter irritos conatus offerendi certitudinem, crevit incertitudo: quia nimirum Medici Scriptores*, cùm sua quisque regat diverso flamina tractu, *æquè inter se mutuò, quàm mecum dimicabant. Quod hic offerebat, ille negabat; quod hic moliebatur, demoliebatur ille; Quos hic Autores medicos ad cœlum laudibus evehebat, ille probris cumulabat. Is Astrologiam in Medicinæ subsidium trahebat, ille, & quidem meritò, in Tartarum ablegabat; Apud hunc inventa moderna florebant, apud illum in ludibrium abibant. In ipsum usque punctum difficultatis discordia propagata est. Incertitudinem Medicinæ alii fraudulenter dissimulabant, alii sincerè fatebantur, alii audacter negabant. Ita in iis ipsis scriptis, quibus propugnabant mutuam in dogmatibus concordiam, apparuit nunquam componendum dissidium.* His comotus *Feyjous* nihil antiquius habuit, quàm in Medicinæ rationes curatiùs inquirere, Artísque illius Crisin instituere, & quid certi, quid incerti in ea sibi videretur, publicis scriptis patefacere. Id verò cùm egregiè præstitisset, indictum est contra eum bellum acrius quidem quàm pro meritis. Irruerunt omni ex parte calamis, imò veriùs spiculis armati Medici, *adversi rupto, ceu quondam turbine venti.* Prodierunt scripta, injuriis sæva, quas æquo tamen animo tulit ille, jam pridem gnarus multum in hoc certamine convitiis agendum. Ratus tamen suarum esse partium veritatem propugnare, ad extremum adversariis libellum opposuit sub titulo: *Veritas Vindicata adversùs Medicinam vindicatam ad Ill.^mum^ D.* JOSEPHUM CERVI *Patritium Parmensem.* Quod Opusculum extat Tomo II. Theatri ipsius Critici Universalis pag. 352. editionis quintæ. Si verò ex eo quæramus, quid absolutè sentiat de Medicina hodierna, liberè respondet, *prout exercetur à paucis (forsan paucissimis) subtilibus, doctis, cautis & piis, utilem & necessariam esse; prout verò à plurimis, noxiam plerumque esse, & funestam.* Id præter experiantiam docent sapientissimi Medici: ita enim Cardanus de Meth. Med. cap. 100. *Complures*, inquit, *ab indoctis Medicis occiduntur longè alioquin victuri, quàm morituri ob eruditis salventur.* Confersis librum Doctoris *Gerardi Goris* inscriptum: *Medicina contempta propter ignorantiam Medicorum.*

His ita, ut sunt re ipsâ, comparatis, Nos certè Sodalibus haud suadebimus unquam, ut majorem, quàm par fuerit, huic studio operam impendant; Siqui tamen in idipsum propensi fuerint, non pauci sunt, qui methodos varias præscribunt; quos inter è nostris unus instar omniū esse potest supralaudatus *Nicolaus Alexandre*, cujus Lexicon Pharmaceuticum maximè comendatur. De reliquis consuli potest *Daniel Morhofius* in Polyhistore Practico Tom. III. Libro VII. Atque hæc de Medicina dixisse sufficiant; quia verò cum eâ amicè conspirat *Chimia*, mutuásque sibi operas præstant, nunc de hac rectò ordine agendum nobis est, eò maximè, quòd sub ipsa barbarie in monasteriis asylum quæsiisse, diùque illic latuisse dicatur.



SECTIO

SECTIO IV.

Historia Chimiæ & secretioris Philosophiæ.

Philosophiæ secretioris antiquitas & cultus.

TAnta est secretioris Philosophiæ sublimitas, amplitudo & antiquitas, ut non superficiaria impendenda esset opera, si quis ejus historiæ campum accuratiùs vellet emetiri. Hæc enim scientia quasi solum aliquod omnibus occultioribus naturæ & artis operationibus substernit. Fuit illa jam ab antiquissimis temporibus per sapientes, quos *Magos* nuncupant, præcipuè exculta; Magno quoque studio eidem disciplinæ tùm Hebræos, Chaldæos, Ægyptios, Persas, Arabes, Græcos & Latinos, tum Judæos, Ethnicos, ac etiam Christianos antiquitùs incubuisse ex Suida discimus. Etsi verò non desint, qui hanc doctrinam vel ideò suspectam habent, quòd aut nulli sint antiqui illius Scriptores, vel plerique pseudonymi, aut suppofititii: Neutiquam tamen ex eo inferri debet artis neglectus, quæ ab antiquo tempore non scriptis, sed potiùs per institutionem vivi Præceptoris propagata fuit. *Cùm autem crassissima barbaries*, inquit Morhofios *, *Græciam, Italiam, Germaniam obsideret, latuerunt illa in monasteriis apud Christianos studia, unde, siqua in publicum prodierunt scripta, ut sanè non pauca etiamnùm ex iis supersunt, ob barbariem & impolitiam dictionis contempta fuerunt.*

Ejus studium sapientibus congruū.

Id verò studii genus, licèt plerisque hodie sordescat, si tamen rerum naturam, non nominis ignominiam quærimus, Viris summis congruum, Sapientibus dignum, Theologis acceptum, Principibus gratum, ac ipsi Evangelio & Religioni consentaneum fatentur omnes, quibus de meliori luto finxit præcordia Titan. *Magia siquidem naturalis*, ut Trithemius in suis ad Joachimum Brandeburgicum literis scitè edisserit, *pura est, solida est, stabilis & licita, quæ Principes maximè decet & ornat; nec unquam ab Ecclesia fuit prohibita, nec etiam jure est prohibenda: quippe quæ puris naturæ principiis innititur, nullámque superstitionem admittit. . . . Enimverò*, inquit Idem in sua ad Germanum Ganay epistolâ, *nihil aliud per Magiam intelligi volumus, quàm sapientiam seu Physicarum & Metaphysicarum intelligentiam rerum.*

Ex ista porrò secretiore Philosophia, seu consensuum rerum universalium intelligentiâ tanquam fertilissimâ segete, orta sunt pleraque aliarum sublimiorum artium genera, inter quas prima est *Chimia*, quam nos illo sensu antiquo & honorifico intelligimus, ut sit scientia, quæ non abeat in fumos speculationum subtilium, aut inanium operationum, sed quæ fabricas rerum symbolizantes, ipsáque adeò mirabilia naturæ & artis considerans, cognitionem formarum abditarum ad opera admiranda deducat, vel applicando activa passivis physicè operetur ad sublevanda humanæ vitæ incomoda. Cujus quidem artis cultum & præstantiam quod attinet, ex remotissima antiquitate constat eam in summa veneratione fuisse; hâncq; velut *Divinam* & *sanctam* omnes, quotquot veri sunt illius possessores, hodiedùm deprædicant. Nec illo sanè indigna est titulo aut honore, si ea, quæ referuntur, præstiterit; omnium verò Gentium historicam fidem labefactare velle, extremæ profectò res esset impudentiæ. Tantùm ergò abest, ut id genus studii vel operationis explodere sustineam, quin potiùs cum magni nominis Archiatro D. *Hoffmanno*, dolendum existimem, *Excelsam*, ut ait, *& penè divinam hanc Philosophiam, quâ sapientissimam Dei providentiam in operibus suis, manibus quasi palpamus, nostris etiam temporibus nec satis excoli, nec ut decet tractari.* Sed legi hac de re possunt libri in utramque partem copiosè scripti, præsertim à *Conringio* & *Borrichio*, qui postremus *de ortu & progressu Chimiæ* prolixiùs egit, & *Hermetis, Ægyptiorum, Hebræorum, aliorúmque Chymicorum sapientiam* egregiè vindicavit.

Quid sit Chimia.

Hujus Philosophiæ Cultores Benedictini.

Secretiorem hanc Philosophiam, cujus sublimitas facilè à nominis sui professione cultores ejus excusat, plerisque è nostris in deliciis fuisse ex eo arguimus, quòd non tam superstitionis, ut volunt imperiti, quàm absconditæ pietatis argumentum sit eorum, qui arcanis rerum naturalium, quasi typis quibusdam, rerum divinarum mysteria adumbrari sentiunt **. Quia verò nec

* Morhof. Polyhist. Tom. I. l. 1. Cap. XI. n. 39.
** Vid. Morhof. loc. cit. n. 43.

nec ea mihi notitia eſt, nec facundia, ut omnium de hac ſcientia Scriptorum merita, laudéſque valeam pro dignitate referre, unum ſaltem aut alterum ex celebrioribus in medium adducam. Et nemo quidem ex antiquis Philoſophiæ ſecretioris arcana altiùs penetrâſſe videtur, atque *Gerbertus* poſteà *Sylveſter II.* Papa: Hac enim philoſophicæ eruditionis præſtantiâ meruit Philoſophus κατ' ἐξοχὴν appellari, eáque effecit artis mechanicæ opera, quæ attonita contemplabatut, & ſtupebat illa ætas, ac etiam mirata eſt poſteritas. Quo factum, ut conſpirante livore & ignorantiâ Magiæ diabolicæ ſuſpectus haberetur, uti pluribus oſtendit Naudæus in Apol. Viror. Mag. accuſatorum.

Gerbertus poſteà Pontifex Sylveſter II.

Baſilius Valentinus inter Philoſophos Hermeticos excellit.

In Phyſica non tantùm diſputant noſtri, utrùm aurum verum per artem fieri poſſit, ſed eorum etiam quidam in eo conficiendo deſudâſſe feruntur.* BASILIUS VALENTINUS lapidem philoſophicum, vi cujus multum & auri & argenti confici poteſt, indeſeſſo ſtudio, labore, ac induſtria elaborâſſe dicitur. Fides tamen ſit penes *Michaelem Meierum*, ejus ſectatorem ac diſcipulum. Erat verò *Baſilius* ſeculo XIV. exeunte monachus Erphordii in S. Petri monaſterio, Philoſophus cumprimis clariſſimus, ac Chymicorum facilè princeps, omniúmque ſinceriſſimus. Tempus à choro, aliíſque vitæ monaſticæ exercitiis vacuum, ne otio contereret, omnes animi ſui vires ad artis Hermeticæ, quam ſcilicet ab *Hermete* Chymiſtàrum corypheo denominant, ſtudium contulit, eo ſucceſſu, ac felicitate, ut ſuo ævo inter Philoſophos Hermeticos facilè princeps, aut certè quidem nemini ſecundus, ac pro *Adepto*, ut vocant, haberetur. Quod verò omnibus pluris faciendum eſt, erat BASILIUS *in Dei timore & ſancta converſatione religioſiſſimus*, cujus quidem rei indicia, utì & ſinceritatis, ſervidíque zeli cujuſdam ſæpiùs ebullientis veſtigia quàm manifeſta, ſuis in Operibus reliquit. Ita enim in prologo *Currûs Triumphalis Antimonii* inquit: *Quandoquidem ego* BASILIUS VALENTINUS *religioſis votis Ordini S. Benedicti vivam adſtrictus; íſque ſtatus alium quendam requirat ſanctitatis ſpiritum, quàm cum quo vulgò mortales in profano hoc acquiritur ſeculo, meum eſſe putavi ante omnia in libelli hujus principio declarare, quid pio Spagirico, inſatiabili artis hujus deſiderio flagranti ſcitu neceſſarium ſit, quid agere, quò collimare debeat, ut ea rei totius fundamenta jaciat, quæ ſtabilita ſint. : . . . . In hac autem meditatione mea tandem inveni quinque præcipua eſſe capita, quæ omnibus tum ſapientibus, tum ſapientiæ artíſque noſtræ aſſectatoribus inprimis ſunt conſideranda: Quorum primum eſt invocatio Dei; ſecundum Naturæ contemplatio; tertium vera præparatio; quartum modus utendi; quintum utilitas & fructus.* His tamen Baſilii Valentini verbis nullam fidem habet D. *Gudenus* in Hiſtoria Erfurtenſi pag. 129. ubi eum non ſine contemptu iis accenſet, quos Spagyritæ in augmentum ſpei nominant aurum confeciſſe. Eiusdem Scripta, alio loco recenſenda, de metallis, mineralibus, præſertim de Antimonio magnis hodiedum laudibus ornantur.

Joan. Trithemius Philoſophiæ experimentalis ſtudioſus,

Joannem Trithemium, Abbatem Spanheimenſem, fuiſſe philoſophiæ, non cujuſcunque tamen, ſed experimentalis ſtudioſum, ejus ſcripta teſtantur; ea enim ſolùm digna ſtudio ſuo exiſtimavit, quæ rationi conſentanea ſunt, ac experientiâ firmantur. Cùm verò *Magiæ naturalis* etiam eſſet ſtudioſus, fuerunt rudes quidam ac indocti, qui illum magiæ diabolicæ, ſuperſtitioſæ, atque ab Eccleſia damnatæ inſimularent. Quod meritò ferens animo periniquo, apologiam ** his verbis pro ſe ſcripſit; „ Nec ſum „neſcius, quoſdam eſſe, qui me ca„lumniantur injuſtè, Deus ſcit, quaſi „malis artibus, & necromanticis va„nitatibus, ne dicam maleficiis, ani„mum deturpaverim. Multus enim „& magnus de me rumor apud plures „exivit, neſcio quibus occaſionibus, „quòd ſciam, fecerímque miranda per „neſcio quas artes, aut quorum mini„ſterio ſpirituum ſuſcitaverim mor„tuos, recuperaverim furta, prædixe„rim futura, oſtenderímque mirabilia, „quæ omnia conficta ſunt, & falſa, „nec in mea voluntate fuit unquam, „nec in poteſtate talium fatuitatum „operatio, vel oſtenſio. Neceſſarium „tamen ratus his obviare mendaciis, „brevem hîc mei defenſionẽ poſterita„ti relinquo: ne forſitan aliter de me fe„ratur opinio, quàm ſeſe veritas habet. „Sum enim fidelis Chriſtianus, in fide „nutritus Catholica: cum ſancta in om„nibus, quæ ſunt fidei, ſentiens Roma„na Eccleſia; ſum Presbyter & mona„chus, Miniſter JESU Chriſti; nulla „mihi commercia cum artibus malis,

Magiæ inſimulatur.

Ejus apologia.

„nulla

* Hac de re Feyjous Tom. III. diſc. 8.

** In Nepiacho apud Eccard Corp. Hiſt. med. ævi pag. 830.

„nulla cum dœmonibus unquam so-„cietas, seu pactio fuit. Deum in Trini-„tate personarum unum adoro, ipsum „timeo, ipsum colo, ad ejus partici-„pationem gloriæ venire post hanc vi-„tam cupio, spero, & confido. Si „quæ novi, si quæ scio, si quæ feci, „quæ non capientes mirantur, non „dœmonum sunt opera, sed naturæ, „sed industriæ, sed specularionis phi-„losophicæ. Qui enim facit, quod ne-„mo, mirantur omnes. Sed accipeatio „nem, ne plus quàm oportet, mireris. „Eo tempore, 1495. quo Maximilianus „Rex Romanorum, magnum illum, diu-„turnúmq; conventum Principum suo-„rum coadunavit in Vormacia, venit „ad me in Spanheim ex Francia, nomi-„ne meo excitatus, ut dicebar, *Libanius* „*Gallus*, vir in omni doctrina celebris „institutionis, & non minùs fide Chri-„stiana morúmque sanctitate, quàm „eruditione venerabilis. Hic aliquam-„diu cum *Pelagio* illo monacho, & He-„remita in insula Majorica conversa-„tus omnium librorum ejus, mortuo „illo, factus est hæres, & multa ab eo „didicit arcana in philosophia, in si-„de Christiana, de natura spirituum „bonorum & malorum, & de naturæ „mysteriis, & alia multa, quæ non „sunt passim vulgaria in scholis homi-„num istius tempestatis. Iste, inquam, „*Libanius*, vir certè undecunque do-„ctissimus, cernens mei dispositionem „animi, & indefessum studiorum affe-„ctum congaudens dicebat mihi: Tri-„themium quæsivi, & inveni, quem „Minerva suo est dignata cognomine „insigniri, dignúmque facere, quem „nihil debeat eorum latere, quæ nos „cum labore magno primùm à *Pelagio*, „ac deinde à *Joanne Pico Mirandulano* „Comite, aliísque multis per annos tri-„ginta capere potuimus. Incipiens „itaque, de majestate naturæ, de sa-„pientia occultisque philosophiæ mul-„ta disputavit, multa legit, multáque „interpretatus est, quæ mihi priùs „erant incognita: quorum principiis „utcunque intellectis primùm sapere „mihi visus sum, quæ sit differen-„tia inter *Magiam naturalem*, quæ do-„cet facere opera mirabilia, ut Picus „ait, mediantibus virtutibus naturali-„bus per applicationem earum ad in-„vicem, & ad sua passa naturalia, quam „nunquam damnavit Ecclesia: & il-„lam, quam spirituum malignorum „fieri cooperatione dubium non est: „sive *Necromantia* in mortuorum ca-„daveribus, sive *Piromantia*, sive dœ-„monum invocatione *Exorcistica*, sive „*Erotica*, seu quolibet alio nuncupetur „vocabulo: & hanc perniciosam pe-„stiferámque magiam cum omnibus „speciebus suis, quæ sunt *Necroman-„tia*, *Idromantia*, *Geomantia*, *Chiro-„mantia*, *Aruspicium*, *Augurium*, „*Auspicium*, *Pedomantia*, *Orincoman-„tia*, *Sortilegium*, *Eromantia*, *Male-„ficium*, cujus etiam multæ sunt spe-„cies. Omnes istæ dœmonum artes „ab Ecclesia sancta Catholica damna-„tæ sunt: & earum usus omnibus Chri-„stianis est interdictus, illicitus, ac „prohibitus; quanquàm Geomantia & „Chiromantia in parte, non in toto, „videantur à plerisque tolerandæ, ea-„rúmque temperatus usus nonnun-„quam pro exercitio, & recreatione „poriùs, quàm veritate plerisque est „non ubique dissimulandus. Præsti-„gium verò cùm sit multiplex, una „non poterit sententia comprehendi. „Est enim præstigium, quod fit arte „diabolica, & malignorum coopera-„tione spirituum: & hoc ab Ecclesia „sancta non est tolerandum. Est & „præstigium malæ & perversæ crude-„litatis: quod fit verbis, carminibus, „incantationibus, aut rebus per mo-„dum tamen superstitiosum & malum. „Est præstigium deceptionis, quo cir-„cumcelliones isti utuntur, quos vo-„cant joculatores, & hoc ipsum non „est unum, sed varium & multiplex. „Est ultimò *Præstigium naturale*, quod „solùm ad magiam pertinet naturalem: „quando per applicationem naturalis „virturis occultam mirandi producun-„tur effectus: quorum causas nesciunt, „qui mirantur. De omnibus magiæ „damnatæ prædictis speciebus multa „extant diversorum volumina, quæ „habere, & aliquando cùm necesse fue-„rit, pro reprobatione malarum artium „legere, sicut bonis doctisque viris & „castis mentibus non obest, ita indo-„ctis & carnalibus hominibus & habe-„re ea non licet, & legisse procul du-„bio nocet. Magiam autem natura-„lem, quam Picus Mirandula, neque „damnatam ab Ecclesia unquam fuis-„se, neque posse damnari scribit, mul-„ti Ecclesiastici, viri doctissimi, appro-„baverunt, & secuti sunt. Inter quos „magnus ille Albertus, vir suo tem-„pore celeberrimus atque doctissimus, „usque adeò Magiam nàturalem, id „est, sapientiam naturæ profectus „est, ut propter mirandam scientiam „naturalem occulrarum virtutum in „vulgi suspicionem venerit usque in „diem præsentem: homo fanè rectus, „pius, atque sanctissimus, qui damna-„tam

Libanius Trithemii Instructor.

Quæ sit differentia Magiæ naturalis à superstitiosa.

Varia superstitionis genera.

Quid sit Præstigiú naturale.

„tam illam ab Ecclesia magiam ut animæ pestem semper expugnare, explodere, & detestari consuevit. Est autem hoc vocabulum *Magia* Persicum, & Latinè dicitur sapientia : inde Magi dicuntur sapientes ; quales fuerunt illi tres viri, qui juxtà Evangelium, natum in carne Dei filium ab Oriente venientes in cunabulis adorârunt. Cum quibus *me philomagum appellari non pudet : quoniam amator sum sapientiæ divinæ, humanæ, ac naturalis.* Hæc est magia mea, quam sequor : alteram verò, quæ superstitiosa, diabolica, & ab Ecclesia sancta jure damnata, nulli fidelium est licita, execro, abhorreo, despicio penitus, cum suis autoribus condemno. Quisquis aliter de me sentit, quisquis alteriùs mihi crimen imponit, quisquis superstitiosum me, aut malis artibus deditum credit; injuriam mihi coram Deo & Angelis & Hominibus facit, contumeliam struit, mendacium dicit. Reliquum est, ut me consoletur conscientia mea, quæ horum se scelerum novit contagione innoxiam.„

Quid Magia naturalis.

Trithemius ejus cultor apprimè peritus.

Hæc Trithemius, cujus aliæ duæ epistolæ de Magia naturali scriptæ habentur. Prima data est ad Joannem, Comitem Westenburgicum *De tribus naturalibus Magiæ principiis, sine quibus nihil in ipsa ad effectum produci potest.* Altera exarata fuit ad Joachimum Marchionem & Electorem Brandeburgicum *De rebus convenientibus vero Mago.* Ex quibus liquidò apparet summum hunc virum in scrutinio naturæ non parùm desudâsse, ac complura sublimiorum adinventionum mysteria supra vulgi mediocritatem altiùs penetrâsse : ita enim ipse in suâ ad Westenburgium epistolâ : *Magiam me penitùs ignorare naturalem dicere non possum, per quam, quæ miranda fiunt, naturaliter fiunt.* Et rursùs ad Joachimum Brandeburgicum, *utinam!* infit, *locorum distantia inter nos brevior esset, advolarem protinùs, aperirémque profunda secretissimáque Magiæ naturalis, quæ aut neminem, aut paucissimos hodie scire & intelligere crediderim.* Similia occurrunt passim in aliis ejus epistolis, unde non immeritò *perfectissimus Magiæ naturalis, summúsque Philosophus* dicitur in subjectâ ejus Iconi epigraphâ ; Sed huc præsertim conferri merentur ea, quæ *Gaspar Schottus* S. J. Scriptor haud spernendus de eo rescribit in suis Mirabilibus Naturæ & artis, aliísque ejusdem commatis operibus.

An Trithemius fuerit Alchymiæ studiosus?

Eundem doctissimum Abbatem Alchymiæ fuisse & studiosum, & peritum, pluribus contendit argumentis V. C. *Oliverius Legipont* *, Benedictinus ad S. Martinum Coloniæ, in vitâ Trithemii, quam doctè & eruditè ab ipso conscriptam sequenti libro daturi sumus. Quamquàm ego in diversa sim sententia; neque enim id evincunt vel literæ *Cornelii Agrippæ*, quibus librum suum de occulta Philosophia Trithemii judicio & censuræ submisit; vel aliorum Alchymistarum testimonia, qui ut arti suæ existimationem concilient, præstantissimos quosque viros eidem operam dedisse jactitant ; nec libri chymici nomine *Trithemii* inscripti fidem faciunt, qui ut emptorem vocent, atque faciliùs cum lucro divendantur, eximii hujus Autoris nomine incrustantur; nec epistolæ, in quibus *Trithemius* elogia non pauca in Alchymiam contulisse dicitur, rem conficiunt. Quænam enim illæ Epistolæ? Certè non illa est **, quam Coloniâ ad *Rogerium Sycambrum* scripsit, in quâ inter alia : „ Si scire vis, „ inquit, quæ circa me aguntur, accipe paucis.... Cum Jacob de Mafeck Medico & Philosopho singularis eruditionis mihi bellum & continua decertatio est contra stultitiam, inanésque Alchymistarum spes, qui magna promittunt, cùm semper nihil habeant ipsi. „ Nec illa epistola *** est, quam ad Germanum de Ganay scripsit, his verbis eum admonens: „ Non acquiescas insipientissimis Alchymistis, quoniam fatui sunt, & simiarum discipuli, hostes naturæ, & cœlestium contemptores, sine quorum intelligibili cognatione nihil est Alchymia. „ Quis deinde credat, quòd doctissimus ille Abbas studium Alchymiæ vel in epistolis, vel aliis suis lucubrationibus ex animo commendet, cujus vanitatem pluribus allatis exemplis in Chronico Hirsaugiensi abundè ostendit ? Duorum Ordinis nostri Abbatum exempla huc spectant.

Bernardus Abbas in Northeim magno sui monasterii damno

Bernardus Abbas in Northeim, Saxoniæ oppido, nostri Ordinis simul & observantiæ regularis, moriens ante sex ferè annos (1481.) abhinc retrò, monasterium suum in decem nec minùs florenorum millibus obligatum ære alieno

* Temporis egestas spatium scholiis negavit: Id notâsse sufficiat, me nil aliud contendere, quàm Trithemium veram Chimiam, Magiámque naturalem calluisse & coluisse.
** Epist. Famil. 20. p. 454. *** Epist. 34. p. 472.

alieno dimisit; cujus gravaminis causa principalis & major, sicut certò cognovimus, Alchymia fuit: quamquàm non defuerint, qui debitum ab eo contractum ad 12000. omne taxaverint. Pluribus namque annis nec paucos in Alchymia operantes in suo monasterio secretè, postea manifestè habuit, quibus non modica impendit.

studet Alchymiæ.

Item Andreas Abbas Bamberg.

Andreas Montis Monachorum propè Bamberg. Abbas Ordinis & ipse memorati, à profanis Alchymiæ inquisitoribus in officinam vanitatis introductus, per annos quinque aut sex pro amore virgineæ meretricis Alchymiæ (quam ab origine orbis conditi plures habere cupientes semper intactam reliquerunt) non sine magna spe laboravit: verùm expositis tribus aut quatuor florenorum millibus, posteaquàm domina Alchymia suum non consentiret communicare amorem, præferens nuptiis novis suam antiquissimam imò perpetuam virginitatem, pedem Andreas retraxit, & comitante verecundia pudicum lupanar exivit.

His alisque exemplis, quæ, quòd ad alterius Ordinis homines attineant, silentio prætermitto, recitatis, exclamat Trithemius: „ Indulgeat tibi „ Deus ô mendacii confictor *Boville!* „ qui una in epistola tua ad Germa- „ num Ganay congallum tuum, & „ me Trithemium Abbatem tunc in „ Spanheim, mentitus es magum seu „ necromanticum, & è fratribus meis „ nonnullos Alchymiæ, vanitatibus „ intentos; in caput tuum, iterum „ dico, mentitus es bove rudior Bo- „ ville; quòd pravis concedis artibus, „ quod non intelligis, ars per natu- „ ram operatur. In animam juro „ meam, quòd magiæ superstitiosæ „ operam dedi nunquam, neque the- „ atrum Alchymiæ intravi, neque „ fratrum meorum aliquis intendit „ hisce vanitatibus. Si tempus mihi „ datum fuerit otii tanti, mendacia „ tua, in te Boville, scriptis refun- „ dam si quo minùs, ad Dei tribu- „ nal suo tempore citatum esse volo, „ injuriis responsurum. „ Quis ex his Trithemii verbis non intelligit, præclarissimum hunc Abbatem summi convitii loco duxisse, quòd Carolus Bovillus ipsum ejúsque monachos Alchymiæ studio deditos fuisse dixisset? Intelligebat nempe vir prudentissimus, artem hanc incertissimam, ne dicam cum multis, vanissimam omnino dedecere asceticæ vitæ cultores. Quòd si verò Cl. *Oliverius Legipont* * per Chemiam haud aliam artem intelligit, quàm quæ arcana naturæ omnis generis pervestigat, elementorum intima scrutatur, plantarum abdita profert in lucem, animalium texturas recognoscit, telluris opaca subit, ut pharmaca gratiora & subtiliora temperet, ut inspiciat, versétque omnia, & Creatorem in operibus suis admiretur, laudet, extollat, tunc *Trithemium* à Chemiâ non modò non aversum, sed eidem addictissimum fuisse concedo. Quòd si verò per Chemiam ars aurifactoria intelligatur, tum verò nullum ad eam vel addiscendam vel docendam studium à Tritbemio unquam fuisse collatum affirmatè pronuntio. Quo tempore Pius Nicolaus de Garelli, Protomedicus Caroli VI. Imp. Augustæ Bibliothecæ præfectus fuit, ad eandem vir nobilissimæ prosapiæ accessit, sibíque *Aurifodinam* Abbatis Trithemii exhiberi petiit. Cùm verò responsum tulisset, nullam Trithemii Aurifodinam adesse, non acquievit. Igitur alia die rediit, idémque Opus vehementiùs expetiit. Cujus rei cùm D. Præfectus certior redditus fuisset: *Dicite stulto*, inquiebat, *nullam unquam Aurifodinam Tritbemium lucubrâsse, sed opus esse fictitium, aut supposititium fœtum.* Et verò cujus stultitiæ est, aliis de Trithemio testantibus majorem adhibere fidem, quàm Trithemio ipsi, ac juratò quidem de se testimonium ferenti? In ejusdem Operum catalogo, ubi maxima minima cum cura recenset, nulla *Aurifodina*, vel similis de auro conficiendo lucubratio occurrit. Non ita desipuit Trithemius, ut in arte dudum à se explosa otio abuteretur. *Tempus profectò inutiliter transigunt*, inquit Mabillonius **, *quod nobis à Deo ad pœnitendum conceditur, nec non à proprio instituto longè recedunt, qui Chymiæ, Lapidi Philosophorum, Arti Raymundi Lulli, quæ merum est commentum, atque aliis ejusmodi scientiis incumbunt.*

Nec Trithemius nec ejus monachi Alchymiæ studio fuerunt dediti.

Trithemius non scripsit Aurifodinam.

Qui Lulli *lapidem quærit, quem quærere nulli Profuit, haud* Lullus, *sed mihi nullus erit.*

Optarem etiam majorem habere cognitionem de Benedictini cujusdam in An-

* Atqui hæc mea est opinio, quam fusiùs deductam videsis in vitâ Trithemii Parte III. hujus Hist. lit. Confer. Samuel Reyherus de numis Chimicis cap. 33. Feyjoò Tom. III. disc. 2. n. 31. ** Tract. de Stud. Mon.

Anglia Præsulis Alchymia, qui quòd auri conflandi non imperitus fuerit, vel certè quidem ejus artis gnarus ac intelligens haberi voluerit, dubium omne nobis adimit illius Testamentum, quod cùm paucis fortè nostrûm lectum fuerit, huc in medium afferam. Priùs verò quàm id faciam, advertendum est, leges & constitutiones Anglicanas circa Alchymiæ studia tantùm variare, quantum in nullo alio Europæ regno. Modò enim artem aurifactoriam publicè ac liberrimè exerceri permittunt, modò illam sub pœnâ capitis prohibent. Author etiam est Martinus Delrio *, olim in Anglia optimam viguisse legem, ne cui sine permissu Principis sub pœnâ capitis liceret Alchymiam exercere; quam legem, addit Delrio, expediret etiam alibi fieri. Cui tamen legi Henricus IV. aliam opposuit, quâ in universom Regni subditos constrinxit, ut auro conficiendo, & Lapidi Philosophico indagando operam navarent, quò regnum ære alieno oppressum liberarent. Adjecit etiam causam, ob quam Clerum, cui tamen à Joanne XXII.** sub pœnis gravissimis infamiæ atque carceris interdictum erat, in auro ex metallis producendo operam suam collocare voluit, nempe cùm *Presbyteri adeò felices essent, ut panem & vinum in corpus & sanguinem Christi converterent, eo faciliùs ab ipsis vile metallū in pretiosius conversum iri.* Quæ ratio etsi ficulnea, ac nullius sit momenti, colligere tamen exinde licet, quòd, cùm Reges haud ludi gratia leges atque edicta ferre soleant, egregiis speciminibus, quæ præsertim *Raymundus Lullus* sub Rege *Eduardo III.* dedisse fertur, Rex *Henricus* commotus in eam venerit opinionem, quòd ad artem aurifactoriam addiscendam nulli perspicacitas ingenii deesset. De Lullo siquidem asseverat Robertus Constantinus apud Conringium Lib. II. de Hermetica Medicina Cap. XV. *Hunc ego inquirendo comperio apud Anglos, re quidem vera præstitisse, quod suis libris profitetur: & in arce Londini, jussû Regis, probatissimum aurum confecisse: mihique genus nummi ostensum est, quod adhuc appellant Nobile Raymundi, auri scilicet puri & obryzi, summæque utilitatis.* Jam verò Raymundum Lullum *Cremerus*, Abbas Westmonasteriensis, ex Italia in Angliam adduxit, ab eóque artem aurifactoriam edoctus fuit, ut mox audiemus.

Anglicanæ Leges circa Chymiæ studium variant.

Testamentum Cremeri Abbatis Westmonasteriensis.

Cremeri notabile Testamentum.

„ALchymiæ hæc est perfectio, & veritas ratione perspicua vocabula „ omnia ipsius artis prætermittens, „ quòd hujus disciplinæ omnibus professoribus fuit impedimento non mediocri. Et ego hujus artis facultatísque veluti sectator studiosus „ mirandum in modum fui retardatus, re obscurè mihi in multis variísque codicibus explanata, quos „ legi, exercuíque suis per spatium „ triginta annorum instructionibus, ad „ meum magnum sumptum, detrimentúmque laboris mei. Quantoperè magis legi, tantò magis erravi, usque dum in Italiam divinâ „ providentiâ me contulerim, ubi, „ Deo Optimo Maximo visum fuerit, „ me in sodalitium unius viri non minùs dignitate, quàm omni genere „ eruditionis præditi, *Raymundi* nomine, destinare, in cujus sodalitate diu remoratus sum, sicque favorem in conspectu hujus boni viri „ nactus sum, quòd iste aliquam partem hujus tanti mysterii aperuerit: „ propterea illum multis precibus ita „ tractavi, quòd mecum in hanc Insulam veniret, mecúmque duos annos manserit. In cujus temporis „ tractu sum absolutivè totum opus „ consecutus. Posteaquàm hunc virum egregium in conspectum inclytissimi Regis *Edouardi* deduxi, à „ quo merita dignitate recipitur, & „ omni humanitate tractatur, ibique „ multis promissis, pactis, conditionibúsque à Rege inductus erat, contentus Regem promissione divinâ „ sua arte divitem facere. Hac solùm conditione, ut Rex in propriâ personâ adversùs Turcas, inimicos „ Dei, bellum gereret, imperétque „ super domum Domini, minimèque „ in superbia, aut bello gerendo adversùs Christianos: sed proh dolor! „ hoc promissum erat irritum à Rege „ violatúmque: tum ille vir pius in „ spiritibus penetralibúsque cordis sui „ afflictus hinc trans mare lamentabili miserabilíque more aufugit, „ quod cor meum urit non mediocriter, secúmque esse quotidie in corpore effiagito; nam ejus quotidianæ „vitæ

Quâ conditione Raym. Lullus aurum se facturum sposponderit.

* Disquis. Mag.

** Cap. *Spondent.* in Extrav. comm. lib. 5. de crimine falsi.

„ vitæ aspectus, morúmque integritas „ facilè obstinatos peccatores ad pœnitentiam deduceret. *Ego* (beatissime Raymunde) *pro te Deo Optimo Maximo preces effundam similitérque Fratres mei.*„

Mandatum Cremeri. Pòst verò quàm Abbas *Cremerus* aliqua præcepta ad aurum conficiendum necessaria tradidisset, subjungit: *Fratribus meis Charissimis in hac monasticali & professione, & vita, Alexandro, Richardo, quibus imperium do, ut hasce regulas in nomine beatissimæ Trinitatis descriptas observent, summâque diligentia & cura custodiant,*

„ Inprimis jubeo, ut hoc divinum „ opus nulli humanarum rerum avido, „ aut nequissimo facinore contaminato manifestent, aut alteri cuilibet, „ præterquàm Abbati & Priori, qui „ in hoc domicilio imposterum successerit, & hoc nec antequam quidem claves ærarii nostri sibi in custodiam committantur, túmque jusjurandum ex eis capies de sacrosanctissimis Evangelistis, ne patefaciant hoc mysterium potenti cuiquam aut nobilissimo viro, neque „ quibusvis inferioribus fratribus hujus domûs.

„ Præterea impero, ne quis vestrûm hoc opus excerceat in hac domo nostra, nisi in penuriam aut „ ruinam aliquam labatur, quod quidem impossibile fieri vobis & mihi „ videtur, propterea quòd tantum „ thesaurum (quod vos non latet) „ reliqui, proptereáque mandatum „ vobis do, quòd vos, qui in supremo dignitatis gradu in hac domo „ estis collocati, videlicet Abbas, „ Prior, gravissimíque seniores, ut „ aliquis vestrûm renovet hoc meum „ opus, exercitiúmque rescriptione, „ quotiescunque numerus sexaginta „ annorum finiatur; Nam illud hoc „ meum opus conservabit, ut quàm „ rectissime possit intelligi. Et quoniam ratio scribendi literas per characteres variatur; rescriptio de integro est via tutissima conservandi operis nostri, ut integrum & inviolatum successoribus nostris relinquatur.„

Est fictitium. De hoc *Cremeri*, Abbatis, ut ferunt Alchymistæ, Westmonasteriensis, testamento judicium penes lectorem esto. Quòd si vera *Cremerus* de arte sua aurifactoria prædicavit, locum inter *Adeptos* nancisci dignus est. Verùm, ne quid dissimulem, an ullus unquam *Cremerus* cum Abbatis potestate Westmonasterio præfectus fuerit, vehementer addubito. Optandum, ut catalogum hujus celeberrimi monasterii Abbatum in promptu haberemus; verùm nullum reperire licuit. *Dugdalus* & *Dodesworthus* in Monastico Anglicano de Westmonasterio agunt, sed nullum Abbatum catalogum texunt. *Joannis Flethi*, incertæ ætatis scriptoris, Annales Westmonasterienses exciderunt. *Joannis Darti* Historia & Antiquitates Abbatiæ & Templi S. Petri Westmonasterii equidem prodierunt Londini Tomis II. sed Opus Anglicano sermone conscriptum nec intelligo, nec in promptu habeo. Evolvit tamen illud in mei gratiam singulari illâ humanitate ac benevolentia, quâ omnes rei literariæ studiosos complecti solitus est, V. C. *Johannes Erhardus Kappius* Eloquentiæ in Academia Lipsiensi Professor Publ. Ord. & verè alter Saxoniæ Demosthenes, qui literis an. CIↃ IↃ-CCXLII. d. IX. Octobr. ad me datis hæc inseruit: *Quod ad Abbatem Westmonasteriensem* CREMERUM *attinet, quem Alchymistæ jactitant, is, uti rem acû tetigisti, est fictitius, & in catalogo Abbatum non occurrit...* His seriem Abbatum Westmonasteriensium subjicit *Kappius*, quam hoc loco integram sistere nimis prolixum foret; nec tanto opus est apparatu, quando dictis sua constat fides.

Mathæus Westmonasteriensis Chronicon sui monasterii scripsit, sed quod publici juris nunquam factum fuit. Fors etiam *Cremeri* Abbatis tempora non attigit. Si enim Cremerus (*ut in ejus Testamento legitur*) RAYMUNDUM LULLUM [*non illum seniorem in Majorica vitæ sanctimonia clarum, ut Olaus Borichius libro de Ortu & progressu Chemiæ contendit, sed juniorem, cognomento* NEOPHITUM, *Hebræorum Rabbinum, fictè ad Christiana sacra conversum, postea Religiosum cujusdam instituti, qui Luca Waddingo teste in Annalibus Minorum Tom. VI. ad annum 1315. num. 13. pag. 235. libros de Alchymia edidit.*] secum in Angliam adduxit, factum id esse oportuit, quo tempore Mathæus Westmonasteriensis jam devixerat, nempe sub Eduardo III [VI.] ut vult Cambdenus, cujus etiam in Testamento fit mentio, quique ab anno 1325. ad annum 1376. Angliæ sceptrum tenuit, vel sub Eduardo IV [VII.] ut Seldenus perhibet, sub hoc enim Rege in Anglia anno 1343. regni sui anno 17. primus ex-

Quo tempore vixerit Cremerus.

ex chymico auro nummus, seu moneta cusa fertur, quæ nomen tulit *Rose Noble, Nobilis Rosatus*, uti testatur Thomas Walsinghamus his verbis: *Hoc anno ad turrim Londoniarum jussit Rex florenos fieri, scilicet denarium, obulum, & quadrantem.* Et Henricus Knygthon ad an. 1344. *Eodem tempore Nobile, & Obolus & Ferthinus de auro cœperunt florere in regno.* Si autem *Cremerus* adeptus ille, ut vocant, eo tempore claruit, atque in Alchymia à Raymundo edoctus fuit, quid causæ habuit, ut ejus fugam deploraret? Cur ad patriam ære alieno levandam non ipsus etiam aurum confecit? An timuit, ne & illud Rex Eduardus in bellis contra Christianos gerendis malè collocaret? Cur Henricus IV. Eduardorum successor, subditos suos non ad Westmonasterium se conferre jussit, ut artem aurifactoriam ex relicto *Cremeri* Testamento addiscerent? Quò Manuscriptum hoc, pretiosum super aurum & topazion, & in cujus manus devenit? Num neglectim contra Cremeri ordinationem custoditum? num furto ablatum, vel à tineis & blattis corrosum fuit? Nugæ! quibus refellendis immorari, otióque abuti non libet. Quare non suspicari modò, sed pro certo habere fas sit, *Cremeri*, cujus nullum nomen in Catalogo Abbatum Westmonasteriensium habetur, Testamentum, uti cœtera multa, à nescio quo *Raymundi Neophyti* nepote, pro more id genus impostorum confictum fuisse. *

Alchymiæ Studium Monachis indignum.

Quidquid tamen ejus rei sit, mihi ad Alchymiæ studium monachos incumbere, res indigna semper visa est. Vel enim conficiendi auri studium cupiditas incendit, vel curiositas extimulat? Si prius: avaritia est, in hominibus paupertatis voto obstrictis minimè ferenda. Si posterius: non in laude, sed in vitio ponendum, quòd bonæ horæ in longè sanctioribus exercitiis & studiis collocandæ in vana usque adeò arte comburantur. Unde in Constitutionibus Congregationis Benedictino-Bavaricæ providè ordinatum fuit: *Nullus Alchymiam, Astrologiam judiciariam, aliásque periculosas aut prohibitas artes, & disciplinas addiscere, multò minùs docere, vel exercere audeat.*

eique præferendus labor manualis.

Quantum deinde, quámque probrosum scandalum, quòd qui Religiosi Statûs professione summam divitiarum contemptionem præferre deberent, nimiam suam erga illas propensionem Alchymiæ studio prodant, ac manifestent. Apud Majores Alchymiæ studium erat labor manuum, quô monachi vitam tolerare consueverant, aurúmque magis erogare, quàm conflare mos erat. Certè Divus *Benedictus* suo docuit exemplo, quâ arte nummi, si quibus opus foret, comparandi essent, non arte scilicet chymicâ, sed oratione ad Deum fusâ: queîs deinde impetratis non arcam flagellavit, sed in egestate ac inopia pressum erogavit. Superiore ætate Abbatum quispiam, cùm opes ab antecessore suo relictas, plerasque dilapidâsset, ad aurum conflandum, & thesauros effodiendos incubuit, sed spes corvum delusit hiantem. Non feliciorem navavit operam alius Alchymista Benedictinus, à viris Principibus, & quidem Ecclesiasticis evocatus, cujus quinam lapis philosophicus, quémque in modum casu inopinato non sine maximo fœtore effusus fuerit, non absque risu & facetiis ab ejus Sodalibus narrari audivi. Justo Dei judicio Religiosi, qui divites fieri, aut alios augere divitiis volunt, in laqueos ac tentationes diaboli incidere permittuntur. Aliorum duorum nostræ ætatis Abbatum duo exempla nemini laudata silentio prætermitto, atque ad utilius & amœnius studii genus propero.

* Vide Feyjoò Tom. III. Discursu 8. p. 157.

SECTIO V.

Historia Studii Mathematices.

Trivium & Quadrivium quid?

QUi de scholis veterum agunt, in aliis *Trivium*, in aliis *Quadrivium* traditum fuisse affirmant. Complectitur verò *Trivium* Grammaticam, Rhetoricam, & Logicam; quemadmodùm *Quadrivium* quatuor disciplinis mathematicis, Arithmetica, Geometria, Astronomia, & Musica absolvitur. Et quidem *Trivium* in antiquissimis scholis Benedictinis traditum fuisse, nemo ferè est, qui diffiteatur. An verò *Quadrivii* etiam ratio habita fuerit, non perinde apud omnes extra dubitationem positum

Posterius in scholis Benedictinis

tum

haud tra- tum est. Quid enim monachis cum ditum fu- mathematicis disciplinis, præsertim isse vide- astronomia, quæ, teste Mabillonio at- tur. que adeò ipsa experientia, nimium quantum *mentem distrahit, & liberam spiritui facultatem surripit ad iis vacandum, quæ sunt monasticæ conversationi magis consentanea?* Non igitur veri est simile, studium Matheseos in scholis Benedictinis fuisse excultum.

Contrariæ alii sunt opinionis. Quibus non obstantibus idonei haud desunt authores, qui prolixè contendunt, etiam mathematicas disciplinas, ceu sacræ Scripturæ ministras, à scholis Benedictinis minimè fuisse exclusas: „Singulæ namque, inquit V. „C. Thomas * Erhardus, illi velut po„tenti Reginæ vel ornamento sunt, vel „emolumento, & non rarò à cubiculis; „ut fores omnes ad sacræ Scripturæ „sensum oppessulatæ videantur, nisi „clavim porrigat Philosophia, Arith„metica, Geometria, Astronomia, „aliáve ex scientiarum choro saltem „mediocriter exculta Polihymnia re„conditorum secretorum penetrale re„pandere queat. Hinc *Turrecremata* „inter *Lectiones sanctas*, quas S. Bene„dictus libenter audiendas præcipit, „connumerat *Grammaticam, Logicam,* „*Rhetoricam*, quin, ut ipse ait **, *alias* „*artes, sive scientias ad intelligentiam* „sacræ Scripturæ conducentes, sive „manuducentes. Dictis fidem adstru„cturus subdit; *omnes enim*, inquiens, „*hujusmodi scientiæ ex ordine, & inten*„*tione S. Benedicti*, singulas ad sacra„rum Literarum profectum ordinantis, „*possunt dici sanctæ*, & si sensum S. Pa„tris ritè penetro, etiam debent. San„ctitatis namque sibi compendia factu„rus videbatur, si ipsemet artes libe„rales doceret, ac rapse (velut aliàs „vidimus) Professoris provinciam ca„pessere nil dubitavit. Porrò licet va„ria in sacra Regula deprehendere ve„stigia, quibus si arctiùs insistimus, du„cemur ad Mathematicam, videbimús„que S. Virum in ea excelluisse. De hac

S. Benedictus Matheseos peritus juxta nonnullos. „testimonium dicit Hæftenus. Cùm „enim, inquit, tunc ætatis nondum ho„rologii usus repertus esset, & S. Pa„ter ad normam sacræ Regulæ digna„tus sit ipsemet *horam Operis Dei nun*„*ciare*; illam nocturno tempore non„nisi ex siderum cursu adminiculante „astronomia deprehendere potuit. Vi„de, si placet, dignam lectu & visu „Hæfteni tabulam, in qua ad siderum „fidem ita Benedictina tempora dispen„sat, ut illa distinguere nemo facilè „possit, qui à Mathematica subsidium „repetere non didicerit. „ Hæc Clariss. Erhardus.

Mihi tamen, ut quæ animi mei sen- non arrisa de S. Benedicti Mathesi sint, non dis- det eosimulem, ista collectio: *S. Benedictus* rum opi*ipsemet dignatus est horam Operis Dei* nio. *nunciare, ergò mathematicam calluit*; ista, inquam, illatio, plus ingenii, argutiæ, ac subtilitatis, quàm nervi ac roboris habere videtur; aliàs enim inferre liceret: Quo tempore usus horologii nondum repertus erat, multi piissimi Abbates exemplo S. Benedicti hotam Operis Dei nunciare dignati fuetunt, ergò Mathematicam calluerunt. Quam dialecticam uti facilè nemo admittet, ita ut in Hæfteni atque Erhardi concedam sententiam, à me nullus, opinor, desiderabit. Ut nihil dicam de horologiis miræ artis, quæ Cassiodotus Senatot & juxtà Garetium monachus S. Benedicti, cujus tempore ætatem agebat, habuisse dicitur. De longè alterius atque sanctioris Astronomiæ studio narrare mihi videtur S. Grego- Sanctior rius Papa his verbis: *Cúmque vir Dei* S. Bened. *Benedictus quiescentibus adhuc fratribus,* cti Astro*instans vigiliis, nocturnæ orationis tem-* nomia. *pora prævenisset, ad fenestram stans, & Omnipotentem Deum deprecans; subitò intempestâ noctis horâ respiciens, vidit fusam lucem desuper, cunctas noctis tenebras effugâsse, tantóque splendore clarescere, ut diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiâsset. Mira autem res valdè in hac speculatione sequuta est, quia, sicut post ipse narravit: omnis etiam mundus, velut sub uno solis radio collectus, ante oculos ejus adductus est. Qui Venerabilis Pater, dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani Episcopi animam in sphæra ignea ab Angelis in cœlum deferri.* En Divi Benedicti astronomiam, quâ intempesta nocte oculos ad sidera ferebat, non ut stellarum observaret cursum, sed divinum Numen deprecaretur. Quo exemplo filiis sanctus Pater præluxit, ut quandoque nocturnæ orationis tempora præveniendo Deum vigiles exorarent. Et verò Acta Sanctorum Ordinis certos nos esse jubent, Abbates & monachos fuisse quàm plurimos, qui, dum alibi fratres necessariæ quieti adhuc indulgerent, abrupto somno in preces incubuerint. Quotusquisque verò est,

* Glor. S. B. lib. 2. part. 3. cap. 2. § 5. pag. 62.
** Tract. 41. in cap. IV. Reg.

de quo mentio occurrit, quòd siderum studio ductus vigilias confecerit? Nisi forte Aldhelmus sub annum 825. Castrensis Abbas in Gallia se commemorari velit. At enim hic à siderum speculatione, atque ab Astrologorum deliriis conversus est ad speculanda librorum sacrorum mysteria, ut ex his versibus * intelligitur.

Aldhelmus Abbas nuntium mittit Astrologiæ.

Quæ ventura forent, tentavit prodere Adelmus,
Astrorum vanis lusus imaginibus.
Ex libro Mosis vira secreta futura
Novit, & hoc sacro lumine vera videt.
Astrorúmque loco sunt illi vulnera Christi,
Non sunt majora his sidera vulneribus.

Astronomi Benedictini.

Neque tamen eâ causâ dixerim, nullos in familia nostra fuisse astronomiæ peritos. Certè in monte Casino ** Pandulphum Capuanum, Albericum Diaconum, Theophilum Senensem, aliósque complures eximios fuisse astronomos eorum Opera, quæ nobis manuscripta reliquerunt, testatum faciunt.

Erudiuntur disciplinis mathematicis.

In Anglia monachi Benedictini omni um primi in Mathesi à monachis Romanis, Theodoro & Adriano instituti fuerunt; nam ut apud Bedam Venerabilem, & ipsum, ut ejus Opera fidem faciunt, Mathematicum ætatis suæ longè doctissimum, legitur; Theodorus factus Archiepiscopus, qui floruit anno 670. & Adrianus ecclesiasticam disciplinam & metricam & astronomicam discipulis tradiderunt. Erant, inquit Pitseus ***, insuper in ista regione (Anglia) ea tempora, quæ nunquam prorsus vel ipsius Bedæ confessione, ex quo Brittanniam petierant Angli, habuère feliciora; dum *Theodorus*, Cantuariensis Archiepiscopus, *ex Tharso Ciliciæ natus, vir & seculari & divina literatura, & græcè instructus & latinè; & Adrianus natione Afer, sacris diligenter imbutus monasterialibus simul & ecclesiasticis disciplinis institutus, græcæ pariter & latinæ linguæ peritissimus, ambo à Vitaliano Papa rogatu Egbrechti Regis eò missi, congregata discipulorum caterva, scientiæ salutaris quotidie flumina, irrigandis eorum cordibus emanabant, ita ut etiam metricæ artis, arithmeticæ ecclesiasticæ, & astronomiæ disciplinam inter sacrorum apicum volumina suis auditoribus traderent, & de eorum discipulis essent, qui latinam græcámque linguam, æquè ut propriam, in qua nati erant, nôssent.*

Disciplinæ ma-

Notâstin' ex his Venerabilis Bedæ verbis τὸ *ecclesiasticæ*? Ut enim doctissimus Ludovicus Thomassinus advertit, Beda declarare voluit, humanas literas jam non humanas, sed ecclesiasticas dici debere, cùm ecclesiasticis famularentur & collaborarent. Igitur vox illa *Ecclesiasticæ* non Arithmeticæ modò, sed & Astronomiæ & Poësi aptanda est. Quippe Poëticam etiam Ecclesia hymnis & laudibus Creatoris sui dedicat, cogítque Astronomiam & Arithmeticam inservire annorum, festorúmque dierum & sacrarum solemnitatum computo.

thematicæ cur Ecclesiasticæ vocentur?

Compotus quid?

Nihil aliud verò *Compotus*, sive *Computus* erat atque notitia cursûs Lunæ, ac kalendarum, sive scientia certificandi tempus secundùm Solis & Lunæ progressum, ut Durandus ait lib. 8. cap. 1. Rational. Nempe nomen ductum à computando, quod necessarium sit computare Solis Lunæque cursum, annos, menses, ac dies, ut discantur Cycli, Decemnovenales, Epactæ, Bissextus, saltus Lunæ, Kalendæ, Idus, ac præcipuè Paschatis tempus, atque alia id genus, quæ omnia nunc Kalendarii appellatione communiùs significantur. In computi verò explicatione præter Rabanum Maurum, Walafridum Strabonem, Helpericum San-Gallensem, Abbonem Floriacensem, Marianum Scotum, Gerbertum Aquitanum, Hidulphum Hirsaugiensem, Pandulphum Casinensem, Adelardum Bathoniensem, aliósque complures Benedictinos, quorum Opera de Computo suo loco recensebimus, excelluit præprimis Venerabilis Beda, cujus non unum hac de re Opusculum inter ejus Opera occurrit. Studium etiam suum addixerat lucubrandis Opusculis astronomicis de argumentis Lunæ, de circulis sphæræ & polo, de Astrolabio &c. cùm non ignoraret, horum scientiam ecclesiastico computo deservire posse.

Mathematicæ Disciplinæ sunt Parerga non Ergon.

Atque hanc genuinam fuisse rationem, quòd Benedictinis ab ipsis Instituti primordiis Astronomiæ cæterisque disciplinis Mathematicis operam navare licuerit, ut credam, facilè in animum induco. Neutiquam verò à Thoma Erhardo, cujus verba paulò suprà adduxi, persuadeor, ideò hujus studii facultatem ipsis factam fuisse, quò faciliùs in adyta S. Scripturæ penetrare possent. Divus enim Legislator Benedictus inter ἔργον & πάρεργον S. Scripturæ optimè discernere novit.

Ergon

* Mabill. Annal. Tom. 2. p. 496. Acher. in Spicil. nov. edit. Tom. 3. p. 571.
** Vid. Pet. Diac. de Vir. ill. Casin.
*** De Scriptor. Eccles.

Ergon sunt divinorum dogmatum, & præceptorum moralium peritia. *Parerga* sunt, ex quibus hæc hominum erga Deum officia minimè pendent. Astronomia, cœteræque disciplinæ mathematicæ ad *Parerga* non ad *Ergon* spectant. Jam verò sanâ fide, ac perfectâ morum disciplinâ, non *Parergorum* scientiâ, quæ ad fidei ac morum integritatem nihil confert, alumnos suos D. Benedictus imbutos esse voluit: ideò *Parerga* in postremis habuit curis. Quod idem fecerunt S. Gregorius M., Venerabilis Beda, S. Paschasius Radbertus, B. Rabanus Maurus, aliique magno numero Benedictini, qui in sacris Literis exponendis res astronomicas ceu Parerga in suis Commentariis silentio planè præterierunt.

Studium Astrologiæ in monachis non probatur. Quid autem hîc de Astrologia judiciaria, quæ ex astrorum positu ac concursu de vita ac fortunis hominum decernit, mentionem injiciam, cujus studium quot jam dementes ac deliros fecerit, quis est, qui nesciat? Oliverio * Malmesburiensi in Anglia monacho Astrologorum ineptiæ non despectui tantùm, sed exitio etiam fuerunt. Is post humanioris literaturæ decursa studia, studiis se dedidit curiosis. Ex naturalium rerum causis effectus, qui naturæ transcendunt ordinem, deducere & concludere conabatur, de futuris contingentibus mira conjicere, multa prædicere, audacter præsumebat. Per Mathematicarum rerum scientiam, artem collegit, imò exercuit judiciariam. De quodam cometa sui temporis fertur suum judicium protulisse, & sententiam in hæc verba dixisse: *Venisti? venisti? multis matribus lugendum malum! Dudum te vidi, sed multò jam terribilius, Angliæ minans prorsus excidium.* Poëticis etiam fabulis occultam aliquam subesse suspicatus veritatem, multa, quæ Poëtæ scripta reliquerunt, experiri gestiebat, fictáne essent an facta. Nec ab his phantasticis destit imaginibus, donec, ut inquit ille, cœlum ipsum stultitia peteret. Manibus enim & pedibus aptavit arte Dædalea pennas, conscensóque celsissimæ turris fastigio, ut alter Icarus, avibus (sed infaustis avibus) similis *tentans per inane volatum*, corporis gravitate deficientibus pennis, ingeniosæ levitatis luit pœnas, emensóque, ut fertur, in aëre stadio, præceps cecidit, crura confregit, nec diu post infortunium supervixit, Britanniæ talem & tantam insipientiæ suæ notam relinquens, qualem & quantam Icarum Cretæ reliquisse Poëtæ comminiscuntur. Hæc, si vera tamen sunt, seculo XI. quo ætatem Oliverius egit, sub Angliæ Rege S. Edwardo Confessore contigerunt.

Alcuinus ex Britannia in Mathesi præceptor Caroli M. Ætate superior fuit Alcuinus, qui ex eadem Britanniæ insula in Franciam evocatus, Carolum M. cùm in aliis disciplinis, tum in Astronomia, qua peculiariter delectabatur, inprimis instituit. *Apud quem* (Alcuinum) inquit Eginhartus in vita Caroli, *Rhetoricæ & Dialecticæ, præcipuè tamen Astronomiæ ediscendæ, plurimùm & temporis & laboris impendit.* Regis verò, ut fieri amat, exemplo nobilissimi quique purpuratorum eidem Alcuino in mathematicis disciplinis se instruendos præbuerunt. Quos inter Helingaudus Comes, & Aulæ Caroli Præfectus, & Ercanbaldus Regis Cancellarius familiam duxerunt, qui, ** teste Quercetano, Eckharto creduntur authores multiplicium observationum Astronomicarum, quas non modò ipsi summa accuratione inspexerunt, sed & historiis consignatas ad posteros transmiserunt. Rabanus etiam Maurus ab Alcuino in omni genere Matheseos, in Arithmeticis, Geometricis, Astronomicis exercitus fuit, qui & ipse subinde Otfridum presbyterum & monachum Weissenburgensem in mathesi ita præclarè instituit, ut astrorum præsertim peritiâ excelleret.

Matheseos publici Professores Remigius & Hucbaldus. Post Alcuinum Remigius Autisiodorensis, & Hucbaldus Elnonensis cùm Parisiis, tum Remis, præcipuis ac florentissimis totius Galliæ civitatibus, Mathesin docuerunt, ad quos ceu publicos Professores, vel eorum successores, se contulit S. Abbo Floriacensis monachus, cùm in ætatis flore astronomiam addiscere cuperet, ut Aimoinus Floriacensis monachus in ejus vita testatur: *Quapropter Parisios atque Rhemos ad eos, qui philosophiam profitebantur, profectus aliquantulum quidem in astronomia, sed non quantum cupierat, apud eos profecit.* Aliud Aimoini testimonium de S. Abbonis mathesi in his verbis habemus: *Post elucidatos syllogismos, post exaratas computi calculationes, post Solis ac Lunæ viarum declaratas dimensiones, in divinas quoque animum intendit scripturas.* Abboni familiaris admodùm erat Bridfertus monachus Anglus cœnobii

* Pits. de ill. Angl. Scriptor. æt. xi. pag. 187.
** Rer. Franc. lib. 27. n. 40.

nobii Ramesiensis, ad quod Abbo ex Gallia missus fuerat, ut monachos literis excoleret. Bridfertus * enim inter aliam, quâ laudatissimus extitit, multiplicem eruditionem, in mathematicis etiam disciplinis non mediocrem habuit peritiam. Et videbatur esse inter eos acerrima quædam æmulatio, uter eorum in hac literaria palæstra alterum superaret; quæ causa fuit, ut uterque doctior, & in his scientiis accuratior evaderet.

Lupus Abbas de Cometis consulitur.

Lupus Abbas Ferrariensis, seculo IX. eruditionis ac doctrinæ fama clarissimus, quòd astrologiæ non imperitus fuerit, perspicuum fit ex ejus epistola ad Altwinum, monachum Fuldensem scripta. Hic ex Germania literas ad eum in Galliam dedit, quibus eum consuluit, quid ipsi de Cometis, qui tum temporis se conspiciendos præbebant, videretur? respondit Lupus. „De Cometis, qui visi „sunt, timendum potiùs, quam disserendum videtur. Et quia de his nil „usquam divina loquitur auctoritas, „id opinari, immò metuere possumus, quod Gentiles illis appatentibus usu „deprehenderunt. Hi portendere Co„metas pestilentiam, vel famem, vel „bella tradiderunt. Hinc Mantua„nus vates, morte Cæsaris ac bellis „civilibus imminentibus, inter alia, „quæ ponit monstra - - *Nec diri*, in„quit, *totiens arsêre Cometæ*. Jose„phus quoque prodit, priusquàm e„verteretur Hierusalem, fuisse stellam „in morem gladii per totum annum „super eandem urbem. Sed ut in spem aliquam adducamnt, clementi„ora experiendi, refert Pompejus Tro„gus, Mithritatis regis futuram excel„lentiam præmonstratam his verbis: „*Nam & eo, quo genitus est anno, &* „*eo, quo regnare primùm cœpit, stella Co-* „*metes per utrumque tempus septuagin-* „*ta diebus ita latuit, ut cœlum omne ful-* „*gurare videretur. Nam & magnitu-* „*dine sui quartam cœli partem occupave-* „*rat, & fulgoris sui radiis nitorem so-* „*lis vicerat, & cùm oriretur occumbe-* „*rétque, quatuor horarum spatium con-* „*sumebat.* Vidi ego præterea hoc A„prili post mediam fermè noctem, stel„lam quandam subobscuram; quæ „sub Leone posita, radium ad spicam „Virginis usque porrexerit. Quam „rem aliquot dies scrupulosè obser„vans, stellam eandem contempla„tus sum; sed radium deinceps non „vidi. Deinde ipsa quoque stella sub„lata est.„ Hujus responsi priora verba *Lupum* Abbatem in historia versatum, posteriora verò astronomiæ non imperitum probant.

Gerbertus insignis mathematicus.

Ex Gerberti etiam Floriacensis scholæ sua ætate celeberrimi magistri cùm epistolis tum libris satis intelligi potest, disciplinas mathematicas, aliásque egregias artes seculo decimo nequaquam adeò jacuisse incultas, ut quorumdam recentiorum scriptorum animo insedit. Ut enim de *Quadrivio* tantùm loquamut, Gerbertus epistola centesima tricesima secunda arithmeticæ regulas Remigium Trevirensem monachum edocet. Sed quid monachum testem laudo? Otto III. Romanorum Imperator literas ad Gerbertum humanissimè scriptas dedit, quibus ab eo in Arithmetica facultate instrui expetiit. Epistola de sphæræ constructione ad Constantinum Floriacensem Monachum exarata, atque à Mabillonio ** juris publici facta Gerberti in Astronomia peritiam extra omne ponit dubium. Alia epistola ad Bernardum Aureliacensem monachum datâ, *si quisquam vestrûm*, inquit, *curâ talium rerum permovetur, & in musica perdiscenda, & in his quæ sunt ex organis, quod per me adimplere nequeo, si cognovero certum velle Domini Abbatis Raymundi, cui omnia debeo, per Constantinum Floriacensem supplere curabo; est enim nobilis scholasticus, adprimè eruditus, mihíque in amicitia conjunctissimus.* Denique Epistola ad *Adelboldum* Episcopum Ultrajectenum scripta, libérque de Geometria in lucem editus, satis manifesto sunt indicio, quantopere arcana hujus artis percalluerit. Fortè non adeò multi vel nostro politissimo seculo de Geometria Gerberto elegantiùs, breviùs, & apertiùs commentati sunt. Fuit vetò *Gerbertus* cœnobii S. Geraldi apud Auriliacum monachus, à suo Abbate commissus Borello citerioris Hispaniæ Duci, ut in artibus erudiretur, atque ab eo Hattoni cuidam Episcopo traditus instituendi causa, apud quem plurimùm mathesi studuit. Quanti Gerberti eruditionem *Adelboldus* monachus & scholasticus Lobiensis, & ab anno 1008. Episcopus Ultrajectenus in rebus mathematicis fecerit, argumento est ejus libellus, quem de ratione inveniendi crassitudinem sphæ-

ræ

* Pitf. æt. 10. pag. 177.
** Epist. 20. pag mihi 41.
*** Analect. Tom. 2. pag. 112.

tæ ad illum scripsit. Cùm enim difficilior ei visus fuisset locus ille super somnium Scipionis, ubi ait, *compertum esse apud Geometras peritissimos, ut in duobus circulis, si diametrum unius duplum sit diametro alterius, ejus circuli crassitudo, cujus diametrum duplum sit, octupla sit crassitudini illius circuli, cujus subduplum est diametrum*, rem omnem ad Gerbertum deferendam censens: *in his omnibus*, inquit, *si erro, oro, ut ad viam veritatis reducar; si viam teneo, nihilominus peto, ut via, quæ me dubitantem tenet in tenebris, vestri assensus auctoritate illustrata reluceat.* Cùm igitur *Gerbertus* in mathematicis disciplinis insigniter eruditus esset, miris inventis non in admiratione modò, sed stuporem etiam rapuit omnes. Unde factum, ut complures rudi illa ætate præstigiis ea fieri opinarentur. Nec mirum, quòd mathematicis studiis plurimùm delectatus malè audierit, cùm Mathematici eodem loco atque Magi ab antiquis non rarò habiti sint. Unde *Tiberio imperante * facta de Mathematicis, Magisque Italia pellendis Senatusconsulta: quorum è numero L. Pituanius Saxo dejectus est.*

ob studium matheseos malè audit.

sed immeritò.

Sed illud planè non ferendum, quòd Martinus Polonus ** aliíque quidam etiam recentiores Bennonem schismaticum secuti, ineptè Gerbertum magiæ accusarunt; quam calumniam fatis refutant laudes, quibus eum exornârunt coævi Scriptores, & Sergius Papa IV. in epitaphio, quod ei composuit. Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo dum instauraretur basilica Lateranensis, in loculo marmoreo ejus corpus inventum est integrum cum vestibus pontificalibus; sed *** ubi primùm patuit aëris impressioni, omnia in pulverem redacta sunt præter crucem argenteam. *Gerbertus* itaque de Necromantia & aliis magicis artibus non aliam ob causam suspectus fuit, quàm quòd summa ejus in mathematicis disciplinis peritia & ingeniosa in novis horologiis & aliis machinis elaborandis industria opem requirere dœmonis videretur. „ Occasionem dedit, inquit Natalis „ Alexander ****, fingendi ipsum ma„ gicis artibus deditum fuisse, summa „ ejus in Mathematicis peritia, in no„ vis horologiis, aliísque machinis ex„ cogitandis, acerrimum ingenium, „ in perficiendis industria, quæ rudi „ seculo ineruditis hominibus absque „ familiari genio, & dœmonis ope „ fieri non posse videbantur. Rumo„ rem ineptum auxit summa ejus fe„ licitas, quòd facilè se insinuâsset in „ amicitiam Principum, quòd Archi„ episcopatus duos Galliæ & Italiæ pri„ marios obtinuisset, ac demum ad „ Sedem Pontificiam esset provectus. „ *Hæc vulgariter ficta* (ut Willelmi Malmesburiensis verbis utamur) *eò quòd soleat populus literatorum famam lædere, dicens, illum loqui cum dæmone, quem in aliquo viderit excellentem opere. Unde Boëtius in libro de Consolatione Philosophiæ queritur propter studium sapientiæ se de talibus notatum, quasi conscientiam suam sacrilegio polluisset ob ambitum dignitatis. Non conveniebat*, inquit, *vilissimorum me spirituum præsidia captare, quem tu in hanc excellentiam componebas, ut consimilem Deo faceres. Atqui hoc ipso videmur affines maleficio, quòd tuis imbuti disciplinis, tuis instituti moribus sumus.*

Secul. XI. plures è Benedictinis insignes Mathematici.

Claruerunt alii ex Ordine nostro insignes seculo XI. Mathematici: è quibus Constantinus Luxoviensis monachus eminuit, in cujus epitaphio ***** Gudinus auctor coævus exclamat: *Matheseos in doctrina quis valebit melius?* Odericus verò Vitalis ad annum 1059. de Rodulpho attestatur monacho, eum *in Astronomia nobiliter eruditum fuisse*. In Germania Marianus Scotus Coloniæ, Fuldæ, ac Moguntiæ Astronomiam & Arithmeticam docuit, eò quòd ecclesiasticis famularentur disciplinis. Unde, si prolixior esse vellem, multos veteres monachos, qui in *Quadrivio*, seu mathematicis quatuor scientiis, Arithmetica, Astronomia, Musica & Geometria, egregiè instituti fuerunt, enumerare possem; duos tamen, quos præ cœteris à Matheseos peritia Joannes Trithemius commendat, silentio involvere haud decet. Prior est B. Wilhelmus ****** Abbas Hirsaugiensis, qui patriâ Bavarus honestis parentibus erat ortus, quorum donatione puer in monasterio S. Emmetami Ratis-

S. Wilhelmus Abbas Hirsaug.

* Tacitus lib. 2. c. 22.

** Bulæus Hist. Univers. Tom. I. in Indice Scriptorum, voce *Gerbertus*; ubi Martinum Polonum refellit.

*** Lud. du Mesnil Discipl. & Doctr. Eccl. Tom. 4. lib. 43. p. 39.

**** Hist. Eccl. Sec. IX. & X. art. xvi. pag. 37. col. 1.

***** Apud Mabill. Analect. Tom. 3. pag. 539.

****** Chron. Hirsaug. ad an. 1069. pag. 220. edit. Sangall.

tisbonæ fuit oblatus, in quo cum tempore crevit non solùm corpore, sed etiam vitæ merito valde profecit, & tam in divinis scripturis, quàm in seculari Philosophia doctissimus evasit. A bonis præceptoribus optimè institutus, quidquid ad monachi consummationem pertinet, perfectè didicit, & omnes coætaneos eruditione scripturarum, & morum puritate facilè superavit. Nemo illum unquam vidit otiosum, nemo vanitatibus notavit intentum, lectioni & orationi semper fuit deditus, aut certè aliquo manuali exercitio per obedientiam occupatus. In omni genere scientiarum evasit doctissimus, & brevi tempore Præceptoribus altior factus, omnes artes, quas liberales vocant, penetravit. In Philosophia disputator acutissimus extitit; in Musica singularis eruditionis fuit, utpote qui cantus in laudem Sanctorum & plures & varios composuit. In Astronomia, Mathematica, & Arithemica quàm peritus fuerit, ejus volumina testantur; de his facultatibus multa lucubravit. Fuit verò, ut sancti Abbatis animum vix non aliquando subiret pœnitudo, quòd ad studium Astronomiæ vigilias suas contulerit; cùm enim quàm multi essent, qui ab ipso eàdem institui scientia expeterent, bonas horas, quas in rebus divinis meditandis collocabat, ipsi suffurabantur. Alii verò erant, qui *Monachis nihil liberalis scientiæ præsertim Quadrivii, licere asserebant.* Quæ res cùm magnæ ipsi esset molestiæ, ac non minimum afferret dolorem, supervenit vir magnæ prudentiæ, idémque amicus intimus, qui his cogitationibus defixo omnem exemit scrupulum, multis allatis rationum momentis, quibus & maligna loquentium refellebantur dicta, & sanctus Abbas in pristino Astronomiæ studio confirmabatur. Quo factum, ut illud in nomine ejus, qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat, resumpserit, ut ipse nos docet in epistola bene longa ad *Otochum* monachum scripta, quam alio loco exhibebimus.

Hermannus Contractus

Alter est * Hermannus Contractus, filius Comitis de Veringen in Suevia. Hic puer infirmus, debilis, & contractus, quia ad mundum videbatur inutilis, parentum consilio in monasterium S. Galli, Domino serviturus, perpetuò traditur, & Helperico scholarum Magistro imbuendus singulari fiducia commendatur. Qui cùm annorum esset XIV. claudus & contractus, & parùm propter ingenii tarditatem in literarum cognitione proficeret; cœpit ipse miseriam suam vehementer deplangere, & novercantem sibi fortunam accusare. Cernens autem Helpericus Præceptor juvenem duplici calamitate afflictum, & animo semper tristem: altera quòd corpore fuit contractus, altera verò, quòd ingenio discendi obtusus, ejus desolationi compassus monuit, quatenus se tota mentis devotione ad orationis studium converteret: ac pientissimam Dei Genitricem intactam semper Virginem MARIAM in adjutricem sedulò invocaret. Hermannus miserabilis sua conditione puer monitis libenter acquievit Magistri, formánsque sibi consuetudinem orandi congruam, sanctam Deiparentem devotis assiduè precibus invocavit. Et ecce, biennio necdum. plenè revoluto quadam nocte Beatam Dei Genitricem in somnis sibi apparentem vidit, quæ diceret: *Orationes tuas ô bone puer! audivi, & in auxilium tuum rogata adveni. Nunc ergo duorum tibi datur optio; quorum alterum, quod volueris elige: quod me præstante consequêris. Aut sanitatem tibi corporis tui, si volueris, dabo; aut omnium, quam postulas scientiam & eruditionem scripturarum.* Qui amore Scripturarum, neglecta corporis sui imbecillitate, scientiam sibi dari postulavit omnium Scripturarum. Ex illo tempore ingenium docile ac promptissimum habere cœpit: & brevì doctissimus in omni scientia tam divina, quàm humana præ cœteris condiscipulis evasit. Et qui priùs propter ingenii traditatem, aut nihil aut parùm discere potuit, post hanc visionem omnes subtilitate & promptitudine animi superavit. Nam inter omnes Germaniæ Doctores sui temporis Philosophus, Rhetor, Astronomus, Poëta, Musicus, & Theologus celeberrimus habitus est: & multa præclara Synthemata scripsit, etiam mathematica, suo loco recensenda. Hic est Hermannus ille, qui dulcisonam de Beatissima Virgine MARIA composuit Antiphonam: *Salve Regina, Mater misericordiæ.* Et illam: *Alma Redemptoris Mater.* Illam quoque: *O florens Rosa!* Et prosam illam, sive sequentiam; *Ave præclara maris stella.* Ut enim Promotrici & Illuminatrici suæ Beatissimæ Virgini MARIÆ gratum se ac

edit opera mathematica.

* Trith. l. c. ad an. MV. pag. 148.

ac dignum posset exhibere ministrum, multos in ejus honorem Cantus & Prosas composuit: quas dulci & regulari modulamine decoravit. Valde námque fervidus in ejus veneratione extitit: per cujus meritum tam inæstimabile scientiæ donum à Domino accepit. Tantâ etiam ingenii dexteritate de *Astrolabio* scripsit, ut à multis ipsius Astrolabii inventor haberetur. Hæc verbatim Trithemius; cujus equidem verbis fidem præstamus, nisi quòd abnuamus, *B. Hermannum Contractum* fuisse monachum S. Galli, atque operam Hilperico dedisse; cujus nostri dissensûs causam alio loco reddemus.

Studiis mathematicis monachi excoluntur. Cœterùm Trithemius mathematicarum cultum disciplinarum in monasteriis Benedictinis antiquitùs viguisse, scitè nobis in Chronico Hirsaugiensi ad an. 890. his verbis expinxit: *Erat his temporibus in monasteriis nostri Ordinis consuetudo celeberrima, ut scholæ monachorum in singulis penè cœnobiis haberentur, quibus non seculares homines, sed monachi moribus & eruditione præficiebantur nominatissimi; qui non solùm in divinis scripturis docti essent; verùm etiam Mathematica, Astronomia, Arithmetica, Geometria, Musica, Rhetorica, Poësi, & in cæteris omnibus secularis literaturæ scientiis eruditissimi haberentur.* Hæc ille, in quibus subsistimus; Nec enim per singula monasteria, in quibus præsertim viguêre hujusmodi studia, excurrere vacat.

Disciplinæ mathematicæ non minùs difficiles quàm amœnæ. Ut verò proniori alveo ad reliquos mathematicarum disciplinarum cultores nostra decurrat oratio, notandum earum studia non plures amœnitate atque curiositate sua invitâsse, quàm difficultate deterruisse. Quis acie ingenii magis valuit, atque *Petrus Abælardus*? Erat is seculi XII. Philosophorum in Galliâ princeps, cùm verò ad disciplinas mathematicas addiscendas animum adjunxisset, non minimum difficultatis est passus. In Codice Emmeramensi, ex quo Librum *Scito te ipsum*, clarissimus Bernardus Pezius eruit, hæc de ipso memoriæ produntur. „Petrus, qui *Abælardus* à plerisque *Bajolardus* dicitur --- primùm Grammaticæ & Dialecticæ, hinc Divinitati operam dedit. Sed cùm esset inæstimandæ subtilitatis, inauditæ memoriæ, capacitatis supra humanum modum, auditor aliquando Magistri Roscii cœpit eum cum festucatione quadam sensuûm illius audire. Attamen imperavit sibi, ut per annum lectionibus ipsius interesset. Mox ergo socios habere, & Parisiis palàm Dialecticæ atque Divinitatis lectiones dare cœpit, & facilè omnes Franciæ Magistros in brevi superavit. Qui cùm de Quadruvio nihil audisset, clam Magistro Tirrico in quasdam Mathematicas lectiones aures dabat, in quibus suprà quàm æstimaret, obtentû difficultatis, intellectus resiliebat audientis. Cui semel afflicto & indignanti per jocum Magister Tirricus ait, quid canis plenus nisi lardum *bajare* consuevit? Bajare autem lingere est. Exinde *Bajolardus* appellari cœpit. Quod nomen tanquam ex defectu quodam sibi impositum cùm abdicaret, sub literaturâ non dissimili *Habelardum* se nominari fecit, quasi qui haberet artium scilicet summam & lardum.„

Matheseos studium monachis incongruum. Cùm igitur Matheseos studium non arduum modò ac difficile sit, sed inde etiam monachi nimiùm distrahantur, & libera spiritui facultas surripiatur ad iis vacandum, quæ sunt monasticæ conversationi consentanea, Mabillonius rectè * existimat, incongruum ipsis esse hoc studium. Rursus tempus, quod superest post exercitia communia, satis non esset ad explendam cupiditatem majora semper indagandi in istis scientiarum generibus. Præterea multa ad hoc instrumenta non sine magnis sumptibus requiruntur, pluráque fieri debent experimenta, queis valde distorquentur animi, ac proinde Ascetas minimè decent. Proderit nihilominùs Geometriæ saltem principia haud ignorare, & quatuor præcipuas Arithmeticæ regulas; reliqua verò monachis non videntur adeò necessaria.

Ex parte tamen etiam necessarii. Ex alia tamen parte Matheseos studium Benedictinis in Germania necessarium videtur, cùm non in Universitate modò Salisburgensi, sed in aliis etiam Lycæis munus Professoris sustineant, ac juventutem secularem, maximè illustrem in disciplinis mathematicis instituendam suscipiant. Unde etiam non sine laude ac nominis sui celebritate complures Mathesin docuerunt, quorum nomina in Historia Universitatis Salisburgensis recensentur.

Insignes Mathematici: Joannes Hoöfius, *Joannes Hoöfius*, Abbas Faucensis in Suevia

* Tract. de Stud. Mon. Part. 2. c. 9. n. 4. p. mihi 163.

Suevia, anno 1458. electus cùm Astronomiam calleret, sub ejus regimine monachi doctrinâ, præsertim in fidetum scientia plurimùm claruerunt, è quibus Gallus Knortinger doctrinâ & pietate cœteris excelluisse proditur. Mentionem etiam facit Bruschius * de

Georgius Adamus. *Georgio Adamo* monasterii S. Michaëlis Bambergæ extra muros Abbate, quòd fuerit eximiè doctus in sacris & profanis Literis, morum item honestate & integritate conspicuus: Mathematum studiosus investigator, & Solanorum, omnísque generis HorologiorumCompositor ingeniosissimus. Obiit 1549. *Nicolai Elenbogii* monachi Ottoburani, quasdam epistolas manuscriptas inter reculas suas adservare scribit *Schelhornius* **, quæ egregium hunc Virum in Astronomia haud mediocriter versatum fuisse evincunt. Alius *Nicolaus*

Nicolaus de Donis. Ellenbogio antiquior, cognomento *de Donis*, æternâ nominis famâ sub medium seculi XV. in Germania claruit. Erat is *** monachus Richenbachensis, Congregationis novæ Bursfeldensis, divinarum Scipturarum non ignarus, & Græcè atq; Latinè insigniter doctus, Philosophus, Mathematicus, & Cosmographus nulli suo tempore fecundus. Cùm sua igitur vigilantia Ptolomæi tabulas cosmographicas multis ante seculis deperditas reperisset, sagacitate suâ ita eas instauravit, & admirando opere cum picturis, & novis tabulis elegantissimè ordinato sic diligenter correxit, ut novi operis potiùs compositor, quàm reparator existimetur. Quod in septem partes seu libros divisum Paulo II. Pontifici Maximo dedicavit. Secutis inde temporibus in iisdem disciplinis celebres enituerunt, *Wilhelmus Birckman* cognomento *Krabben* S. Martini Coloniæ professus, Maximiliano Henrico Coloniensium Archiepiscopo in paucis charus, & *Joannes Caramuel*, qui varia de Mathesi vetere & nova edidit opuscula. Inter recentiores veneratur Germania *Ottonem Aicher* ad S.Vitum in Bavaria professum; *Marianum Schott* Einsidlensem; *Edmundum Egg* Garstensem; *Anselmum Desing* Ensdorfiensem; *Corbinianum Thomas* Elchingensem; *Udalricum Weis* Ursinensem, & alios tum in Universitate Salisburgensi, tum in Lycæis domesticis Mathematicarum artium Professores, editis variis de hoc argumento Opusculis nominatissimos. Sed hîc maximè commendari merentur *Ephemerides Ecclesiasticæ, Astronomicæ, Ethicæ, Politicæ, Cosmographicæ*, quæ quotannis Salisburgi prodeunt; ubi plura ad Mathesin spectantia comperias.

Itali Benedictini aliis præcellunt. Præ Germanis tamen Itali Benedictini longè maiori studio, animíque ardore ad Mathematicas disciplinas seu capessendas, seu aliis tradendas incubuerunt, hodiéque magna nominis sui existimatione incumbunt. Quod tantò confidentiùs dico, quantò illustria magis hujus rei exempla in promptu sunt, quæ in medium adducam. *Theophilus Martius* monachus **** Casinas,

Theophilus Martius. in optimis scientiis, Mathesi præsertim ita profecit, ut *suis temporibus in nostra Congregatione*, inquit Placidus Petruccius, *mirabilis haberetur*. Pervulgatâ verò famâ singularis, profundæque ejus doctrinæ in Mathematicis disciplinis Gregorius XIII. Pont. Max. cum Romam accersivit, ut Reformationi Kalendarii unà cum aliis eruditissimis ex toto orbe accitis Viris insudaret, qui acerrimo judicio tem tractandam cùm suscepisset, non folùm

novam Kalendarii reformationem conficit. novam Kalendarii reformationem absolutissimè confecit; verùm etiam omnia incommoda, quæ ex reformatione ab aliis pariter proposita tractu temporis oriri poterant, indicavit, & validissimis rationibus ostendit. *Hieronymus Ruscelli* *****

Hieron. Ruscelli. Astrologiâ & Astronomiam, Mathesin quoque, Arithmeticam, Cosmographiam, Musicam, Architectonicam, Algebram adeò percalluit, ut easdem scientias præclaris ingenii sui inventis plurimùm illustravit. Varia siquidem, eáque nova & hactenùs inusitata instrumenta pro Mathematicis disciplinis excogitavit & perfecit, regulásque ad eorundem usum conscripsit. *Valerianus de Franchis* ******

Valerianus de Franchis. quàm excellenti Mathematicæ facultatis præditus fuerit peritiâ, satis ostendebat structura monasterii & Ecclesiæ ad S.Nicolaum de Arenis, per totam nedum Siciliam, sed Italiam quoque celleberrima, & ab omnibus plurimùm commendata, & non sine admiratione conspecta, quam Valerianus ad exactissimæ ac pulcherrimæ Architectonices leges disposuit, & ordinavit, quæ tamen anno 1693. die 11. Jan. maximo ac tremendo per totam Insu-

* Mon. Germ. Chronol. pag. 91.
** Lit. Amœn. Tom. XIV. p. 412.
*** Trithem. in Chron. Hirsaug. & Bucel. Annal. Ben. ad an. 1468.
**** Armell. l. c. part. 2. pag. 194.
***** l. c. pag. 221.
****** Armell. l. c. part. 1.

Insulam terræ motu penitus corruit, unà cum aliis ferè omnibus ejusdem civitatis ædificiis, miserando utique casu; nam præter opus adeò insigne solo æquatum, etiam triginta novem monachi, dum divinas laudes canerent, illis in ruinis mortem ac sepulchrum eodem temporis momento invenêre; sed quid hoc cum civium strage, quæ in Urbis excidio contigit? Nunc autem tam cœnobium, quàm civitas maxima ex parte est restituta, in pristinum illum splendorem, ac magnificentiam, si fieri poterit, aliquando surrectura. *Benedictus Castelli* * peracutum, quod à natura obtinuit ingenium, sub celeberrimi Galilæi disciplinâ feliciter excoluit, eò sanè profectu, ut inter primarios ejus seculi Mathematicos sit numeratus; & Mathematicam ipsam scientiam novis præclarisque inventis illustraverit, præsertim decurrentium aquarum mensuras primus omnium deprebendens, ac Geometricè demonstrans; quam sanè ingenii perspicaciam, ac solertiam, secretioris Philosophiæ dogmata, aliarúmque facultatum præsidia, mirè adjuvabant. Itaque in Pisana Universitate, Ferdinando II. Magno Hetruriæ Duce exposcente (cujus ipse *Castellus* Præceptor olim fuerat) tredecim prorsùs annos Mathesin publicè docuit; deinde in Romana, quæ *Sapientia* vocatur, jussu Urbani VIII. Pont. Max. sexdecim integros annos, ab anno scilicet 1628. usque ad annum 1644. quo ibidem obiit, eandem disciplinam explicavit. Sed & Florentiæ annos quinque potiori parti nobilium Adolescentium, ipsíque Principi *Laurentio de Medicis* Mathematices præcepta anteà tradiderat. Romæ verò Taddæum Principem Barberinum scientiâ eâdem instituit, prosperam ubique insuetæ virtutis opinionem ab omnibus obtinens. Non solùm autem Theoriâ, sed etiam ipso actu & praxi ostendit, quantùm hac facultate præstaret. Cùm enim Trasimeni lacûs emissarium à Braccio Fortebraccio olim constructum, ævi diuturnitate, ingenti Perusini agri pernicie, tunc dejectum esset, feliciter Benedictus illud reparavit, in antiqua litora coërcito lacu; quod etiam Baccanensi lacui præstitit. Ejus proinde lucubrationes avidè ab omnibus expetebantur, utpote quæ fœcundissimi ejus ingenii aliquid semper novi proferrent. Ex ejus schola plures viri percelebres re-

Benedictus Castelli

docet in celeberrimis Academ.

conditæque doctrinæ in rebus Mathematicis prodière; quos inter præ cœteris laudantur Evangelista Torricelli, & Bonaventura Cavallieri ex Ordine nunc extincto Jesuatorum; publicus posteà in Bononiensi civitate Mathematicus. Ipse celeberrimus Galilæus in suis Epistolis impressis plurimùm laudat Castellum, ac eidem adscribit inventionem videndi in papyro maculas solis, tubo optico ad illum inverso. Vivere desiit *Castellus* Romæ anno 1644. cujus effigies Florentiæ in celeberrimo Magni Ducis Museo visitur, depicta inter præcipuorum Mathematicorum imagines propè Galilæum. *Alderannus Desiderius* Vir sanè ut vitæ integritate, ac morum candore venerabilis, ita peracuto, ac perspicaci pollens ingenio, quo rerum Mathematicarum, Astronomiæ præsertim, Geometriæ, & Aritbmetices intelligentiam non exiguam est assequutus, quarum artium præsidio plura admiranda, & curiosa effecit. Clemens XI. quòd virum in Astronomicis egregiè doctum famâ accepisset, Alderannum Romam accersere statuerat, ut in reformationem, seu correctionem Kalendarii unà cum aliis doctissimis viris ab ipso Pontifice ad id opus selectis incumberet. Obstitit quidem nimis provecta Alderanni ætas, affectáque valetudo, ne Romam proficisceretur; at non defuit ipse, quò minùs æquissimo Pontificis, ut poterat, votis satisfaceret: scripto nimirùm libello de *Cyclis solaribus*, *& Literis Dominicalibus*, qui jussu ejusdem supremi Antistitis Virorum in hisce rebus præstantissimorum trutinâ expensus, probatúsque publicam aspexit lucem, eò quidem eventu, ut periculum omne, quod ex diffidentia Epactarum à Noviluniis imminere videbatur, penitus sustulerit: nam Methonis & Sosigenis regulis usus, deprebensóque & emendato circa Epactas & Novilunia errore, novísque exhibitis tabulis temporariis, incommodis omnibus, providè occurrit. *Seraphinus Casulanus* ** quanta rerum Mathematicarum, præsertim Architectonices, polleret peritia, clariora nusquam indicia patefecit, quàm quo tempore Abbas Senensis Architectis modum ostendit facillimum elevandi à terra supra altissimam publici palatii turrim, quam Senenses *Del Mangia* dicunt, maximam æneam campanam, quæ diu in terra jacuerat, cùm nullus anteà rationem eam sublevandi,

Alderannus Desiderius.

Tt 3 suprá-

* Armell. l. c. part. 1. ** Idem part. 2. pag. 170.

supráque turrim collocandi invenire potuisset.

At verò Sciagraphiam duntaxat scribenti * *Ægidius Sarniculus, Angelus Centurioni, Angelus Pajolus, Basilius Paradisi, Cæsar Gotho, Cyprianus Benaglia, Cyrinus de Sanctis, Innocentius Novariensis, Jo. Andreas Astezati, Josephus Guffantius, Josephus Porta, Laurentius Gazinus, Odoardus de Tonsis, Paulus Andreas Gualterius, Paulus Racchi, Tibertus de Tibertis, Valerianus Deganus* aliíque plures Itali Benedictini Mathematicis disciplinis insignes prætermittendi sunt, qui vel singuli, nisi copia obstaret, satis amplam ad dicendum materiam suppeditare possunt.

Ang. Maria Quirinus

Angeli tamen *Mariæ Quirini*, S.R.E. Cardinalis, virtute & doctrina Eminentissimi, verba, quibus studii sui ardorem, quo ad Geometriæ studium olim in prurientis flore ætatis excolendum ferebatur, silentio involvere nolim. Sic verò loquitur **: „Auctus Perusii in Comitiis totius Congregationis „Casinensis à Generali Definitorio Le„ctoris SS. Theologiæ & sacrorum Ca„nonum munere, privatis tamē studiis „incumbere non destiti, inter quæ lo„cum etiam invenerunt Euclidis Ele„menta. Extat mea in Bibliotheca ho„rum Volumen, ubi quot folia impres„sa, totidem alba eo tempore per indu„striam meam compacta visuntur, at„que in alteris hisce novæ quædam Eu„clidis Demonstrationes, ad Algoritha„mi scilicet leges exactæ, meóque ca„lamo descriptæ comparent. Ad ma„nus tunc habebam, ut Mathematicen „primoribus saltem labiis degustarem, „librum Patris *Lamy De la Grandeur en* „*general* inscriptum, ex eóque volupe „mihi erat plura decerpere, quæ viam „præbere mihi videbantur ad expedi„tiùs demonstrandas Euclideas Propo„sitiones, quàm factum fuisset à cele„berrimo isto Geometrarum Principe. „Quare alba ea folia literulis quibus„dam juxtà Algebræ methodum di„stinxi, quas nimirùm ex se solis ido„neas putavi eam ipsam parere De„monstrationem, quam prolixiori ver„borum circuitu Euclides in medium „attulerat. Dum studio illi ferventiùs „vacarem, incidi in Propositionem 21. „lib. VII. Euclidis, eámque haud qua„quam contentus nova ea methodo „comprobare, eò præterea auda„ciæ processi, ut traditam ab Eu„clide ejus Propositionis Demonstra„tionem ceu mancam, & imperfe„ctam redarguerim. Juvenili meo in„genio adeò præclarum visum est faci„nus istud, ut Epistola data ad præ„stantissimum Mathematicum Floren„tiæ tunc agentem, Guidonem Gran„dium, ipsum quodammodò provo„caverim ad tuendas Euclidis sui par„tes, quod tamen fieri posse pernega„bam. Rem istam testatur ejusdem „Grandii responsum ante decem, & „ampliùs annos in hac Urbe impres„sum, curante P. Fortunato à Brixia „Min. Ref. doctrinarum hujuscemodi „peritissimo, qui causam meam fovere „humaniter suscepit eo libello, quo „in medium protulit Animadversiones „meas in memoratam illam Propositio„nem, & insuper Demonstrationum „Algebricarum specimen depromptum „ex Euclidis Elementorum exemplari, „quod ad id Operis artificiosè com„pingendum curaveram, ut jam indi„cavi. At P. Grandius responso illo suo „comendavit quidem amorem, quem „erga Mathematicas facultates conce„peram, monuit tamen unà simul, ut „Euclidi earundem Principi laudem „illam relinquerem, quâ per tot sæcu„la apud omnes Mathematicos Scri„ptores constantissimè fruebatur, *quod scilicet absque o[illegible]ii penitus erroris, seu paralogismi nota Elementa sua conscripserit.* Datæ visuntur eæ Grandii literæ VIII. kal. Octobr. anni 1704.

Euclidis Propositionem impugnat.

Ejus partes tuetur alius vir doctus.

Monetur à P. Grandio.

Italis Benedictinis eâ causâ annumerari gestit *Ludovicus Maynerius* ***, Aquisextiis in Gallia Narbonensi nobili Familia natus, quòd quo tempore Lirinense cœnobium Congregationi Casinensi adhuc unitum fuit, ipse solennibus votis se Numini in eo obligaverit. Fuit verò in Mathematicis disciplinis adeò versatus, ut plures annos superiore seculo Parisiis degens Regios Galliarum Principes erudiverit.

Ludovicus Maynerius.

Quis verò ille fuerit Benedictinus, qui alium in somno instrumenta ad Opticam pertinentia conficere edocuit, non facilè divinaverim. Rem oppidò miram memoriæ prodidit Cl. P. Carolus Meichelbeck in Historia suâ Frisingensi. *Noverint multi*, inquit, *qui hæc lecturi sunt, vix alibi locorum perfectiora conspicilia, tubósque opticos fabrefieri, quàm hîc Frisingæ, ex quâ urbe etiam in remotissimas regiones expeti solent magno, imò tanto numero, ut sæpè*

* de his vid. eundem Armell. Bibl. Casin.
** Commentar. vitæ part. 1. pag. 24.
*** Armel. l. c. part. 2. p. 88.

sæpè multorum desideriis satisfieri non possit. Quanam sanè ratione hoc singulare artificium Frisingensis quidam artifex doctus fuerit, modò narrabimus. Cùm Reverendissimus ac Serenissimus Ordinarius noster *Albertus Sigismundus* ex Serenissima Domo Bavarica natus circa annum Christi 1676. animi causa ad varia superioris Bojoariæ monasteria sese contulisset, in famulitio suo ex more habuit *Christianum Mur*, Opticum suum, quem ceu virum miri ingenii semper inter famulos primæ admissionis numerabat. In eo itinere cùm sua Serenitas delata esset ad celeberrimum nostrum monasterium Andecense, ibique pernoctâsset, contigit, ut prædicto D. Christiano Mur in somno se præberet conspicuum Monachus quidam Benedictinus, qui eum idiomate Germanico - Belgico allocutus, illud disertè edocuit, quod is jam à multis annis nequicquam proficientibus speculationibus assequi statuerat, nempe artem præparandi instrumenta, ad tubos opticos expeditè atque scitissimè conficiendos opportunissima. Id totum cùm satis percepisset Christianus, videri desiit monachus: ipse verò expergefactus propè se dormientem venatorem Georgium Empacher è somno excitavit, eúmque rogavit, ut, cùm è strato surrecturi essent, se admoneret Belgæ monachi. Et factâ commonitione uterque rursus dormiit. Cùm ecce Belga monachus iterùm Christiano spectabilis adstitit, totúmque, quod jam antehac exposuerat, ordine repetiit, ansámque dedit, ut quæ minùs expeditè Christianus fortè fuisset assecutus, sibi clariùs explicari posceret: quod etiam monachus libenter præstitit, ac rursùs disparuit: ejus autem instructio vivæ Christiani memoriæ tenacissimè inhæsit.

Christianus Mur Opticus excellens.

Somnium non somnium.

Domum posteà reversus *Christianus* statim manum admovit operi, experturus, num re ipsa vera essent, quæ sibi in somno monachus exposuisset? Et ecce! omnia succesśere ad vota: asseveravítque deinceps sæpissimè *Christianus*, utì etiam aliæ personæ eidem conjunctissimæ, filia scilicet *Barbara*, & gener *Joannes Steer*, impossibile sibi videri modum præparandi instrumenta ad tubos opticos exactissimè perficiendos æquè apta atque utilia: Et hinc pro ea arte quasi divinitùs sibi revelata, ac augendis rebus domesticis, & sublevandis pauperibus summè proficua, gratias infinitas Deo, tum ipse dominus *Christianus* ac filia retulerunt, & superstes hodiéque D. *Joannes Steer* ipse refert: qui rem totam propria manu ante biennium exactè conscripsit, scriptúmque suâ manu ac sigillô firmavit: cui etiam uxor Barbara (quæ tum adhuc in vivis erat) autographum suum apposuit. Eam fidelissimam descriptionem etiamnùm præ manibus habemus, dignámque omninò censuimus, quæ Frisingensi Historiæ inseratur, maximè quia auctis deinceps virorum illorum fortunis Frisingense Orphanotrophium primordia sua sumpsit. *Hactenùs Historiographus Frisingensis.*

Comparatio studiorū nostri temporis cum antiquis.

Ego verò, nisi scirem, comparationem omnem, ut vetus habet parœmia, esse odiosam, ad calcem hujus historiæ studia nostra in non paucis Germaniæ monasteriis cum Majorum nostrorum studiis in comparatione conjungere nullus dubitarem. Illi non tantùm Trivium & Quadrivium decurrerunt, id est, non in Grammatica tantùm, Rhetorica, & Logica, sed in Mathematicis etiam disciplinis, Arithmetica, Geometria, Astronomia, & Musica cum cura instituti fuerunt. Nos quid post Grammaticam, Rhetoricam, & Logicam summis degustatas labris, addiscere jubemur? circa quæ occupamur? quæ ventilanda nobis proponimus? vultis dicam, in Physicæ non experimentalis, sed speculativæ quæstionibus, sæpè frivolis ac inutilibus defixi, ad nullam ferè mathematicam disciplinam addiscendam pedem promovemus, ita ut in Arithmetica & Geometria, disciplinis necessariis, ut de Astronomia & Musica nihil dicam, planè simus hospites ac peregrini. Quantoperè igitur supra nos plerosque, quibus tantoperè studia nostra hodie placent, Majores nostri non virtute tantùm, sed doctrina etiam eminuerint, Hypsæâ cœcior est, qui non pervideat. De Mathematicis, ne longiùs ab argumento recedam, ita disserit *Ludovicus Vives* Libro V. de causis corruptarū Artium; *Hæ artes*, inquit, *quæ ad usum pertinent, versæ ad contemplationem usu remoto longissimè, sunt ad ea jam evectæ, quorum nullus est fructus, sed tantùm sterilis quædam speculatio & inquisitio infinita; & sicut hujusmodi disciplinarum initia, legitimíque progressus juvant animos, acuunt, oblectant; sic magna & assidua exercitia carnificinæ sunt generosarum mentium & terriculamenta debilium.* Sed porrò ad pulpitum Cantores!

SECTIO

SECTIO VI.

De Musices inter Benedictinos Cultu.

Quid sit Musica, & quæ ejus præstantia.

GEometriæ, Arithmeticæ & Poësi plurimum debet *Musica*, quæ sonos moderatur, affectus incutit, incussos mulcet, animósque penè quo vult abripit. Eam Boëtius dicit esse *facultatem differentias acutorum & gravium sonorum sensu & ratione perpendentem.* Ratione, inquit, quia in Musicis non omne judicium sensui, cùm variè hic possit impediri, sed partim attribuendum est intellectui, qui receptis à sensu speciebus, etiam aliqualiter impeditis, ex ipsis conclusiones necessarias deducit, mediante nimirum auditu, sine quo nulla esse potest de modulamine solida dissertatio. Disciplinam hanc velut *planè divinam, donúmque eximium à Deo mortalibus concessum* celebrant ejus cultores. In tanta etiam veneratione apud veteres fuit, ut non crederetur esse doctus, qui illam nesciret. Gloriabantur de hujus Artis peritiâ Principes, Milites, Philosophi, Monachi, immò teste Calepino, *Musicæ appellatione prisci humanitatem literarum significabant, in qua ingenuos homines docebant otium contemnere, animúmque recreare.* De eo quod in Musica divinum est, præclarè *Jamblicus* libro de Mysteriis Ægyptiorum sect. 3. cap. 9. philosophatur. Esse in sonis aliquid Sacr. ex eo arguimus, quòd ad illorum contemperationem, mirabilem sanè & mysteriis plenam, totius universi mensuram veteres Philosophi inierint; quos ubi numeris suis Poëta scitè illigaverit, ad orphica penè miracula patranda aptos dixeris. De illius præstantiâ Cassiodorus, *gratissima*, inquit, *utilisque nimis Musicæ cognitio, quæ & sensum nostrum ad superna erigit, & modulatione permulcet.* Hinc in primitiva Ecclesia nihil usitatius, *quàm in psalterio & cythara, in tympano, chordis, & organo laudare Deum.* Ejus verò nominis etymon nobis graphicè exhibet Owenus hoc epigrammate:

Optima Musarum est, reliquis idcirco negatum
Artibus, à Musis Musica nomen habet.

Ejus in Ordine Benedictino origines.

Sunt autem nonnulli, qui ab ipso Ss.mo P. BENEDICTO Musices historiam in Ordine nostro repetunt. Hunc enim in utero materno cum sorore *Scholastica* non germanâ tantùm, sed gemellâ etiam, cecinisse ferunt. Quid verò prodigiosius iste cantus nisi præludium erat, quo *Benedictus* & *Scholastica* cùm Monachis, tum Monialibus sub signis suis olim congregandis, suavissimè præcinuerunt? At enim hæc hujusmodi nullô scriptore veteri, nullô teste, nullô antiquitatis monumento prolato, faciliùs dicuntur, quàm creduntur. Nescio etiam, quàm firmô nitantur talô, quæ Constantinus Cajetanus in Notis * ad vitam Gelasii II. memoriæ posteritatíque prodidit. Duas namque præcipuas Romæ Cantorum scholas, alteram propè Lateranum, alteram ad Vaticanum ab Hormisda Pontifice, promotore sanctissimô Patre Benedictô institutas fuisse asseverat. Ejus verba subjicio. „Quod ad scholas Cantorum Romanas pertinet, non fuère illæ ex his officinis, vel domibus, in quibus nostrâ hac ætate per clamores & strepitus pueri docentur Musicam. Nihil reverâ minutum, nihil humile, sed altissimum quiddam hîc cogitandum est; arcanum ingens sub rudibus, veteribúsque verbis illis latet. Videamus, an rem obscuram, aliis hucusque imperviam, possimus, acû tangere. Quanta sit Ecclesiæ Catholicæ Romanæ in Divinis Officiis celebrandis majestas, ipsis oculis intuemur quotidie, atque admiramur. Nec est, cur ego illam modò coner describere, solùm interrogo: quis tantam in Ecclesias induxit Divinorum Officiorum, & sacrorum Rituûm dignitatem? Aperiam.

Quid C. Cajetanus de duabus Cantorum scholis tradat?

„Pontifices Romani, qui S. P. N. Beoedicti seculum præcesserunt, vel continuis exagitati persecutionibus tyrannorum, in antris & montibus latitârunt, si de remotioribus loquamur: vel si de vicinioribus à Sylvestro in Hormisdam, quamquàm in pace, tamen propter Ethnicorum, & Barbarorum Regum multitudinem, sævitiam, & persecutionem, contra Circenses, Lupercales, Theatrales, aliósque profanos ritus, contra immanem Principum

Pontifices ante S. Benedicti tempora cantum ecclesiasticum ad perfectionem non adduxerunt.

* Et in alio Opusculo, quod Dominicus Gravina c. 12. congeminat, vocis turt. allegat, & exscribit.

„ cipum tyrannidem dimicandum fuit „ Pontificibus Romanis, ut magnum „ fuerit, & difficilis aleæ Ecclesiæ „ rectam aleam tueri; non autem ca„veverit majestatem illius in Divinis „ Officiis ampliari, vel sacris studiis „ ordinatè erudiri. Et plane non eo „ usque Ecclesia produxerat Pomœria „ sua, non eatenus Paganismum de„vicerat, ut in ipsâ Urbe, Religionis „ Arce, non gemuerit, multos Gen„tilium erroribus detentos fuisse. „ Clarissimum hoc est ex historiis Ec„clesiasticis, & nos de his plura in „ Commentariis *de Præstantia Religi*„*onis Benedictinæ*.

„Divinas igitur laudes, & literarum „ studia, hi sanctissimi Pontifices, „ injuriis temporum coacti, non eâ, „ quâ par esset, cantabant, vel in „ Academiis sistebant; donec Omni„potentis Dei fulmen & tonitru Be„nedictus Hormisdæ Pontifici Maxi„mo inclamavit, ut intrepidè mini„stros in Ecclesiâ collocaret, sacris „ præditos literis, qui diu noctúque „ aptè dignéque ad Altaria, Hymnos, „ Psalmos, & Cantica Conditori ac „ Redemptori nostro, invitis quibus„cúnque terrenis, aut infernis pote„statibus personarent: se, suósque „ illicò huic muneri obtulit devotus. „ Consilio & voto Magni Patriarchæ „ Benedicti annuit Hormisda, statim „ Monachis in Basilicas Romanas in„troductis (Anastasio inprimis S. R. E. „ Cardinali Bibliothecario teste) *Cle*„*rum composuit, & Psalmis erudivit*. „ Et ut deinceps eruditur, scholas „ Cantorum, alteram propè Latera„num, propè Vaticanum alteram „ erexit. Scholas, inquam, ubi à „ sapientissimis monachis Clerici Ba„silicani, itidem monachi, modum „ componendi, & enunciandi Divi„nas laudes, temporibus, officiis, at„que festivitatibus Christi, Sancto„rúmque per annum recurrentibus „ aptas, concinnatásque edoceren„tur, instituit. Unde vir ille eru„ditissimus Jovianus Pontanus de S. „ Benedicto in ejus Hymno:

Quod suggeren-te S. Benedicto fecerunt.

Primus & hic Italæ posuit sacraria Genti,
Et clausit sacros mœnia in una choros.

Hæc Constantinus Cajetanus rei Benedictinæ admirator ac laudator mirificus, aliquandò magnificator nimius. Quid si negem, D. Benedictum à suo in eremum secessû unquam Romam rediisse, è quibus veterum monumentis id Cajetanus probabit? Si hoc non potest, quantò magis in afferendis deficiet argumentis, quòd coràm ac præsens Papæ Hormisdæ cantûs ecclesiastici instituendi autor extiterit. Utcunque verò res se habeat, certum illud atque extra controversiam, quòd scholas Cantorum Divus Gregorius noster, cognomento Magnus, ita foverit, ampliârit, reformâritque, ut à Johanne Diacono Auctor earum appelletur. Cujus etiam verba subjicere me non pigeat *. „Deinde in Do„mo Domini, more sapientissimi Salo„monis, propter musicæ compun„ctionem dulcedinis, Antiphonarium „ concentum studiosissimus nimis uti„liter compilavit: scholam quoque „ Cantorum, quæ hactenus eisdem „ institutionibus, in sanctâ Romanâ „ Ecclesia modulatur, constituit: „ eique cum nonnullis prædiis duo „ habitacula, scilicet alterum sub gra„dibus basilicæ Beati Petri Apostoli, „ alterum verò sub Lateranensis Pa„triarchii domibus fabricavit: ubi „ usque hodie lectus ejus, in quò re„cubans modulabatur, & flagellum „ ipsius, quo pueris minabatur, venera„tione congruâ cum authentico Anti„phonario reservatur, quæ videlicet „ loca per præcepti feriem sub interpo„sitione anathematis ob ministerii quo„tidiani utrobique gratiam divisit.„

S. Gregorius Mag. scholas Cantorū instituit.

A Divi Gregorii obitu in Apostolorum Principis ecclesiâ munere Archicantoris fungebatur Johannes monasterii ad S. Martinum Abbas, quod Basilicæ S. Petri proximum id temporis erat. Hunc sanctissimus ille ** in Angliâ Præsul *Benedictus*, cognomento *Biscopus*, cùm Romam iter instituisset, in reditu secum in patriam adduxit, quò & monachos suos, & Anglos omnes cantum Romanum, cœterásque res ecclesiasticas edoceret: quod Johannes non solùm in Wiremothensi Biscopi monasterio, sed & in aliis penè omnibus ejusdem provinciæ fecit. Quâ ratione factum, ut Angli monachi leges musicas edocti, eas & ipsi aliis oretenus traderent, & scriptis consignarent. Præcipui fuerunt Heddius, Venerabilis Beda, & Flaccus Albinus, sive Alcuinus. Et Heddius *** quidem cùm Musicæ & can-

Joannes Abbas Archicantor

adducitur in Angliam.

* Lib. 2. cap. 6. in vit. S. Greg.
** Mabill. Annal. Ben. Tom. I. pag. 545.
*** Cav. in Hist. Eccl. ad an. 720.

Benedictinos cantare docet.

cantionis ecclesiasticæ admodùm peritus esset, à Wilfrido Archiepiscopo Eboracensi in Northumbrorum regnum evocatus est, ut provinciales Musicæ ad id tempus ignaros doceret. Venerabilis Beda Opus de Musica Theorica & Practica in usum eam addiscere cupientium conscripsit, quod inter ejus Opera etiamnum extat. Idem præstitit Alcuinus, sed ejus liber de Musica inter ejus Opera deperdita habetur.

Cantus tam vocalis, quàm instrumentalis in divinis officiis.

Veteres tamen Angliæ Monachos ex id genus libris non minimum profecisse, mihi argumento est, quòd subinde Alfredus in Glastoniensi educatus monasterio, atque inde ex Abbate Malmesburiensi Episcopus Cridiensis in Westsexia Devonia Angliæ cantum tam vocalem, quàm instrumentalem libenter inter Missarum solennia, & alia officia divina adhibuerit. Laudans Deum in chordis & organo, & in cymbalis bene sonantibus. Cuthbertus Venerabilis Bedæ discipulus, ac postea Girwensis Monasterii Abbas in epistola ad Lullum Archiepiscopum Moguntinum S. Bonifacii successorem sibi ab eo citharœdum mitti his verbis efflagitat: *Delectat me quoque citharistam habere, qui possit citharisare, quam nos appellamus rotæ, quia citharam habeo, & artificem non habeo. Si grave non sit, & istum quoque meæ dispositioni mitte. Obsecro ut hanc meam rogationem ne despicias, & risioni non deputes.* Nicolaus Serrarius, qui Bonifacianas Epistolas (inter quas Cuthberti est 89.) notis illustravit, Cur? inquit, citharistam sibi mitti postulat? Nam *Enervant animos cantus citharæque lyræque.* An ut David? Aleman apud Plutarchum in Lycurgo: *Ferro præponderat egregiè fidibus canere.* An verò S. Lullus Cuthbertum voti damnaverit, citharœdum ex Germania in Angliam transmittendo, incompertum habeo; illud verò me non præterit, quòd in Concilio Cloveshoviensi per ea tempora, nimirum anno 747. celebrato decretum fuerit, ut ex monasteriis citharistæ, aliique fidicines expellerentur. Nec immeritò: Si enim Cœnobia, ut S. Paschasius Radbertus dicere solebat, sunt *Domus luctûs*, quid in eis faciunt Citharœdi, Lyricines, Aulœdi, & id genus plures Musici? Ejicite ergo ex *Domo Luctûs* fidicines, frangite barbiton, cymbala, tubas &c.

Expetitur ab Abbate Citharœdus

Citharistæ, & id genus Musici.

Præcentoris officium in monasteriis

Nolim verò hæc intelligi de *Præcentoribus*, quorum officium in Angliæ monasteriis honorificum, non nisi præcellentioribus viris conferri solebat *. Nam *Præcentoris* erat, saltem diebus solemnioribus, Psalmos & Antiphonas inchoare, & intonare, & omni tempore quid cuique cantandum, aliis præscribere, divinum officium ordinare, & disponere, Rubricarum sensum in dubiis explicare, Hymnos, Sequentias, Lectiones ex historiis Sanctorum ad usum chori, & divinum obsequium componere, & similia præstare, quæ non nisi per virum eruditum fieri poterant. Ita in Ecclesia cathedrali monasterii Dunelmensis Præcentor erat Simeon, primariis Angliæ Historicis meritò annumerandus; in Ecclesia cathedrali monasterii Cantuariensis Joannes Thannatensis, vir pius, eruditus, & mathematicarum scientiarum peritissimus; in Ecclesia cathedrali monasterii Wintoniensis Wolstanus, non mediocris doctrinæ & eruditionis cœnobita; in præpotenti S. Albani monasterio Thomas Walsinghamus Chronographus insignis; in monasterio Malmesburiensi Wilhelmus Somerset Bibliothecarius & Historiographus celeberrimi nominis & famæ. Omitto plures in medium adducere, cùm hi pauci pro testibus satis idonei haberi possint, neminem Monachorum in Anglia extitisse, cui partes Præcentoris demandatæ fuerint, nisi qui eruditione ac doctrinâ præstaret: Quod hodie in non paucis monasteriis multò fit aliter; in quibus, qui unus omnium optimè cantat, citharam pulsat, fidibus ludit, sæpe illiteratissimus habetur.

Præcentores docti in Angliæ monasteriis.

In Gallicanas Ecclesias cùm Cantus Romanus seculo VIII. fuisset inductus, Pippini Regis haud dubiè rogatû ex Urbe missus ad Remigium episcopum Rotomagensem *Simeon* Secundicerius cantorum, qui monachos ejus diœcesis Romanum cantum edoceret. Verùm mortuo *Georgio* Primicerio cantorum, revocatus à Paulo, Summo Pontifice, rem imperfectam reliquit. Unde Remigius quosdam è suis monachos Romam misit, ut à Romanis Cantoribus perfectè eruditi, reversi ad suos Romanam modulationem cœteris traderent. Horum testis est epistola quadragesima tertia codicis Carolini ad Pippinum Regem, apud quem Paulus excusat, quòd Simeonem revocare coactus sit, aitque se

Benedictini in Gallia cantum Romanum addiscunt.

* Pits. de Illust. Script. Angl. æt. 14. in *Thieredo Deverio* p. 510.

se dedisse operam, ut Monachi à Remedio, seu Remigio, fratre suo, missi in Romanâ modulatione accuratè erudirentur *. Sic itaque cantus Romanus in has partes, sublato Gallicano, inductus est per Monachos Remigii Episcopi: *quod factum ob unanimitatem Apostolicæ Sedis, & Sanctæ Dei Ecclesiæ pacificam concordiam*, tradit Carolus Magnus in Capitulari Aquisgranensi.

Postea idem Carolus animadvertens cantûs modos in diversis Galliæ ecclesiis discordare, duos Clericos Leoni Papæ direxit, in schola Romana instruendos, quorum alterum apud se retinuit, alterum filio suo Drogoni, Episcopo Metensi assignavit: cujus Drogonis industriâ ejusmodi cantus per totam Franciam in tantum propagatus fuit, ut Metensis subinde appellatus sit. Unde Amalarius non semel meminit Antiphonarii Metensis, in exemplum cœterorum; ad cujus normam etiam Sancti-Gallense conformatum est. Rem fusiùs explicat Ekkehardus Monachus, aitque Carolum Magnum, cùm cisalpinas Ecclesias à Romanâ in cantu multùm dissonare animadverteret, ab Hadriano Papa secundò petiisse, ut Romani cantûs peritos mitteret in Franciam: missos proin ad ejus petitionem Petrum & Romanum, in cantû Romano, & in liberalibus disciplinis versatissimos, Metensem Ecclesiam primùm adituros: At Romanum ad Cumanum lacum febre correptum, ad sanctum Gallum declinavisse, ac secum Antiphonarium renitente Petro, attulisse, ibíque Caroli jussû perquàm libenter remansisse, ibidémq; instrumentum quoddam, quod Cantarium vocant, ad Antiphonarii authentici amussim reliquisse, ad cujus inspectionem Antiphonaria facilè corrigi possent; ac primum esse, qui literas alphabeti notulis cantus apposuerit, quas postea Notkerus Balbulus petenti amico explicavit, ut mox dicturi sumus, mentione priùs facta de *Hugbaldo* & *Humbaldo*, monachis rei musicæ peritissimis in cœnobiô Elnonensi, quod vix quatuor à civitate Tornacensi milliaribus dissitum est. Uterque Caroli Calvi temporibus sub annum 858. claruit. Et prior quidem librum de arte musica, & cantus multorum Sanctorum, dulci & regulari melodia concinnavit, teste Sigeberto ** de Script. Eccl. In hoc autem libro sic contemperare studuit chordas monochordi literis Alphabeti, ut posset quis per eas sine magisterio alterius discere ignotum sibi cantum. Alter de S. Davide, Rege quondam Hebræorum, & aliis multis cum Christo regnantibus in cœlo, cantus regulari atque dulcissimâ modulatione plures composuit, ut à Trithemio in Chronico Hirsaugiensi *** edocemur. Nunc ad Notkerum Balbulum doctrina & vitæ sanctimonia conspicuum.

Quem etiam San-Gallenses edocentur. *Hugbaldus & Humbaldus rei musicæ peritissimi Monachi.*

Cùm literarum Alphabeti usus, quas Romanus ille Notis in cantu adjecerat, sub finem seculi noni jam obsoletus esset, Lantbertus S. Galli monachus earum significationem ex Notkero interrogavit; ad quam quæstionem ille respondit. Extant verò illæ explicationes in Annalium Benedictinorum Tomo IV. appendice pag. 688. Præterea Notkerum modulandi ritum in Ecclesia correxisse ad melodias moris Romani, & Gregorii Magni antiphonarium, Ekkehardus junior, Decanus S. Galli apud Goldastum & Canisium testatur. Deinde cap. 16. ait, eum socios docuisse disciplinam Angelicam in *jubilis Sequentiarum* agendam, probatis Nicolao I. Pontifici Maximo. Hosce verò Jubilos, seu Sequentias modulatas ad distinctionem Metensium *Frigdoras* aut *Occidentanas* appellare consueverat: quas & inter SS. Mysteria toties olim repetebat Ecclesia.

In Monasterio San-Gallensi præ cœteris in arte Musicâ eminuêre Notkerus Balbulus,

Notkeri latus utì jam pridem in schola, ita & nunc claudat B. Tutilo, Monachus San-Gallensis. Erat is insignis Musicus voce clarâ & dulci, sed in omni genere fidium & instrumentorum & fistularùm præ omnibus: nam & filios nobilium in loco ab Abbate destinato fidibus edocuit. Sed inter hæc omnia, quod præ aliis est, in choro strenuus, in latebris erat lacrymosus, versus & melodias facere prærpotens. Ea autem, quæ dictaverat, singularis & agnoscibilis melodiæ sunt, quia per psalterium seu rotam, in quâ potentior ipse erat, neumata inventa sunt dulciora, ut apparet in tropis: *Hodie cantandus*, & *Omnium virtutum gemmis.* -- Quos quidem tropos Carolo Crasso obtulit canendos ad *Offerendam*, seu ut in Rituali Romano vocatur

Tutilo,

* Vid. Mabill. Annal. Tom. 2. ad an. Chr. 758. p. 184.
** Cap. 108. *** Ad an. 858.

catur, *Offertorium*, scilicet *Viri Galilæi*, quam ipse fecerat. Hanc etiam Rex *Offerendam* cùm dictâsset, Tutiloni misit, & versus addere injunxit. At ille apposuit: *Quoniam Dominus Jesus Christus cùm esset omnipotens genitor, fons, & origo*, cum sequentibus; *Gaudete & cantate*. Alia etiam plura ad invicem conscripserunt: sed ista proposuimus, ut quia dispar ejus melodia sit cœteris, si Musicus es, nôris. Ita Ekkehardus in vita B.Notkeri cap. IV. ubi etiam refert, quanto honore alius ejusdem B. Notkeri discipulus, Monachus etiam San-Gallensis, coram Rege & Imperatore cumulatus fuerit. Ejus verba hæc sunt: „Agente Imperatore Cunrado pascha apud Moguntinam Civitatem, S. Galli monacho scholas inibi regente & procurante etiam Cantoris officium, ut solitum est, in medio chori imponens [sive ut nunc loquimur *, *Intonans*, i.e. prima Officii verba cantando præiens] crebrò coronatus & infulatus, adornatúsque pretiosissimis indumentis: cúmque manum ille ad modulos Sequentiæ pangendos ritè levâsset; tres Episcopi, hominis quondam discipuli, Imperatori suo in throno proximi: Ibimus, ajunt, domine Rex, & magistrum in eo, quod ipse nos docuit, juvabimus. Illo hoc gratum fore dicente, descendentes vestiti Pontificalibus sociantur S. Galli monacho, & inclinantes inclinanti, opus Dei, quod docuit, reverenter cum eo perficiunt. Flebat homo cum gaudio, gratias referens sancto Gallo. Post Missas peractas vix ille, coactus pedes Imperatoris, ut moris est, petere, auri uncias in eis positas sustulit; ad Imperatricem verò, ridente Imperatore, per vim tractus, & ibi aurum ejus sumpsit è pedibus. Mathilda quoque soror ejus annulum ei in digitum, vellet nollet, inseruit.„ Hæc Ekkehardus. *Helpericus* autem ejusdem San-Gallensis Asceterii monachus seculo X. cùm esset in arte musica exercitatissimus, librum de ea scripsisse fertur à ** Joanne Trithemio. Nec in cœteris Germaniæ & Angliæ monasteriis cantûs & symphoniæ monachos fuisse imperitos, argumento sunt libri, quos *Regino Prumiensis*, *Osbertus Glasconiensis*, *Wolstanus Wintoniensis*, *Marquardus S. Willebrordi Epternacensis*, *Engelbertus & Florbertus S.Mathiæ* propè Treviros, aliique conscripserunt.

Anonymo discipulus B. Notkeri.

Helpericus.

Apud Casinenses, eodem labente seculo, Ambrosianus cantus, qui sonorus & fortis est, dulciori cantu Romano mutatus fuit jussu Stephani IX. qui ex Abbate sacri illius loci Summus Pontifex creatus fuerat, ut legitur in libro II. Chronici Casinensis cap. XCVII.

Apud Casinenses Ambrosianus Romano mutatur.

In monasterio Corbejæ veteris etiam iisdem temporibus sub annum 986. (inquit Chronographus Corbejæ veteris) inceptus est novus modus canendi in illo monasterio per flexuras & notas, per regulas & spatia distinctas, cùm nullæ antea extarent in libris Antiphonariorum, & Gradualium ejus loci. Ejusmodi notas & flexuras, sed absque lineolis, exhibet egregius ille codex Sacramentorum ab HugoneMenardo laudatus, quem Ratoldus Abbas Corbejæ veteris scribi jussit, ex quo idem Menardus ectypon excudi curavit in Sacrament. pag. 96. Eædem notæ habentur in codice Sacramentorum Eligiano, quo Menardus itidem usus est in edendo Sacramentario.

In Corbeia veteri novus cantus.

Cantûs verò mutatio in Fiscamnensi *** monasterio hoc ævo facta magnos ibidem motus excitavit, sed qualis fuerit illa mutatio, incertum. Non minores turbas ob mutationem cantûs dedit *Turstinus* **** monachus Cadomensis, quem Rex Angliæ Willelmus, cognomento Conquestor, Glastoniensi monasterio præposuerat. Hic, ut protervus erat, suos Glastonienses cantum, quem à beati Gregorii Papæ discipulis acceperant, relinquere, sibique ignotum, nec auditum antea cantum à Flandrensibus & Northmannis ediscere coëgit. Hinc orta lis est acerrima, quam mox sacri Ordinis contumelia subsecuta est. Cùm enim nova instituta recipere detrectarent monachi, & nihilominus contumacis pertinacia magistri persisteret; laici Abbati suffragati monachis vim intulêre: quorum alii crudeliter percussi, alii lethaliter sauciati sunt.

Cantûs mutatio in monasteriis causa magnorum motuum.

Quid verò de Organis ***** dicam, quorum usus quando in monasteriis cœperit, utì exploratum non habemus, ita illum penes monachos seculo X. fuisse discimus ex versibus Wolstani

Organorum usus in monasteriis quando cœperit?

* Bollandiani in notis ad cit. cap. die 6. April. pag. 590.
** de Vir. Ill. O.S. B. c. 352.
*** Mabill. Annal. Tom. V. ad an. 1070. p. 21.
**** Idem ibid.
***** Idem Præfat. I. in Sec. III. Ord. S.B. §. vi. n. cv. & in Annal. Bened. lib. 23. n. 27.

stani monachi Wentani in Anglia, quibus Elfegum Wentanum Episcopum ob organum in Wentano monasterio *triginta follibus instructum, quos septuaginta viri agitabant*, dilaudavit. Id quod etiam de Fiscamensi monasterio adfirmat Baldricus Dolensis Archiepiscopus in epistola ad Fiscamenses: quamvis rariora in monasteriis id genus instrumenta fuisse dicat, adjectis verbis, *non omnibus probari*. Quemadmodùm etiam nostro ævo non desunt, qui Organorum usum in ecclesiis, maximè verò cœnobiticis, improbent; alii media incedentes via tolerant ea, ubi sunt, inducenda esse, ubi non sunt, pernegant. De S. Wicterpo, Ordinis Benedictini alumno, & Civitatis Augustanæ Episcopo, medio seculo octavo, quidam hoc literis consignavit, quod tamen ex quo fonte hauserit, se ignorare fatetur Carolus Stengelius Abbas Anhusanus in præclaro suo Commentario de Rebus Augustanis Part. 2. cap. 5. p. 66. *Idem cum fuerit Musicæ artis peritus, Organum pro temporum conditione satis elegans in nova Basilica Divæ Virginis Mariæ fieri procuravit.* Sed fides penes authorem esto.

S. Wicterpus Epis. Aug. Organum fieri procurat.

Sed enim nullum seculo X. celebrius canticum, atque quod D. Adelbertus noster, Pragensis Episcopus, Bohemos, populares suos, docuit. Cùm anno salutis 972. sanctus Antistes * ad instantiam illustrissimorum suorum parentum, Lybicensium Comitum, ecclesiam S. Georgio ab illis erectam Lybicium venisset, patriâ, id est, Slavicâ linguâ *Canticum composuit, populum informavit, & cum populo illud cantavit ad Dominum Deum, ut famem & guerras averteret.* Sed hoc Lybicii tantùm & quasi privatim. Cùm enim anno 981. Româ in Bohemiam, jussu Summi Pontificis, reversus fuisset, Urbs Praga in occursum effusa gratanter Episcopum ut Patrem, suscepit: & Metropolitanam S. Viti ingredientem, Pius Boleslaus Princeps cum domestico Presbyterorum choro diu desideratum Antistitem flexo genu salutat, & manum osculatur: omnémque deinceps à se, & suis Bohemis præstandam obedientiam promittit. Id ipsum acclamante populo, Adelbertus meliora à Bohemis, quibus ob morum ac vitiorum insolentiam terga priùs verterat, sperare cœpit: novas etiam, quas apud sanctissimum Benedictum VII. gratias obtinuerat, Pragensibus nuntiavit: videlicet, indulto Summi Pontificis Bohemis concessum, ut Kyrie eleyson Slavonicum in Metropolitana S. Viti, singulis diebus decantetur: quod si factum fint, cœlitùs sibi promissum affirmat, Deum posthac Regno futurum propitium: nec fœcunditatem terræ prohibiturum imposterùm; si tamen à cædibus, rapinis, præstigiis magicis, cœterisque peccatis mortalibus resipiscant. Princeps igitur, & universus populus, Eja Pater, inquiunt, hymnum quem commendas, exhibe; servare promittentes edoce; à vitiis Deo tibique contrariis posthac abstinebimus. Respondit Episcopus, Amen: confirmet hoc Deus in vobis filii charissimi; mox immissâ manu dextrâ in peram, à sinistra pendulam; primò mundi panis frustum, dein vas ligneum, ex quo bibere consueverat, coràm exemit: tandem & membranam Slavicis literis, & notis musicis exaratam Boleslao Principi, Clero, cœteris etiam Ordinibus palàm ostendens, Hymnum desideratissimum altâ voce præcinuit, in hunc sensum scriptum:

S. Adalbertus canticum componit.

quod nobis hodie præ[illegible]

Hospodyne pomyluĝ ny
Jezu Kryste pomyluĝ ny
Tys Spasa wsseho mira
Spasyz ny i y oslyssyz
Hospodyne Hlasy nasse
Dag nám wssem Hospodyne
Zizu, a mir wnassy zeun
Krless, Krless, Krless.

Latinè sic eum transtulit vitæ Scriptor juxtà notarum decursum:

O Domine miserere:
JESU Christe miserere:
Salus es totius mundi,
Salva nos: & percipe
O Domine voces nostras.
Da cunctis ô Domine
Panem, Pacem nostræ Terræ.
Kyrie eleison, Kyrie eleison,
Kyrie eleison.

Post cruentam verò S. Adalberti mortem frequentatum fuit ejus Canticum in electione, & coronatione Principum & Regum Bohemiæ; item in electionibus Episcoporum & Archiepiscoporum Pragensium: cantatum etiam fuit à Bohemis ante pugnam cum hostibus initam; in aggratulationibus Principibus factis, ex periculo liberatis; deinde in quibusdam solennitatibus publicis; ac demum in adversis quoq; casibus ac publicis calamitatibus, prout Mathæus Benedictus Boleluczky de Hradest ex Hage-

qui valde familiare sibi illud reddunt.

* Boleluczky in Rosa Bohemica, seu vita S. Adalberti.

Hagecio, Dubravio, Cosma & aliis Scriptoribus, non paucis iisque præclaris illustrat exemplis. Cùm subinde verò, ut fieri amat, sacra hæc cantilena in oblivionem venisset, R.mus Dominus Simon Brossius ab Horstein, Præpositus Ecclesiæ Pragensis anno 1667. cum notis textúque Bohemico & Latino luci reddidit: nec mora, tantum incrementi sumpsit in Regno, quòd eodem currente anno propter periculum ingruentis nimiæ siccitatis primùm in tota Tri-Urbe, demùm etiam per districtus Regni mandato Venerab. Consistorii cantanda demandata fuerit, & in hodiernum usque toto Regno reflorescat.

Studium Musices excolitur à Benedictinis, inter quos excelluerunt sec. XI.

Musices seculo XI. tanta fuit auctoritas & existimatio, ut nemo Scholastici sive Professoris Philosophiæ & Theologiæ munus suscipere posset, qui eâ non esset exercitatissimus; qui verò illâ arte pollerent, inter consummatæ eruditionis Philosophos numerarentur. Quo factum, ut illi, qui paulò acutiùs videbant, hanc simul artem Philosophiæ nomine excolerent. Ut autem in hujus disciplinæ studio & amore monachi constanter perseverarent, non *Hermannus* tantùm *Contractus, Remigius Mediolacensis, Joañes* cœnobii S. Mathiæ apud Treviros Scholasticus, sed *Berno* Augiensis, *Wilhelmus Hirsaugiensis*, *Rodulphus* S. Trudonis Abbates, *Humbertus* Cardinalis, Leo IX. & Victor III. Summi Pontifices exemplum ipsis præiverunt. De singulis breviter dicendum est. Et quidem *Hermannum Contractum* suo tempore Musicum celeberrimum fuisse habitum, multáque Opera musica composuisse, jam antea diximus, & suo loco uberiùs dicturi sumus.

Hermannus Contractus,

Remigius Mediolacensis,

Remigius Mediolacensis * primùm monachus ac Scholasticus, deinde Abbas, Musicus omnium suo tempore celeberrimus habebatur. Sermones multos & cantus in diversorum honore Sanctorũ elegantissimos fecit. Litanias & cantilenas, quæ in Rogationibus frequentantur, ipse composuit. Huic Remigio Scholarum Magistro, Serenissimus Imperator Romanorum Otto II. auream camœnam gracilem destinavit per nuntium, designans, eum omnium suo tempore Musicorum principem, ob artis simul & vocis elegantiam.

Joannes Trevirensis,

Joannes S. Mathiæ prope Treviros ** Religiosus, & Scholarum Præfectus, nulli erat, teste Trithemio, in omni genere scientiarum doctissimus, ita in Musica præcipua eruditione singularis, qui ad honorem Omnipotentis Dei, & Sanctorum ejus multos Cantus & prosas composuit, ac regulari melodia dulciter ornavit.

Berno Augiens. vide Chro. Gottwic. l. 1. p. 60.

Berno Augiensis Abbas cùm esset in arte musica doctissimus, præpollens opus elucubravit, *de regulis symphoniarum & tonorum*, quod Sigebertus laudat, & quod in *mensurando Monochordo* ultra regulam Boëtii, sed assensu minoris Boëtio Guidonis supposuit unum tonum tetrachordo hypaton, & contra usum majorum, in ipso tetrachordo hypato inseruit utiliter synemenon. Alia ejus Opera Musica suo recensenda loco reservamus.

Wilhelmus Hirsaugiens.

Wilhelmus Abbas Hirsaugiensis in musica, ùt suprà ex Trithemio diximus, singularis eruditionis fuit, utpote qui cantus in laudem Sanctorum & plures & varios composuit. Aliud ejus Opus musicum suo loco commemorabimus.

Humbertus,

Humbertus in Mediano Tullensis Diœcesis Religiosus cùm artem musicam apprimè calleret, Brunonis Tullensis Episcopi sanctissimi, qui eâ delectabatur, amicitiam & gratiam adeò sibi devinxit, ut factus Summus Pontifex Leo IX. Humbertum secum in Italiam abductum S. R. E. Cardinalem creaverit, atque eo adjutore in præcipuis ac magis arduis Ecclesiæ negotiis usus sit.

Leo IX.

In Leone verò *Sapientia divinarum humanarúmque artium refulgebat amplissima, maximè artis delectabilis musicæ peritia, quâ antiquis auctoribus non modò æquiparari poterat, immò in mellifica dulcedine nonnullos eorum præcellebat*, uti fidem facit Wibertus *** vitæ author coævus, & ejus in Episcopatu Tullensi Archidiaconus. Wiberto concinunt Sigebertus Gemblacensis, & Anonymus Mellicensis, quorum testimonia aliàs proferemus.

Victor III.

Victor III. priùs Abbas Casinensis, Cantus in honorem B. Mauri composuit, *in quibus*, ut Petri Diaconi verbis utar, *qui vult artis Grammaticæ tramitem, & Monochordi sonori Magade reperiet notas.* Magadium verò, ut Jo. Bapt. Marus explicat; in dicto cantu indicatum ea pars est lyræ, in qua plectrum illiditur, ubi scilicet percussio chordarum fit manu dexterâ.

Guido Aretinus.

At enim palmam in arte musica hoc seculo omnibus præripuit *Guido Aretinus*, à patria, urbe *Aretio* in Hetruria, cognominatus, monachus cœnobii Pomposiani propè Ravennam in Ducatu Ferrariensi, circa annum Christi

* Trithem. in Chron. Hirs. ad an. 980. p. 122.
** Chron. Hirsaug. ad an. 1047. pag. 184.
*** lib. 1. c. 13.

sti 1024. Hic sonos omnes seu gradus, per quos fit vocis ascensus & descensus in Musica, his voculis expressit, *ut*, *re*, *mi*, *fa*, *sol*, *la*, quas sumpsit ex primis syllabis hemistichiorum hymni S. Joannis Baptistæ:

Inventor Ut, re, mi, &c.

Ut *queant laxis* RE*sonare fibris*
MI*ra gestorum* FA*muli tuorum*
SOL*ve polluti* LA*bii reatum.*

Ut verò suum systema *, quod ad 20. chordas seu gradus produxerat, nempe ad sextam supra duplicem Octavam, tyronibus familiare redderet, singulas ejus voces digitorum in apicibus & flexuris apposuit. Unde dictum est *Manus*, vel etiam *Gamma*, quoniam infimus ejus gradus seu chorda ab ipso notatur litera Græca *Gamma*, scilicet *Gamma ut* vel *G ut*; deinde *A re*, tum *B mi* &c.

Artem Musicam mirè facilitat.

Quâ ratione Guido effecit, ut quod vix decennio addisci anteà poterat, abhinc *annali spatio*, aut ut multùm *biennio* in posterum disceretur. Hinc quod illi magnam apud omnes gratiam conciliare debuerat, gravem conflavit invidiam, quæ eò usque progressa est, ut è monasterio suo discedere coactus sit. Posteà tamen cùm à Joanne Pontifice Romam vocatus, & honorificè acceptus fuisset, à Guidone Pomposiæ Abbate, viro sancto, qui ipsius æmulis aures faciliùs præbuerat, apud Pomposiam retentus est: quæ omnia in epistola ad Michaëlem ejusdem loci monachum scripsit, à Baronio non sine mendis relata, quam integram verò Mabillonius ex codice Villingensis in Suevia monasterii descriptam Annalibus suis inseruit.

Guido Aretinus neglectæ musicæ artis num reparator?

Quòd verò in Chronici Gottwicensis Prodromo dicatur Guido Aretinus *neglectæ musicæ artis reparator*, non satis rationem assequor. Equidem ego inficias ire nolim Guidonem inventis suis ad cantûs hodierni choralis perfectionem multùm contulisse; quòd verò seculo X. Musica ita in deterius iverit, ut medicam ei manum seculo XI. adhibere Guido coactus fuerit, in animum inducere non possum, ut pro vero habeam. Exempla enim seculi X. quæ ex Germaniæ, Angliæ, Galliæ, Italiæ monasteriis in medium adduxi, planè repugnant, Musicámque in iis non incultam jacuisse, sed magno in honore fuisse habitam, oppidò declarant. Neque ad hoc tempus revocandum est testimonium, quod interpres Hugonis Reutlingensis de neglectu musicæ artis apud Benedictinos tulisse à Goldasto fertur. Ejus tamen verba proferre non gravabor. *Processu tamen*, inquit, *temporis quidam Alemanni, & præcipuè Canonici Ordinis S. Benedicti, qui cantum Musicalem non solùm ex arte, verùm etiam ex usu & consuetudine perfectè & cordetenus didicerant, ipsum, omissis clavibus & lineis, quæ in Neuma, seu nota Musicali requiruntur, simpliciter in libris eorum notare cœperunt, & sic decantaverunt: deinde juniores, & suos discipulos sine arte ex frequenti usu, & ex magna consuetudine cantum informare; qui cantus sic per consuetudinem doctus, ad diversa pervenerat loca. Unde non jam Musica, sed Usus est denominatus. In quo tamen cantu discipuli deinde à Doctoribus, & Doctores à Discipulis multiformiter discrepare cœperunt. Ex qua discrepantia & artis ignorantia usus dictus est confusus. Quo usu confuso spreto nunc ferè omnes Alemanni hactenùs miserabiliter per cantum seducti ad veram artem Musicæ revertuntur.* Hæc ille, cùm necdum Musica in Choralem & Figuralem, ut nunc se habet, esset distincta. ** Quibus verbis equidem quid sit *Usus* in cantu, præclarè explicatur, quòd autem Musica apud Benedictinos seculo X. neglecta jacuerit, minimè innuitur. Contraria assertio cum verbis Ekkehardi junioris, Decani monasterii San-Gallensis, celeberrimæ & antiquissimæ in Germania Cantorum scholæ, manifestè pugnat. En verba Ekkehardi: *Abinde* (à temporibus seculi X.) *cantus sumpsit exordium totâ ferè Europa & maximè ferè Germania, sive Teutonia, secundùm modum & formam, sicut in monasterio S. Galli viri peritissimi ediderunt, B. Notkerus Balbulus & Romanus, cæterique Magistri correxerunt, juxtà exemplum authentici Antiphonarii Gregorii elegit cantare, & hunc ritum modulandi servare, quem etiam omnes* USUM *appellaverunt. Hos itaque supradictos secutus Berno monachus S. Galli, postea Abbas Augiensis, super hunc Usum valdè subtilem scribit ad Peregrinum, Episcopum Coloniensem &c.* Idem Ekkehardus cap. 16. de B. Notkero asserit, eum socios docuisse disciplinam Angelicam in Jubilis Sequentiarum agendam, probatis Nicolao I. Summo Pontifici. Verùm his immorari non vacat, nec tanti est.

Musica seculo X. non jacuit neglecta.

Post ævum Guidonis Aretini usque ad seculum XIV. & XV. neque adeò multi, neque tamen etiam nulli sen

* Edmund. Purchot. Instit. Phil. Tom. 2. part. 1. Phys. Sect. V. c. 5. p. 413.
** Confer. Oliveri Legipont Dissert. V. de Musica p. 313. n. 10.

Abbates Musicæ amatores

seu monachi, seu Abbates, qui sonorum studio caperentur, in Chronicis & Annalium monumentis leguntur. Christophorus Hartmannus, insignis Chronographus Eremitani in Helvetia Asceterii, de Joanne hujus nominis I.mo Abbate Heremi XXI. Principe Imperii quarto, ex Baronibus à Schwande refert *, quòd Musica figurali delectatus fuerit. Primus, inquit, in Odœum, Chorum nunc vocant, cantum per sacrorum Officiorum celebrationem musicum introduxit, accitis magnis salariis è diversis regionibus magistris, & multa pecunia coemtis [Musicorum] libris; cùm hactenus cantum, quem dicunt usualem, solum usurpavissent. Lessum verò Musici Joanni Abbati anno 1327. cecinerunt. Bruschius ** in Monasteriorum Germaniæ Chronologia *Udalscalci* Abbatis ad SS. Udalricum & Afram Augustæ Vindelicorum, velut eximii seculo XII. Musici & Componistæ meminit. Plurium mentionem facere iterum tanti non est, nisi quòd Abbas Trithemius silentio non prætermittendus mihi videatur. Erat vir gravissimis moribus; unde mirari subit, quòd, cùm Coloniæ apud Joachimum Electorem Brandeburgicum moraretur, ad Capellerium Mathematicum an. MDV. his verbis scripserit. „ Rogamus, ut „ quamprimùm ad nos venias Musis „ comitatus & *Lyra*, quoniam & lo„ cus nobis est opportunus & tempus „ ad philosophandum, nostrúmque „ institutum prosequendum satis ad„ modùm copiosum est. „ Ecquid Thrithemius *lyram* ad se afferri petiit. Malim credere, sub ejusdem nomine citharam Apollinis ab ipso intellectam fuisse; id quod ex Musarum comitatû intelligere mihi videor.

Musica fovendis literis est apta.

Musicam tamen fovendis literarum studiis accomodatam esse *Gregorius* noster *Cortesius* S. R. E. Cardinalis his verbis in epistola ad Fregosum Episcopum Salernitanum testatur: „ Tan„ tum dicam, si celeberrimi Philo„ sophi audiendi sunt, nihil tuis stu„ diis æquè oblectamento esse potest, „ atque interdum musicis recreari. „ Hac,ut nôsti, somnum & depellebant, „ & arcessebant Phytagorei; hæc epu„ larû,hæc itineris comes erat: hac ipsa „ & occultarum causarum pervestiga„ tionem, & sacra omnia auspica„ bantur; hâc eâdem affectis tædio „ animis hilaritatem pristinam atque „ adeò mentis tranquillitatem revo„ cabant: postremò, ut Marcus Tullius ait, summam eruditionem sitam Græci censebant in nervorum vocúmque cantibus, ut qui id nesciret, nequaquam satis excultus doctrinâ putaretur.

Sec. XV. Joannes S. Blasii Abbas Musicæ Cultor.

Musica *Figuralis* ubi seculo XV. ex Italia in Germaniam translata est, tunc in multis Monasteriis, Græcorum ferè exemplo, in fidium vocúmque cantibus res sita esse credebatur. JOANNES **** hujus nominis I. Abbas San-Blasianus in Sylva Nigra, doctrina & moribus insignis, Musicam primus in monasterium introduxit, è vivis sublatus anno 1413. „ Quàm pium spectaculum erat, inquit R.mus *Marquardus Hergott* Principis & Abbatis „ San-Blasiani Locum-tenens *****, in „ choro videre monachos, alios qui „ buccis tumentibus in pnevmatica in„ strumenta insufflarent, alios, qui „ fidicines agerent, alios denique, „ qui unicè cantui modulando incum„ berent. Quàm Regulæ S. Benedi„ cti conveniens, cùm adolescens quis„ piam in monasterium admitti postu„ labat, interrogare ante omnia, „ Musicámne calleret; deinde utrùm „ se à Deo ad illam vitæ conditionem „ vocatum esse compertum haberet? „ Sed lugere hæc magis, quàm irride„ re decet. Vetant innumera Conci„ lia, ne Clerici musicis Concentibus, „ qui theatro, non ecclesiæ conveni„ unt, utantur, & Ecclesiæ Cathe„ drales non paucæ huic præcepto „ etiamnum religiosè obtemperant. „ Quanto id magis monachos dece„ bat,quos eorum Legislator jubet à se„ culi actibus se facere alienos. Hæc „ autem inducta Musica est, ut auxilio „ esset adversùs psalmodiæ, & cantûs, „ ut appellant, *choralis* productionem, „ atque ut choro addictis levamen af„ ferat: rogo, utrùm melius fit breviter, „ sed bene, an diu & malè psallere? „ Hæc vir ille Clarissimus: quibus ego de musica in refectorio, vel mensâ quorundam Abbatum nolim quidquam addere, metuens, nequis aurem mihi vellicans, illud insusurret; *Noli hanc chordulam tangere, malè sonat &c.* An nescis, audivi aliquando ex Abbate convivante, Musicam esse signum prædestinationis? nempe, cogitabam juxtà

multò minùs probanda in refectorio.

* pag. 303. ** pag. 120.
*** Epist. famil. p. 218.
**** Gall. Chr. Tom. 5. p. 1026.
***** in Præfat. ad vet. Discipl. monast. §. III. de div. offic. N.CXII. p. LV.

tà illud Christi: *Beati, qui lugent.* Potuissem forsan etiam illud profani Poëtæ, *quod optimum sit*, quærentis, *convivium*, respondere: *in quod choraules non venit.* Quid verò de illis dicam Abbatibus, qui æquo ferunt animo, connivent, si non etiam quandoque jubent, ut Monachi ipsorum fidibus canant, quò profani hospites libero pede pulsare humum, choreásque & saltus in Monasteriis agitare possint? Vidit hæc annis abhinc paucis R.mus Abbas *Calmet*, Lotharingicæ Congregationis Præses, in quodam Germaniæ Monasterio, sed non probavit. Ad virum nobilem, qui præsens mihi subinde narravit, conversus; Monachi, dicebat, meæ Congregationis Musices imperiti sunt, sed in sacro Codice, Historia Ecclesiastica, Conciliorum notitia, aliisque studiis, quæ viros decent Religiosos, versati habentur.

Gregorius Abbas Weingart. Musica instrumentata ex monasterio proscribit.

Auribus haud satis æquis hæc forsan aliqui accepturi sunt, sed si Venerabilis *Gregorius*, * Abbas Weingartensis, non inferior prudentia, quàm morum sanctimonia, adhuc in vivis existens ea legeret, minimè diversa sentiret. Is enim instrumenta Musica non à mensa tantùm, sed etiam ab ecclesia proscripsit. Cantum Gregorianum mirè commendabat. Figuratum rarò admittebat, & hunc rarissimè ad organum, absque ullo alio Musico Instrumento, quæ pessimè oderat, *& multas olim in Ordines diversos distractiones, sacri rigoris & silentii relaxationes, in ipso templo levitates, imò scurrilitates, inductura prædixerat.* Nec falsum fuisse augurem innumera testantur exempla. Ipse sub Gregoriano cantû sæpiùs, ferè autem semper, dum sacris operaretur, lacrymis defluebat. A qua Gregorii Abbatis, veterúmque pietate non parùm in Monasteriis descitum est; ex quo Musicorum Instrumentorum concentu Monachorum aures titillari ac recreari, non animi verò ad compunctionem exstimulari cœperunt. Quod nisi sit ecclesias nostras prostituere, quid sit planè ignoto. *Non in tibiis*, inquit Dominus, *non in tibiis viri beneplacitum erit ei.* Ps. 146. „ Tibia quippe, exponit Petrus noster Abælardus ep. 8. „ ad Heloiss. sonitum emittit ad delectationem voluptatis, non ad intelligentiam mentis. Unde bene in tibiis cantare, nec in hac Deo placere dicuntur, qui melodia sui cantûs sic oblectantur, ut nulla hinc ædificentur intelligentia..... Nihil verò de doctrina vel studio cantûs admonet BENEDICTUS, cùm ipse plurimùm de lectione præcipiat, & ipsa legendi tempora, sicut & laborandi diligenter assignet, & in tantum de ipsa quoque seu scribendi doctrina provideat, ut inter necessaria, quæ ab Abbate Monachi sperare debeant, tabulas etiam & graphium non prætermittat. „

S. P. Benedictus nihil de studio cantûs præcipit.

Musica figuralis ex ecclesiis ne submoveretur, quis intercessit.

Quòd si Patres Concilii Tridentini Musicam figuralem ex ecclesiis eliminandam statuissent, ut statuere volebant, multus, magnúsque tibiarum, lyrarum, fistularum, aliorúmque id genus Instrumentorum abusus in Monasteriis sublatus fuisset. Intercessit verò *Joannes Petrus Aloysius* Prænestinus, id temporis Musices Princeps, ejúsque in sacris tutor & conservator. De hoc Josephus Suaresius Lib. II. Prænestes antiquæ ex Lælii Guidiccioni epistola ad se Roma XVII. kalend. Febr. anno 1637. perscriptâ memoriæ sequentia prodit: „ Ita res est, uti dicebamus (vir quocunque nomine præstantissime!) Tridentini Patres conveniunt, decreto prohibituri sacris ædibus concentus articulatos (*credo*) permoti tam multis, tam fractis, explicatis, iminutis vocũ impressionibus, quæ plus nimio diversæ traducebantur ad rem divinam, diem decernendo dixerant, eâ „die inter Sacra notæ adhibentur, id- „circo transmissæ à Joanne Aloysio „Prænestino Carpensis Legati jussû „contra deliberantis, & partes Musi- „cas sustinentis. Hæc pii Patris in- „dustria, casta & castigata Magistri lex „ad suavissimos excitata concentus, „unanimisque cantorum alacritas & „contentio, id omne subsidio fuit, id „nobis scilicet cantando testituit rem. „Dulcibus enim auditis conquisitissimæ „& æquabilis harmoniæ sonis, statim „sententiæ in contrarium mutantur, „Decretum rescinditur, res Musica co- „alescit, & Prænestino semine per Chri- „stianum Orbem (Benedictini etiam „Ordinis Monasteria) mirificè propa- „gatur. „

Germani partem pietatis in Musica locant.

De Germanis Benedictinis, quorum non pauca Monasteria perlustravit *Joannes Mabillonius*, in Itinerис sui Germanici Descriptione ** hæc perhibet: „ Germani maximè in hoc (*templorum*)

* Bucelin. in Benedicto Rediv. p. 216.
** Mabillon Itinerarii Germ. pag. m. 21. & 22.

„ *rum*) elegantia, & in multiplici vo-
„ cum & instrumentorum variorum
„ concentû pietatem locant, quæ nos
„ pietatis impedimenta Galli reputa-
„ mus. De musica musicisque instru-
„ mentis loquor; nam optandum esset,
„ ut ille ecclesiarum nitor ita apud nos
„ vigeret, ut apud Helvetos & Ger-
„ manos musices amor. „ Sed forte-an hîc quadraret illa Alcibiadis sententia? *Filii Thebanorum quàm philosophari nesciant, peregregiè tibiâ modulantur.* Certè nil aliud causæ esse puto, cur Socrates Musicā Reipublicæ periculosam esse statuat, nisi quòd juvenes novis modulationibus illecti, animo distrahuntur, virtutes negligunt, & à rebus seriis avocantur.

Maurus Chiaula comparabilis Musicus.

Apud Siculos eunte Seculo XVI. *Maurus Chiaula* Cœnobii S. Martini de Scalis alumnus, Musicâ facultate non solùm Panormi, sed etiam Romæ & Venetiis sua ætate plurimùm celebris, summísque Principibus eâ de causa valde acceptus fuit & gratus. Antonius Mongitor in Bibl. Sicul. par. 2. pag. 25. & seq. * eum in *Musicis cantionibus* adeò *excellentem* vocat, ut in iis ad stuporem inclaruerit; singulariter autem in ordinandis plurimarum vocum & Instrumentorum pleno choro ex proportione respondentium simphoniacis modulationibus *eminentem* fuisse asserit, suámque assertionem sequenti narratione confirmat. „ Anno 1581. cùm
„ Senatus Panormitanus in ecclesia S.
„ Mariæ dicata, cui nomen vulgò *della*
„ *Pinta*, exponere statuisset Acta Cre-
„ ationis Mundi, Marcus Antonius
„ Columna tunc Siciliæ Prorex, no-
„ strum Maurum ad cantus egregiè mo-
„ dulandos vocavit. Peritissimus har-
„ monicæ facultatis Magister ita ex-
„ cellenter munus sibi injunctum ex-
„ plevit, ut unus fuerit Proregis & om-
„ nium Auditorum sensus, inter Ange-
„ lorum Choros in cœlis tantùm audi-
„ re posse præstantiorem suavioremq;
„ harmoniam. Hinc quæ harmonicis
„ numeris concinnavit, publicis typis
„ tradenda sancitum est &c. Singu-
„ larem Mauri peritiam testantur ad
„ nostra usque tempora Musices Mo-
„ deratores, qui in Trisagio solemni-
„ um Missarum *Sanctus, Sanctus, San-*
„ *ctus*, decantando, sublimiorem con-
„ centûs formam adinvenire despe-
„ rantes, eodem utuntur, quod in
„ prædicta celebri Actione cœlesti-
„ um Spirituum Chori, in eorundem
„ creatione, divinum proclamavêre
„ pro gratiarum actione Trisagium, &
„ vulgò adhuc vocatur *Il Sanctus del-*
„ *la Pinta*. „ Non solùm autem prælaudata Actio *della Pinta* Mundi creationem amplexa est; sed etiam alia cœlestium, & Heroum tragica Poëmata, interque ea S. Christinæ, S. Cæciliæ, & S. Catharinæ Tragœdias; nam quot annis Panormitanus Senatus harum aliquam magnificentissimo apparatû populo exhibebat; quas omnes, nempe Mundi creationem, & prædictas Tragœdias *Theophilus Folengus*, Mantuanus, Monachus è Congr. Casinensi, qui per octennium in monasterio S. Martini commoratus est, circa annum 1542. Italico & Latino carmine concinnavit, *Maurus* verò *Chiaula* musicis notis consignavit.

Componit li. SANCTUS DELLA PINTA & Modulos Musicos pro Tragœdiis.

Laur. Gazii in arte musica nulli secundus.

Forsan *Laurentii Gazii* priùs meminisse debueram: is enim seculo XVI. ineunte Patavii in Cœnobio S. Justinæ Asceta musicâ arte adeò excelluit, ut præstantissimi quique ejus facultatis Professores, *veluti Oraculum illum consulerent, nec eo improbante quidquam in publicam lucem auderent emittere.* EN-GELBERTUS quoque Trevirensis S. Mathiæ cœnobita *Musicorum*, inquit Egger, ** *facilè Antesignanus, præclara de Arte symphoniaca, & Monochordo syntagmata posteritati reliquit.*

Cujus apprimè perit fiunt Moniales Ursprigenses.

A monachis verò, ut ferè fit, Musica figuralis ad moniales propagari cœpit. Anno 1547. Sanctimoniales Urspringenses in Suevia ejusdem cœperunt studium, in quo (sunt verba Bruschii) tantùm profecerunt sub Domino Blasio Hippolyto, egregiè docto monacho cœnobii Blaubeurensis, ut cum Regiis etiam vel Imperatoriis Musicis (quod pace tamen ipsorum dixerim) certare possint. Nec hodierni ævi *Vestales Urspringenses* cantûs seu choralis seu figuralis imperitæ sunt, imò verò in utroque ita excellunt, tantáque gravitate, suavitate, ac pietate laudes divinas decantant, quantam vix in ullâ monachorum sacrâ æde audire est. Quid plura? Ordo S. Benedicti in utroque sexû reliquis arte musicâ semper antecelluit, hodiéque, *absit jactantia verbo*, antecellit. En tibi syllabum eorum, qui sacræ nuper Harmoniæ Magistros in Germania sese præbuêre datis in lucem præclaris Musices operibus: *Joannes Caramuel à Lobkowitz*, qui novum Musurgiæ speci-

Musici Præstantiores.

men

* apud Armel. in append. ad Bibl. Casin. p. 8
** Egger in Idea lib. 1. pag. 162.

men dedit Viennæ A. 1645., recusum Romæ 1669. de quo ipse: *Præscriptos*, inquit, *mille annorum errores ingeniosè proscribo: quæ triennio non addiscebantur, horâ doceo, & quia institutio ipsa loquitur, & viva exempla, nec verbum addo.* LEOPOLDUS *à Plawen* Zwifaltensis; *Valentinus Molitor* Sangallensis; *Antonius Ziggeler* Weingartensis; *Fidelis Molitor* Villingensis; *Georgius Geisser* Villingensis; *Maurus Moser* San-Trudpertinus; *Bernardus Rauchenstein* Petrhusianus; *Romanus Weichlin* Lambacensis; *Cajetanus Kolberer* Andecensis; *Antonius Holzmann* Schütteranus; *Udalricus Nüechten* Mellicensis; qui dum Opus suum Musicum sub typo *Francisci Straub* Constantiæ sudaret, morte interceptus, piè in Domino defunctus est; Ejus tamen frater germanus *Philippus Nüechten* secularis prælo illud Ulmensi perfici & in lucem edi curavit, suúmque præfigi nomen; sed perperàm, & liberali nimis in fratrem defunctum fiduciâ. *Marianus Braunsperger*, & *Gothardus Wagner* Tegernseenses; *Meinradus Spies* Ursinensis, cujus *Antiphonarium Marianum* Campidonæ 1713. editum maximè commendatur. Reliquos videsis fusiùs enumeratos Parte IV. hujus Historiæ.

Qui verò de natura, proprietatibus, origine, progressu, cultoribus & studio Musices benè instituendo plura rescire desiderat, sitim haud turpem explere poterit in erudita Dissertatione Cl. V. *P. Oliverii Legipont*, inter editas Norimbergæ 1746. quintâ: ubi egregiè illam * explodit opinionem, quâ plerique occupati Musicam nostri temporis antiquâ majoris esse perfectionis arbitrantur. Et isti quidem illius simplicitatem velut rudioris adhuc facultatis defectum reputant: *Oliverius* verò cum doctissimo Abbate *Calmeto* Musicæ jam perfectæ dotem fuisse illam simplicitatem contendit: *Quo enim ad naturam ars aliqua magis accesserit, eò perfectior habenda est; simplicem autem Musicam ad naturam magis accedere, & hominis vocem ejúsque passiones melius imitari, quis neget? Labitur illa faciliùs in intima cordis, movendísque affectibus nihil simplicitate veteri aptius.* Hinc admirabiles illi Musicæ effectus, vel ad sanitatem corporum, vel ad motus animorum excitandos sedandósve,

Discussio quæstionis: An Musica nostri temporis sit perfectior veteri.

de quibus magni Authores prodiderunt, jam olim nulli sunt: quia nempe subtilissimæ atque absolutissimæ illi animi nostri harmoniæ minùs congruit exterior hic nostrorum temporum concentus rudis ac crassus, quàm ille veterum subtilis ac eruditus, ideóque minus habet nunc virium ad aliquid efficiendum in nobis, quod tum ex similitudine & convenientia obtinebat. Nec instrumenta retinemus, ac ne nomina quidem sunt nota, quæ à *Polluce*, *Athenæo*, *D. Hieronymo*, & aliis recensentur. Illud quoque commodi Musicæ veteri præ nostra accidebat, quòd instrumentorum sonus verba non obrueret, sed adjuvaret, unàque simul melodia aures mulceret, & cor pariter blandâ titillatione emoveretur, cùm interim spiritus carminis elegantiâ, suavitate, & majestate caperetur. *Nihil est proinde, cur miremur, si de Musicæ veteris effectibus mira feruntur; juncta enim simul habebat, quæ in nostris symphoniis non nisi divisa delectant.* Hæc ille.

Ut verò ex sterili ad mores segete aliquod etiam animis pabulum suppeditemus, illud pro epilogo hîc memorandum venit, quod Magnus Cassiodorus suos olim docuit his verbis: *Musica*, inquit, *per omnes actus vitæ nostræ hac ratione diffunditur, si Creatoris mandata faciamus, & puris mentibus statutis ab eo regulis serviamus. Quidquid enim loquimur, vel intrinsecùs venarum pulsibus commovemur per musicos rythmos harmoniæ virtutibus probatur esse sociatum. Musica quippe est scientia benè modulandi: quod si nos bonâ conversatione eam tractemus, tali disciplinæ probamur semper esse sociati; quando verò iniquitates gerimus, Musicam non habemus.* Notabilis quoque est illa S. Augustini sententia, quam nostris Musicis seriò observandam monet Religiosissimus *D. Joachimus* Abb. Fischinganus in suis ad Regulam Ss. P. Benedicti Animadversionibus pag. 100. dicit enim ille In suis confessionibus, *Arbitrari se peccasse pœnaliter, si à naturali suavitate melodiæ abductus, in illa potiùs, quàm in attentione ad sacrum textum moratus ac delectatus fuisset.* Quibus illud Concilii Carthaginensis monitum adjicimus: *Quod ore cantas, credas corde, & quod corde credis, operibus comproba,* bonus eris Musicus.

Qualiter Musica sese in actus nostros diffundat.

CAPUT IV.

* Citatus Dissert. V. pag. 296. Peyjoò *Cartas eruditas* Tom. I. p. 373. n. 44.

CAPUT IV.

HISTORIA STUDII SACRÆ JUXTA AC PROFANÆ HISTORIÆ, NECNON MONASTICO-BENEDICTINÆ.

Historiæ Utilitas.

EMenso Philosophiæ, artiúmque Mathematicarum circulo, nunc ad illud progredimur studii genus, cujus præterquam quòd jucunda sit tractatio, incredibilis quoque est non modò ad vitam, sed ad omnes etiam artes utilitas. Quippe si quodcunque aliud, certè studium historicum ad præstantissima quæque virtutum decora suos cultores excitat, & turpissimorum quorumque facinorum horrorem inspirat, dùm velut in speculo illarum pulchritudinem ac præmia, horum verò fœditatem & pœnas non unâ factorum eventuúmque imagine ob oculos ponit, idque efficit, ut præteritis non minùs videamur interfuisse, quàm præsentibus, & iis perinde uti possimus ac nostris. *Historia*, inquit Cicero, *testis est temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis;* quæ si adsit, ex pueris senes facit; sin absit, ex senibus pueros reddit. Nemo enim patrem, nemo majores suos nôsset, nemo jus suum aut alienum vel scire posset, vel obtinere, nemo quam regionem incolat, quomodo illuc pervenerit, nemini sua possessio certa esset & rata, nisi historiæ munere. Hæc est, quæ jucundissimam tot Rerum, Locorum, Gentium, Urbium, Heroum recordationem suggerit. Hujus beneficio ipsa divinitatis, humanarúmque rerum notitia, fidei jura, spes æternitatis, totiúsque Religionis & Civilis Societatis officia in mundo conservantur, viget Majestas, animi ad sapientiam, pietatem, prudentiam, cœtetásque virtutes instruuntur. Neque id solùm *Historia*, sed & aliis omnibus ferè Scientiis lucem fœneratur maximam: Etenim Scripturas, Concilia, Traditiones, Ritus veteres illustrat, Ingenium, Mores, Consuetudines, Instituta, Antiquitates Populorum resetat; Doctrinas Juris Canonici, Civilis, Publici limat; Principum prærogativas à neglectu & insultu malevolorum vindicat; Ptovincialia negotia in ordinem collocat, & si quid majus in Reipublicæ commodum expectari poterit, exequitur, quin superat quàm manifestò. Quapropter ut benè observat LUDOVICUS VIVES *, Historia videri posset præstare omnibus, *quæ una tot artes vel pariat, vel nutriat, augeat, excolat, idque non per amara & molesta præcepta, atque exercitamenta, sed per animorum delectationem: ut simul pulcherrima ac fructuosissima haurias, simul animum recrees ac reficias.* Quantum verò nobilissima hæc disciplina debeat Monachis **, *Joannes Marshamus* in propylæo Monastici Anglicani dignâ hâc Viro ingenuo effert sententiâ; *Absque Monachis, nos*, inquit, *sanè in historia patria semper essemus pueri.* Quid Ven. *Bedæ*, quid *Ingulfo* & *Turgoto*, quid *Wilhelmo* Malmesburiensi, quid *Mathæis* Westmonasteriensi & Parisio Monachis, alisque pluribus debeat Britannia; Quid *Adoni* Viennensi Atchiepiscopo, quid *Wilhelmo* Gemeticensi, & *Orderico* Uticensi, quid utrique *Aimoino* & *Hugoni* Abbati Flaviniacensi Gallia; Quid *Paulo* Diacono, *Erkemperto*, *Leoni* Marsicano, & *Petro* Diacono Italia; Quid denique Germania *Reginoni* Prumiensi Abbati, quid *Witichindo*, *Mariano* Scoto, *Lamberto* Schafnaburgensi, *Ditmaro*, *Hermanno* Contracto, *Trithemio*, ceterísque Cœnobitis debeat, etiam me tacente judicabunt rerum historicarum periti. Hæc summatim ob oculos posita, paullò fusiùs, per partes eundo, explicare juvat.

* De trad. discipl. libro V. pag. 620.

** Vide Mabillon. Præfat. 1. in sæc III. Bened. num. 44.

SECTIO

SECTIO I.

De Studio Historiæ sacræ, seu Ecclesiasticæ.

Hagiographia à Benedictinis exculta,

CUm studium rerum ecclesiasticarum habeatur omnium commendatione dignissimum, tùm verò cognitio sacræ seu Ecclesiasticæ Historiæ, quæ ad Theologiam cumprimis Positivam multum confert, præcipuis in amoribus habenda est; cui utilissimæ disciplinæ, ut jam inculcavimus, pro facultate illustrandæ partes suas deesse non sustinuerunt Ordinis nostri Sodales. Quum verò historiæ, quæ res Ecclesiæ docet, plures sint partes, initium facimus ab *Hagiographia*, ad quam primus è nostris calamo incubuit S. GREGORIUS M. qui res à viris sanctis in Italia piè gestas in morem dialogorum anno 593. literis mandare aggressus est quatuor libris, Petro Diacono ejus familiari sermonem conferente. Quâ id factum sit occasione, ipse hujus Operis initio exponit. Quippe cùm innumeris curis, ac negotiis ceu fluctibus in Pontificatu jactaretur, ut ab iisdem otii aliquid consequi posset, in secretum locum, ceu portum quendam se recipere decrevit. Igitur cum Petro in Divi Andreæ, ut antiqua habet inscriptio, monasterium concessit. Hic vitæ ex pietate religiosâ transactæ acris animum vellicavit cogitatio *, qualis scilicet aliquando in monasterio fuisset: „ubi rebus mortalibus superior, non nisi „cœlestia cogitare consueverat, & „mortem quoque ipsam, quæ penè „omnibus invisa est, velut ingressum „vitæ, & laboris sui præmium amabat. Perpendens itaque & quod „amiserat, & quod tolerare in Pontificatû cogebatur; quasi post tergum „conversis oculis, viso, quem reliquerat portu, ingemiscebat, quem ne „quidem plenè cernere, utpote rerum „secularium tenebris circumfusus valebat. Hunc verò dolorem augebat „contemplatio virorum sanctorum, qui „tunc in Italia, procul à tumultû, „uni Deo placere gestiebant, quorum „facta & miracula sciscitari ab aliis, „& indagare per sese jam dudum amaverat." Ea itaque, quæ bonis ac fidelibus viris attestantibus noverat, vel quæ per se ipse didicerat, his quatuor libris complexus est. Extat ejusdem Pontificis ad Maximianum Syracusanum Episcopum, antea sui monasterii Abbatem, epistola, postulantis, ut ea, quæ ipse hoc de argumento noverat, sibi literis indicaret. *Fratres mei*, inquit, *qui mecum familiariter vivunt, omni modo me compellunt aliqua de miraculis Patrum, quæ in Italia facta audivimus, sub brevitate scribere: ad quam rem solatio vestræ charitatis vehementer indigeo, ut ea, quæ vobis in memoriam redeunt, quæque cognovisse vos contigit, mihi breviter indicetis.* Non dubitandum, quin eadem epistola aliis etiam directa sit ad petendas huic Operi suppetias: id quod prædictæ epistolæ titulus indicat, in quo cæteri, non expressis nominibus, satis designantur.

quibus D. Gregorius facem præfert.

Sequuntur alii propè innumeri.

Divi *Gregorii* exemplo innumeri alii è nostris vitas sanctorum memoriæ, ac gloriæ sempiternæ commendârunt, quo in scribendi genere eorum diligentia ita enituit, ut qui historias maximè antiquiorum legere voluerit, vix aliorum nomen inveniat, quàm Monachorum. Si fortè dubites? Evolve *Surium*, & plerasque Sanctorum Legendas, quas refert, à Benedictinis conscriptas invenies. Si nescias unde *Martyrologia* sua habeant exordia, progressus, incrementa? *Bedam* Venerabilem, *Florum*, *Usuardum*, *Wandelbertum*, *Rabanum* &c. perlege, & disces his ferè unis Benedictinis ea deberi. Quid petis? Certè *Haeftenus* noster perhibet, eam fuisse Benedictinorum Cœnobitarum in annotandis rerum suo, & præcedenti tempore gestarum historiis diligentiam, eam in describendis Sanctorum gestis, vel in epitomen contrahendis priorum Historiographorum monumentis fidelitatem, ut penes eos veterum Annalium Repositorium & *Sanctæ Ecclesiæ Archivum* fuisse videatur. *Joannes Bollandus* celeberrimus è Soc. Jesu Hagiographus postquam vel in solo mense Januario Vitas non paucas à doctissimis Monachis exaratas enumerâsset, in hæc verba prosequitur: ** „*Singula ferè monasteria istiusmodi volumina vel ab aliis descripsere,* vel

* Vid. Mabill. Annal. Tom. I. l. VIII. n. 42. p. 230.
** Bollandus Præf. general. in vitas Sanctorum §. IV. pag. XIX. col. I.

vel consarcinavêre paria sibi, ut suppeterent, quæ & publicè in Conventibus ad virtutum institutionem legerentur, & privato cujuscunque studio volverentur. Duos memorat Georgius Wicelius in Præfat. ad Hagiologium Fuldenses Ascetas, quorum alter RUGGERUS *pietate ac doctrina præstantissimus sex ingentia volumina composuerit* circiter annum 1156. Ante *Ruggerum hunc diligentissimum Scriptorem*, inquit idem Wicelius, *sudârat in eodem lucubrandi studio* ARNOULPHUS *cœnobita facundissimus.*

Scribendi Historias munus Benedictinis impositum. Uti autem Fuldæ, sic fuêre in cæteris quoque Asceteriis, qui tùm alia præstantia volumina, tum præsertim Sanctorum historias vel scriberent, vel aliunde curarent Monachi & Abbates: Quo in præclaro scribendi genere laudem omnem aliis Nostri præripuisse videntur. Etenim ut apposité FELIX EGGER *, *In consignandis Posteritati temporum superiorum Historiis tantæ fidei, solertiæ, ac judicii pariter defæcati exitêre Majores nostri, ut à Regibus idcirco & Principibus in summa fint veneratione habiti*, & teste Wionio, *lege communi ac decreto cautum fuerit apud Gallos, Anglos & Scotos, Monasteria, inprimis verò* SAN-DIONYSIANUM, ALBANENSE, & SANT-ADREANUM, *quasi communem thesaurum & receptaculum debere esse, ubi reponerentur, ac fidelissimè reservarentur omnia historica gesta illius Regni, & quæcunque memoriâ ac famâ digna essent, possent memoriter statim expedire.* Cùm igitur studium Historiæ ac præsertim Hagiographiæ tantoperè in Ordine Benedictino floruerit, operosum ac longum nimis foret, hîc omnes ejus studiosos recensere velle: Aliquos tamen præcipuos, quorum lucubrationes *de Vitis Sanctorum* ad Historiæ Ecclesiasticæ cognitionem maximè faciunt, more nostro cursim delibare licebit.

Joannes Diaconus ex Scriptis S. Gregorii vitam conscribit. JOANNES DIACONUS, Monachus Casinas, & S. R. E. Cardinalis, seculo octavo in quatuor libris, quos de vitâ sancti Gregorii M. condidit, recentioribus Hagiographis, Vitas Sanctorum ex propriis eorum scriptis contexendi, exemplum præivit. Quod nostrâ ætate doctissimi Religiosi Congregationis S. Mauri magnâ cum laude secuti fuerunt. Sic enim è scriptis Quatuor Latinæ Ecclesiæ Patrum ac Doctorum, *Augustini*, *Ambrosii*, *Hieronymi*, *Gregorii*, eorum vitas potissimùm concinnârunt. Vel unius S. Augustini Ecclesiæ Doctorum præcipui Vita quantum doctrinæ ac eruditionis ecclesiasticæ non complectitur? nam, ut Auctores Actorum Eruditorum Lipsiensium testantur, ex octo libris prolixè satis ex ipsiusmet Augustini scriptis adornata instar esse potest Augustiniarorum, imò Ecclesiasticorum, ejus temporis, quorum SS.mus Doctor pars magna fuit, Annalium. Eum imitantur Patres Congreg. S. Mauri. Quanta dein, quámque insignis iterum rerum ecclesiasticarum historia in vitis & gestis cæterorum trium Ecclesiæ Doctorum Ambrosii, Hieronymi, Gregorii? Tantundem in Quatuor Græcæ Ecclesiæ Patrum ac Doctorum, *Athanasii*, *Basilii*, *Gregorii Nazianzeni* ac *Joannis Chrysostomi* Vitâ ab iisdem Congregationis San-Maurianæ Religiosis adornata: nova enim non pauca, neque hactenus observata, fuerunt ab eis allata, præcipuè in vita S. Athanasii, quæ annalium in morem accuratè est disposita. In his certè vitis doctissimi illi cœnobitæ ostenderunt, quanto ingenii & doctrinæ lumine valerent; quanto nempe opus erat, ut abstrusioris antiquitatis caliginem depellerent, difficilioresque ac pene inexplicabiles historiæ nodos expedirent. Unde antequam ** vel hujus vel alterius Patris lectionem quis ordiatur, ad rem valde erit, ejusdem vitam ac gesta accuratè perlegere, ut inde ingenium ejus, genium, scribendi methodum, & tempus, quô vixit, comperiat.

Wandelbertus Prumiensis. Alter Hagiographus est WANDELBERTUS, Diaconus ac monachus Prumiensis, cujus mentio à nobis fit, non quòd Sanctorum Vitas magno numero in literas retulerit, sed quòd libello de vitâ S. Goaris, quem jussû Marcwardi Abbatis sui rudi stylo compositum elegantiori oratione expoliverit, altero libello de ejusdem S. Anachoretæ miraculis adjecto, memorabilem præmiserit prologum; In hoc namque sui ævi homines *nulla dignos excusatione fore* inquit, *si gesta virorum vitæ sanctimonia insignium ad posterorum memoriam scribendo non deducant.* „ Quippe apud Gallos, multos annos „ literarum studia jacuêre, nec facilè „ plures per transacta retrò spatia li„ beralium artium munere functi esse „ reperiuntur: quosque ad nostram, „ *inquit*, ætatem Principum liberali-

„tate,

* Egger in Idea lib. I. pag. 157.
** Ita monet Mabillonius Tract. de Stud. Monast. Part. 2. c. 3. §. 3. p. mihi 119.

„ tate, & optimorum virorum soler- „ tiâ adeò disciplinarum studia profe- „ cerunt, ut invidiam criminis meritò „ nunc sustinere cogamur, *si gesta* „ *Sanctorum virorum, quæ quidem ad* „ *nostram potuerint pervenire notitiam,* „ *posterorum scientiæ deperire sinamus.* „ Neque verò audiendi sunt, qui tan- „ tum ætati præteritæ tribuunt, ut „ nunc quoque fieri, quæ digna lite- „ ris æstimentur, absoluto præjudicio „ negent: cùm divina providentia sin- „ gulis mundi temporibus ita semper, „ quæ humano generi pro modo & „ ratione congruant, ordinet, ut ne- „ que nos priscorum hominum felici- „ tatem desiderare conveniat, neque „ illos nostrorum temporum statum, „ si qualis nunc agitur, præscire po- „ tuissent, damnaturos fuisse credibi- „ le sit. „ Hæc vir inter clarissimos tunc temporis auctores haud postremus de actis & virtutibus Sanctorum in literarum monumenta referendis.

Othlonus S. Emmer. Ratisbon. Monachus.

Annus agebatur supra millesimum sexagesimus secundus, cùm OTHLONUS Monachus Ratisbonensis ad S. Emmeramum ex suo monasterio, nescio, quâ fortunâ exagitatus Fuldam secessit *. Hic rogatu Monachorum Fuldensium vitam S. Bonifacii à Wilibaldo olim scriptam, non faciliori tantùm stylo donavit, sed epistolis, actis Conciliorum, aliisque multis eam auxit, atque in duos libros Wilibaldi unicum distinxit. In libelli autem de suis tentationibus à Mabillonio publici juris facti parte posteriori vitam etiam S. Nicolai, itemque S. Wolfgangi, & S. Magni se emendâsse dicit. Proprio autem marte scripsit vitam S. *Alfonis* unà cum quibusdam carminibus ad eundem Sanctum pertinentibus.

Goscelinus S. Bertini Asceta.

Sub initium seculi XII. floruit GOSCELINUS, seu *Gotzlinus*, ad D. Bertini apud Audomaropolim Artesiæ urbem monachus Benedictinus, quem, *teste Molano*, ** S. Anselmus, aliique multi in Angliam evocârunt: ubi primùm habitavit Ramesiæ, deinde Cantuariæ ad S. Augustinum, quibus in locis varias descripsit Sanctorum vitas. *Goscelinus,* inquit Wilhelmus Malmesburiensis ***, *multos Episcopatus & Abbatias perlustrans, præclaræ scientiæ multis locis monumenta dedit in laudibus Sanctorum Angliæ nulli post Bedam secundus. Denique innumeras Sanctorum vitas stilo extulit, veterum vel hostilitate amissas, vel informiter editas comptiùs renovavit. Felix lingua, quæ tot Sanctis servivit: præsertim cùm in ejus conversatione certaret honestas doctrinæ.* „

Joannes Tinmuth.

Non minori laude extollunt Angli Scriptores ****, etiam Acatholici, JOANNEM *Tinmuthensem*, qui aliquando *Joannes Peccator* nominari voluit, gente Anglus, Tinmuthæ in Northanumbrorum finibus ad ostium Tini fl. villæ non ignobilis Vicarius, & ad S. Albanum monachus, claruit anno 1366. Cùm ecclesiarum archiva & monasteriorum bibliothecas perscrutâsset, veterúmque scrinia evolvisset, ad historiam ecclesiasticam illustrandam animum adjecit, virtutémque & pietatem per priorum exempla posteris commendare satagens, plurimorum Sanctorum vitas literis mandavit. Hujus *Historia aurea* circa annum 1360. scripta, extat MS. in Bibliotheca *Lambethana* tribus prægrandibus voluminibus comprehensa, Opus à Rev.^mo nostro *Usserio*, inquit *Guilielmus Cave,* sæpiùs laudatum, nec non D. *Henrico Spelmanno*, D. *Guilhelmo Dugdalo*, *Henrico Warthono*, ut alios taceam.

Bollandi de nostris testimonium.

Sed quid plura de Benedictinorum Hagiographia? cùm, attestante V. C. *Joañe Bollando*, ***** nullum reperire sit antiquum monasterium, quod quidem hæreticorum ævi hujus effugerit rabiem, quin aliqui in eo præclari de Sanctorum rebus gestis codices extent, ac plerique antiquâ manû exarati. Nec ipsi solùm indefessos se præbuerunt Hagiographos, sed alios etiam in scribendis Sanctorum vitis occupatos consilio & operâ strenuè adjuverunt. Cujus rei nullum certius à me afferri testimonium potest, atque ipsius laudati Hagiographi Joannis Bollandi, qui in Actis Sanctorum describendis familiam inter suos ducit. Cùm enim in eo versaretur, ut adjutores, qui in opere præstantissimo, sed immensæ molis ac laboris, opem ipsi tulerunt, enumeraret, primo loco *Antonium Winghium* Lætiensem Abbatem posuit, quem inter Sanctos beatum degere ævum planè confidit. *Cùm magnus hic vir*, inquit Bollandus, *quem ipsi Belgarum magni Prin-*

Antonii Winghii elogium.

* Mabill. Analector. Tom. IV. p. 402.
** In Natalibus Sanctor. Belgii VIII. Julii in S. Grimoaldo.
*** Lib. IV. de Gest. Reg. Angl. c. ult.
**** Guil. Cave Hist. Liter. ad an. 1366.
***** Bollandus Loc. cit. §. IV. cap. 20. col. 1. ad fin.

Principes, Albertus & Isabella *laudârunt*, *& patria suspexit universa*, *acc*e*pisset*, Heribertum Rosweydum, *cujus jam antea erat ei eruditio cognita*, *probéque perspecta*, *ad illustrandas Sanctorum Vitas*, *omninóque in pristinum restituendas nitorem ac dignitatē adjecisse animum*; *& unicè carum eum habuit*, *& quà potuit*, *juvit consilio & sumptu suppeditando in amanuenses*, *& vecturam librorum*, *qui peregrè peti*, *quique emi in eum finem debebant*. Rosweydo, „ vitâ functo, metuere cœpit *Wingbius*, ne esset nemo, qui humeros „ auderet operi, quod tantum ac talem delassâsset Heroa, supponere. „ Ita nunc, ut ad ipsum magnus ille „ S. Vedasti apud Atrebates Benedictinus Abbas *Cavarellus*, sic ipse ad „ Præsides nostros *Wingbius* scribebat: *Erítne*, *qui Rosweydo succedat? Erítne adeò capacis animi quisquam*, *qui quod ille conceperat*, *diúque foverat*, *tandem excludat atque edat opus?* Ubi ad id ego „ accessi, longè minori quàm Rosweydus, rerum cognitione, judicio, „ auctoritate, styli vivacitate, paratus tamen certè laborem tam sancto „ dicare negotio; tum ille me intimè „ complexus, omni deinceps favore erexit, consilio instruxit, sumptu, ut antea, in libros & amanuenses sublevavit: neque conquievit unquam, „ quin assiduè hortaretur ac stimularet, „ ut quamprimùm ederem partem operis aliquam. Haud facilè verbis assequar, quanto ille studio, quàm „ indefesso animi ardore eam rem procuraret, quasi eâ monasterii ipsius „ imò & patriæ universæ salus agere„ tur.

Sociorū Labores literarii ab uno dirigendi. „ Cùm verò intelligeret, ut neque „ aptus existere concentus potest, nisi sit, „ qui sonos, fides, modos unus temperet, neque navis cursum tenere, quantumvis validè compacta, & præstantibus instructa armamentis, nisi unus „ clavum regat gubernator; neque victoriam reportare exercitus, cui non „ Dux unus summo cum imperio præsit, sic ab uno ordinari ac dirigi rem „ omnem oportere; ita tamen sentiebat, nisi is aliorum fulciretur auxilio, „ fore, ut & succumberet oneri, & nemo fortassis deinde consilii ejus gnarus reperiretur, qui inchoatum ab „ eo opus vellet perficiendum capessere. Urgere igitur Societatis Præpositos cœpit, ut quia etiam mihi id „ gratum sciret futurum, ipséque necessarium judicaret, socium mihi & „ vasti hujus molestique operis administrum darent. Evicit tandem, quâ „ apud ipsos, pro singulari suâ in Ordinem nostrum benevolentia, valebat gratiâ & auctoritate, ut adjutor „ mihi adhiberetur P. *Godefridus Henschenius*, egregiè tum Latinis Græcisque literis, ac Theologicis quoque „ disciplinis eruditus, tum capaci „ cumprimis memoriâ, firmísque viribus corporis, & valde studiosus.

Lætienses Monachi Hagiographos S. J. juvant. „ Quia verò evenire plerumque „ solet, ut ad Præfectorum exempla, „ qui iis subjecti sunt, facilè studia ac „ mores componant, ceteri Lætienses monachi tum Societatem nostram, quam inde à *Blosii* temporibus singulari semper caritate dilexerant, arctiùs etiam complexi sint, „ *Wingbii* imitatione tum studia mea „ favore, consilio, operâ assiduè juvârunt: præsertim qui tunc tirones „ asceticæ vitæ rudimentis instituebat, erátque cœnobii Supprior, nunc „ Abbas, Winghii dignissimus successor *Thomas Luytens*: & qui tunc adolescentiores collegas suos Theologiam docebat, egregiè cordatus vir, „ *Christianus le Roy*, qui deinde tumultibus belli Gallici cum ceteris „ sanctis sodalibus suis monasterio exactus, *Wingbium* optimum Patrem, „ XXXI. Augusti MDCXXXVII. senio, mœrore, ac demum dysenteriâ extinctum, ipse decimo post „ die secutus est, atque ad illius pedes tumulatus in templo Societatis „ nostræ Montibus. Nolo reliquos „ nominatim recensere, ne sim eorum pudori molestus, cùm sit nemo, „ cujus non sim benevolentiam & auxilium quoque expertus, ut facilè „ Blosii Winghiíque discipulos possis „ agnoscere.

Patres congreg. S. Mauri iisdem manum porrigunt: Hæc celeberrimus ille Hagiographus *Joannes Bollandus*; cujus eruditi Socii & continuatores *Godefridus Henschenius*, & *Daniel Papebrochius* cùm an. millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo iter literarium è Belgio in Galliā instituissent, à Religiosis Patribus Congregationis S. Mauri omni humanitatis genere excepti fuerunt. *Franciscus* verò Pomeraye *, eruditione ac doctrinâ insignis, Superiorum jussu ac voluntate, eos è Rotomagensi ad S. Audœnum monasterio ad Gemmeticense, Fontanellense, ac Beccense sui Ordinis & Congregationis per Normanniam monasteria antiqua deduxit, &

* Pez Bibl. Maur. lib. 1. c. 16. p. 48.

& quidquid ibi erat veterum MSS. studiosè examinandi copiam impetravit. In Commentario prævio in vitam S. Geraldi Abbatis Sylvæ Majoris iidem celeberrimi duo Hagiographi, *Henschenius* & *Papebrochius*, GABRIELEM BELLORDEAU, ejus loci Priorem ab insigni humanitate commendant *, quòd, cùm ad ipsum literas pro S. Geraldi vitâ integrâ & ex originali habendâ exarâssent, is illicò per virum antiquitatum domesticarum studiosissimum ac scientissimum *Stephanum Dulauva* ita curaverit satisfieri, ut vix potuerint amplius quid ad S. Geraldi Acta illustranda desiderare. Non iisdem mactant encomiis successorem *D. Gabrieli* præmemorato datum ingenii prorsùs dissimilis; qui ipsorum hac in re operam dedignatus suorum Religiosorum promptas ad obsequendum ipsis manus compresserit, respondens esse in ipso Benedictino Ordine, qui ista curarent. Quæ viri ac Prioris morositas Hagiographos malè habuit, unde subjungunt: *Apparet, non intellexisse eum, quomodo nostrum ipsorúmque de Sanctis scribendi institutum, in multis diversum mutuo juvare ac juvari possit, neque referre, utro in Opere aliquod monumentū prius compareat &c.*

Sebastianus à S. Paulo Hagiographos impetit,

Subinde verò cùm *Sebastianus à S. Paulo* Carmelitarum in Belgio Provincialis, vastum illud Opus Sanctorum Acta continens, quod intra dimidium, & quod excurrit seculum à Calendis Jan. usque ad 7. Id. Junii hactenus processerat, variis scriptis Romanæ Curiæ odiosum reddere annisus fuisset, certè quidem tantum obtinuisset, ut ejus lectio, venditio, ac distributio, per totum, quàm latè patet, Hispaniarum Regnum prohiberetur, *Mabillonius* haud alio tulit animo, atque si proprium ipsius Opus (*Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti*) tam injusto Decreto confixum fuisset. Unde ut illa prohibitio quamprimùm tolleretur, omnem movit lapidem. Argumento sunt ejus literæ ad Eminent. Cardinalem COLOR[illegible] 2. Jan. 1696. datæ, in quibus ** Bollandiorum caussam perinde ac suam his verbis egit: „*Accepi summo cum gaudio restitutionem valetudinis tuæ, priusquàm eam afflictam accepissem. Gratias Deo, qui talem Ecclesiæ suæ Ministrum, talem nobis Patronum reliquit.* Si nos amas, „redde te tantisper otio & vacationi „à solitis laboribus tuis, dum vires „pristinas resumpseris. Quàm vellem „Eminentissimo, dicam, charissimo „Patrono meo aliquamdiu assidere, „ut eum nugis meis à feriis nimiùm oc„cupationibus tantisper averterem. „Sed vererer, ne non solùm nu„gas, sed & nugatorem ipsum re„pelleret Dominus meus, qui non „nisi gravibus & feriis rebus recreatur. „Tibi itaque Eminentissime Domine, „tuóque animo parendum est, & de „feriis loquendum. In his illud pri„mùm in mentem venit, quod recens „in Hispanica Inquisitione contra *Bol„landi* Continuatores factum est. Re„fellerunt illi pro eo; quò affecti sunt „veritatis amore fabulas antiquitatis „Ordinis Carmelitarum, qui conviciis „& libellis contumeliosis viros de Ecc„lesiâ bene meritos onerârunt. Eos„dem Romam ad Tribunal Cardina„lium provocârunt; sed cùm nihil a„pud æquissimos & oculatissimos judi„ces proficere in rem suam potuissent, „libros eorum ad Hispanicam Inquisi„tionem detulerunt. Patronos illic „invenerunt fabulis & commentis „suis suffragantes, qui totos men„ses, Martium, Aprilem, & Maj„um, id est, tredecim integros To„mos proscripserunt, damnârunt, in„terdixerunt, quasi sententias erro„neas, hæreticas, scandalosas, & „quid non simile continerent, id est, „propterea quòd fabulas de antiquita„te Carmelitanâ non approbarent. Et „ferenda fortè tam iniqua sententia es„set, nisi eorum librorum distributio, „lectio, & fructus per totum Hispa„niarum regnum tam injusto De„creto impediretur. Cui malo quid „opponi possit, non video, nisi for„tè sanctissimi Domini nostri aucto„ritas, qui Opus immensum, utilissi„mum, & toti Catholicæ Ecclesiæ ne„cessarium adversùs tam iniquam cen„suram tueatur, eíque suam existima„tionem suúmq; pretium restitui curet, „revocando Hispanicæ Inquisitionis „tam præcipiti & injusto Decreto. Sanè „hoc officium ab Eminentia tua exige„re videtur veritas læsa, & Ecclesiæ „Catholicæ imminuta hac in re utilitas.„ Hæc Mabillonius.

Quod Mabillonius improbat,

Martyrologiorum Scriptores:

Hagiographos excipiunt, qui post Divum Hieronymum sacros Fastos seu Martyrologia, è quibus Sanctorum cultus contra Novatores invictè eruitur, con-

* April. Tom. I. die 5. §. 2. & 3. p. 411. & 19.
** Extant Opp. Posthum. Tom. I. pag. 304.

condiderunt: in quibus agmen ducit Venerabilis BEDA; cujus vestigia presserunt *Rhabanus*, *Ado*, *Wandelbertus*, *Usuardus Æng[u]ssius*, *Notkerus*, *Nevelo*, aliique monachi Benedictini.

Rabanus,

Atque ut de solo *Usuardo* sermo fiat; scripsit is jussu Caroli Calvi Martyrologium, quod & eidem nuncupavit. Quod verò Sigebertus *lib. de Script. Eccl. cap.* 85. dicat, Usuardum *jussu Magni Caroli Imperatoris* Martyrologium condidisse, multi persuasum habuerunt, eum temporibus *Caroli Primi* & *Magni* anno 814. vitâ functi ætatem egisse *: at Sigebertus sub nomine Magni *Carolum Calvum* intellexit, cui aulicorum adulatio, non res præclarè gestæ, *Magni* nomen indidit. Diu verò Romana Ecclesia, & pleræque aliæ *Usuardi* Martyrologio usæ fuerunt. Certè inter Martyrologos antiquos, teste doctissimo Sollerio, *nullus Usuardo celebrior, nullus in Ecclesiâ usitatior, nullus toties descriptus, nullus pluribus editionibus Germanicis, Gallicis, Italicis, Belgicis per totam Europam dispersus*, utpote qui centum circiter annorum cursû fermè vigesies excusus fuerit, ut tertio capite suæ præfationis in novam *Usuardi* editionem fusiùs deducit laudatus Sollerius. Desiit subinde Martyrologii istius typis exscribendi ardor, postquàm Ecclesia Romano-Catholica *Usuardum* non qualemcunque, sed usibus suis aptatum in Officio Canonico usurpandum præscripsit, quódque proinde, mutato Usuardi nomine, verè Romanum Martyrologium cœpit appellari. Hæc igitur neque infima laus ac prærogativa Benedictinis concedenda est, quòd in Ecclesiâ Catholicâ præcipui fuerint Martyrologiorum Scriptores ac quasi Patriarchæ.

Usuardus &c.

Seculo proximè elapso ** *Raymundus Odo de la Mothe* Congreg. S. Mauri *Martyrologium Gallicanum* typis dare destinaverat: verùm cùm certior esset redditus, quòd *Andreas Saussayus*, id temporis parochus ad S. Lupum Parisiis, postea verò Episcopus Tullensis Opus jam occupâsset, non manum quidem de tabulâ sustulit, sed suas primùm observationes cum Saussayo communicavit, tum eum in Martyrologio elucubrando adjuvit, ac deniq; gloriam cessit, quo sub suo solius nomine publicam in lucem emittere posset.

Odo de la Mothe.

Ad Martyrologia proximè accedunt *Acta Martyrum sincera & selecta*, authore *** *Theoderico Ruinarto* è Congreg. S. Mauri. Iis conscribendis occasionem dedit Henricus Dodwellus Anglus, editâ anno 1682. Oxonii inter Cyprianicas Dissertatione de *Paucitate Martyrum* inscriptâ, in quâ contendebat, paucos admodum Martyres in primævis persecutionibus passos fuisse; tantámque Sanctorum Martyrum turbam, quam Ecclesia Catholica in Martyrologiis, aut in ecclesiasticis Officiis celebrat, nulla alia, quàm fabulatorum, aut monachorum otiosorum auctoritate fulciri. Temerariam hominis sententiam, vanissimis conjecturis, ut solet, ac commentis potiùs, quàm argumentis, fultam tam validè refellit Ruinartus, ut is ad incitas redactus ne mutire quidem deinceps ausus fuerit.

Acta Martyrum.

Non procul abest ab hoc argumento historia Epistolæ, quam sub nomine *Eusebii Romani* **** MABILLONIUS ad Theophilum Gallum de cultu Sanctorum ignotorum an. 1698. scripsit. Nomen si dissimulaverit Mabillonius, fecit prudentia; quòd nimirum haud nesciret lubricum & invidiosum esse argumentum, pluribúsque displicituram esse epistolam. At latebras frustra quærebat auctor, quem styli nitor, modestia, pietas, rationum pondus & efficacia, ac eruditio semper eadem sibíque constans vel invitum satis prodebant, adeò ut *Mabillonium* ex iis dotibus facilè agnoscerent periti. Conscribendæ verò epistolæ ea fuit occasio. Sæpiùs & aures & animum pulsaverat ea quæstio, an veri martyres habendi essent illi sive anonymi, sive obscuri nominis, quorum corpora è Romanis cœmeteriis eruuntur; tum quibus indiciis eorum sanctitas & martyrium discerni possint: quo denique cultûs genere Sancti illi incogniti sint honorandi. Dum Romæ versaretur, his de rebus viros Romanæ Ecclesiæ peritos consulere, & subterranea Urbis cùm reverenter, tum accuratè lustrare cœmeteria curaverat, ut ejusmodi quæstio-

Mabillonius de cultu Ss. Ignotorum.

* *In Rayrhadensi prope Brunam Moravorum Monasterio, extat vetustissimum Martyrologium MSs. in membranis, in quo ad calcem legitur:* Inde Domnus Carlus solus regnum suscepit, & Domino protegente gubernat usque in præsentem annum feliciter, qui est annus regni ejus XLII. Imperii autem VIIII. *Quæ nota Chronologica soli Carolo M. congruunt.*

** Le Cerf. Bibl. Hist. Crit. p. 397.

*** Maillet in vitâ Ruinarti.

**** Ruinart, in vit.

stionibus aliquid lucis afferre posset. Reversus statuit scriptis committere, quæ hac de re didicerat; tum ut piorum hominum votis satisfaceret, tum ut cavillos hæreticorum, qui Romanam Ecclesiam eâ de re traducunt, & infamant, quasi sanctos personatos fidelibus venerandos exponat, approbétque profusos illos cultus, qui ejusmodi reliquiis impenduntur nonnullis in locis. Exsequi verò distulit, aliis scilicet studiis occupatus, donec interrogatus quid sentiret de duabus duorum tumulorum inscriptionibus, quarum altera in agro Vesuntionensi, altera apud Ambianos nuper reperta erat, deque corporibus in illis tumulis inventis, essentne Christianorum, an paganorum; & si quidem Christianorum, an Sanctorum dicenda essent, iisque cultus impendi posset, qualis corporibus Sanctorum Româ advectis impendi solet? Occasione hinc captatâ, rem altiùs repetens, epistolam *De cultu Sanctorum ignotorum* scripsit, vulgavítque. In ea epistola tria sibi discutienda proponit, expenditque; primò quid de Romanis cœmeteriis sentiendum sit, & utrùm omnes, qui in eis sepulti sunt, Martyres, an saltem Sancti habendi? Quòd si non omnes, an certis notis & indiciis Sancti ac Martyres ab aliis secernantur? Ad hæc, an Sanctos illos, sive proprio nomine præditos, sive anonymos, quos ob inditum recens nomen *baptizatos* appellari mos est, profuso illo cultu, qualis in quibusdam Gallicanis ecclesiis impendi solet, honorari velit Summus Pontifex, cujus hac in re summa est auctoritas? Quo præstructo fundamento de prædictis duabus inscriptionibus, duobúsque tumulis apud Vesuntionem & Ambianos repertis disserit.

Ejus epistola Episcopis accepta. Ea epistola eruditorum omnium favorem habuit, & quibusdam Episcopis ita placuit, ut ad præscriptum ejus Sanctorum Ignotorum cultum in Diœcesi suâ exigi voluerint. Nec semel deinceps in Gallia & Belgio tum Latinè tum Gallicè recusa fuit. Ex Protestantibus, qui candidiores erant, ea lecta confessi sunt, plura sæpe Romanæ Ecclesiæ vel Apostolicæ Sedi perperàm vitio verti, quæ privatorum hominum vel inscitia, vel immoderata pietas, in cultum sacrum invexit; quæ tamen Catholici peritiores palàm damnant, nec Romana probat Ecclesia. Quæcunque tamen fuisset auctoris circumspectio, ut neminem læderet, vitare non potuit, quin aliquorum offensionem incurreret. **Aliquos lædit.** Quidam, quos bonus quidem, sed cæcus, ac præposterus impellebat zelus; quidã, quos occultior quæpiã causa, quam palàm efferre pudor erat, ægrè ferebant severioribus regulis coërceri populorum pietatem, cujus remissionem non frustra timebant. Hinc Mabillonii lucubratiuncula libellis aliquibus impetita fuit, sed tam infeliciter, ut vix quisquam legere dignatus sit. Alii, ut invidiam auctori conflarent, epistolam ad Romanæ Inquisitionis tribunal detulerunt, nec feliciùs. Cùm enim *Mabillonius* non ipsum cultũ Sanctorum Ignotorum reprehendisset, sed abusum, qui aliquibus in locis, præter regulas à Summis Pontificibus constitutas, irrepserat; hunc eum in modum excrevisse, qui ferri non deberet, ultrò fassi sunt è Romanis doctiores. Quod & *Mabillonius* liquidò ostendit in *Commonitoria Epistola* ad D. Claudium Estiennot, Procuratorem Generalem Congregationis S. Mauri in Curiâ Romanâ, super epistola de cultũ Sanct. Ignotorum. Quam cùm legissent utrique Congregationi Inquisitionis & Indicis præfecti Cardinales, & Prælati, sibi admodùm probari contestati sunt, virique doctissimi epistolam de cultu Sanctorum Ignotorum ab omni censurâ tutam esse palàm asseruêre plures.

Æmuli ejus damnationem urgent. Ut tandem repulsis accenditur potiùs quàm extinguitur invidia, malevoli homines paucis interjectis annis ad solitas artes rediêre, acriúsque, quàm anteà *Mabillonii* damnationem apud Congregationem Indicis insistere cœperunt, bene sibi cessisse putantes, si per latus doctissimi & celeberrimi viri San-Maurianæ Congregationis famæ aliquam infamiæ notam adspergere possent. Eò rem adduxerant, ut vix de lucubratiunculæ censurâ dubitaretur; cùm sapientissimorum quorundam Cardinalium consilio tota conspiratio dirempta est. Sic quippe pro suo in Ecclesiæ, Romanæque Sedis studio, Summum Pontificem *Clementem XI.* adierunt, expondituri, indignum probis omnibus visum iri, si *Mabillonius*, vir doctus ac pius, præcipiti censura notaretur, quòd profusum, & interdum imprudentiorem Sanctorum Ignotorum cultum intra justos limites coërcere studuisset; quem ejus decessor, & Rituum Congregatio reprimere decretis suis studuerant. Hæc, ut *Mabillonio*, cujus epistolam Cardinalis legerat, propitius

tius erat Pontifex, benignè excepit, statímque Congregationem Indicis ulteriori causæ cognitione interdixit; prudenter ratus, monitum Mabillonium, pro sua pietate intimáque in sanctam Romanam Ecclesiam, & Apostolicam Sedem observantia, haud repugnanter nulláque morâ explicaturum, quidquid in epistolâ suâ obscurius videretur. Nec spem fefellit Pontificis vir optimus: nam ubi primùm ejus voluntas innotuit, illicò novam epistolæ suæ editionem vulgavit anno MDCCV. in quâ retractato argumento, novísque accessionibus aucta lucubratione, si quid scrupulum injicere potuisset, explicuit; si quid durius, emollivit; si quid minùs accuratum, emendavit; omnémque vel levissimam offensionis occasionem amoliri sategit. Romanis omnibus probata est nova hæc editio, Summo Pontifici inprimis, qui ea lecta, laudavit, gratulatoriásque ad auctorem suo nomine scribi jussit literas per Procuratorem Generalem Congregationis S. Mauri. Scripserunt & Cardinales multi, in quibus Eminentiss. Otthobonius iis verbis usus est: „ ut in sacra Indicis Congregatione comparuit, „ (nova editio) Eminentissimorum „ Patrum unanimi consensu plenisque „ suffragiis commendata & approbata „ fuit. „

Mabillon retractat argumentum.

Historiæ Ecclesiasticæ pars etiam magna sunt *Vitæ Romanorum Pontificum*, quas primus è familia nostra conscripsisse vulgò dicitur ANASTASIUS Abbas Romanus Monasterii sanctæ Dei Genitricis MARIÆ Virginis trans Tyberim, Presbyter Cardinalis Tituli S. Marcelli. Sic enim Joannes Busæus S. J. Vir eruditus *Vitas Romanorum Pontificum, seu Historiam Romanorum Pontificum à sancto Petro usque ad Stephanum Sextum* inclusivè, vel usque ad Papam Formosum, & annum Christi 890. sub *Anastasii S. R. Ecclesiæ Bibliothecarii* nomine edidit primùm Moguntiæ anno 1604. in 4. Verùm alii ætatis nostræ Critici repugnant, integram illam Historiam, incompto, semilatino, planéque rudem barbariem olente stylo ab *Anastasio* fuisse profectam, ut quæ virum eruditione atque facundiâ insignem minimè referat. Nec minor *Anastasii* est fides, ac veritatis studium, quô Historiam Pontificiam literis mandavit. *Fide omni dignum scriptorem V. C.* Georgius Eckardus * appellat. Unde illiberale

Vitæ Romanorum Pontific.

sapit convitium, quòd Hermannus Conringius Anastasium *Aulæ Romanæ mancipium* vocare non erubuerit. Ac si verò major *Conringio*, homini novo, acatholico, atque Apostolicæ Sedis authoritatem maledico dente ubique arrodenti fides sit habenda, atque *Anastasio*, ex Romani archivi scriniis vitam Pontificum quàm insigni candore, tam magna soliditate scribenti. Sed quæ causa indigni hujus in Anastasium collati convitii? *Anastasius* nempe, ut *Conringius* vult, primus & solus fuit, qui donationem à Constantino Imperatore Romanæ Ecclesiæ factam, à Pippino Rege Francorum auctam fuisse scripsit, *cùm illa Constantini donatio conficta sit, ut nec ipsi Pontificii Scriptores hodie negare audent.* At respondetur Conringio: Licèt donationis instrumentum, quod sub Constantini nomine hodie venditatur, fœtus sit spurius, quem nugacium Græculorum fraus in deperditi authentici locum supposuit, pro comperto tamen habetur, ** plurium donationum, quibus Constantinus M. Romanam Ecclesiam cumulavit, instrumenta in sacro Scrinio Lateranensi recondita, atque ad fidem faciendam Carolo M. ab Hadriano I. Pont. Max. exhibita fuisse. An non deinde *S. Adalhardus*, Corbejæ veteris Abbas, Caroli M. agnatus, atque Pippini junioris in gubernandâ Italiâ adjutor, Romam à Constantino M. Pontifici fuisse donatam in libello *de Ordine Palatii* affirmat, teste Hincmaro Archiepiscopo Remensi, qui illum evolvit, atque ex eo ep. 13. c. 13. scripsit: *Constantinus M. Imperator Christianus effectus --- locum, ac sedem suam, Urbem scilicet Romanam B. Papæ Silvestro edicto privilegii tradidit.* Quid S. Ado ex Monacho Ferrariensi Archiepiscopus Viennensis? *Constantinus*, inquit in Chron. æt. 6. *caput totius Imperii Romam Beatis Apostolis Petro & Paulo, sub testamento tradidit.*

Conringius perstringitur.

S. Adalhardus Constantinidonationem adstruit.

Sed qui alii Benedictini donationem Constantini M. à *Pippino* Francorum Rege auctam fuisse perhibent? *Eginhardus, Leo Ostiensis*, & *Anonymus monasterii Laurisheimensis*. Quid igitur Eginhardus, Caroli M. Cancellarius aulicus primùm, ac deinde Abbas Seligenstadiensis in vita hujus Imperatoris cap. 6. scribit? *Pippinus Haistolphum* (Longobardorum Regem) *compulit, & obsides dare, & erepta Romanis*

Alii à Pippino auctam perhibent.

* Rer. Franc. lib. 24. n. 138.

** Vid. Hadriani epistola I. ad Carol. M. Tom. 18. Concil. Edit. Reg.

nis oppida, & castella restituere. Quid LEO Ostiensis? postquam Chronicl Casinensis libro 1. cap. 8. complures civirates, Exarchatum Ravennæ, & Ducatum Beneventanum enumeravit, quæ Pippinus concessit, subjungit, *eam donationem manu propriâ, & filiorum, plurimorúmque Judicum, & Optimatum subscriptione roboravit.* Ejusdem testimonio, *Rex* Pippinus, *unà cum Romano Pontifice in Italiam veniens, Ravennam, & alias viginti civitates memorato Aistulpho sublatas Apostolicæ Sedi subjecit.* Quid monachus Laurisheimensis? *Pippinus*, inquit ad annum 756. *redditam sibi Ravennam atque Pentapolim, & omnem Exarchatum Ravennam pertinentem ad S. Petrum tradidit.* En tibi præclara ac ferè præcipua monumenta, ex veteribus Benedictinorum Scriptis eruta, quibus accessionis à Pippino ad Constantini M. donationem factæ fides adstruitur. Quamquàm quæ *Pippinus* & *Carolus M.* Apostolicæ Sedi contulerunt, non tam donatio, quàm restitutio rectiùs dicenda sint. Si enim solum excipias Ducatum Spoletanum, nihil novi contulerunt; sed quæ Longobardi Romanis Pontificibus injustè eripuerunt, vi armorum vindicata eisdem restituerunt. Sed hæc pluribus illustranda huc non spectant. Ad Pontificiæ Vitæ Scriptores revertor.

S. Abbo de vitis Pontificum. Illud igitur magis exploratum, atque extra dubium habetur, quòd *S. Abbo* monasterii Floriacensis Abbas & Martyr seculo decimo Epitomen de Vitis Romanorum Pontificum concinnârit. Ejusdem Asceterii, seculo verò duodecimo, monachus erat *Richardus*, cujus opusculum de Romanis Pontificibus usque ad *Innocentium III.* veteribus Scriptoribus atque excerptoribus haud ignotum *Guillelmus Rhede* * Cicestrensis Episcopus Chronico suo inseruit, & usque ad *Gregorium XI.* hoc est, annum Christi 1367. continuavit. Quo etiam ævo *Joannes Birchingtonus* Ecclesiæ Cantuariensis Metropolitanæ monachus Romanorum Pontificum gesta scriptis suis illustravit, quæ, teste Henrico Warthono ** in Lambethana Archiepiscopali Bibliotheca asservantur.

Petrus Boërius. Ejus synchronus fuit *Petrus Boërius* sancti Aniani Abbas, insignis suo tempore Juris utriusque Doctor ac Theologus ab *Urbano V.* Summo Pontifice ob notissimam Canonum scientiam Urbevetanus Episcopus renuntiatus. Cæterùm cùm inter Urbanum VI. & Clementem VII. schisma funestissimum exarsisset, *Petrus Boërius*, eò quòd Gallus esset, Pseudopontificis partibus adhæsit. Itaque cùm ad causam dicendam ab *Urbano VI.* coràm aula Romana citatus fuisset, veniréque contempsisset, tanquam contumax cum aliis rebellibus anno 1378. honore Episcopatûs Urbevetani spoliatus est. Reversus in Galliam, & factus certorum quorundam negotiorum Orator Regius scripsit ibidem Commentarium in vitas Romanorum Pontificum, quem se vidisse manu exaratum in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis Canonicorum Divi Augustini Regularium, itémque in Colbertina testatur *** Casimirus Oudinus.

Albertus Sigebergensis. Seculo XV. ALBERTUS, natione Germanus ****, Sigebergensis monasterii alumnus, Romanorum Pontificum historiam, potissimùm à Gregorio XI. usque ad annum Christi 1454. in literas redegit. Centum post annis floruit in Hispania, celeberrimus ille Historicus noster *Gonsalvus de Illescas* Historiæ Ponrificiæ & Catholicæ auctor, quæ sæpiùs jam typis excusa, æternâ *Gonsalvi* gloriâ, toto orbe circumfertur & legitur.

Cardin. Quirinus Gesta Pauli II. illustrat. Quid præcipuè in causa fuerit, cur Em. Card. QUIRINUS Pauli II. Gestis illustrandis manum admoverit, illicò quivis intelliget, qui ad ejus Pontificis Patriam [Venetias] ad Titulum, quem diu gessit, Basilicæ S. Marci, ad beneficia, quibus eam Ædem affecit, ac demùm ad amplum Palatium propè eandem ab ipso constructum mentem advertat. Hæc enim omnia ejuscemodi sunt, ut ab IPSO, cui illorum, Patriæ scilicet, Tituli, ac domicilii divino munere obtigit communio, grati animi vices deposcerint. Has ut magis, magísque exhiberet, eidem Vitæ præmittendas censuit Vindicias quasdam ad propugnandam, defendendámque adversùs *Platinam*, aliósque obtrectatores, sanctissimi Pontificis memoriam. In hisce verò Vindiciis nemo ingenii fertilitarem, animi judicium, eruditionis immensitatem, styli elegantiam, aliásque scribendi virtutes desiderabit.

Item Pauli III. Eadem laude Purpuratus Pater ***** præstitit in illustrandis Gestis *Pauli III. Farnesii*

* Oudin. Tom. II. pag. 1599.
** Ang. Sac. Tom. I.
*** Tom. III. pag. 125.
**** ibid. pag. 693.
***** Vid. Em. Quirini Dec. 5. Epistol. p. xxiv.

Farnesii, primo ejus Pontificatus Quinquennio. In quo Opere evulgando Ipsi nihil antiquius fuit, quàm ut in propatulo posita tanti Pontificis incredibili bonitate atque sapientia, nemo foret, cui statim non constaret, perperàm prorsùs Heterodoxos, quò suam à Catholicorum cœtu secessionem tueantur, omnem lapidem movere, ut Pontificis, quo sedente altas illa radices egit, nomen ac fata atris coloribus exprimant. Jo. Antonius Saxius, Ambrosianæ Bibliothecarius, magnoperè probavit hanc curam à Cardinale susceptam propugnandi ejus Pontificis Gesta, *quæ nemo hactenùs æqua lance expendere ac vindicare susceperit*; idque proferendo è tenebris, ut Quirinus fecit, *testimonia adeò clara & sincera Cardinalium integerrimæ authoritatis, ut nullus contraire inposterùm valeat, nisi qui contra impetum fluminis niti velit, atque in meridie cæcutire.* Cùm verò vir eruditus, Joannes Georgius Schelhornius, Memingensis Bibliothecarius, per literas significâsset, sibi non deesse, quæ de Paulo III. è genuinis historiarum monumentis regerere posset, à Cardinali provocatus, imò scripto in publicam lucem edito rogatus fuit, ut id liberè præstaret, ac proinde proferret, quæcunque *immortalibus ejus Pontificis laudibus adversantia è Bibliothecæ suæ armariis depromere potis fuisset.* Sed eo tacente, Vir doctus, Joannes Rudolphus Kieslingius, Publicus sanctæ Linguæ Professor in Lipsiensi Academia, epistolam typis impressam anno 1747. ad Cardinalem transmisit, quâ librum ipsius de Gestis Pauli III. ad examen revocavit, susceptum à laudato Pontifice Paulo III. religionis emendandæ negotium discussit, nec non consilium de instituendo aliquo ad componenda partium dissidia Concilio tanti non esse æstimandum, quanti illud Cardinalis fecit, multis propugnavit. Ut primùm verò Cardinali reddita fuit, eam in Articulos XXXVI. partitus est, totidémque Animadversiones opposuit, quibus ea insit virtus, ut veritatis Catholicæ triumpho mirificè inserviant.

Item Pauli IV. Vix autem Cardinalis hoc certamine cum *Kieslingio* defunctus fuerat, cùm ei rursùs arma capienda fuerunt adversùs Jo. Georgium Schelhornium, virum multiplicis doctrinæ ac eruditionis, Memmingensem Bibliothecarium. Is impetere aggressus est *Paulum IV.* quod sanctum Novemvirale Consilium à Paulo III. institutum *de emendanda Ecclesia*, vetitorum librorum catalogo indere non fuisse veritum censuerit. At *Quirinus* ostendit, *Schelhornium* irrito conatu pulvereum turbinem glomerâsse, quo cœlum ipsum, si fieri posset, involvat. Equidem cœlum atrâ caligine prætexere censendus est, qui ejus Pontificis ingenio, cujus Apostolica in vitiis castigandis severitas vel nullos, vel paucos omninò superiores, Historicorum omnium judicio, nacta est inter beati Petri successores, *vitia potiùs tegendi, quàm emendandi* studium accomodat.

A Romano Pontifice contra Henricum VIII. Angliæ Regem Cardinalis *Reginaldus Polus*, & ipse ex Regio Anglorum sanguine procreatus imperterrito animo stetit; at cùm Burnetus, Schelhornius, aliique acatholici Scriptores de tanti Viri (*Poli*) memoria nimium quantum detrahere ausi fuissent, eorum commenta & calumnias Cardinalis doctè & acutè profligavit, ut qui eas in posterum repetere velit, se omnium ludibrio, judice Athenæo Lipsiensi *, certissimè sit expositurus.

Marianus Scotus de Joanna Papissa. *At enim*, inquit hìc nonnemo, *Historiæ Pontificiæ insignem aspersit labem* MARIANUS SCOTUS, *S. Martini Coloniæ monachus.* Is námque, ut Baronius autumat, primus omnium fuit, qui fabulam de *Joanna Papissa* commentus est. Verùm hanc notam Cardinalis *Mariano* immeritò inurit, inquit Antonius Pagius in Critica Historico-Chronologica in Annales ejusdem Cæsaris Baronii ad annum 853. n. XVI. pag. 624. col. 1. Nam Leo Allatius *in confutatione fabulæ de Joanna Papissa*, ex monumentis Græcis num. 3. jam demonstravit, in sinceris Mariani Scoti codicibus hanc fabulam non fuisse exaratam, testari Scriptorem non ignobilem, qui Metropolim Alberti Kranzii Notis illustravit ad lib. 2. pag. 100. editionis Coloniensis año MDLXXIV. curatæ, sed Notam illam typographos Francofurtenses erasisse; *Mariani Scoti* codices Mss. aliquos antiquissimos, qui adhuc extant, nihil de Joanna Papissa habere. *Anno*, pergit Pagius, *MDCLV. Lucas Waddingus, egregiis suis libris omnibus notus, ostendit mihi veterem codicem MSs. Mariani Scoti, in quo nulla Joannæ Papissæ mentio habetur.* Mortuus est autem Marianus Scotus

* Vid. Dec. V. Epist. Memmingensis cum Cardinalis Animadvers. p. 47.

Scotus anno MLXXXVI. & à nullo ex hujus fabellæ assertoribus in suæ sententiæ patrocinium laudatus reperitur.

Sigebertus Gemblac. Jactant deinde Novatores *Sigeberti* nostri Gemblacensis Chronicon, in quo historia de *Joanna Papissa* reperiatur; sed sincera Manuscripta Sigeberti exemplaria de hoc anili commento altùm tacent; quemadmodùm etiam nihil habent de jure eligendi Pontificem, quod Hadrianus Papa Carolo M. concessisse à sectariis fertur; quæ verò Sigeberti verba adducuntur, ab interpolatore schismatico procusa & intrusa fuerunt.

Eginhardus, Aimoinus & alii de translatione Imperii. *Eginhardus, Aimoinus, Regino*, & *Lambertus Schaffnaburgensis* uno ore attestantur, Regnum Francorum de gente Merovingica ad Pippinum ejúsque posteros per *Zachariam* ex Ordine S. Benedicti Summum Pontificem fuisse translatum. Hac veterum quatuor Benedictinorum Scriptorum auctoritate haud moventur heterodoxi Scriptores plerique, quin factum illud Zachariæ Pontificis improbent, ut illegitimum, audacissimum, & extra limites Pontificiæ potestatis fuisse asseverent, secuti suos patres ac majores, Centuriatores Magdeburgenses, qui scribunt Centur. 8. cap. 10. *Zachariam Papam quasi divinam potestatem assumpsisse*, & Calvinum, qui lib. 4. Instit. c. 7. §. 17. dicit, *injustè à Zacharia Pontifice Childericum Regno Francorum esse spoliatum.* At quis hosce miseros, nulliúsque auctoritatis Novatores, constituit Judices Pontificum & Regum, ut sua perversitate judicii, & facto toto orbe & applausu omnium approbato iniquam proferre ausi sint sententiam?

Quid est de re Maimburgus. Inter hos mediam viam eligere voluit *Ludovicus Maimburgus* in Tractatu Historico, quem de institutione & prærogativis Ecclesiæ Romanæ, ejúsque Episcoporum conscripsit; quo opere cùm paucis foliis ostendisset S. Romanæ Ecclesiæ primatum, reliquam operis istius partem evertendis ejusdem Pontificii primatûs præcipuis fundamentis studiosè impendit; atque à capite XXVI. usque ad finem libri calamo in Pontifices prorsùs infesto impugnat omnem, qualemcunque incidentem, aut indirectam Pontificum in Reges & Principes potestatem, quam adulatores non Sedis, sed Curiæ Romanæ (hæc enim multùm ait differre) olim excogitaverint, atque obvia quæque ex historiis arripit, ad impugnandam hanc indirectam Pontificum potestatem, nec religioni sibi ducit, unum præ alio asserere, quippe fraudis securus, inopiâ aut temporis, aut Historicorum, qui paucis lectorum ad manus sunt, lectori ubique imponit dicens, *non auctoritate Zachariæ Pontificis, sed consilio, regnum Franciæ à Merovingica stirpe ad Carolinam translatum:* asseverátque, Zachariam non imperâsse, sed tantùm consuluisse, & qui contrarium dicat, ignorantiâ laborare rerum Gallicarum; nam & hoc quoq; solemne habet, ut sua magno fastu attollat, aliena pari neglectu habeat, vel silentio involvat, ne fraus in scribendo deprehendatur. Quid enim verius, quàm quòd omnes antiquissimi authores, & consuluisse *Zachariam*, & imperâsse dicant, ejúsque auctoritate translationem hanc factam? Annales Francorum vetustissimi sic habent: *Data authoritate suâ* (Zacharias) *jussit Pippinum Regem constitui.* & infrà: *Secundùm Romani Pontificis functionem, Pippinus Rex Francorum salutatus est.* Eginhardus Caroli Magni aulicus & à secretis: *Hildericus Rex jussu Stephani Romani Pontificis depositus, ac detonsus, & in monasterium detrusus est.* Et infrà: *Pippinus autem per authoritatem Romani Pontificis ex præfecto palatii Rex constituitur.* Stephani jussu id factum scribit Eginhardus, quia licèt antea jussu Zachariæ Pippinus in Regem fuerit provectus, & S. Bonifacii unctione initiatus, tamen ab eo tempore, quo à Stephano Papa in Regem inunctus est Pippinus, cœpti sunt numerari anni ipsius Regni, ut docent vetera monumenta Francorum citata à Baronio, anno DCCLIV. n. 6. Aimoinus lib. 4. de gest. Franc. *Pontifex*, inquit, *data authoritate sua, jussit Pippinum Regem institui.* Rhegino lib. 2. Chronici, *Zacharias per auctoritatem Apostolicam jussit Pippinum Regem creari, & sanctæ unctionis oleo inungi.* Lambertus Schaffnaburgensis in Hist. Germ. *Pippinus Decreto Zachariæ Papæ, per unctionem S. Bonifacii Rex appellatus est*: hisce cæteri Scriptores omnes rerum Francicarum, tum veteres, tum recentiores absque controversia adstipulantur.

Quid alii veteres.

Maimburgi mala fides. Hæc omnia & complura alia antiquissimorum testimonia silentio premit *Maimburgus*, dissimulátque perinde, ac si nunquam legisset, cùm certissimum sit lecta ab eo esse, eorúmque præteritione conatur persuadere Lectori, in hac translatione non auctoritate & jussu, sed consilio Pontificis hæc omnia gesta esse, ut vel ex hoc liqueat,

non

non pro veritate scripsisse, sed arbitrio dominantium, quorum libidini serviliter ancillante eloquentiâ suos fœtus protulit: ipse profitetur se mediam viam elegisse, quâ Protestantibus maximum obstaculum redeundi ad Romanam Ecclesiam ademptum fuerit, *& tantum effecit* (verba sunt *Gerhardi Hagemanni* *) *suâ mediâ, quam molitus est viâ, quantum Theologi illi, qui mediam excogitârunt scientiam.* Labes verò, quas Maimburgus Historiæ Pontificiæ aspersit, magnâ curâ, eruditione ac doctrinâ detersit in *Gallia Vindicata, & Regali Sacerdotio* Cœlestinus Sfondrati Abbas & Princeps San-Gallensis, S. R. E. Cardinalis.

Benedictus Bacchinius. Vindicem etiam Romanorum Pontificum egit *Benedictus Bacchinius*, cùm librum Pontificalem, sive Vitas Pontificum Ravennatium, auctore *Agnello*, sive Andrea conscriptum illustravit. Cùm enim *Agnellus* sanctissimos Romanæ Sedis Pontifices passim insectetur, & ea tradat, quæ primæ Sedis in Ravennates Episcopos jura, in dubium revocent, & in Augustos devolvant, Bacchinus Agnelli errata magis quàm narrata funditùs evertit. Nec *Hieronymum Rubeum*, clarissimi aliàs nominis Scriptorem prætermisit, quin ejus in Ravennate Historia celebre commentum de præstito per Valentinianum III. Privilegio, quô scribitur, *Augustum* Ravennati Ecclesiæ *duoderim Episcopos subjecisse*, & præterea *Pallio* uti in sacris dedisse, validissimis rationibus confutaret.

Joannes Diaconus. Alii Benedictini si non omnium Romanorum Pontificum, certè quidem aliquorum, vel unius Acta conscripserunt. Sic JOHANNES *Diaconus* rogante Gauderico, Veliterno Antistite, adorsus est scriptionem Gestorum S. Clementis Papæ, quemadmodùm ex Gauderici epistola intelligitur. Idem attestatur ipse Joannes in fine lib. IV. de vita S. Gregorii M. *Ego tamen divinæ spei fiducia roboratus, quia Gaudericus Veliternus Episcopus expostulat, ad Clementem Romanæ Sedis Antistitem suffragante Domino, stylum convertam: quatenùs, qui continuis infortuniis attenuantur, amicis meis, à quibus utcunque sustentor, meritum rependere nequeo, saltem verba, quæ valeo, minimè denegâsse cognoscar.* At authorem priùs vitâ fuisse functum, quàm ultimam manum huic operi imposuerit, ex Gauderici epistola docemur. Idem *Johannes Diaconus* ** monasterii Casinensis alumnus, vitam Gregorii Magni, sanctissimi Pontificis, à Paulo Diacono monacho etiam Casinensi compendiosè descriptam, præclarè fusiori stylo complexus est. Quasi enim pro acceptis tot beneficiis gratum se ostendere voluisset mons hic sacer, sancti Gregorii scriptis mirè celebratus, ac laudes laudibus rependere: non satis habuit ad ipsius historiam posteris consignandam unum suppeditare scriptorem, sed alterum addidit, & quidem diligentissimum Historicum. Nostrâ ætate *Dionysius Sammarthanus* è Congreg. S. Mauri ejusdem sanctissimi Doctoris vitam ex ejus potissimùm scriptis concinnatam priùs Gallicè tum Latinè publicavit. Hanc autem lucubrationem felicis recordationis Innocentio XII. acceptissimam fuisse, Eminent. Cardinalis Spada literis datis 8. Aprilis an. 1698. Samarthano significavit, atque ad majora audenda, impertita nomine tanti Pontificis benedictione eidem animos addidit. Quare is statim ad novam omnium S. Gregorii Operum editionem se accinxit. Multùm etiam comendatur Historia, quam de Gestis Urbani II. Papæ è nostris Theodericus Ruinartus eruditè, ut cætera omnia, conscripsit. Acta Gelasii II. notis amplissimis & integro Commentario *Constantinus Cajetanus* illustravit. Dionysius Sammarthanus.

Cùm Papam inter ac *Ludovicum Bavarum* magna fuissent orta dissidia, *Marsilius Patavinus* in gratiam Imperatoris Opus edidit contra Romanos Pontifices, quod etsi belli maximum seminarium, ipse tamen pacis defensionem appellare non dubitavit. Quâ etiam occasione opinionem illam, *Divum Petrum nunquam fuisse Romæ*, primus insigni impietate procudisse dicitur. Utcunque sit, placuit hæc opinatio postea *Calvino*, ejúsque asseclis, qui ut in arcem ipsam capútque totius Religionis Christianæ invaderent, Divum Petrum nunquam Romam vidisse, affirmare ausi fuerunt; quod eo consilio fecerunt, ut penitus abrogata Rom. Pont. auctoritate reliqua corporis pars trunca capite inanis inutilisque abjiceretur. Huic ulceri pessimo, & jam latiùs serpere incipienti salubre medicamentum apponere statuit *Gregorius Cortesius* Abbas doctissimus è Congregatione Casinensi, postea Num Petrus Romæ fuerit. Gregorius Cortesius.

* Lib. de Hominis Nobilitate lib. 1. Tit. XI. pag. 67. cujus est tota hæc narratio.
** vid. Dion. Sammarth. in Præfat. ad tripl. vit. S. Greg. M. Opp. Tom. IV.

ftea verò S.R.E. Cardinalis. Edidit igitur insignem Tractatum historicum, in quo, ut Adversarios fortissimè premeret, eam præcipuè agitavit quæstionem: potueritne Petrus Romam aliquando proficisci, ut ex ejusmodi profectione nihil contrarium, nihil pugnans iis, quæ in sacris Literis habentur, omnino resultet? Quod cùm dilucidè ostendisset, tum verò licere sibi putavit, ut illorum auctoritatibus inniteretur, qui proximè ad Apostolos accedunt, & tempore, & sanctitate, qui uno ore ejusmodi profectionem ad urbem Romam tam verè quàm constanter affirmant.

Historia Episcopalis. Pontificiam sequitur *Historia Episcopalis*: non minori enim labore ac studio à nostris desudatum fuit, ut variarum provinciarum Episcopos, eorúmque res gestas memoriæ proderent. Priùs verò quàm de his sermonem instituam, pauca verba de *Hincmaro* nostro, Archiepiscopo Remensi, facienda mihi sunt.

An eam fœdârit Hincmarus? Hunc *Hadrianus Valesius* * acerbiùs exagitat, post hujus ævi scriptores ipsi infensissimos, quasi Caroli Martelli damnationis historiam in prologo ad vitam S.Remigii Archiepiscopi Remensis comentus fuerit, sicq; Episcopalem Historiam turpissimâ labe fœdârit: putat enim *Valesius*, Hincmarum 1mo. pugnantia loqui, dum ait Eucherio Aurelianensi Episcopo prædictam damnationem fuisse revelatam, qui ante Carolum è vivis excesserat. 2.do Non audiendum, dicentem eam accepisse ex relatione eorum, qui apertioni tumuli interfuerunt, cùm ipse ad Episcopatum Remensem centum annos post Caroli obitum pervenerit, 3.tiò Denique hallucinatum, dum refert Pippinum Regem & Fulcardum Capellanum ab Eucherio monitos, ut horum jussu Caroli sepulchrum aperiretur, qui necdum his dignitatibus pollebant.

Ejus vindex Marlottus. *Verùm Hincmarus*, inquit ejus Vindex Guillelmus noster Marlottus in Historia Metropolis Remensis Tom. I. lib. 2. pag. 290. *ex fama damnationis Caroli, quæ per totam Galliam increbuerat, tum ex aliorum dictis & scriptis prædictam historiam suis Operibus eâ fide intexuit, quâ Bernoldi ac Flotildis visiones Neoterici quidam ac summæ eruditionis viri retulerunt.* Nec adeò imprudenter & ineptè. Etenim cùm Carolus ob tyrannidem *longâ torsione, & verenda morte consumptus* dicatur in S. Bonifacii Epistola ad Ethelbaldum Merciorum Regem, facilè his, quæ de eo vulgabantur, creditum est, cujus pœnitentia non constabat. Obitûs Eucherii epocha, cui præsertim innititur *Valesius* post Baronium, valdè incerta est: Dionysius siquidem Petavius Chronologorum facilè princeps *Ration. temporum* lib. 8. cap. 5. pag. 508. probat ex Sigeberto Eucherium Aurelianensem in exilium actum à Carolo, sequenti anno, post Caroli obitum decessisse, quod ante eum docuerat Carolus de la Saussaye ex Chronico monasterii S. Trudonis, qui in suis Annalibus per annum integrum ei superfuisse tradit. Quod secundo loco objicit de temporis intercapedine, prorsùs infirmum est; quid enim vetat Hincmarum adhuc puerum à senibus accepisse, qui præsentes apertioni tumuli fuerunt? *sanè ipse ego*, inquit Marlottus, *qui adhuc Dei gratia superstes sum, & hoc anno 1665. scribo, inaugurationis pompam Henrici II. certissimè accepi à senibus, qui interfuerunt, quamvis hæc anno 1547 peracta sit.* Nec alicujus momenti est, quòd jussu Pippini & Fulradi regii Capellani, qui nedum his fulgebant gradibus, tumulus dicatur apertus; ut prior conditio posteriori plerumque non officit, sic nec posterior priori, & passim videmus, illustres viros per majorem dignitatem denominari, licèt eis seriùs hæc accesserit. Et hæc à me dicta sunt non animo prædictam Historiam tuendi, sed ut *Hincmarum* à convitiis vindicem, qui nimiæ credulitatis ad summum culpari posset, non verò mendacii & falsitatis. Nunc ad Episcopalem Historiam.

Paulus Diaconus de Episcopis Metensibus. In Italia seculo VIII. PAULUS *Diaconus*, magni nominis vir, vitas, seu historiam Episcoporum Metensium conscripsit, & quamquàm primus ille non fuerit, qui ejusmodi generis historiam literis consignare cœperit, attamen Italis ingeniis illius exemplum ad paria elucubranda stimuli loco fuisse persuasum sibi habet V. C. Lud. Ant. Muratorius.

Hilduinus de Dionysio Areopagita. In Gallia seculo IX. HILDUINUS Abbas monasterii S. Dionysii propè Parisios, doctrina ac pietate insignis jussu Ludovici Pii Imperatoris, vitam *S. Dionysii Areopagitæ* composuit cùm prosâ tum carmine; quæ lucubrationes vul-

* Tom. 3. lib. 25. pag. 542. Hincmarus verò hanc historiam non tantùm in cit. prolog. refert, sed etiam in epist. ad Ludovicum Germaniæ Regem data.

gò *Areopagitica* appellantur. Sed quæ de Dionysio Parisiorum Episcopo tradidit Hilduinus, graves superiori seculo inter Viros eruditos controversias excitârunt; quorum benè multi existimant, in hoc peccâsse *Hilduinum*, quòd componens vitam S. Dionysii Episcopi Parisiensis eum cum S. Dionysio Areopagita Atheniensi Episcopo malè confuderit. Hinc non multis abhinc annis varios libros de opinionibus *Hilduini* circa S. Dionysium Areopagitam ejúsque scripta viri doctissimi hac super controversia inter se discordes in publicum ediderunt. E Congregatione S. Mauri sententia Hilduini placuit *Hugoni Menardo*, *Simoni Milletio*, *Claudio David*, qui cum aliis nomen *Areopagitarum* tulerunt, quòd S. Dionysium Parisiensem, atque S. Dionysium Atheniensem, unum eundémque fuisse Episcopum propugnarent. Quorum scripta, atque qui ea oppugnârunt, noscendi desiderium si quem tenet, Dissertationem legat doctissimi *Nicolai Nourry* è Congr. S. Mauri Tom. I. *Apparatûs ad Bibliothecam Maximam Patrum*, & *Philippi le Cerf Bibliothecam Historico-Criticam*.

Herigerus de Episcopis Leodiensibus.

Seculo X. HERIGERUS Laubiensis monasterii Abbas *Gesta Pontificum Leodiensium* literis mandavit, quem subinde plures alii secuti fuerunt*. Quantum enim decus Leodiensi Ecclesiæ scriptis suis nostri contulerint, quis ignorat? Nónne his nnis referendum, si modò pluribus lætatur monumentis, si horum laudat sanctitatem, si doctrinam illorum miratur, si hujus constantiam, si cæterorum virtutes alias enumerat? Hæc omnia à nostris ferè unis edita, è nostris unis Bibliothecis prodierunt. Quis Acta S. Amandi edidit? Nónne *Baudemundus* & *Milo* Elnonenses monachi? Quis S. Remacli vitam conscripsit? Nónne Anonymus Stabulensis, & *Notkerus* S. Galli monachus? Quis Acta S. Theodoradi? Nónne *Sigebertus* Gemblacensis? Quis S. Lamberti? Nónne *Galfridus* monachus Elnonensis? Quis Wolbodonis? Nónne *Renerius* S. Laurentii monachus? His adde cæterorum Antistitum series & gesta, continuatásque historias nostrorum plerumque studio collectas, digestas, adornatásque, ut meritò Benedictinos Historiæ Leodiensis parentes appellaveris.

Eadmerus scribit vitam S. Anselmi Cant.

Seculo XI. cùm *S. Anselmus* Archiepiscopus Cantuariensis à Rege Angliæ Willelmo propter immunitatem ecclesiasticam multa fuisset passus, in exilium anno MXCVII. sponte ultrò abiit, cujus fidissimus Achates erat EADMERUS Cantuariensis Ecclesiæ cathedralis monachus. Huic ab infantia mos fuerat semper *Nova*, quæ fortè & maximè in *ecclesiasticis rebus* occurrebant, diligenti intentione considerare, ac memoriæ commendare, ut de se ipso loquitur. Quo studio in virum doctissimum evasit, sinceritate historiæ, & orationis facundia præ cæteris illustrem. Ipse S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi auditor & discipulus, deinde convictor & amicus, exiliorúmque ac laborum ejus individuus comes, Regis irâ & odio nihil territus, ab eo nunquam recessit. Romam cum eo profectus, urbanè ab Urbano II. susceptus, & in magno honore habitus est, adeò ut ipsi Anselmo Edmerum præfecerit, à cujus jussis totus penderet, id ipsum Anselmo enixiùs rogante, ne obedientiæ meritum cæteris prælatus perderet. Anselmo denato privatam vitam *Eadmerus* aliquamdiu duxit; sed postmodùm Ecclesiæ S. Andreæ in Scotia Episcopum creatum ferunt. Scripsit *Historiam Novorum*, in qua ea, quæ inter Reges Anglorum & Anselmum Archiepiscopum Cantuariorum facta sunt, maximè circa investituras Episcoporum, & Abbatum per baculum, & annulum, inconcussa veritate designavit.

& Novorum Historiam.

Baldericus Godefridi rogatu

S. Godefridus, eximiæ vir sanctitatis, Divi Quintini apud Peronam primùm monachus, inde Abbas S. Mariæ de Novigento, tandem Episcopus Ambianensis, cùm post suam electionem Chronicon legisset, quô *Baldricus*, cognomine *Rubeus*, Episcopus Noviomensis Gesta Cameracensium & Atrebatensium Præsulum complexus fuerat, literis mense Majo anno MCVIII. scriptis eum interpellavit, ut suæ etiam Diœcesis Ambianensis Annales exarare non gravaretur.

Dilecto Confratri Balderico Noviomensi Episcopo Geofridus Ambianensis Episcopus salutem in Domino.

„ME indignum ad hanc Pastoris curam evexit Deus, ut quod di„gnum devotione gregis est, faciam,
„ Cùm itaque in hac diœcesi peranti„ quæ sint Ecclesiarum fundationes, &
„ jam injuria hominum diruta pleraq;
„ claustra, ut ea oblivioni perpetuæ
„ non tradantur, sed piorum locorum
„ recor-

* Marthene & Durand Præfat. ad Collect. amplis.

„ recordatio fublevet fidelium animos, „ ad devotionem propagandi cultûs „ divini, & ut multis intercefforibus „ Deus fuper militia noſtra fiat placa- „ bilis, & miſericordiam largiatur, „ precor obnixè in Domino, ut te „ labori pio accingens, aut potiùs in „ eo labore perſeverans, noſtræ Dioe- „ ceſis & Eccleſiæ fias Exſcriptor, & „ Scriptor, ſicut in Eccleſia Camera- „ cenſi & Morinenſi fuiſti fidelis cala- „ mus ſcribæ velociter ſcribentis, non „ abſcondas talentum in terra, & „ benefaciens, noli deficere. Salu- „ tat te Petrus Archidiaconus, & ego „ tuus conſervus in ovili Chriſti, in „ quo vale. *Scripſi ad S. Quintinum,* „ *meas delicias, juxtà Perronæ villam* „ *an.* 1108. *in Majo.*

condit Chronicon Ambianense. *Ex quo ſatis compertum eſt*, inquiunt Sammarthani *, *dignam eſſe rem Epiſcopali ſollicitudine, Eccleſiarum origines & monumenta perquirere, & iis quaſi vitam reſtituere, quos & mortis & temporum calamitas oblivioni damnarat.* BALDERICUS verò non laude tantùm ingenii ac doctrinæ præſtans, ſed inſigni etiam humanitate & facilitate præditus, ut amici precibus obſequeretur, Chronicon Ambianenſis Eccleſiæ ex ſchedis ſecum communicatis elucubravit; quod MS. Franciſcus Swertius & Andreas Valerius apud Cenomanenſes Benedictinos aſſervari perhibent, nemo hactenùs verò, quod ſciam, publicam dedit in lucem.

Odo Abbas ſcribit de miraculis S. Thomæ Cantuar. Seculo XII. in Anglia claruit ODO *Abbas S. Martini de Bello*, anteà Prior Eccleſiæ Cantuarienſis, qui libros quinque miraculorum S. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi & Martyris ſcripſit, quorum ipſe *Odo* plurimorum ſe teſtem oculatum profitetur, quos confeſtim poſt S. Thomæ mòrtem conſcripſit ab anno nimirùm 1171. ad annum 1175. quô Abbas de Bello in Anglia electus eſt. *In his miraculis* (ſunt verba Caſimiri Oudini **, tametſi ab Ordine Religioſo, & Orthodoxa fide Apoſtatæ) *in his miraculis Odo elegans, devotus, ut vix in hoc argumento, quod fragile admodùm eſt, aliquid unquam gravius & ſincerius legerim, quæ fermè ad quadraginta, quod ſtupendum, excurrunt, ut ſi hæc vera ſint, verus thaumaturgus Thomas Cantuarienſis extiterit.*

Alanus Eodem tempore claruit ALANUS Tenkesburienſis Abbas, *Magiſter* appellatus, quod ita tunc temporis viri ſcientia illuſtres literarum vocitarentur. Collegit omnes epiſtolas tam S. Thomæ Martyris ab eo in exilio, & alibi conſcriptas, quàm aliorum ad ipſum, vel quæ ad cauſam ejus ſpectabant. Quam collectionem citatus Oudinus *Opus egregium atque admirabile* ad illuſtrationem Eccleſiaſticæ ſeculi XII. Hiſtoriæ apprimè conducens appellat. ejusdem epiſtolas colligit.

Joannes Taxſton. Seculo XIII. JOANNES TAXSTON Abbas cœnobii S. Edmundi ſeu vulgò Burienſis, vir multæ eruditionis, ut ex Lelando colligitur, multa ſcripſit de gravi illa controverſia, quæ inter Robertum Capitonem, Epiſcopum Lincolnienſem, & Innocentium Papam IV. diu flagravit.

Stephanus Birchington. Seculo XIV. STEPHANUS BIRCHINGTON Eccleſiæ Cantuarienſis Metropolitanæ monachus Hiſtoriam condidit Archiepiſcoporum Cantuarienſium; *Thomas* verò *Radburnus* cognomento *Junior* Eccleſiæ Cathedralis S. Swithuni cœnobii monachus Hiſtoriam de fundatione, incrementis, atque Epiſcopis Wintonienſibus ſeculo XV. adornavit. Radburnus, Sub finem hujus ipſius ſeculi in Germania *Joannes Trithemius* Abbas Spanheimenſis libro ſuo *de Origine Francorum* Vitas & Geſta Epiſcoporum Herbipolenſium inſeſtuit. Trithemius, *Quo in vitulo*, inquit Illuſt. Ludewigius ***, *Caſparus Bruſchius, aliſque ſuccedente tempore ſcriptores Rerum Herbipolenſium ſtrenuè araverunt.*

Paulus Langius. TRITHEMII *diſcipulus fuit* PAULUS LANGIUS **** Cygnæus, monachus Bozavienſis, qui ſeculo XVI. Chronicon Citizenſe de illius Diœceſeos Epiſcoporum Geſtis ab anno Domini 968. uſque ad annum 1515. perduxit. Quid ipſum verò permoverit, ipſe docet, dum quidam Ludimagiſter, *Petrus*, Catalogum Epiſcoporum Numburgenſium mancum atque erroneum ediderit. Sic enim ipſe: *Propter ejusmodi itaque errores, quibus ille Petrinus ſcatet catalogus, ordinémque præpoſterum atque confuſum, quem in locatione & ſerie epiſcoporum nominum continet, quod ex variis horum privilegiis epiſcoporum, paritérque antiquis chronicis multis collectum, venerando* Domino de Schönberg *anno ſuperiori, qui fuit noſtræ ſalutis MDXVII. obtuli, quod ipſe gaudio magno ceu diu de-fide-*

* Qui epiſtolam *Godefridi* exhibent Galliæ Chriſt. Tom. II. p. 93. & Tom. III. pag. 816.
** Oudinus Tom. II. col. 1514.
*** de Scriptor. Wirceburg. Præfat. §. XIV.
**** apud Piſtor. R. G. Script. Tom. I. pag. 1117.

sideratum thesaurum lætus suscepit, méque honesto munere dotatum reverenter ac honorificè dimisit &c. Postquam autem otium nactus, hoc opus ab anno 1518. ad 1520. revidit, emendavit, atque diversis locis adauxit. Digestum illud ab an. 968. usquè ad an. 1515. in eodémque historiam Episcoporum atque Episcopatûs persequitur, à prima ejusdem fundatione ad Joannem III. usque è familia Schönbergiorum, ita ut Episcopos, horúmque Gesta sigillatim exponat.

Josephus Mezger. Seculo XVII. JOSEPHUS MEZGER, San-Petrensis, Historiam Salisburgensem, hoc est, vitas Episcoporum & Archiepiscoporum, nec non Abbatum monasterii S. Petri ibidem: ac quæ per illos ab anno Domini 582. per XI. continua secula usque ad annum 1687. gesta fuere, historica relatione proposuit, ut hujus tota Germania nominatissimæ, nobilissimæque Metropolis originem, progressus, sanctitatem, inter prospera & adversa tempora sibi constantem, non jam ex alienis fluentis sparsim delibare, sed ex proprio & domestico fonte, ideóque puriùs baurire possis. Quia verò *P. Josephus*, cùm ad Ernesti Archiepiscopi tempora pervenisset, satis interceptus fuit, ejus fratres germani *Franciscus* & *Paulus*, etiam San-Petrenses monachi, reliquam Operis partem ad finem perduxerunt.

Acta Archiepisc. Rotomag. In Gallia *Joannis Francisci Pommeraye* præcipua laus fuit, quòd primùm Acta Archiepiscoporum Rotomagensium, tum Historiam Rotomagensis Ecclesiæ Cathedralis conscripserit. Non absimili laude dignum se præstitit *Claudius Hugo Mathoudius*, qui cathalogum Archiepiscoporum Senonensium ad fontes Historiæ noviter accuratum publicæ dedit luci. Nec

Remensium. se silentio prætermitti vult *Guillelmus Marlottus*, cui Historiam Metropoleos Remensis, omnium laudibus celebratam debemus.

Episcoporum Frisingensiû. Denique quo vivimus seculo non ita multis ante annis à Joanne Francisco Episcopo Frisingensi, lucidissima Germaniæ Præsulum gemmâ, CAROLO MEICKELBECK Benedictoburani in Bavaria percelebris monasterii alumno in mandatis datum fuit, ut Ecclesiæ Frisingensis Historiam concinnaret; qua provincia vir ille doctissimus præclarè admodùm defunctus fuit. Eandem spartam ultrò post *Carolum Stengelium*, Abbatem Anhusanum in Commentario rerum Augustan. Vindelic. subivit CORBINIANUS KHAM Cœnobita San-Udalricanus in adornanda *Hierarchia Augustana* in qua seriem Episcoporum, résque eorum ad posteritatis memoriam magis illustres curatè descripsit. Augustanorum. IGNATII GROPPII, doctissimi ad S. Stephanum Wirceburgi Cœnobitæ, & antehac Prioris, perpetua erit gloria, Præsulum Wirceburgensium, Franciæ Orientalis Ducum, Gesta Tomis IV. comprehensa literario exhibuisse Orbi. Wirceburgensium.

Olomucensium. Nec inanis gloriæ vitio, ut opinor, mihi vertetur, si dixero, me Olomucensium Episcoporum Acta, quæ admodùm in obscuro sunt, improbo duorum añorum labore in majori collocâsse luce, quibus fors tertium additurus sum, in quo Scripta eorundem Antistitum, qui doctrina & eruditione præ cæteris claruerunt, cùm typis jam descripta, tum adhuc in manuscripto latentia, conjunctim comparebunt. *

Quorum Scriptorum monumentis historicis à me delibatis potiùs, quàm expositis, satis tamen docuisse mihi videor, quantum Sodales nostri ad Historiam Episcopalem illustrandam contulerint. Nunc ad Historiæ Ecclesiasticæ Universalis auctures gradum promoveamus.

Jo. Diac. de conscribenda Historia Ecclesiastica cogitat. Seculo VIII. floruit JOANNES *Diaconus* Monachus Casinas, S. R. E. Cardinalis, vir sua ætate eruditissimus, magnóque Historiæ Ecclesiasticæ desiderio accensus, ejus conscribendæ consilium suscepit. Ad id verò exequendum ANASTASIUS noster, Abbas Romanus S. Mariæ trans Tyberim S. R. E. Cardinalis & Bibliothecarius Joanni petenti suppetias tulit ex copiis Græcis à se Latinè versis. Inprimis igitur Historiam seu Chronologiam tripartitam contexuit Anastasius ex tribus authoribus Græcis, Nicephoro, Georgio Syncello, & Theophane Abbate, cum præfatione ad *Johannem Diaconum Urbis Romanæ*, quam ita orditur: *Ecclesiasticam, carissime frater, & digne Christi Levita Johannes, scripturus Historiam exigis à me quædam in Latinum stylum ex Græcis voluminibus transferenda: quæ & ipsa quoque proposito inseras Operi & intexas.* Ei suppetias fert Anastasius Abbas. Alterum Anastasii Opus in gratiam Joannis sunt *Collectanea de iis, quæ spectant ad Historiam Monothelitarum*, quæ Jacobus Sirmondus juris publici fecit. Quid ex his suppetiis à Joanne confectum fuerit, non constat. Videtur suo

* Insigne hoc Opus post defuncti Authoris fata sibi usurpàrunt Olomucenses ejus Supellectili literariæ incubui.

suo proposito conscribendæ Historiæ Ecclesiasticæ immortuus, quæ ad nos certè quidem non pervenit.

Cassiodori Historia Tripartita. Fuerunt tamen alii è nostris, qui operam suam in elaboranda Historia Ecclesiastica non malè collocârunt. Omnium antiquissima est CASSIODORI, quæ *Tripartita* dicitur, quam ex Græcis Authoribus, Socrate, Sozomeno, ac Theodoreto, per amicum suum Epiphanium Scholasticum Latinè versam in unum corpus redegit. Haymo Epitomator Historiæ Eccl. HAYMONIS Episcopi Halberstattensis deliciæ fuerunt Historia Ecclesiastica Eusebii Cæsareensis, in qua evolvenda indefesso studio occupatus eandem in libros decem compendiario stilo redegit, qui sæpius deinde typis excusi fuerunt. Odericus Vitalis & Hugo Floriac. Seculo XII. ODERICUS *Vitalis* & HUGO *Floriacensis* in Galliis floruerunt. Quorum primus præcepto Rogerii Abbatis sui Uticensis tredecim Historiæ Ecclesiasticæ libros à Natali Christi Domini usque ad annum MCXLII. elucobravit, quos in volumine Scriptorum Rerum Normannicarum publica luce donavit Duchesnius. Alter, *Hugo* nempe de S. Maria cognominatus, nobile ac insigne Opus, Ecclesiasticam Historiam quatuor libris sub annum 1110. compilavit in gratiam Adelæ Comitissæ Blesensis. Hugo Flaviniacensis. Eodem seculo claruit alius HUGO ex monacho Virdunensi factus Abbas *Flaviniacensis* in Ducatu Burgundiæ, qui de Historia Ecclesiastica Universali optimè etiam meritus fuit, conscribendo Chronicon Virdunense, duas in partes distributum, quarum prima incipit à Christo nato, & desinit ad annum MIII. Secunda verò ab anno MIII. perducitur ad annum MCII. Hoc Chronicon tanti fecit Labbeus, ut illud *Thesaurum incomparabilem* appellârit, & ex ipso Authoris authographo in Bibliotheca Soc. Jesu Claromontana Parisiis asservato ediderit in Bibliotheca Nova MSS. Leo Marsicanus. Magni etiam ab eruditis habetur LEONIS *Marsicani* ex Decano Casinensi S.R.E. Cardinalis Chronicon Casinense, plausibile doctis Opus, quod Ecclesiasticorum Annalium parenti, Cæsari Baronio non parùm sæpe insignem præstitit usum. *In quo Chronico*, ait Bellarminus, *non pauca attinguntur ad Historiam Ecclesiasticam illorum temporum valde utilia.*

Abbas Heimbertus scribit Historiam Ecclesiasticam. In Germania monasterio Bursfeldensi sub finem seculi XIII. aut initium XIV. præfuit JOANNES Abbas, cognomento *Heimbertus*, qui ab Henrico Præposito Hilverdeshusensi in Saxonia rogatus, Historiam Ecclesiasticam sui temporis multo labore ac industria in ejus gratiam condidit, ac cum ipso subinde communicavit. At cùm *Henricus* ingratum se præberet, *Joannes* Abbas iniquo ferens animo sequentes ad eum dedit literas. „Sæpissimè quidem, mi Domine Præposite, à me „petivisti, ut *Speculum* meum *temporum*, sive *Computum Ecclesiasticum*, ut vocant, absolverem, tibique „communicarem; in quo ego eò libentiùs tibi gratificari volui, quò te „monasterio nostro rursus benevolentiorem exhiberes. Non enim sperabam, te lucubrationes meas, studium, sumptúsque meos tantos tam „negligenter in tenebrosam & profundam quasi speluncam ingratitudinis „præcipitâsse, quod tamen neque ego „neque totus noster Conventus de te, „ut tute scis, demeriti sumus: Sed „quid multis opus est? quamvis te „hac in re exigua nobis facilem præstitisses, vix minimæ tamen laboris „mei parti satisfecisses; quorsum autem isthæc inhumanitas? & quid „tandem ista tua ingratitudine aliud „agis, quàm quòd ipse pectoris tui „fenestras & portas aperias, quo cuilibet perspectum sit, quòd nihil in te „nisi mera ingratitudo habitet, quod „tamen non rectum opertum maluimus, si te non ipse hoc modo prodidisses. Unde in te rectè quadrat; „*Conveniunt rebus nomina quæque suis.* „Tu enim semper fuisti *Quadratus*, & „re ipsa quadratus homo, & magis „quadratus asinus, ingratúsque cuculus manebis per omnes casus in sempiternum. Ideò nostra oratio diuturna pro te erit, ut ingratitudinis „pœna ab insculptibili & quadrato „corde nunquam recedat. Fiat, amen. Legas & cognoscas, vale. Ad *Henricum Quadratum* Præpositum Hilverdeshusensem.

Aliam Epistolam, non stomachi atque indignationis plenam, sed eruditione ecclesiastica refertam, atque adeò Abbate Benedictino magis dignam afferamus. Quo tempore *Joannes Tritthemius*, Abbas Spanheimensis Berolini apud Marchionem Joachimum, rei literariæ amantissimum Principem commorabatur, THEODERICUS Lubecensis Episcopus per literas ex eo sciscitatus est, quæ ipsius de Apollonii Tyanei miraculis esset sententia?

Epistola Trithemii ad Theodericum Episcop.

Respondit Trithemius * hac epistola: „ Quid sentiam ego de vitâ *Apollonii Tyanei* Philosophi, quam Philostratus ex comportatis à Damide cæterisque discipulis illius octo libris descripsit, ex me scire paternitas tua reverendissima cur velit, non satis valeo admirari. Cùm enim ipse sis doctissimus in omni varietate tam divinarum quàm humanarum scripturarum, nihil te poterit latere, quod ego vel intelligere, vel scribere possim. Quare satis mihi verecundum est in hac re tuo respondere imperio, cùm ingenio & eruditione me sine comparatione præcellas: & quicquid ego possum adferre, prius in armario tui pectoris multipliciter constat esse repositum. Sed ex adverso niti, tuísque nolle obedire mandatis, non solùm temerarii, sed dementis quoque animi, manifestum mihi videretur indicium, cujus à me longè maculam semper consuevi propellere. Malo enim, si alterum oporteat subire, coram tua paternitate insipientiæ redargui, quàm inobedientiæ seu temeritatis. Breviter itaque & sine ordine disputationis tumultuariè ut potero, quid sentiam de Apollonio, simplici narratione exponam, sine injuria cujuscunque melius sentientis.„

Apollonius Tyaneus quando vixerit?

„ Eo vixit *Apollonius* tempore, quo Christi Apostoli atque discipuli per universam Græciam & Asiam coruscantibus signis atque miraculis fidem prædicavêre catholicam, ipsiúsque Domini & Salvatoris Jesu Christi vitam, doctrinam, virtutes, passionem & miracula Gentibus annunciârunt, convertentes eos, qui fuerant prædestinati ad cognitionem summæ veritatis, & magnam in populo admirationem simul & sui reverentiam suscitantes. Audientes hæc, quæ sancti prædicatores de vita & miraculis Christi per orbem sparserunt universum, Damis & reliqui Apollonii sectatores, quanquam facta non crederent, quæ de Salvatore dicebantur, similia tamen de suo præceptore post ejus mortem finxerunt, ut quem philosophum noverant, eum aliquid esse supra hominem, & ob id Christo non inferiorem, stultis hominibus persuaderent. Existimabant enim miraculis de nominatissimo tunc Philosopho Apollonio scriptis quanquam ementitis, quod homines latebat, fidem non tardiùs daturos auditores, maximè cùm ea philosophi prædicare viderentur nobiles, quàm his quæ de Salvatore imperiti nunciâssent piscatores. Sumentes ergo de veris Christi miraculis audaciam, similia de suo præceptore confinxerunt, non minorem in populo fidem sibi promittentes, quàm sanctis prædicatoribus (quos ut simplices & indoctos despiciebant) datam à credentibus viderunt: Christum de medio Judæorum ad præcipitium ductum audientes transisse intactum, suum Apollonium de conspectu Cæsaris evanuisse subitò, longéque factum extra urbem fabulantur. Item Dominus Jesus tres mortuos in mysterium baptismatis revocavit ad vitam, & Apollonium suum puellam Romæ mortuam resuscitâsse mentiuntur. Super Dominum Baptizatum paterna vox audita est, Apollonium Hercules cæterique gentilium dii allocuti feruntur: quod si verum est, larvæ dæmonum necessariò fuerunt: si non est verum, Damis utique sicuti & reliqua multa, vel ipse Apollonius confinxit. Item Dominus Jesus post resurrectionem suam januis clausis ad discipulos intravit: Apollonium Romæ compedibus vinctum, Damis, quoties voluerit, se fecisse liberum mentitur. Longum & nimis foret audire tædiosum, si omnia vellem revocare ad calamum, quæ de Apollonio Philostratus narrat miracula, quibus ut ea patrare potuerit, nulla ratio suffragatur, quia manifestum est eum hominem fuisse mortalem, cultorémque idolorum, & de animarum transmigratione in corpora multa sæpius tenuisse perniciosum errorem. Juvenem introducit nobilem apud Hiarcham ac Indiæ sapientes, literas, & omnem philosophiam in odium Homeri calumniantem, propterea quod cùm in bello quondam Trojano Dux esset magnanimus, ejus invidia nullam inter illustres memoriam recepisset. Tunc ergo hominem reindutus priorísque injuriæ memor, omnes una pertinaciq; sententia tractatores aspernatur literarum. Quid hac fatuitate dementius, hominem, quid fuerit ante mille ducentos annos (tantum enim ferunt effluxisse temporis inter excidium Trojanum & Apollonii hujus Tyanei ætatem) rememorari, cùm scire nequeat, ubi, vel quid, aut quomodo fuerit, priusquàm ex matris utero egrederetur? Aut quomodo hæc fabula etiam secundùm Pythagoricos Platonicósque aliquam poterit habere simi-

Figmenta de Apollonio.

* „litu-

* Extat lib. 2. ep. fam. n. 22. p. 534.

„litudinem veritatis, qui transmigrationis & reversionis in primum punctum annos ponunt quàmplurimos? Sed vetante pudore loqui diutiùs de his vanissimis deliramentis, quæ somniis sunt vaniora, non debeo, sed reliqua brevi narratione prosequenda fuerint. Quale est illud contra omnem rationem naturæ manifestum Damidis fictitium, quo in congressu Apollonii cum Indianis philosophis Hiarcha præsidente, inaudita & nusquam visa introducit miracula, è terra propupisse philosophorum sedilia, solémque ministrasse sacrificiis perpetuum ignem, & phialam sæpiùs à philosophis exhaustam poculo, rursum & subitò plenum & copiosum exsudâsse liquorem, ut quoties epotata fuisset, toties iterum plena exundaret. Transeo cætera simili præsumptione conficta, levatos in excelsum cantores, expulsos ab hominibus per epistolam dœmones, futurorum prædictiones, occultorum & nominum & rerum editiones, hirundinum aviúmque interpretatos garritus, larvarum & lemurum denudata facinora: & quicquid sui de Apollonio miraculosum scripserunt, paucis verbis meâ sententiam de miraculis Tyanei tibi, Rev.me Præsul, quoniam ita jubes, aperiam. Miracula, signa & prodigia, quæ in octo Philostrati voluminibus Apollonio leguntur adscripta, mea sententia firmiter indubitantérque tenendo, ant conficta sunt & falsa, aut si facta extiterunt, absque ulla hæsitatione dœmonum fuerunt cooperatione perpetrata. Quod sint conficta, ementita, & falsa, magna mihi persuasio est. Damis ipse discipulus Apollonii, qui quoties magnum aliquid & arduum miraculosúmque scribit de illo, condiscipulos semper introducit fuisse absentes, seq; aut solum, aut cum paucissimis interfuisse præsentem, sæpius antem neminem fuisse cum Apollonio, dum grandia faceret aut loqueretur cum larvis, commemorat. Quod si fidem dictis meis non satis conciliat memorata persuasio, volueritque aliquis Tyanei defensare miracula, quisquis ille fuerit, mihi dicat inprimis: Si Apollonius sibi adscripta patravit miracula, cujus ea virtute facere potuerit? propria videlicet, an aliena? Certè non propriâ, neque aliquam scientiam naturalem ea patrandi adsecutus fuit, cùm se ad pleraque talia, quæ narrantut de illo, virtus magiæ naturalis minimè extendat. Fuit enim „Apollonius homo corruptibilis atque „mortalis, qui sua virtute nihil potuisse credendus sit ultra communem naturæ ordinem, quod nomen mereatur miraculi. Sequitur ergo, si quid talium fecerit, non sua, sed virtute patratum aliena. Sola verò potentiâ divinâ miracula patrantur vera, quæ facere Tyaneus nullatenus potuit, qui cultor existens idolorum & multa superstitione plenus, longè à veri Dei cognitione alienus fuit. Virtute quoque propriæ intelligentiæ spiritûs sui, aut magiæ naturalis pleraque majora, quæ de ipso narrantur, eum potuisse minimè, certa est mihi ratione persuasum. Nihil etiam idololatræ cum sanctis Dei spiritibus commune fuisse credendum est. Restat igitur indubitata diffinitione tenendum, si ea fecit miracula, quæ sui de illo scripserunt, non alia quàm dœmonum patrata cooperatione atque virtute, quibus non est difficile miraculis falsis hominum sibi deditorum etiam in majoribus decipere sensus, quippe qui nobis naturâ & industriâ per longam consuetudinem ad figmentorum productionem subtiliores existunt. Sed magices argui Apollonium sui non patiuntur. Adhæreo itaque priori sententiæ, quam dixi, miracula inscripta Apollonio, vel per ipsum, vel per ejus discipulos excogitata, conficta, & ementita: neque induci ut aliter sentiam, facilè me posse existimo, nisi forsitan artibus dœmonum attribuenda concedant. Quid mirum si homines mundanæ dediti sapientiæ ac philosophiæ, cognitionis quoque divinæ penitus ignari, laudis & æstimationis inter homines cupidissimi, de suo præceptore majora confinxerunt miracula falsa, quàm Apostoli de Salvatore nostro per orbem universum prædicaverint, & in ejus nomine fecerint vera? Ut ergo summatim universa Tyanei miracula concludam: si fecit ea, quæ sui miranda in ejus laude scripserunt, Magus profectò & dœmonum larvarúmque infernalium excantator fuit. Si non fecit (ut mea sententia habet) nulli dubium esse potest, quin omnia per Damidem cæterósque discipulos ejus sint excogitata, conficta, & ementita, ut falsis magistrum exornarent laudibus, quo & ipsi gloriam inter mortales consequerentur æternam. Si facti miraris temeritatem, cogita quid ab initio non præsumpsit Græcorum audacia scriptorum? Multorum sententia est, Græcorum hi„storias confictis scaturire fabellis, & „exci-

Judicium Trithemii de miraculis Apollonii.

Qua virtute ea patrârit.

Græcorum levitas.

„excidium illud ingens Trojanum Poëtarum est figmentum. Libenter Apollonianis commentitiis dœmones credimus impendisse operam, ut per hæc Damidis sociorúmque illius figmenta, christiana vilesceret inter gentiles religio, cùm Tyaneus non minora videretur fecisse apud Græcos, quàm Christum audivissent operatum apud Judæos. Arbitrabantur etiam forsitan hominibus facilè persuadendum Christum propter miraculorum exhibitionem non esse Deum, quorum patratione & ipse Apollonius idolorum cultor, qui nullam de se prædicari divinitatem propterea voluerit, non minùs extitisset insignis. Quàm autem fuerit iste Tyaneus æstimationis & humanæ gloriæ cupidus, multa per Damidem scripta in diversis testantur locis, maximè ubi Deos & animas defunctorum in templis idolorum sibi apparuisse locutósque grandia ipse Apollonius discipulis recitat. Quicunque ergo Tyaneum conscripta de illo miracula aut sua virtute naturali, aut sapientia philosophica, & sanctimoniæ puritate, aut scientia naturali, quam magiam physicam appellant, fecisse credit, caveat ne Christo Salvatori omnium injurietur, quia si ea fecit, dœmonum excantator potiùs, quàm philosophus fuit. Hæc est candidissime Præsul, mea de miraculis Apollonii sententia, quam scire voluisti, cui quidem si quis voluerit esse contrarius, non satis mihi videtur intelligere, quousque humanæ se naturæ vires extendant." Hactenus *Trithemius*, cujus doctissimi Abbatis Annales etiam Hirsaugienses magni ab eruditis fiunt, in quibus Historiam Ecclesiasticam apprimè illustrat, dum tot sectarum & hæresium auctores, asseclas, dogmata, & extirpationem in medium producit; dum tot populorū ac gentium ad fidem christianam conversionem describit.

Dœmonum astutia.

Trithemius in Chronico Hirsaugiensi Historiam Ecclesiasticam illustrat.

Seculo proximè elapso GABRIEL BUCELINUS, Asceta Weingartensis in Suevia, Historiam Universalem Ecclesiasticam in compendium redegit, quod brevì pòst dignum est visum, ut è Latino in patrium sermonem transferretur. *Bucelini* vestigia subinde pressit *Otto Aicher* è S. Vito in Bavaria celebris author. Nostrâ ætate *Anselmus Desingius*, & *Brentanus Cimarollus* non sine eximia laude idem præstiterunt. Quibus palmam tamen in studio Historiæ Ecclesiasticæ *Cornelius Margarinus* è Congr. Casin. minimè concesserit, qui vastum ac pereruditum Opus octo tomis comprehensum ad pedes Innocentii XI. Pont. Max. eà, quâ decet, veneratione anno 1680. deposuit, quod tamen adhuc ineditum latet.

Idem faciunt alii Benedictini.

Cæsar Baronius, Eminentiss. Annalium Ecclesiasticorum parens, suos habet Continuatores, Epitomatores, adversarios & patronos. Duos inter priores inclytus habetur Henricus Spondanus; qui cùm de eruditione ac doctrina *Raymundi Odonis de la Mothe* * Religiosi è Congregatione S. Mauri certior factus esset, illum à Superioribus dictæ Congregationis expetiit, quò ejus operâ ac studio in componendis Annalibus Ecclesiasticis adiuvaretur. Inter Baronii patronos ac vindices numerandus venit Illustrissimus Princeps ac Abbas Einsidlensis, *Augustinus Rheding*, ut qui Vindicias Annalium Ecclesiasticorum Cæsaris Baronii anno 1680. monasterii sui typis excusas vulgavit. Quid? quòd ipse *Baronius* è nostris *Constantinum Cajetanum*, ejus eruditionem veneratus (ntot verbis Antonii Mongitore **) in suorum Annalium lucubrationibus ipsum sibi aliquando adjutorem elegerit; quapropter multis in locis se à *Constantini* scientia lumen accepisse fatetur, ut Tom. II. anno 1002. n. 4. an. 1065. n. 16. an. 1072. p. 34. Tom. XII. n. 3.

Henric. Spondanus in scribenda H. E. coadjutorem petit Benedictinum.

Augustinus Rhedingus Baronii Vindex.

Cùm *Tillemontius* antiquitatis & historiæ Ecclesiasticæ peritissimus mortalitatem explevisset, ejus Scripta à Domino *Naino* in monasterium S. Germani à Pratis perlata fuerunt, adjectis precibus, ut R. P. Præpositus Generalis Patrem *Coutantium* ea prosequi juberet. Abbas *Fleury* cùm hac de re aliquid rumoris percepisset, continuò ad Theodericum Ruinartum *** hæc perscripsit: „Non sine magno „meo solatio intellexi, quòd manu„scripta à Tillemontio relicta ad S. „Germani monasterium transmissa fue„rint, typis à vestrûm nonnullis vul„ganda, quibus ea provincia deman„data fuit. Nullus dubito, quin ejus „spartæ partem magnam sis expletu„rus, abs te tamen efflagito, ut rem „penitiùs me edoceas, quò sciam, ad „quem literas me scribere oporteat. „Propositum enim mihi est, si licuerit, „eum, qui his manuscriptis prælo pa„randis occupatus fuerit, in consilium „adhi-

Tillemontii H. E. à Benedictinis continuari rogatur.

* Le Cerf. Bibl. Hist. Crit. pag. 397.
** Cit. ab Armell. Bibl. Cas. Part. I. pag. 134.
*** An. 1698. d. 8. Febr. Vide Thuillier in notis ad Florii epist. quæ extat inter Mabill. & Ruinar. Opera posthum. Tom. I. p. 308.

„ adhibere, quò complurium difficul- „ tatum, in quas Historiam Ecclesiasti- „ cam elucubrando nunquam non of- „ fendi, explicationes ab eo accipiam. „ In spem adducor, in optatis etiam „ vobis esse, ut ex tantæ elegantiæ „ Scriptis proficiam, cùm mea non „ aliò, atque ad Ecclesiæ collineent „ utilitatem. „ Tanta erat celeberri- mi Abbatis Florii opinio atque existi- matio de Monachorum Congregatio- nis S. Mauri scientia & peritia Histo- riæ Ecclesiasticæ. At enim *Petrus Coutantius* postquam Tillemontii manu- scripta per aliquot dies excussit, per- lustravit, atque examinavit, tanta, támque recondita eruditione referta esse perspexit, ut quâ erat modestia, iis prosequendis calamum addicere re- cusârit. Quare Tillemontii Scripta ad D. *Naimum* remissa fuerunt. Aliam & veram causam forsan deprehendes in Montfauconii præfatione ad novam editionem Operum S. Joannis Chry- sostomi §. VII. In majori pretio, at- que amore ac deliciis Tillemontium habuit, hodiéque habet Historiæ quà sacræ, quà prophanæ callentissimus Cardinalis QUIRINUS. Nondum sacrâ ornatus purpurâ cùm anno 1711. Pa- risios venisset, quanti Tillemontium * faceret, San-Germanensibus Benedi- ctinis ingenuè professus est, binos Ec- clesiasticæ Historiæ Scriptores, *Claudium Fleury*, & *Franciscum Timoleonem Choisy* cum Tillemontio in com- paratione conjungens. Concham maximæ molis Tillemontium sibi vi- deri dicebat, aquas scilicet effunden- tem, quibus redundaret, & post illas effusas novis, novísque superflueret; dum contra bini Scriptores, de quibus sermo, imò verò *Alexander* etiam & *Dupinius* urceo assimilari possent, quem aquæ inde emissæ vacuum & inanem relinquerent. *Meum hoc dictum* (sunt verba Em. Cardinalis) *probârunt plerique ii Patres, & præter ipsos quàm maximè* RENAUDOTIUS, *eorúmque omnium gratiam mihi magis magísque conciliavit, quòd certiores ipsos fecerim, totum me in evolvendis Tillemontii libris Florentiæ fuisse, dum* Fontaninus, *& unà cum ipso* Passioneus *præclarum valde adorsi sunt facinus, libros illos, Romani Indicis censuræ à Patre Jacobo Laderchio subjectos, ab eadem eximendi, rémque hanc ab insignibus hisce duumviris gestam, quum mihi* Magliabecchius *nunciasset, eos me plausus edidisse, quos iidem maximè gratos habuerunt, ut ipse* Magliabecchius *mihi comprobavit*, Fontanini *Epistolâ oculis meis suppositâ*.

Quod tamen facere renuunt, & quare?

Tillemontii Opera magni facit Card. Quirinus.

Quanti autem QUIRINUS Dupini- um faceret, ulteriùs ex ipsius verbis cognosci potest, quæ hæc sunt „ Lu- „ dovicus Ellies du Pin, etsi quorun- „ dam judicio in Italia præsertim, cen- „ seretur nemini fuisse secundus in „ omnigenæ eruditionis laude, visus „ tamen mihi est *levis prorsùs armatu-* „ *ræ*, ac pro hujusmodi homine ha- „ betur à San-Germanensibus meis. „ Hisce excitantibus periculum non „ unâ tantùm vice facere mihi libuit, „ num solida, an fucata tantùm ille „ eruditione polleret. Unum dunta- „ xat referam, quo palàm comproba- „ bitur, quàm inconsideratè, quàm „ tumultuariè ex Authorum Scriptis „ sua concinnaret excerpta. Expen- „ denda susceperam quæcunque spe- „ ctarent ad *Edmundum Richerium*, „ quúmque putarem, uberrimam de „ eo argumento messem à me inven- „ tum iri in Dupiniana Bibliotheca „ Scriptorum Ecclesiasticorum Seculi „ XVII. miratus præter modum sum, in „ eadem diligenter à me versata nec ip- „ sum *Richerii* nomen comparere. Dum „ semel igitur domi *Dupinium* conve- „ nissem, narravi ipsi, quod mihi re- „ cens acciderat. Ille indignanti si- „ milis manum statim admovit libro, „ quo continetur Tabula generalis „ ejusdem Bibliothecæ, faciléque in „ eâ detecto *Richerii* nomine meam in- „ diligentiam verbis haud ita lenibus „ redarguit. At ego, cui compertum jam „ erat nomen illud in ea Tabula exta- „ re, provocavi è vestigio ad Bibliothe- „ cam ipsam. Tunc ille mihi apertiùs „ subirascens Bibliothecæ Tomum in „ eâ Tabula allegatum avidis manibus „ arripuit, certò confidens, *Richerii* „ res gestas, quas interea affirmabat „ se lato calamo tractâsse, in eodem „ non defuturas. Eum itaque totum „ à capite ad calcem semel iterúmque „ pervolutavit, nec destitit id agere, „ donec certo certiùs dignovisset, *Ri-* „ *cherii* nomen, quod extabat in Ta- „ bula, in Bibliothecâ omnino deside- „ rari. Pudore ergo suffusus, ut ver- „ ba narrationis jam jam laudatæ huc „ transferam, *il prit le parti de se jetter* „ *sur les complimens*. Ego autem co- „ miter cum eodem egi, ut decebat, „ ac proinde multo etiam abfui, ut „ reli-

Quirini judicium de Dupinio.

Richerius in ejus Bibliotheca omissus.

* In Commentar. Histor. de rebus ad se pertinent. lib. 2. cap. 3. p. 115.

„ reliqua verba ejusdem narrationis „ potuerim usurpare, *je l'entreprir, & „ je le menais si rudement &c.* Probârunt magnoperè San-Germanenses, „ postquàm domum reversus rem ipsis „ exposui, abstinuisse me ab omni asperitate; at nec ipsi, nec ego abstinuimus à cachinnis, quos utique eventus ille merebatur. Haud valde dissimiles mihi cum homine illo confabulanti, aliis etiam vicibus, contigerunt. Inde verò satis intelligere „ potui, cujus generis foret acervus, „ quem in sua Bibliotheca Dupinius „ collegit. „

Quòd si jam sermo de Historia ecclesiastica particulari instituendus sit, non pauci memoriæ occurrunt, qui eam pertractârunt. Venerabilis BEDA Historiam Ecclesiasticam Gentis Anglorum usque ad annum tricesimum primum supra septingentesimum quinque libris à se scriptam Ceolwfo gloriosissimo Regi Northanumbrorum, cujus imperio suberant *Wirense* & *Gwirense* monasteria *Bedæ* commoratione illustrata, dedicavit. Hunc enim si non inchoandæ, saltem absolvendæ Historiæ incentorem habuit Venerabilis *Beda*, factæque approbatorem, uti ipse testatur in præfatione eidem Regi inscripta: in quâ præcipuum ipsius Opusculi (sic ille ex modestia vocat) adjutorem, imò auctorem laudat *Albinum* Abbatem Cantuariensem, virum per omnia doctissimum, qui monumenta omnia ad Cantuariorum spectantia provinciam, aliásque contiguas regiones ipsi suppeditaverat. Præterea Episcopi varii ex archivis suarum Ecclesiarum ei certa monumenta misère, Romanorum verò Pontificum epistolas ex Romano Registro descriptas accepit. Quædam autem à *Beda* ipso indicta refert *Hugo Candidus*, aliàs *Withe*, in Historia Burgensis monasterii, de primitiva Merciorum Ecclesia. At enim sepultam fuisse, conqueritur Willelmus Malmesburiensis, cum Venerabili *Beda* omnem gestorum penè notitiam usque ad sua tempora. *Adeo*, inquit, *nullus Anglorum studiorum ejus æmulus, nullus gratiarum ejus sequax fuit, qui omissæ monetæ lineam persequeretur. Pauci, quos æquus amavit Jesus, quamvis literis non ignobiliter informati, vita tota ingratum consumserunt silentium: alii vix primis labiis illas gustantes ignavum confoverunt otium*: Ita Willelmus Malmesburiensis; qui quàm proclivi calamo suam in scribendis Historiis industriam commendare amat, ita alios Ordinis sui sodales ignaviæ & desidiæ insimulat: sed uti mihi videtur, immeritò. Certè ante ipsius ætatem non plerique in Anglia Monachi ita Ignavo se otio permiserunt, ut quæ ad elucidandam Gentis Anglorum Ecclesiasticam Historiam attinere dignoscebantur, in literas referre non satagerent. Ut enim *Historiam novam Eadmeri* hîc non denuò commemorem, quos, amabò, Vitæ sanctissimorum Anglicanæ Ecclesiæ Præsulum authores habent, nisi plerosque iterum Benedictinos? Vitam seu Acta S. Augustini Cantuariensis Archiepiscopi, atque Anglorum Gentis Apostoli literis consignavit *Goscelinus*, cujus jam suprà mentionem fecimus. Vitam S. Aldhelmi Shireburnensis Episcopi justo libro complexus est *S. Egwinus* ex Monacho Wigorniensis Episcopus, doctrinâ & eruditione conspicuus. Vitam S. Wilfridi Eboracensis Archipræsulis edidit Odo Cantuariensis, sancti Bregwini Archiepiscopi etiam Cantuariensis *Otbernus*, veriùs *Joannes Timmemuthensis*; vitam S. Odonis, Archiepiscopi iterùm Cantuariensis *Otbernus*, veriùs *Eadmerus*, à quo etiam præter vitas S. Oswaldi Episcopi primùm Wigorniensis, deinde Archiepiscopi Eboracensis, habemus res gestas SS. Dunstani, Bregwini, Lanfranci, Anselmi, & Radulphi Archiepiscoporum Cantuariensium. Quâ verò tempestate, videlicet anno 1070, B. Lanfrancus Archiepiscopatum Cantuariensem suscepit, Ecclesia Cantuariensis incendio conflagravit. Interierunt eâ calamitate præcipua Ecclesiæ Cantuariensis monumenta, & veterum Archiepiscoporum & Sanctorum Anglicorum vitæ elegantiores, authoribus Monachis Benedictinis conscriptæ. Superfuerunt duntaxat aliqua in Anglicam linguam conversa. Ut hanc jacturam resarciret, & ex Anglicanis reliquiis Archiepiscoporum vitas Latinè concinnaret, sibi à commonachis suis provinciam fuisse impositam *Osbernus* Cantuariensis monachus ac præcentor in præfatione ad S. Dunstani vitam innuit. An hoc verò est, nullam eorum habuisse rationem, quæ ad condendam Gentis Anglicanæ Historiam Ecclesiasticam commodare possunt? Multa literarum monumenta incendio absumpta fuerunt, quæ quòd Malmesburiensis non viderit, non ideò à monachis in chartas non relata fuerunt. Utcunque verò ista se habeant, post ævum

V. Beda Gentis Anglorum H. E. scribit.

Nullos sequaces Beda an habuerit?

Alii rerum Anglicarum Scriptores,

Goscelinus,

Egwinus,

Odo Cantuariens.

Osbernus,

Ecclesiæ Cantuar. literaria monumenta incendio absumuntur.

ævum Willelmi Malmesbur. imò ipsius adhuc ævo multi Benedictini extiterunt, qui de Historia Ecclesiastica Anglorum Gentis benè mereri studuerunt. Testis esto vel sola *Henrici Wartboni* ANGLIA SACRA, duobus comprehensa tomis in folio. In hanc velut unum corpus eorum sunt scripta congesta, qui res Ecclesiasticas Nationis Anglicanæ calamo ad posteritatem propagârunt. An non verò hos inter & plerique & præcipui sunt Benedictini? Tolle Scriptores Benedictinos, & tertiam, & præcipuam *Angliæ Sacræ* partem sustulisti. Duo sunt in Anglia Archiepiscopatus, Cantuariensis & Eboracensis. Quis verò Gesta Antistitum utriusque hujus amplissimi Archiepiscopatûs conscripsit? Præter alios *Stephanus Birchingtonus*, & *Simeon Dunelmensis*. Quis cæterorum Episcopatuum Wintoniensis, Roffensis, Norwicensis, Bathoniensis, Eliensis, Dunelmensis, Hagulstadensis dedit Historias? *Thomas Radburnus*, *Ernulfus*, *Bartholomæus de Cotton*, *Adamus de Domersham*, *Thomas*, *Richardus*, & *Robertus Elienses*, *Turgotus*, aliúque complures Familiæ Benedictinæ alumni. Operâ verò *Turgoti* in Historia Episcoporum Dunelmensium proprio marte contexenda se usum fuisse Henricus Warthonus, quo ingenuo est candore, profitetur. Ingratum etiam se futurum inquit, si dissimularet, *Historiam Ecclesiasticam Anglicanam*, *præsertim antiquiorem*, *monachorum Abendoniensium diligentiæ plurimùm debere*. Ex nullo enim cœnobio plures prodierunt Annales Saxonici, Latini, Latino-Saxonici, rerum antiquitùs gestarum monumenta, historiæ, chartularia, & librorum melioris notæ apographa. Quantum denique lucis eidem Historiæ Ecclesiasticæ superiore seculo non affudit *Clemens Reynerus*, Abbas Lambspringensis, in præclaro suo Opere, quod *Apostolatum Benedictinorum* in Anglia inscripsit?

Stephanus Birchingtonus &c.

Noströ ætate ac memoria *Gilbertus Burnetius* * Episcopus Sarisberiensis, opus in lucem edidit, quô mutatæ ab Henrico VIII. in Anglia veteris religionis Historiam complexus fuerat. Hanc ex Anglico in Gallicum idioma conversum *Angelus Maria Quirinus*, hodie S. R. E. Cardinalis, tum verò Ss. Theologiæ Professor Florentiæ perlegerat. Cùm subinde verò, instituto in Galliam literario itinere in Angliam trajecisset, ipsum convenit *Burnetium*. Fassus hic *Quirino* ingenuè est, ad eam Historiam multum operæ contulisse Doctores *Loydium*, & *Tillotsonium*. Quare ab ipso *Quirinus* amicè quæsivit, cuinam ergò ex tribus magis deberentur eæ intemperiæ, quibus actus Historicus Catholicam Religionem lacerandi occasionem omnem captabat. Erubuit leniter, dum id *Quirinus* percunctaretur, *Burnetius*, eóque magis quòd statim *Quirinus* subdidisset, paribus probris scatere itineris Italici descriptiones, quascunque Angli in lucem emiserant, hísque verbis eas ab ipso designari intellexit, quæ *Burnetii*, Missonii, & Addissonii nomina præferunt. Obiit Burnetius an. 1715. ac proinde triginta annis antequàm Opus illud suum, paulò antè memoratum *Histoire de la Reformation de l'Eglise d'Angleterre* oppugnare *Quirinus* cœpisset in Epistolarum Cardinalis Reginaldi Poli Editione. Nemo verò negaverit, cui *Quirini* Diatribæ ad Poli Epistolas lectæ fuerunt, Burnetio non alias in conscribenda Historia *Reformationis*, ut vocant, *Ecclesiæ Anglicanæ* leges præstitutas fuisse, quàm ut commentis, fabellis, calumniis rerum gestarum veritati caliginem & nebulas induceret. Quare quâ operâ *Quirinus* falsò & calumniosè narrata refellit, eâdem etiam Heterodoxos Scriptores omnes revincit, qui post Burnetium Henrici VIII. defectionem literis mandârunt; ex quibus præcipui sunt *Rapinus de Thoiras*, *N. Tindal*, *Thomas Rymer*, *Isaacus Larey*, qui omnes (quod spectat ad res Religionis in eo Regno immutatæ) Historiis suis laudem parere putârunt, si Burnetium diligenter exscriberent.

Gilberti Burnetii Historia religionis in Anglia ab Henrico VIII. immutatæ.

Cardinalis Quirini in eam animadversiones.

At verò ab Anglis ád Bohemos venimus. CHRISTANNUS, Brevnoviensis in Bohemia monachus, Vir religiosissimus juxtà ac nobilissimus, frater germanus *Boleslai Pii*, Bohemiæ Ducis potentissimi in Actis Sanctorum *Ludmillæ* & *Wenceslai* Religionis Christianæ in Bohemia primordia non indiligenter exsequutus est. Ejus narrationem *Bohuslaus Balbinus*** percelebris Rerum Bohemicarum Scriptor, dignissimam censet, quæ ab omnibus Bohemicæ antiquitatis studiosis diligentissimè legatur, utpote *primi*, quod sciatur, *in Bohemia Scriptoris*, cujus extet

Christianæ religionis primordia in Bohemia scribit Christannus Ord. S. B.

* Em. Card. Quirin. in Comment. vitæ suæ part. 1. pag. 51.
** Epit. Hist. Rer. Bohem. lib. 1. c. ix.

tet lucubratio, & qui plurima aliis ignota summâ brevitate perstrinxerit: quæ ille eruditis Observationibus ac Notis illustravit. Fuisse verò Bohemos gente Slavos, quis est, qui nesciat? Slavorum autem ad Christiana Sacra conversionem, eorúmq; Historiam Ecclesiasticam condidit *Helmoldus* Presbyter, quem excepit, atque egregio supplemento continuavit *Arnoldus*, Abbas Lubecensis.

Statum Catholicæ Religionis sub primis Francorum Regibus scribit Ruinartus.

Cùm Clodovæus Francorũ Rex Christianã fidem amplexus fuisset, ea magnoperè in Galliis florere cœpit. Quis verò sub primis Christianissimis Regibus Catholicæ Religionis status fuerit*, *Theodericus Ruinartus* eruditè pertractat. Apud hunc leges, quantâ Episcopi apud Reges authoritate fuerint, à quibus in consilium adhibiti, cæterisque in suo regno omnibus prælati fuerunt, nempe quòd Reges optimè gnari essent, Antistites Ecclesiæ esse Christi vicarios, & mysteriorum Dei dispensatores. Major adhuc erga Romanum Pontificem Francorum Regum erat reverentia, qui orthodoxæ fidei ita tenaces erant, ut uxores hæresi infectas ducere nunquã voluerint. Quòd si scire aves, quænam tunc temporis apud Francos viguerit disciplina, differentem audies *Ruinartum* de Episcoporum *electionibus, translationibus, coadjutoribus, & successoribus designatis*. Si quæ verò eorum causæ discutiendæ essent, id in totius nationis conciliis fieri consuêverat. Non minùs præclarè disserit *de Episcoporum muniis, eorúmque in res ac personas ecclesiasticas potestate*. Posteà Historiam texit *de Liturgiis Gallicanis, Lectionibus, Missa, reverentia in sacris peragendis, ecclesiarum forma, Reliquiarum cultu, Sanctorum tumulis, asylis, priscis Gallicanæ Ecclesiæ consuetudinibus, festis, supplicationibus, exsequiis, Benedictionibus, Sacramentorum ritibus, censuris ecclesiasticis, fidei dogmatibus, aliisque id genus argumentis*. An non hoc verò est Historiam Gentis Francorum Ecclesiasticam condere?

Dionysius Sammarthanus Galliam Christianam refundit.

Anno decimo supra millesimum septingentesimum cùm illustrissimus Franciæ Clerus Parisiis congregatus, ex Archiepiscopo Narbonensi cognovisset, insignem totíque Ecclesiæ Catholicæ gloriosam esse operam, quam *Domnus Dionysius de Sainte Marthe*, Presbyter Congregationis S. Mauri in famoso Majorum suorum Opere, hoc est, *Gallia Christiana* non emendanda modò, augenda, illustrandáque, sed talem in modum recudenda, ut nova editio nihil præter prioris titulum retineret, hactenùs posuisset, doctissimum virum non modò publicè collaudavit, verùm etiam, ut strenuè pergeret, adhortatus est, omnéque patrocinium ac favorem addixit, datis ad omnium Francicarum Ecclesiarum Antistites literis, quibus ad communicanda cum *Dionysio* sua monumenta vetera invitabantur. Pater *Dionysius* igitur, ne quid in re tanti momenti neglectum à se putaretur, inter alia eruditorum quæsita præsidia, è sua S. Mauri Congregatione multos adjutores accersivit, qui scrutarentur iterùm atque iterùm ecclesiarum & monasteriorum tabularia; quâ difficili sanè provincia *D. Edmundus Martene*, multis libris in communem Ecclesiæ & rei literariæ utilitatem editis notus, per sex circiter annos, assumpto socio *D. Ursino Durand*, per totam ferè Galliam, & in finitimis provinciis defunctus est. Præter Domnos verò *Martene* & *Durand* alios laboris socios ipse Domnus Dionysius in præfatione nominat *D. Bartholomæum Petit de la Croix*, *D. Felicem Hodin*, *D. Joannem Thiroux*, *D. Benedictum du Clou*, & ante omnes nominandum *D. Claudium Stephanotium*; quorum eruditioni ac doctrinæ debetur, quidquid majoris momenti, ac curiosæ lectionis toto in corpore continetur: Unde nullum Opus literarium Congregationis S. Mauri magis meruit typis vulgari sub nomine Religiosorum hujus Congregationis atque *Gallia Christiana*, Opus X. tomis constans, quiquando in lucem particulatim hactenùs prodierint, alio loco dicturi sumus.

Ejus laborum socii.

Gabriel Bucelinus autor Germaniæ Sacræ.

Quæ præsidia & Sodalium adjumenta si GABRIELI BUCELINO in scribenda *Germania Sacra* præstò fuissent, eam non quasi attigisset tantùm, sed lato calamo, & nonnihil magis accurato, credo, pertractâsset. Quanquàm viro strenuo & indefessi laboris gratiæ sint agendæ, quòd Germaniam Ecclesiasticam inter primos, si non omnium primus, scriptis suis illustrârit, aliísque si sequi velint, facem prætulerit. Qui Vir diligentissimus eâ etiam laude mactandus est, quòd res ecclesiasticas Rhetiæ, Lacûs Podamici, ac Urbis Constantiæ peculiaribus libris ab oblivione vindicârit. Certè ut rem Germaniæ ecclesiasticam *Bucelinus* illustraret, multos diu noctúque subiit labores, nec minores aliquando concoxit in-

* Præfat. & eruditis Notis ad Opp. S. Greg. Turon.

injurias. Cùm enim ad quosdam provinciæ suæ Religiosos literas dedisset, quibus humanissimè scriptis, ut quædam literaria monumenta secum communicarentur, petebat, nonnemo eorum, ubi hoc rescivit, aliis literis continuò Sodalibus suis auctor fuit, ut nihil cum *Bucelino* communicarent, per eam causam, ne fortè aliquid ineptiret. Proh ineptam & inficetam repulsam! *sed æmulatio nempe & invidia*, ut cum D. Ambrosio loquar, *etiam sanctos, nedum monachos amburit.*

Benedictini Historiam de Cruciatis condunt.

Aliud non illustre minùs Ecclesiasticæ Historiæ argumentum sunt sacræ expeditiones, à Christianis ad recuperandam Terram sanctam susceptæ: quarum descriptiones cùm alii tum è nostris complures, e. g. *Robertus* monachus S. Remigii Remensis, *Baldricus* monachus, dein Archiepiscopus Dolensis, *Fulcherius* monachus Carnotensis, *Guibertus* Abbas Novigenti, *Guntberus* Elnonensis, aliique concinnârunt.

Petrus Venerab. miracula sui temporis literis mandat.

Nec operam lusit *S. Petrus Mauritius*, cognomento *Venerabilis*, Abbas Cluniacensis, quòd sui temporis prodigiosè Gesta, ne oblivioni traderentur, literis mandavit; cùm inter Spiritûs sancti charismata gratia miraculorum non parvam obtineat dignitatem, utpote quæ tantam in se continet utilitatem, ut maximè per illam & mundus ab infidelitatis tenebris liberatus, & æterno lumine veritatis donatus sit: & adhuc in multorum fidelium cordibus, quibus aliquando hoc videre datur, per eam fides augeatur, spes crescat, veritas confirmetur. *Indignari sæpe soleo*, inquit prudentissimus Præsul*, *cur ea, quæ nostris temporibus proveniunt, cùm non sit, qui ad illa scribenda animum applicet, quæ prodesse legentibus manifestata poterunt, infructuoso silentio tecta dispereant....* „ Doleo, „ ** & supra quàm multis fortè credibile sit, torpori multorum irascor, „ qui cùm scientiâ, literis, atque eloquio abundent, miranda Omnipotentis Dei Opera, quæ sæpe in diversis terrarum partibus ad instructionem Ecclesiæ fiunt, memoriæ „ posterorum mandare scribendo pigritentur. Et cùm antiquus mos „ fuerit, non solùm apud primos christianæ fidei patres, sed etiam apud „ gentiles, ut quæque digna memoriâ literis traderent, isti nec Christianorum, nec paganorum studia imitantes, universa suis temporibus „ accidentia, quæ succedentibus „ non parùm possent esse utilia, lan„ guentes animo perire permittunt. „ Cùmque dicat Deo divinus Psalmus: „ *Confiteantur tibi Domine omnia Opera tua*; hoc est, laudare de omnibus „ operibus tuis, quomodo de illis operibus Deus laudabitur, quæ nesciuntur? Quomodò ab his, qui ea non „ viderunt, scientur, nisi dicantur? „ Quomodò in memoria recedentium, „ & succedentium temporum permanere poterunt, nisi scribantur? & „ cùm omnia sive bona sive mala, quæ „ vel volente, vel permittente Deo in „ mundo fiunt, ipsius glorificationi, & „ Ecclesiæ ædificationi inservire debeant, si ea homines latuerint, quomodò de his aut Deus glorificabitur, „ aut Ecclesia ædificabitur? Ad tantum autem jam infructuosa hujus silentii segnities pervenit, ut quæcunque in Ecclesia Dei, sive in regnis „ Christianis à quadringentis, vel quingentis fermè annis facta sunt, universa penè nobis, & omnibus ignota „ sunt. Tanta enim apparet distantia „ nostrorum temporum, & priorum, ut „ quæ ante quingentos & mille annos „ gesta sunt, nobis notissima, quæ verò exinde ipsis quoque diebus nostris „ acta sunt, prorsus ignota sint. In„ de est, quod historiis antiquis, Ecclesiasticis gestis, libris multiplicis „ doctrinæ Patrum instructiones & exempla continentibus abundamus: eorum autem quæ temporibus nobis „ contiguis contigerunt, nescio si vel „ unum habemus. Scrutabantur priores illi rerum utilium diligentissimi, etiam apud remotas gentes & „ ignotas, si quid inde dignum & „ humanis commodis inserviens, possint eruere. Unde Ægyptii Græcorum, Græci Latinorum, Latini Græcorum & Hebræorum sive aliarum gentium linguas & scientiam „ studiosè indagantes, invicem sibi, „ quæ necessaria cognoscebant, variis scriptis, diversísque translationibus communicabant. At è „ converso, Latini nostri non solùm „ nulla peregrina rimantur, sed nec „ sibi proxima cognoscere, vel aliis „ ea scripto vel verbo commendare dignantur. „ Hæc Petrus Venerabilis, qui damnata ætatis suæ desidia, si quid dignum

Perstringit suæ ætatis inertiam

* in Prolog. ad lib. 1.
** in Prolog. ad lib. 2.

næ à se institutum, strenuè promoveretur.

Methodus studendi Hist. Eccl. in Congr. Lothar. laudatur. Nec parùm commendanda est methodus illa, quâ Patres Congregationis SS. Vitoni & Hidulphi, præsertim in monasterio S. Michaelis Diœcesis Virdunensis, ubi præclaris instructa libris Bibliotheca habetur, ad hoc studium incumbunt. Neque omnes tamen, sed illi tantùm, quos præ cæteris acriori pollere judicio censent Superiores. Delectû igitur habito, statis diebus conveniunt, de argumentis perlegendis deliberant, ac lectiones instituendas inter se partiuntur, ut quæ inter legendum annotatione, animadversione, vel uberiori elucidatione digna videantur, vel de quibus dubitatio oboriatur, quisque in chartam referat. Exacto tempore, quod præstitutum fuit, denuò congregantur, propriæ mutuò difficultates ac observationes conferuntur, & in codice ad id parato scriptis consignantur. Quò factum, ut plura jam egregia Opera publicam in lucem prodierint, quæ, ut sperare fas est, alia excepturæ sunt. Hanc methodum majorem in modum Mabillonius * comendat, qui quantùm ipse Historiæ atque antiquitatis Ecclesiasticæ fuerit peritus, non tantùm in Annalibus Benedictinis, ac doctissimis præfationibus ad Acta Sanctorum Ord. S. B. ubi plurima eàque varia Ecclesiasticæ Historiæ eventa, atque Observationes intermiscentur, palàm fecit, sed in eruditissimo etiam illo elencho potiorum difficultatum, quæ in lectione antiquitatis & Historiæ sacræ occurrunt, disposito ac concinnato uberrimè ostendit.

Non omnia nostrûm laudanda. Ne verò nostrûm omnia mactare laudibus, atque in majus efferre videar; quod qui faciunt, in historiæ leges non minimùm peccant, nævos ac errores silentiô præterire omnes haud concessum mihi videtur. Exemplum hac in re mihi præivit Eminent. Card. *de Aguirre* **, cujus verbis unius nostrorum in Hispània Sodalium peccata historica, quæ in Ecclesiastica perpetravit Historia, hîc recensebo.

Chronicon Hauberti Hispalensis. Sub medium seculi superioris, Hispanis, atque adeò literatis omnibus obtrusum fuit Chronicon sub nomine *Hauberti Hispalensis*: quod eatenus à nemine visum, aut nominatum se invenisse jactabat, & è Bibliotheca S. Dionysii Parisiensis clàm abstulisse, atque in Hispaniam detulisse, *Antonius Zapata* (ita se appellari amabat, sed reipsa *Antonius Lupian*) in Catalonia natus, pulsandis organis in sua patria addictus. Is leviter tinctus lectione historiæ variæ, præsertim Hispanæ, ac non parùm animatus exemplo *Romani Higueræ* Jesuitæ, cui tam benè cesserunt apud plerosque fictiones ejusmodi; recentem eam chimæram invexit: in quâ innumeras novitates, paradoxa inaudita, Concilia eatenus ignota Hispaniæ, Sanctos plures exteros, quasi Hispanos, Sedes Episcopales nusquam ab alio memoratas, & alia id genus portenta protulit.

Porrò id Chronicon Gothico charactere scriptum noluit unquam exhibere alicui emunctioris naris, aut satis perito in legendis antiquis literarum formis, aut veteribus MSS. quamvis sæpe & instanter rogatus fuisset à quibusdam. Nimirùm intererat plurimùm, ne fraus detegeretur. Sed postea deprehensum fuit à viris peritissimis, & omni fide dignis, qui fraudem suspicabantur, & diligentissimè inquirebant, intra Codicem illum nihil aliud esse, quàm *Chronicon Eusebii Cæsareensis* cum continuatione S. Hieronymi. Eum librum pro Chronico *Hauberti* venditavit diu *Lupianus*, & sparsit quædam exemplaria cogitationum, sive fictionum suarum, quasi ad litteram exscripta è chronico ipso apud se exstante; in quo tamen nec verbum habebatur, nec nomen quidem *Hauberti Hispalensis*, cujus Opus erat. Detecta itaque fraude *Lupiani*, iidem homines eruditi, qui antea vehementer illam suspicabantur, oculis demum ipsis eam usurpârunt, & *Haubertum Hispalensem* censuerunt similem chimæram illis aliis ab Higueriano ingenio profectis. Venditatur Chronicon Eusebii pro Hauberti Chronico.

Verùm cùm juxtà vetus dictum, experimentùmque commune, *nulla sit fatuitas absque patrono*, inventus fuit in Hispania, qui *Pseudo-Haubertum* protegeret, ac multis & vegrandibus volnminibus tuendum atque illustrandum reciperet: nimirùm *Gregorius Argaiz*, professione Benedictinus. Quod ipsum licèt videatur non nimis decorum dilectissimæ Religioni meæ, cui tot nominibus obstrictus sum, censui minimè dissimulandum hoc loco: ne quis existimet, me sinistro quopiam genio, aut præpostero affectu abductum strinxisse calamum adversùs *Higueram*, alte- Illud Gregorius Argaiz illustrat.

* Tract. de Stud. Mon. Part. 2. c. 10. p. mihi 245. edit. Venet. in 4.
** Dissert. III. de variis Concil. Hispan. Tom. 2. p. 57. n. 33. 34. 35.

alterius instituti hominem. Ingenuus veritatis & utilitatis publicæ amor, qui compulit *Bollandum, Henschenium, Papebrochium*, & tot alios Societatis claros Scriptores, ad traducendum nominatim illum *quamvis suum sodalem*, impulit etiam me ad ferendum palàm judicium de ipso, & pariter de *Lupiano* & *Argaizo*; verùm mitius de hoc, quòd non malâ fide, dolo, aut fraude, sed ab eo seductus, per nimiam simplicitatem peccaverit.

calamum ponere monetur. *Illum igitur*, pergit pluribus interjectis Eminentissimus Agvirre, *diu ac multùm scripturientem, & libros edentem pro Hauberto* (mediocri historiæ notitia, verùm majori simplicitate aut pervicacia) *monuimus multi, ne iis næniis vacaret, aut operam luderet.* R.mus Magister *Joannes de la Riba* Catholicæ Majestatis Theologus & Concionator (*qui antea fuerat Generalis Benedictinæ Congregationis Hispanicæ*) vir sanè doctus, justitiæ, ac veritatis amantissimus, *illum nonnunquam propterea increpavit, & mihi idipsum exequendum injunxit.* Sed nec ipsius monita, nec mea, nec Clarissimi Viri & celeberrimi Scriptoris *D. Emmanuelis Gonzalez Telex*, qui in eadem sententia jam dudum nobiscum erat, nec aliorum plurium quicquam profecerunt. Novaturienti enim genio præditus, & præoccupatus insanabili illo cacoëthe scripturiendi mira ac rara, undecunque ea accepisset, nunquam sibi temperavit in ea parte. Denique editis quatuordecim plus minùs voluminibus, avidissimè receptis, & auro contra non caris apud minùs peritos, atque ingenti pretio venditis in America, tandem plenus triumphis, ut sibi videbatur, reportatis ex *Pellizerio*, & aliis viris eruditis, à quibus refellebatur, in extrema senectute diem Matriti obiit anno circiter MDCLXXXIII.

Cœlestinus Sfondratus commendat studium Historicum. Quàm verò non eâdem æstimatione præstantiam studii Historiæ Ecclesiasticæ omnes Benedictini metiantur, ex iis, quæ mox dicturus sum, abundè intelliges. Fuit, ut *Cælestinus Sfondratus S. R. E. Cardinalis*, cùm Abbas adhuc San-Gallensis & Congregationis Benedictino-Helveticæ Visitator esset, virum Religiosum eo nomine ab aliis accusari audiret, non quòd bonas horas ignavo contereret otio, sed quòd in evolvendis *Cæsaris Baronii* Annalibus Ecclesiasticis assiduus esset, ita ut ad eos tanquam ad Sirenios scopulos adhæresceret. Hic verò mirari *Sfondratus*, quòd qua in re monacho laus ac commendatio deberetur, eam in ipso reprehendere, atque accusare alii non vererentur. Pro eo igitur, ut Historiæ Ecclesiasticæ lectione accusato interdiceret, stimulos ei potiùs novos addidit, ut in ea continuanda strenuè pergeret. Subinde ad accusatores conversus, quantum momenti atque utilitatis in ejus cognitione insit, primùm iis ostendit, tum autor verbis gravissimis fuit, ut eandem illam viam, quam non hujus sodalis sui tantùm, sed majorum suorum, omnis memoriæ præstantissimorum virorum signatam atque impressam vestigiis cernerent, ipsi quoque toto pectore, omnique animi contentione sequerentur.

Cardin. Quirinus suadet versionem Hist. Ecclesiast. M. Orsi. Ad Principalis Monasterii & Ecclesiæ San-Gallensis gubernacula hodie sedet *Cælestinus* prudentissimus Abbas, & Princeps, à quo Eminent. Cardinalis QUIRINUS anno 1747. in suo literario itinere, quod ad Benedictina Helvetiæ & Rhetiæ monasteria instituit *, postulaverat, ut alicui ex monachis suis provinciam demandaret vertendæ ex Italica in Germanicam linguam Historiæ Ecclesiasticæ, authore *P. Magistro Orsi* à Secretis Sacræ Congregationis Indicis, nuperrimè in publicum emissæ. Pensum hoc statim optimus Præsul cuidam Cœnobitæ utriusque linguæ perito imposuisse se narrat, postquàm elogio hoc admodùm justo Historiam illam exornâsset. *Eandem* (Historiam) *exiguo quidem hoc tempore summo gaudio perlegebam, & reverâ inveni talem Historiam, qualem jam pridem optaveram, planam scilicet absque criticis ambagibus, clarissimam, ac fundatissimam, quæ non solùm intellectum illuminat, sed & voluntatem ad Dei ac veræ orthodoxæ fidei ejúsque Disciplinæ amorem inflammet, stylo dein nitidissimo conscriptam.* Addit paulò post. *Utinam etiam in Latinum transponeretur. Sperarem enim ex Latino majorem fructum, quàm ex Teutonico; quippe literati Viri Heterodoxi majori gustu Latina Opera legunt, quàm Germanica; illiterati autem & sequioris sexûs homines in his partibus ad nullam lectionem, sed ad solum manuum laborem, aut mercaturam sese applicant. Præterea cùm in Regularibus Germaniæ Conventibus* ad

* Vid. Em. Card. Quirini epist. x. Dec. 5. Epistolar pag. x.

ad mensam prandii plerumque Latina Historia Ecclesiastica prælegi soleat, ex Latina versione magnum emolumentum Religiosis proveniret. Quid amplius, exclamat Purpuratus Princeps, quid amplius ab humanissimo ac doctissimo Præsule consequi potuissent efflagitatus mei? Nihil profectò.

SECTIO II.

Historia Studii prophanæ ac civilis Historiæ.

Causæ, ob quas monachis facultas concessa cùm legendi tum scribendi profanas historias.

PLures sunt causæ, propter quas historica prophanorum Scriptorum Opera cùm evolvere tum etiam alia proprio marte condere nostris concessum fuit. Primò enim civilis Historiæ cognitio, judice Augustino, ad divinæ paginæ intelligentiam, quò monachorum studia præprimis collimare debent, multùm conducit: tum quia Historia Ecclesiastica adeò profanæ miscetur, ut illam sine hac perfectè assequi, non arduum modò ac difficile, sed propemodùm impossibile videatur: deinde quòd Superiores futurum sperarent, ut ex ejus tam lectione quàm scriptione monachi rerum humanarum varietatem, inconstantiam & caducitatem non modò cognoscerent, sed quantùm etiam æterna nativis, immortalia caducis, divina humanis sint anteponenda, intelligerent, atque inter legendum & scribendum cum Ecclesiaste sæpiùs exclamarent; VANITAS VANITATUM, ET OMNIA VANITAS! *Si quid enim est*, ut vel ipse Abbas Trappensis * fatetur, *si quid est, quod à seculi amore, ab ejus voluptatibus, fortunis, laude, & vanitate tanquàm à rebus fallacibus nos exolvere valeat, id sanè est attenta eorum, quæ in seculo evenerunt, consideratio.* Quis enim faciliùs fluxa hæc, caduca, & inconstantia, quæ falsò nomine bona appellamus, contemnere potest, quàm qui ex Historiarum per omne ævum monumentis perspectum habet, quàm sæpè maximi Principes ac Reges fuerint eorum blanditiis decepti, vexati molestiis, elusi mutabilitate? in medio sunt exempla, sed ego unius Rheginonis, Abbatis Prumiensis, exemplum adduxisse contentus ero.

Rhegino expendit utramque Caroli Crassi fortunam.

In humanis *Rhegino* agebat per ea tempora, quibus primùm Carolus Crassus Romanorum Imperator, quasi Superis proximus, throno sublimis, purpurâ nitens, majestatis suæ fulgore totius orbis oculos perstrinxerat; posteà verò solio deturbatus, dignitate omni nudatus, rerum etiam necessariarum repentè egenus, cuivis etiam privatorum miserandus est visus. *Erat*, inquit Rhegino **, *res spectaculo digna, & æstimatione fortis humanæ rerum varietate miranda. Nam sicut antè secundâ fortunâ rebus ultra, quam arbitrari posset, affluentibus, tot tantâque imperii regna sine laborum sudoribus & certaminibus attraxerat, ita ut post Carolum Magnum, majestate, potestate, divitiis, nulli Regum Francorum videretur esse postponendus: ita nunc adversa velut in ostensione fragilitatis humanæ deficiens, quæ fortuna cumulaverat, cuncta inhonestè in momenta abstulit, quæ prospero arridens successu quondam gloriosè attulerat... Miseranda rerum facies! videre Imperatorem opulentissimum, non solùm fortunæ ornamentis destitutum, verùm etiam humanæ opis egentem.* Hanc admirandam rerum in CAROLO *Crasso* conversionem cùm Rhegino justâ admiratione prosecutus fuisset, in Chronicon posteà suum referendam existimavit. Ex qua etiam ipse didicit, ut injustam suam ab Abbatia dejectionem æquissimo ferret animo. Non sua igitur caret utilitate, profanas id genus historias quà pervolutare, quà literis mandare.

Veteres Historici à monachis transcripti.

Neque verò civiles ac profanos Historicos nostri Majores tantùm evolverunt, sed ut ad posteros etiam transmitterentur, indefessâ & accuratâ transcriptione invigilârunt. Actum certè fuisset de Taciti quinque primis libris, nisi Corbejæ novæ in Saxonia Cœnobitæ manu sua transcriptos studiosè asservâssent. Titi Livii verò postremos quinque libros in deperditis etiam numeraremus, nisi eos Bibliotheca antiquissimi monasterii Laurissensis *Simoni Grynæo* suppeditâsset. Gloriatur *Erasmus Rotterodamus*, se Suetonium non ita passim depravatum, ut antehac, sed integrum Literariæ Reipublicæ exhibuisse, sed unde? Ex Tornacensis ad S. Martinum monasterii Bibliotheca. Quos

* in Respons. ad Mabill. Tract. de Stud. Monast.
** ad an. 887.

Quos Fastos Consulares Idatii Episcopi, diu cum ejus Chronico eruditorum omnium votis exoptatos, Jacobus Sirmondus edidit, unde ad ipsum pervenerunt, nisi ex Metensis Familiæ nostræ monasterii non ignobili, nec obscurâ Bibliothecâ?

Memoriæ prodidit Scriptor quidam * [*Thomas Gascoignus*] sub Henrico VI. Angliæ Rege in pretio habitus, quòd Insulæ illius Regibus solenè fuerit, Viros doctrinâ insignes suis passim impensis in cœnobiis Benedictinis alere, quibus utique incumberet priscorum Authorum, maximè autem Historicorum & Chronographorum, Opera describere, & ab interitu vindicare. Hunc ille morem antiquitus quidem invaluisse, suis autem temporibus in desuetudinem quodamodo abiisse perhibet, evanescentibus inde veterum elucubrationibus.

Condunt proprio marte historias

Nec solùm in describendis aliorum Autorum historicis operibus, sed proprio etiam marte condendis Benedictini egregiam præstiterunt operam; adeò quidem, ut *Johannes Marshamus*, non incelebris iterùm Scriptor Anglus edixerit: *absque monachis nos sanè in historia patria semper essemus pueri.* Id quod etiam, sed longè uberiùs, ac multò disertiùs affirmat *Thomas Smithus*, Ecclesiæ Anglicanæ, licèt Heterodoxæ Presbyter, perquàm doctus tamen & eruditus, cujus verba referre me non pigeat: „ Scriptoribus hisce vetustis [*Monachis Benedictinis*] quæ erat illorum temporum infelicitas, bellis undique circumstrepentibus, & inducta quoque aliis de causis barbarie, defuêre styli politura & elegantia, non industria, non judicium, non amor veritatis. *Frustra enim sumus, & invidiæ pariter ac læsæ veritatis arguendi, si monachos omni cura sui aut posteritatis susque deque habita, ventri & gulæ deditos, turpi otio vitam transegisse criminemur.* Certissimum enim est, ut, cæteris doctrinæ capitibus omissis, verba de sola re historica habeam, illos, utpote exploratores, testésque oculatos & auritos, rerum cujuspiam momenti suis temporibus contingentium memoriam libris mandâsse, utpote uno & altero in majoribus monasteriis ad hoc institutum munúsque obeundum deputatis. Absque quibus foret, ut de rebus post adventum Saxonum in Angliam gestis nihil comperti haberemus; non minùs ac de statu Britanniæ, antequàm Julius Cæsar in Insulam appulerit, quid tribus abhinc seculis accidisset, sola incerta & fallaci traditione confisi, penitus ignoraremus, *& cum nostris delicatulis comptulísque elegantiis penè barbari fuissemus.* Ad hæc accedit, ut quicquid cum exteris Principibus, sive in fœderibus ineundis, sive in contrahendis nuptiis, sive in stabiliendis commerciis publicè transactum fuerit; item literas & bullas Pontificum, responsa, edicta, & ordinationes Regum, rescripta Episcoporum, constitutiones Provincialium Conciliorum, Decreta Parlamentaria, cæteráque Acta, quæ ad communem Regni & Ecclesiæ statum spectant, ea omnia in registris suis referri curaverint, ut inde futuris temporibus, siqua lis, siqua dubitatio oriretur, omni legitima contra ejusmodi sacrosanctam anctoritatem, unanimémque confessionem exceptione penitus submota de illorum fide & veritate maximè constaret. Qua de causa pro summa sua prudentia universum de ipsius in regnum Scotiæ jure, déque homagiis ipsi tanquam supremo Domino præstitis processum in quorundam celebrium monasteriorum chartulariis non paucis ad firmandam hanc Angliæ, quam vendicavit, prærogativam, præsidiis ex iisdem quoque petitis, describi, & recenseri jussit inclytissimus & fortissimus Rex, EDWARDUS I. „ Hæc *Thomas Smithus*.

Anglicana Historia præcipuos Autores habet Benedictinos.

Et reverâ, si quam habent Angli rerum suarum notitiam, monachis ferè solis debent *. Singulare enim est, nec silentio prætermittendum, quod apud monachos in Anglia Benedictinos statutum refertur, in singulis regalibus monasteriis deligendum esse peritum aliquem accuratúmque scriptorem, qui præcipua Regis gesta, & regni eventa notaret, & in Acta referret; omnia ad proximum Generale Capitulum post obitum Regis deferenda, ut ex omnium collatione à sagacioribus quibusdam à Capitulo designatis facta, accurata Chronica describerentur, in Archivis monasteriorum diligenter asservanda. Hinc contigit, ** *Anglici Regni Historiam aliâ quacunque longè puriorem*

* in 1. part. Dict. Theol. p. 485. apud Anton. à Wood in Hist. Univers. Oxon. lib. 1. p. 272.
** Vid. Mabill. Præfat. Tom. V. Annal. O. S. B.
*** idem Tract. de Stud. Monast. part. 2. c. 8. pag. 148.

riorem, *ac luculentiorem esse*, quamquàm vix ulla reverâ legitur, quin impenso Monachorum labori ac studio tribuatur, quibus proinde jus illud immeritò contenderetur, quod in Historiis componendis jam diu sibi comparârunt.

Accedit *Joannis Pitsei* * testimonium, quo perhibente Reges Angliæ tum in quibusdam aliis Familiæ nostræ cœnobiis, tum præcipuè in sancti Albani monasterio habere soliti fuerunt ex Monachis doctissimum aliquem, qui patrias historias, & Regum gesta scriberet. Cui muneri seculo XIII. *Rogerius de Vendovera*, vir magnæ doctrinæ atque eruditionis, velut aptissimus præfectus, atque Historicus Regius electus fuit. Unde & in hoc genere laboris desudans *erudita confecit Gentis Anglicanæ Chronica*, & seriem rerum in Anglia gestarum optimè deduxit usque ad annum Christi 1235. *Rogerium* verò excepit ** MATHÆUS *Parisiensis*, ejusdem monasterii Religiosus, cujus fama eruditionis, integritatísque adeò per Angliam inclaruit, ut ad continuandam Anglicarum rerum historiam mandato sumptibúsque regiis accerseretur. Quàm verò familiariter à Rege Henrico III. sit interpellatus, juxtáque eum sedere jussus, & quomodo ea, quæ tunc vidit, ut Historiæ commendaret, à Rege sit edoctus: ipse landum suarum haud quaquam parcus vel immemor narrat in Historia ad annum 1247. Quomodo insuper cum Rege continuè fuerit in mensa, in palatio, in cubiculo, & in thalamo, & ut Rex scribentis calamum satis diligenter & amicabiliter direxerit, ipse sibi testis pariter in eadem Historia ad annum 1257. Quantâ verò Rex eum dignatus sit gratiâ, ut pro Oxoniensi Universitate intercedentem exandierit, idem habet ad eundem annum. Imò & quanta apud eundem Regem usus fuerit libertate, cùm illum in faciem imperterritus aliquando redarguerit, ipse sibi fert testimonium in Historiâ ad annum 1250. Ast non Angliæ duntaxat notus, verùm ad exteros etiam Principes fama ejus pervolavit. Cùm enim Monasticæ severitas disciplinæ in Norwegiæ Regni Monasteriis jam fermè in desuetudinem abiisset: nominatim à Norwegis postulatus fuit, & nominatim ab Innocentio Papa IV. illuc demandatus pristinum Ordinis rigorem cum laude resuscitavit, ut ipse habet in Historia ad annum 1248. Tantæ etiam existimationis apud Francorum Regem Ludovicum extitit, ut ei, quasi Legato suo, literas Nortwegorum Regi Hacconi deferendas commiserit, ut ipse idem habet in Historia ad annum 1217. Quàm charus denique & ipsi Hacconi Regi, & quid pro amore ejus fecerit, ille ipse vos edocebit ibidem ad annum 1248. nihil omittens, quod laudi suæ conducere possit.

Mathæus Parisiensis.

Ab obitû *Mathæi Parisii* anno 1259. humana absolventis in Historicum Regii officio ei successit *Guillelmus Rishanger* Anglus ***, in eodem S. Albani monasterio professus; ab Rege enim Henrico, cui in amoribus fuit, stipendiis conductus Chronographum egit, non temporibus tantùm ejusdem Henrici, sed etiam Eduardi II. & III. Mos enim & consuetudo Regum Occidentalium, ac Anglorum inprimis tunc fuit, ut secum haberent eos, qui Gesta eorum veritate præcipua notarent, ut in *Britanniarum Historia* Ponticus Virunnius habet. Hoc certè officium multis annis Abbatiæ S. Albani Monachis in Anglia delegatum fuit, qui Regum facta per annos singulos scripserunt.

Guillel. Rishanger.

Quantâ verò cupiditate ac ardore alii Angliæ monachi Benedictini studium historicum complexi fuerint, nimius videri possim, si omnes hîc enumerare instituam, tres quatuor adduxisse pro instituto nostro sufficiat.

Simeon Dunelmensis **** Monachus ac Præcentor cum primariis Angliæ Historicis meritò in comparatione conjungendus, ante seculi duodecimi medium floruit. Hic optimè intellexit, res Transabrinorum gestas, tum Scriptorum negligentiâ socordiáque prævalentibus tot Danicis bellis, tum iniquitate temporis ita obscuras & in silentio pressas delitescere, ut brevì ad oblivionem interitúmque, nisi eas diligentis aliqua investigatoris cura repararet, colligeret, & in ordinem referret, pervenirent. Quare rationem sollicitus apud se inibat, quâ malo instanti occurreret. Multa tandem cogitanti hoc succurrit imprimis & necesse-

Simeon Dunelmensis.

* de Scriptor. Angl. ætate 13. Scriptore cccxxii. ex Matheo Westmonast.
** Willelmus Wats in Præfat. ult. edit. Opp. Mathæi Parisii.
*** Oudin. de S. E. Tom. III. p. 526.
**** Joan. Leland. de Scriptor. Angl. cap. 160.

cessarium & utile, ut reliquias Bibliothecarum à Danis spoliatarum anxiè disquireret. Nam monachi Lindisfarnenses, Coquedani, Tinomuthenses, Girovenses, Veromutenses, Hagulstadenses, Sinuspharnenses, Deirosylvani, denique Eboracenses, Danorum tyrannidem miserè fugientes aliquam veteris historiæ supellectilem, & cognitionis rerum sui temporis secum detulerant, & in dies conservaverant, quas feliciùs aliquando futuras sperabant. Hæc omnia perquisivit, invenit, excussit curiosa Simeonis diligentia, atque adeò ut ante ardorem studii nulla ex parte remiserit, quàm historiam gentis Nortabrinæ à tempore Bedæ Girovienſis ad Stephani tyranni regnum accuratè perduxisset. Non hic, inquit Lelandus, decrevi Simeonis encomiastes esse, ejus immortale Opus est, atque adeò erit, me reticente.

Gervasius simili laude præstat.

GERVASIUS * *Cantuariensis*, seu Dorobornensis monachus, qui & *Gervasius Melkelaia* dicitur, anno circiter Christi 1200. sub Joanne Anglorum Rege, quem etiam laudat, mox citatus MS. in Bibliotheca Oxoniensi publica, in illo nimirum eximio Opere, quod *de Scriptoribus Anglis* composuit, his verbis: „ Gervasius Dorobornensis „ monachus fanum Servatoris erudi„ tione insigni multa illustravit. Stu„ duit suprà quàm cuique credibile an„ tiquarum rerum cognitioni; quo no„ mine ingentem Historiographorum „ numerum collegit, præcipuè verò „ eorum, qui res Britannicas & Sa„ xonicas accuratè tractabant. Un„ de & ipse tandem in arenam descen„ dens, ingenii periculum fecit, edi„ to volumine planè egregio, in quo „ tum *Britannorum ab origine historiam*, tum *Saxonum & Nortmannorum fortia facta usque ad imperium Joannis Regis Angliæ deduxit*, diligentia quidem inexhausta. Deinde industria non minori *Vitas Archiepiscoporum Cantuariensium* perscripsit. Præterea ad cumulum addidit *Librum de Regionibus Britannis, déque Sedibus Pontificiis in ea constitutis*, ac denique de monasteriis in eadem à Nobilitate constructis.

Ranulphus Higdenus.

Ranulphus Higdenus, monachus Cicestrensis cùm seculo XIV. ingentem Anglicorum præsertim Historicorum multitudinem, multis sibi comparâsset laboribus & expensis, ipse Historiæ ab Orbe condito conscribendæ animum apposuit. Illam itaque cùm ex proprio fonte nullus possit, ex variis Historicis eleganter admodùm concinnavit, integras ac prolixas aliorum se ipso antiquiorum lacinias intexens, appositis tamen singulorum, à quibus acceptæ sunt, nominibus, adjunctâque ab Abrahami temporibus marginali annorum supputatione: unde vix aliam quàm Compilatoris gloriam meruit, nisi quòd libro ultimo in rebus ætati suæ proximis, multa è suo penu inseruerit. Compilatoris tamen munus tam egregiè præstitit, ut pauci admodum ex Historicis Anglis, fide, gravitate, ac judicio cum eo conferendi veniant. Quanti autem Opus istud, licèt excerptum ab anterioribus aliis, meriti apud Anglos fuerit, judicent Lectores ex multitudine manuscriptorum Codicum, qui ad viginti assurgunt in Anglia. Joannes Pitseus ** *nobilissimum* vocat *Opus*.

Thomas Walsinghamus.

Thomas Walsinghamus, in cœnobio S. Albani monachus, ubi anno 1440. & sequentibus Præcentoris munere functus est, *Auctarium Polychronici Ranulphi Higdeni* scripsit, quod quidem, si Joanni Balæo fides, *rarissimas habet historias, & à nullo alio scriptas*. Præsertim in eo habetur plena narratio de renuntiatione, resignatione, dimissione, cessione & depositione Regis Richardi II. & de vindicatione coronæ Angliæ per Henricum IV. tunc Ducem Lancastriæ. Henrici etiam V. Angliæ Regis, cujus temporibus vixit, antiquo monachorum S. Albani more, *res gestas* literis commendâsse, atque Regii Historici munus obiisse dicitur. Adhæc *de Rebus Anglicis* Historiam duplicem, breviorem unam, alteram prolixiorem concinnavit.

In monasterio S. Dionysii Chronica de Regû Gestis asservantur.

Quemadmodùm verò S. Albani monasterium in Anglia Regiorum Historiographorum gloriâ inclytum præ cæteris fuit habitum, ita illud ad commendationem Dionysiani in Francia Asceterii observare ex *Luca Acherio* *** juvat, moris quondam fuisse, ut Chronica de Regum Francorum Gestis ibi asservarentur, & (*quod in Anglicanis etiam monasteriis Benedictinus fiebat*) peEx hoc monasterio plerique Regii Historiographi.

riti designarentur ex monachorum cœtu Historiographi, qui res Francorum præcipuas literis mandarent. *Regum nostrorum Historici*, inquit Michaël Felibien,

* Leland. l. c. cap. 216.
** Is defloravit Lelandum de Scriptor. Brit. quem vide cap. 354. pag. 229.
*** in Præv. monit. ad Chroni on Guill. de Nang. quod in Spicil Tom XI. vet. edit. Tom. III. nov. extat.

libien, * *si non omnes, certè quidem à Philippo I. usque ad Ludovicum XI. fermè omnes ex S. Dionysii monasterio fuerunt.* Agmen ducit *Rigordus*, qui vitam Philippi Augusti literis consignavit. Ex Occitania oriundus, cùm rerum medicarum scientiam aliquamdiu professus fuisset, ad præstantiorem Theologiæ doctrinam studia sua contulit. Mores suos ac rei historicæ peritiam Philippo Regi ita probavit, ut eum sibi primùm à sacris, tum à scribenda rerum à se gestarum historia esse voluerit. Unde Regem ad bellicas expeditiones sequi eum oportuit. Cùm igitur Regius Historiographus esse promeruisset, se *Magistrum Rigordum*, *Regis Francorum Chronographum*, Beati Dionysii Clericorum Minimum, in præfatione Gestorum Philippi Augusti ad Ludovicum ejus filium ipsemet appellavit. Quo nomine à Guillelmo Arremorico, tanquam laudem, & vanos *Chronographi*, sive *Historiographi* titulos ambiret, sine causa reprehenditur. Neque enim, qui Historiographus est, modestiæ terminos excedit, si se *Regium Historiographum* suis in libris appellet: cum aliter aut meliùs, quàm suæ quisque professionis titulis, nemo innotescere possit. Quàm à vano quærendi nominis studio alienus fuerit, illud insuper argumento est, quòd licèt decem ipsos annos in scribenda historia Regis Philippi magno labore ac industriâ contrivisset, magni tamen adeò non fecerit, ut illam suppressurus fuisset, nisi *Hugo* id temporis Abbas S. Dionysii pro imperio jussisset, ut illam juris publici faceret.

Eorum primus Rigordus.

Guillelmus de Nangis, Monachus etiam Sandionysianus Chronicon suum anno 1301. inclusivè finiit, quod argumento est, ipsum circa anni vertentis initium diem suum obiisse. Licèt verò Chronicon suum ab orbe condito auspicetur, illud tamen quoad res Francicas peculiari usui esse potest ab anno usque 1113. quo Sigebertus Gemblacensis suo finem imposuit. Quod Chronicon verò Guillielmi de Nangis *Lucas Acherius* Tomo XI. Spicilegii inseruit, ab an. 1114. exordium ducit; cui ille adjunxit continuationem duorum Historicorum, æquè Religiosorum in Regia S. Dionysii Abbatia, qui historiam prosequuti fuerunt; alter ad annum 1340. alter ad annum 1368. Quod verò ad *Guillelmum de Nangis* attinet, præter Chronicon majus nobis aliud Chronicon Regum Franciæ reliquit, quod pro supplemento Flodoardi habetur. Alter continuatorum Chronici Nangiani, ut dicebam, in Annalibus suis scribendis finem facit anno 1368. Autor iste, qui nullo alio, quàm *Monachi Sandionysiani* nomine nobis cognitus est, certiores nos reddit, quòd in viculo, cui nomen Gallicum *Venette*, propè Compendium in Picardia ortus sextum aut octavum egerit annum, cùm fames Franciam anno 1315. miserè afflixit. Quo tempore Francia ex Regis *Joannis* in Angliâ captivi absentia civilibus bellis flagrabat, Historiographus noster Lutetiæ Parisiorum erat, ubi quæ memoriâ magis digna ipsi videbantur, in literas retulit. Et licèt Opus ejus historicum haud plures ætate octo supra viginti annos complectatur, ab anno 1340. usque ad annum 1368. nihilo tamen minùs pretium ei statuendum est, quod melioris commatis Historiæ per id tempus conscriptæ sibi deposcunt. Equidem negari haud potest, quòd quas res enarrat, nullo orationis flore convestiat, sed sermonis genere satis inculto utatur, pro more illius ævi, quo literæ politiores non eo loco in Francia habebantur, quô aliàs haberi consueverant. Ast hanc styli inelegantiam Auctor acri judicio compensat. Ad hæc omni cautione providit, nequid in medium proferret, quod à vero remotum esset. Quas res vel suis ipse oculis vidit, vel ex idoneis testibus audivit, simplici ac minimè fucato scribendi genere exponit. Quod singulari in rebus discernendis mentis sagacitati attribui debet, quæ boni Historici præcipua virtus habetur.

Guillelmus de Nangis.

Ejus duo Continuatores.

Eorum unus melioris notæ Historicus

CAROLI V. cognomento *Sapientis*, Francorum Regis Historiam *Monachus S. Dionysii Anonymus* literarum monumentis prodidit, sed quæ hodie, licèt anxiè quæsita, in deperditis habetur **. Quàm excellens illa fuerit, æstimare licet ex Caroli VI. Historia, cujus etiam Auctor habetur. Neque enim ullus eruditorum hactenus fuit, qui cùm hanc legisset, non etiam prioris legendæ desiderio se fuisse correptum fateretur. Vir clarissimus *Joannes Laboureur* tanto in honore Anonymum nostrum habuit, ut ejus Historiam Latinè scriptam Gallicè verterit. Quod judicium verò in præfatione suæ versio-

Anonymus hist. Caroli V. excellenter scribit.

* Histor. Abbat. S. Dionysii lib. IV. pag. 223.
** Felibien. Hist. de l' Abbaye. de St. Denys l. 5. pag. 294.

versionis de Autore nostro tulit, honorificentius est, quàm ut silentio involvi debeat. „ *Celebris iste* ANONYMUS, inquit, *singulare decus erat eorum temporum, quibus vixit*: nihil „ enim in eo de moribus corruptis illius ævi, nihil de ejusdem simplicitate deprehendas, nisi quod simplici scribendi genere utatur. Nulla „ virtutum ipsi defuit, quæ in præclaro desiderantur Historiographo. „ Ille in arcana Regni Franciæ, ille in „ artes Curiæ Romano - Avenionensis „ penetravit. Nec res privatæ & familiaria negotia perspicaces ejus oculos fugerunt. In summa: belli „ pacisque suo tempore negotia perspecta habebat universa, quæ summâ fide perscripsit. Affectus enim „ animi in tanta habebat potestate, „ ut eos nunquam ostenderit, nisi pro „ bono patriæ. Et verò licèt ipsi in „ Historia de variis statûs, ordinis, at„ que conditionis hominibus agendum „ sit, in unoquoque tamen eorum laudat & vituperat, quæ ab ipsis pro „ diversa temporis ratione seu laude seu „ vituperio digna geri poterant. Quod „ mireris nullum in ipso partium studium, licèt in regno vixerit, in quo quot „ homines, tot ferè vel odia, vel amores. „ Nullus in eo amor nisi veritatis, nullum odium nisi injustitiæ. - - Narrat „ apposité, concinnè, ordinatè. Quam „ doctrinam seu moralem, seu politicam Historiæ intexit, solida est. „ Quod ad me attinet, *prosequitur interpres*, illum pro primo inter Gallos habeo, qui completam Historiam scribere aggressus est, ita ut paucos hodie Scriptores esse existimem, „ qui cum ipso in comparatione conjungi queant, sed multò plures, quibus ipse deinceps pro magistro scribendæ Historiæ in exemplum proponi possit. Atque hæc, *pergit*, dico „ ex mente & sententia Petri Puteani, „ Regii Consiliarii & Bibliothecarii, „ qui authographum ex Bibliotheca „ Thuani eruit. Denique secum sentire *dicit*, Dom. Bignonium Advocatum Generalem, cujus nomen haberi possit loco encomii excellentis „ doctrinæ atque consummatæ virtutis. „ Hæc ille.

magnopere laudatur,

præcipuè à veritatis studio.

Quibus de celebri isthoc *Anonymo* adjici potest, quòd mors ipsius, quam verosimiliter anno 1416. oppetiit, intercesserit, quò minùs postremos Caroli VI. annos in Acta retulerit. Naturæ autem planè senem concessisse, indicio est, quòd jam anno 1381. in Aulâ Regis Angliæ negotiorum sui monasterii causa commoratus fuerit. Universitatem Parisiensem suam matrem appellat, ex quo argui potest, quòd in ea gradum acceperit. Cùm Rex ad bella processit, officio Regii Historiographi adductus, plerumque illum comitatus fuit. Anno 1393. consultationi in *le Linguehan* habitæ adhibitus fuit: quare quô ordine Principes ac Proceres regni in consessû recepti fuerint, à Duce Bituricensi literis mandare jussus fuit. Anno 1412. obsidioni *Avarici*, primariæ in Bituricensi provincia civitatis interfuit. Nec multò pòst, biennio elapso, Compendium concessit, eâ mente, ut cùm urbs illa in regiam potestatem restituenda esset, ejus restitutionis Acta ordine cuncta perscriberet.

Interest bellicis expeditionibus.

Regii Historiographi dignitatem in Abbatia Sandionysiana egregiè adauxit *Joannes Chartier*, Monachus & Præcentor, nobili prosapia oriundus. Quum enim majorum exemplo iisdem studiis operam dedisset, *Carolus VII.* Franciæ Rex, veræ gloriæ desiderio incensus, eum liberali stipendio conduxit, ut res suæ bello gestæ, quæ erant luculento scriptore dignæ, ad memoriam posteritati traderentur. Eo nomine & in aulâ frequens, & in castris præsens erat, ut rerum à Principe gestarum notitiam sibi parare posset. Ipse refert, quòd, quo tempore Ariflorum, urbs Normanniæ, à Rege receptum fuit, coràm adfuerit. Eâ verò fide ac integritate fuit, ut si quid memoratû magis dignum scripturus erat, quod ipse oculis suis non vidisset, sed ab aliis tantùm auditione accepisset, non priùs in literas retulerit, nisi rem ita fuisse gestam, illi juramento fidem fecissent. Tantum præcautionis in rebus narrandis antea adhibuit, quàm illas posterorum memoriæ mandaret. Quò etiam factum, ut ejus Historia incorruptâ fide conscripta in Collectione Scriptorum de rebus gestis Caroli VII. anno 1661. regiis typis vulgatâ primo loco collocari meruerit. Præter Historiam verò Caroli VII. extat etiam sub nomine *Joañis Chartier Magnum Franciæ Chronicon* excusum cum additionibus anno 1476. quod Opus alio adhuc insignitur titulo: *Mare Chronicorum & Historiarum Franciæ, Mer des Chroniques & Histoires de France.* Autor illius vulgò habetur *Joannes Chartier*; quamvis eruditi non immeritò contendant,

Jo. Chartier Regius Historiographus.

dant, eum non esse unicum, qui huic Operi elucubrando insudârit, sed esse collectionem historiarum, quas Monachi S. Dionysii diversis temporibus scripserunt, atque *Joannes Chartier* in unum idémque Historiæ corpus congessit.

Benedictini illustrant Historiam Francicam.

Estne jam, qui post tot Regios vel unius Abbatiæ Historiographos, plures sibi ex aliis monasteriis enumerari postulet, qui Francicam Historiam suis extulerunt scriptis? dabimus, nec parca manu. Alii enim à prima gentis origine scribere orsi, historiam illius universam complexi fuerunt. Alii si non Regni totius, quàm latè patet, omnium regionum ac provinciarum, certè quarundam condiderunt Historiam. Alii præcipuarum Urbium descriptiones eleganti scribendi genere adornârunt. Alii Regum ac Principum præclarè gesta uberi ac copiosâ narratione exposuerunt. Alii antiquis Historiæ Francicæ monumentis eruditam lucem attulerunt. Alii Rerum Francicarum Scriptores magna eruditione in unum corpus congesserunt. Alii denique Scriptorum omnium, qui natione Franci seu Galli fuerunt, Bibliothecam gravi labore, quantâque maximâ potuerunt industriâ concinnârunt. Atque ut de primis primùm loquar; Galliæ situm ac divisionem, quemadmodum *Hugo Floriacensis*, & *Robertus Autissiodorensis* ob oculos constituerunt, ita *Aimoinus* etiam Galliæ divisionem & descriptionem, à quo præterea Francorum Historiam habemus, quam à prima eorum origine orsus ad *Pipini* Regis inaugurationem, sive in Annum Christi MCCLII. deducere secum animo equidem constituit, sed nescio per quam causam circa medium seculi septimi substiterit. Ubi verò *Aimoinus* scribendi finem fecit, Monachus quidam S. Germani Parisiensis, aliíque exorsi historiam usque ad Annum 1165. prosequuti fuerunt. Mentionem hîc etiam facerem *Roriconis* Monachi, qui Gesta Francorum ab ipsius gentis origine ad obitum usque Clodovei I. Regis perscripsit, nisi eadem non paucis fabulis aspersisset. Graviori judicio Walafridus Strabo, judice Trithemio, Annales Francorum Fuldenses inchoavit, qui per alios subinde Fuldæ monachos continuati fuerunt. S. Arnulphi Metensis Monachus *Anonymus* Annales Rerum Francicarum ab anno Christi DCLXXXVII. usque ad annum DCCCCIV. deduxit. Omitto alios, satis habens si doctissimos duos Congregationis San-Maurianæ Sodales *Josephum Vaissetum*, & *Theodericum Ruinartum* commemorem. Prior pereruditam de origine Francorum nobis dedit Dissertationem; Posterior in Apparatu suo ad novam Gregorii Turonensis Operum editionem multa egregiè pertractat, quæ ad veterum Francorum historiam, leges, mores & consuetudines spectant, quæque ad lucem Historiæ Francicæ affundendam conferre plurimùm possunt. *Apparatus hic*, inquit Casimirus * Oudinus, *multa complectitur ad intelligentiam Historiarum Franciæ, ac morum, quibus Franci utebantur, omissis illis, quæ ad fabulas accessisse videbantur.* De bellicâ eorum virtute disserit, de Religione, de Officiis, ac dignitatibus, de Regibus, eorúmque authoritate monarchica. Ad hæc *Ruinartus* Annales condidit Francicos ab Anno CCLV. ad Carolum M. ex antiquis Scriptoribus, Gregorio potissimùm Turonensi, Fredegario, aliísque.

Josephus Vaissetus & Theodoricus Ruinartus.

Lobinovius dicit Historiam Minoris Britanniæ.

Franciæ provinciarum minimè postrema habetur Minor Britannia, cujus historiam *Guidoni Alexio Lobineau* è Congregatione S. Mauri debemus: quâ verò occasione ad illam scribendam accesserit, paucis dicendum est *. „ Historiam universalem totius Britanniæ minoris ab ultima gentis origine „ ad sua usque tempora justâ metho- „ do qui pertexeret, toto, quod miramur, seculo septimo decimo cùm „ nemo repertus esset, ægrè hoc tulerunt cùm alii Britanniæ Proceres, „ tum inprimis *Franciscus de Coetlogon* „ Episcopus Corisopitanus, qui cùm „ exploratum haberet, in monasteriis „ Ordinis S. Benedicti è Congregatione S. Mauri multa latere documenta, auctor fuit illius Ordinis Patribus, „ ut ad novos Britanniæ Annales condendos animum adjicerent. Placuit hoc consilium inprimis *Mauro* „ *Audreno*, Priori Landevenecensi, „ qui ascitis in societatem Viris suæ „ Congregationis doctissimis, novam „ patriæ suæ Historiam moliri cœpit. „ Primùm igitur ex claustris Benedictinis, deinde cùm non sufficere videretur apparatus, etiam ex Archivis provinciæ publicis, quidquid tabularum atque membranarum ad hunc finem spectantium reperiri potuit, conquisitum, & incredibili labore in ordinem redactum est. Stylum qui adhiberet, delectus est *Antonius Gallois*, quem mors

* Pez. Bibl. Ben. Maur. l. 2. c. 19. p. 394.

mors in ipso operis exordio eripuit. In ejus igitur locum substitutus est *Guido Alexius Lobineau*, qui postquam aliquot annos in digerendis rerum gestarum monumentis consumpserat, tandem se ad scribendum applicuit, vastúmque Opus intra septem annos ad umbilicum perduxit. Quamquàm autem credebatur, omnes boni Historici partes ad amussim explevisse *Lobinovium*, auctoritate tamen Statûum Provincialium, quorum censuræ subjectum fuerat Opus, delectus est *R. P. de Caumartin*, Abbas Buscienfis, qui, antequam prælo committeretur nova hæc Historia, omnium rerum, atque verborum momenta denuò expenderet. Atque sic tandem sumtibus publicis impressum est Opus, destinatis ad hunc finem ex ærario provinciæ viginti librarum Gallicarum millibus: quâ singulari Statûum Provincialium munificentia effectum est, ut Opus typo & figuris ornatissimum prodierit. Etsi verò *Lobinovius* * omnem dederit operam, ut hanc Britanniæ Historiam omni ex parte perfectam, nullique errori obnoxiam publico sisteret, non eo tamen communi applausu excepta fuit, quin non Criticorum senserit unguem. Vitio datum fuit Autori, quòd studiis partium abreptus Britanniam Minorem nunquam in Normannorum potestate fuisse scripserit. Unde doctissimi Abbates *de Vertot*, & *des Tuillieries* luculentis scriptis *Lobinovium* refutârunt; cujus tamen partes cùm *Trivoltienses* tueri viderentur, etiam in hos Tuillierius calamum strinxit. Nec ipse tamen Lobinovius causam suam deseruit, editis duobus libellis, quibus, quòd Carolus Simplex, Rex Franciæ, nunquam Britanniam Minorem *Rollonis* Normannorum Ducis subjecerit ditioni, toto animi nisu probare annititur. Utut sit, hodie Domnus *Mauritius* ex eadem S. Mauri Congregatione novam Britanniæ Minoris Historiam majori veritatis, quàm partium studio parat, quam necdum tamen, dum hæc scribo, typographis dedit excudendam. Eminentiss. Cardinalis Quirinus in Commentario vitæ suæ l. 2. c. 10. p. 230. partes *Lobinovii* non obscurè tueri videtur.

A criticis partium studium in eâ notatur.

Unde nova hodie majori veritatis studio paratur.

Josephus Vaisset.

Actû etiam *Josephus Vaissetus*, San-Maurianæ Congregationis alumnus eruditissimus in Historiâ Occitaniæ ad fastigium perducenda cum D. *Claudio de Vic* occupatur; jam enim tria in folio volumina magnâ eruditione atque industriâ accurata in lucem emisit: supersunt alia duo volumina. Est námque Septimania Regni Galliæ provinciarum amplissima: in ea sunt Archiepiscopatus tres, Episcopatus novendecim. *Urbanus Planchetus* ejusdem Sodalitii doctissimus Cœnobita Historiam Burgundiæ, magnâ scribendi elegantiâ à se concinnatam prælo Divione in Burgundia jam subjecit, quo brevi liberandam speramus.

Urbanus Planchette.

Augustin. Calmet.

Quô jure *Carolus Calvus*, Galliæ Rex, Lotharingiæ dominatum, excluso *Ludovico II.* Imperatore, legitimo hærede sibi vindicârit, alii dicant; mihi hìc dicere sufficiat, quòd factâ postmodum inter eundem *Carolum* & *Ludovicum* Germaniæ Regem divisione ** *Mosa, si pauca oppida excipias, Germaniam inter & Galliam factus sit terminus*; qui tamen hodie longè angustior est, postquam reliqua Lotharingia Ludovici XV. potestati nuper subjecta fuit. Lotharingiæ verò Historiam quà sacram, quà profanam non ita pridem R.mus AUGUSTINUS CALMET, Abbas Senoniensis elaboravit, quæ cùm plurimorum ac doctissimorum virorum voce celebretur, non magnoperè laudes meas desiderat. Ejus præstantiam iterata editio Tomis VI. comprehensa testatur.

Miachael Felibien.

Ex Urbium Historiis ac Descriptionibus facilè palmam sibi vindicat illa Lutetiæ Parisiorum. Cùm enim nostra ætate D. *Michael Felibien* è Congregatione S. Mauri Historiam regalis monasterii S. Dionysii magno judicio, nec minori animi candore, ac terso apertóque sermone conscriptam in lucem dedisset, Præpositis de Scabinis Parisiensium mercatorum dignus est visus, quem ex tot præstantissimis Galliæ viris potissimùm deligerent, ut eorū sumptibus nobilissimæ atque toto terrarum orbe celeberrimæ civitatis historiam adornaret. Equidem jam superiore seculo *Jacobus du Breul* vir doctus in monasterio S. Germani à Pratis, Antiquitates Parisienses, earúmque supplementum luce publicâ donaverat, sed quæ vini instar boni gustum potiùs patriæ Historiæ amantibus accenderant, quàm sitim sedârunt. Igitur D. *Felibien* an. 1703. conspectum Historiæ Urbis Parisiorum primùm vulgavit, ex quo si de Operis dignitate ritè conjicii solet, non immeritò affirmari poterat, Histo-

Jacobus du Breul.

riam

* Le Cerf. Bibl. Hist. Crit. pag. 207.
** Struv. Corp. Hist. Germ. Periodo 4. Sect. 5. §. 6.

riam fore multis dignam encomiis. Quinque verò voluminibus comprehensum lucem publicam an. 1723. aspexit; cùm jam D. *Felibien* vitam cum morte commutâsset, studio & cura Domini *Guidonis Alexii Lobineau*, qui quæ ad Operis perfectionem deerant, haud indiligenter supplevit.

Quid jam illos omnes commemorem Benedictinos, qui Franciæ Regum fortiter, sapienter, ac religiosè Gesta perscripserunt? Historiam Franco-Merovingicam, seu primæ Regum stirpis Gesta *Andreas Sylvius* Marcianensis Cœnobii Magnus Prior annis abhinc quadringentis in synopsin scitè redegit, quæ subinde *Raphael de Beauchamp* ejusdem monasterii Religiosus novis observationibus à se illustrata superiore seculo in vulgus emisit. Sigillatim verò vitam Dagoberti, filii Clotarii II. *Monachus Sandionysianus*, quemadmodum alius *Gemblacensis* Sigeberti III. Austrasiæ Regis XII. vitam memoriæ prodidit. Quis Childeriei III. exauthorati parens fuerit, magna erat olim inter eruditos contentio, multúmque disputatum fuit; cùm alii Theodericum II. statuerent, alii alium nominarent: ostendit verò *Joannes Mabillonius* Analectorum Tomo II. quòd Childerico II. qui aliàs etiam *Daniel Clericus* cognominatus fuerat, parente natus fuerit. De Rege *Clotario III.* Adrianus Valesius perhibet, eum vitâ functum esse anno 668. at *Mabillonius* ex Diplomatum fide alium demonstrat. Quod Clodoveus III. regni habenas nunquam capessiverit, Chiffletius contendit; at Mabillonius duo profert diplomata, in quibus annus secundus ejus regiminis consignatur. Historiam Regum secundæ stirpis *Rhegino* Prumiensis, *Marianus* Scotus, *Ado* Viennensis, *Sigebertus* Gemblacensis, *Eccardus* Urangienensis, *Albertus* Stadensis in Chronicis ac Summis pertractant. Res memorabiles in Franciâ gestas à Pharamundo usque ad Carolum Magnum, & ulteriùs *Joannes* Monachus Besuensis in Chronico monasterii sui persecutus est. In Caroli M. vita & conversatione exponenda EGINHARDUS Abbas Seligenstadiensis *omnium Germaniæ Historicorum vetustissimus* *, fidem suam & officium eruditis hucusque omnibus ita probaivt, ut nemo magis. In natale solum Magni hujus Imperatoris à multis inquisitum fuit, sed illum Monachus Sangallensis, Author ferè coævus, indicavit in vita Caroli lib. a. cap. 30. Ubi *Aquisgranum* Caroli *Genitale Solum* appellat, urbem Germaniæ Cis-rhenanæ, quam ceu locum nativitatis suæ Carolus postmodum in totius Germaniæ metropolim elevavit. Ejus filius *Ludovicus I.* vitam duxit longè piissimam, quæ, ut multi volunt, ab *Aimoino* Floriacensi monacho literis mandata fuit. In causas verò dissensionum filiorum Ludovici Pii integrâ fide ac veritate inquisivit *Nithardus*. Quantùm *Walafridus Strabo* commotus fuerit, quisque animi ejus sensus fuerit, dum *Judithan* Augustam, Ludovici Pii conjugem in monasterium detrudi vidit, carmina, quæ de ejusdem panxit exilio, abunde testantur. Neminem etiam legisse pœniteat consilium *Hincmari*, Archiepiscopi Remensis *de pœnitentia Pippini junioris* Regis Aquitaniæ Anno DCCCXXXII. Nec certè ad illustrandam secundæ Regum Francorum stirpis historiam minoris momenti duxerim vitam *Walæ* Carolomanni Imperatoris Germani; qui rejectis aulæ illecebris pompísque regalibus, fratri Adhalardo Corbejensis Cœnobii Abbati succi promeruit; qui enim vitam hanc concinnavit *Paschasius Radbertus*, multa, quæ literatos hactenus latuerant, de Ludovici Pii depositione in lucem profert: atque ut testis oculatus quæcunque in excipiendo *Gregorio IV.* Summo Pontifice gesta sunt, accuratè commemorat. Monumentum porrò istud ob ementita nomina, quæ in ejus vita describenda, Auctor prudenter tum usurpare coactus est (*non enim tam execrandi facinoris conscios magnates palam nominare est ausus.*) obscurum adhuc ac prorsus implicatum lucuenter adeò aperuit dilucidavítque *Mabillonius*, ** vix ut huic illustrandæ historiæ quidquam reperiri nunc queat aut præclarius aut opportunius. De regno *Caroli Crassi* Imperatoris ac Regis in Francia, atque de divisione Imperii post ejus exauthorationem ex vita Ælfredi Anglorum Regis, quam *Asserius Menevensis* scripsit, certiores reddimur. Sub eodem Rege Lutetia Parisiorum gravi à Normannis obsidione pressa fuit, quam solvere Odo Comes, postea Rex, eos coëgit. Ejus historiam ABBO *Cernuus*, sive *humilis*, Monachus

Andreas Sylvius. Mabillonius. Eginhardus Abb. Sangall. Anonymus. Walafr. Strabo. Paschasius Radbertus. Asserius. Abbo Cernuus.

* Vossius libr. II. de Hist. Lat. c. 33. & Hist. lit. Galliæ Tom. IV. p. 550.
** Ruinart. in vit. Mabill. num. 17. p. mihi 29.

chus Parisiensis, S. Germani de Pratis duobus libris, metro exaratis, complexus est. Refert autem *Abbo*, * testis oculatus, quòd ea tempestate Urbis Episcopus fuerit *Gozelinus*, olim Abbas Sancti Germani Pratensis, cui *Ebolus* ex sorore nepos tum præerat. Hunc *Mavortium Abbatem* nec immeritò vocat, cùm enim Parisienses Proceres, diutinæ obsidionis laboribus defatigati, ex urbe se proripuissent, metù pestis deflagrantis, quæ ad summam malorum accesserat, *Ebolus* Abbas ferè solus obsidionis molem tamdiu sustinuit, quousque *Odo* Comes Parisiensis cum Caroli Regis copiis adveniens, Nortmannos obsidionem solvere coëgit. *Abbo Monachus*, inquit Abbas le Gendre, *si non est bonus Poëta, certè quidem bonus est Historicus*, sigillatim omnia ab obsessis fortiter gesta enarrans, atque cujusque virtuti debitas persolvens laudes.

Tertiæ stirpis illustratores.

Nec incelebres fuerunt, qui complurium ex tertiâ Stirpe Regum adornârunt historiam. De Gestis sub Hugone & Roberto Regibus excerpta historica protulit *Duchesnius* ex libro III. Miraculorum S. Benedicti auctore AIMOINO Monacho Floriacensi: Epitomen verò vitæ ipsius Roberti Regis, filii Hugonis Capeti *Helgaldus* seu *Helgaudus* ex alterius Monachi Scriptis contexuit. Vitam *Ludovici* VI., qui *Grossus* vel *Crassus* dicitur, scripsit *Sugerius* S. Dionysii Abbas, omnium præconiis & ipse celebratissimus. Ludovici VII. profectionem in Orientem *Odo de Dengilo*, Monachus sandionysianus, Regi comes itineris à sacris & à secretis in literas retulit. Ut *Rigordum*, *Guillielmum de Nangis*, *Joannem Chartier* aliósque ex Abbatia S. Dionysii Regios Historiographos, qui Philippi Augusti, Ludovici IX. Caroli V. VI. & VII. vitam descripserunt, hic repetam, opus necquicquam esse existimo, cùm jam superiùs eorum fecerim mentionem. Res sub Francisco I. gestas ** *Joannes Olivier* ex Monacho Sandionysiano Andegavensis Episcopus; ejusdem verò Regis captivitatem *Prudentius Sandoval* literis consignârunt. Ut verò *Sandovallius* gente Hispanus, ita *Victorius Syrus* natione Italus fuit, qui *Regii Historiographi* munus apud Ludovicum XIV. non tam ambivit, quàm detrectare non potuit. *** Cùm enim ejus fama ex Italia in Galliam pervenisset, quòd à studiis liberalium doctrinarum eruditus in civili scribenda Historiâ præcipuè excelleret, in Aulam Regiam, propositis magnis præmiis, evocatus fuit. Ludovici verò Magni Historicum esse, si quisquam est, qui parùm putet, eum necesse est, in maximarum rerum ab hoc Rege potentissimo domi ac militiæ, terrâ marique gestarum ignoratione versari. Munus verò Regii Historiographi *Syrus* ita adimplevit, ut totâ Europa vir consummatæ prudentiæ, ac civilis sapientiæ plenus audiret; cujus Opera historica quàm rara hodie sunt, tam magno in pretio à viris Politicis **** habentur.

Aimoinus. Helgaldus. Sugerius. Odo de Deogilo. Rigordus & alii. Victorius Syrus Ludovici XIV. Regius Historiographus.

Historiographi Franciam eruditis Dissertationibus illustrant.

Quid jam verò? finémne in *Victorio Syro* faciam? an priusquàm de Francicæ Historiæ Scriptoribus concludam, illos etiam, qui de veteribus monumentis, quæ ad illustrandam Franciæ Regum Historiam pertinent, eruditas ediderunt Dissertationes, commemorabo? Ego verò ita faciam, neque committam, ut *Guillielmi Marloti*, *Ludovici Gabrielis Brossii*, *Michaelis Germani*, *Bernardi Montfauconii* oblivíscar. Et primus quidem *Theatrum Honoris*, seu ritus ac cæremonias in Regum Franciæ inauguratione observari solitas, reconditâ suâ eruditione multùm illustravit. Alter *Tumulos*, *ac sepulcbra*, quibus Reges Franciæ in Abbatiali sancti Dionysii Ecclesia illati fuerunt, Francicis versibus descripsit. Tertius *Commentarium de antiquis Regum Franciæ palatiis* elaboravit, quem eò pluris fecerunt eruditi, quò is præter omnem exspectationem ipsis obvenerat: adeò enim tenebris & caligine pleraque involuta erant, ut ne constaret quidem apud eruditos de eorum situ. Mirati sunt itaque omnes eo in commentario suam cuique sedem restitutam. Cùm plura tamen palatia restarent, quorum ne nomen quidem *Michael Germanus* retulerat, ea supplere *Edmundus Martene* & *Ursinus Durand* in Vet. Scriptorum Collectione studuerunt. Iidem viri doctissimi observationes historicas oppidò præclaras, quibus Regum Franciæ Historia elucidatur, singulari eruditione confecerunt. Plurimum etiam lucis ac præsidii Francicæ Historiæ attulit *Bernardus Montfauconius*. Nec Francia alio Historico, qui antiquitates Regni ple-

Guillel. Marlotus. Ludov. Brossius. Michael. Germani. Martene & Durand. Montfaucon.

* Mabill. Annal. Tom IV. p. 253.
** Le Cerf. Bibl Hist Crit. p. 119.
*** Armell. Bibl. Casin. V. *Victor. Tyrus.*
**** Vid. Beclerus in Musæo pag. 24. & Gryphius de Scriptor. Sec. XVII Cap. 1. p. 16.

plenius discussit, gloriari potest. Quis enim ad eas publico patefaciendas, æquatis cum rei magnitudine cogitationibus, parem unquam attulit industriam, eruditionem, ac doctrinam? Quis plura monumenta, quibus injuria temporum pepercit, quæque ad Reges spectant, ad Reginas, Principesque Regiæ stirpis, ad Pares Franciæ, Duces, Comitesve, quorum ditiones in regno sitæ erant, Administros denique regios cum literato Orbe communicavit? Ea verò monumenta quinque vastæ magnitudinis continentur Tomis, in quorum primo agitur de origine Francorum, atque eorum primis Regibus: in secundo de Wilhelmo Notho, Ludovico VI. & Regibus aliis usque ad Joannem II. in tertio usque ad Ludovicum XI. Autor progreditur: in quarto usque ad Franciscum I. in quinto & ultimo historiam ad Henricum IV. deducit, in quo etiam desinit.

Nova Scriptorum Rerum Francicarum Collectio. Denique si laudis avidus esset V. C. *Martinus Bouquetus*, quantum sibi ejusdem arrogare posset, quòd ea doctrinæ atque eruditionis existimatione sit habitus, ut in adornanda nova, eáque amplissima *Scriptorum Rerum Francicarum* Collectione sodalibus suis veluti dux & antesignanus præfici meruerit? Magnum, illustre, splendidum, sed non minùs arduum opus, in quo cùm vehementer quidem à *Petro Pithæo*, & ab *Andrea Duchesnio* fuisset sudatum, ab eorum nullo tamen ad fastigium perductum, post multas Archiepiscopi *le Tellier*, & utriusque supremi Regni Cancellarii *Colberti*, & *Daguessonii* habitas cum viris doctis deliberationes, annutu & jussu Regii Ministerii Sodalibus Congregationis S. Mauri provincia fuit demandata, ut in eo perficiendo, quantum possent, adlaborarent. Quàm *Bouquetus* verò cum suis in ea elaboranda Collectione horas non infeliciter hactenùs collocârit, argumento esse potest vel primus Tomus omnigena eruditione refertus non ita pridem juris publici factus, quem alii viginti, ut audio, sunt excepturi. Nec operam hucusque lusêrunt alii duo ejusdem San-Maurianæ Congregationis doctissimi Sodales, *Antonius Rivetus*, & *Joannes Coulonus*, qui Bibliothecæ Universalis Authorum natione Gallorum Tomos jam plures, non minori elegantia quàm eruditione conscriptos publico exhibuerunt.

Bibliotheca universalis Scriptorum natione Gallorū. Quid verò jam de *Montfauconio*, *Bouqueto*, *Riveto*, *Coulono* dicam? nisi quòd inter viva illa & spirantia Congregationis San-Maurianæ exempla primum locum obtinere mereantur, quibus egregiè confirmari potest, quòd nostrâ ætate Galli Benedictini sicut cæterarum literarum ornamenta, ita perscribendæ Civilis Historiæ decus à Majoribus acceptum egregiè tueantur. Etsi verò non minimam laudem commereantur, quòd complurium Regum Gestis, ac Rerum Francicarum monumentis, quæ in obscuro aliàs jacerent, lumen præferre studeant, multò tamen majorum laudum encomiis digni sunt habendi, propterea, quòd quas res humanas ac mortales enarrandas suscipiunt, ipsi vitæ cœlestis in terris æmulatione ac studio non magni tantùm non faciant, sed in summo ponant contemptu.

Benedictinorum merita in Germaniæ Historiam. Germaniam uti Benedictini Christianæ fidei collustrârunt luce, ita inter alia & illo auxerunt beneficio, quòd rerum in eadem gestarum Historiam literis ad posteros transmiserint. Quàm multas patriæ res priscas *Eginhardus* & *Nithardus*, ille tùm in libro de vita Caroli Magni omnium laudibus celebrato, tum in Annalibus (qui ab aliis *Adelmo* vel *Ademaro*, monachis tamen æquè Benedictinis, *rectè an perperam?* attribuuntur) hic verò in libro de dissidio filiorum Ludovici Pii, memoriæ prodiderunt? An non etiam in Annalibus Fuldensibus, ab *Anonymo* ejus loci monacho scriptis, quàm plurima occurrunt, quæ ejus ævi Germanicæ Historiæ de Ludovico Rege ejúsque filiis lucem fœnerantur. Meginfredus. Utinam *Meginfredi*, seculo decimo ineunte Fuldensis Cœnobitæ, dein ad Parthenopolim evocati, sive ad Magdeburgensis Præposituræ regimen evecti, Chronicon libris viginti quatuor comprehensum, non in deperditis haberetur! Quàm multa Gentis nostræ antiquissima minùs nos præterirent? *Meginfredi* certè laboribus se plurimùm adjutum asserit *Tritbemius*. Ipsi coævus erat *Arnolfus* ex Vogburgiensium Regulorum, seu Comitum prosapiâ oriundus, Arnolfus. Asceta Ratisbonæ ad sanctum Emmeramum, ut ipse testatur: *Meginfredum Parthenopolitanum Magistrum pauculis beneficiis paravi mihi amicum: Hunc cùm audirem frequenter disputare sapienter, mirabar ejus ingenium, ex quo & ipse agnovit meum studium.* Rhegino. RHEGINO Prumiensis in Archidiœcesi Trevirensi monasterii Abbas non immeritò inter Germanicarum rerum Scriptores refertur, cùm Franco-

rum atque Alemannorum Gesta in Chronico suo posteritati memorârit. Quis omnium primus & antiquissimus Historiæ Saxonicæ Scriptor habetur? *Wittekindus* NovæCorbejæ monachus. Cujus *Historia*, si Reinerum Reineccium audias, *dignissima est, quæ ab antiquitatis Germanicæ studiosis legatur;* nec facilè reperias, qui de Henrici Aucupis & Ottonis Magni, Cæsarum, rebus gestis, quamvis compendiariò, vel accuratiùs, vel majori cum fide explicet. Quando nimirùm auctor circa eadem tempora vixerat, & omnium ferè oculatus testis extitit. In eorundem Henrici & Ottonis Imperatorum, ut & Ottonum II. & III. maximè verò in Henrici II. imperio occupatus fuit *Ditmarus*, monachus primùm Magdeburgensis, tum Præpositus Wallibicensis, ac tandem Episcopus Mersebürgensis, de quo illustrem Leibnitium audire juvat: *Ditmarum*, inquit, *etsi rudem stylo & obscuriusculum subinde scriptorem, meritò in pretio habemus, quòd res sui temporis penè solus posteris tradidit ex fide peritissimus eorum, quæ scripsit.* Itaque Andreas Brunerus *meritò opus ejus unicum sui ævi thesaurum appellat. Germanica quidem & certè Saxonica pleraque sine ipso ignoraremus. Misnicas antiquitates, patriæ meæ, meminit omnium primus, & Silesiæ tantùm sub nomine pagi Silensis...*, Numeros etiam in ejusdem Cæsaris, Henrici II. vitâ ac regimine literis mandandis explevit *Adelboldus*, ex monacho Laubiensi Episcopus Trajectensis, Divi ejusdem Imperatoris Cancellarius, vir summæ integritatis, acris judicii, ac magnæ prudentiæ. Cujus insignis lucubratio *stylo scripta pragmatico*, uti summam meretur laudem, ita magnoperè dolendum, quòd potiorem vel etiam potissimam ejus partem temporum injuriæ nobis abstulerint, quibus infeliciter intercidisse existimanda est. Certè quæ post fragmentum à *Jacobo Gretsero* inter Divos Bambergenses vulgatum desiderantur, qui ex tenebris, quibus fortè adhuc delitescunt, in lucem eruet publicam, multorum Eruditorum vota est expleturus. Nec *Bernonis*, Augiæ Divitis Abbatis, oblivio me subeat, cùm de historia Alemannorum librum scripserit, qui tametsi hodie in nulla conspicuum se præbeat Bibliotheca, *Tritbenio* tamen ad manum fuit, ut qui ex eo multa se in Chronicon Hirsaugiense intulisse non diffitetur. Vixit verò sub Bernone Abbate in Augiensi monasterio *Hermannus Contractus*, qui Chronico suo de sex Mundi ætatibus multa intexuit, quæ ad res veterum Germanorum, præsertim illius ævi, quô Hermannus ætatem egit, majori in luce ponendas apprimè faciunt. Paucis interjectis annis claruit *Bruno* monachus, scripto historiam belli Saxonici complexus. In quo quòd *Gregorii VII.* partes contra Henricum IV. acriùs tueatur, odio plusquàm Vatiniano ejus Cæsaris laborâsse, à *Sagittario*, Lutheri asseclâ, ac Pontificum hoste accusatur, qui LAMBERTUM *Schafnaburgensem*, cœnobitam Hirsfeldensem, in eundem impegisse lapidem insimulat, Virum aliòquin supra captum ævi prudentem & facundum, quóq; nemo politiùs inter Veteres res Germaniæ literis commiserit. Sic nempe comparati sumus, ut quorum stamus à partibus, eosdem, nisi laudibus à Scriptoribus mactentur, vituperiis oneratos esse dicamus. Malè etiam fidem *Lamberti* in dubium vocare ausus est *Coloniensis Defensor juris coronandi* contra *Conringium*, qui *Lamberti* authoritate ac testimonio nixus jus illud coronandi Imperatoris Archiepiscopo & Electori Moguntino præ Coloniensi asseruerat: Lambertum enim non modo *prudentem*, *peritum*, & *disertum* (quod jam antè Lipsius, Barthius, & Vossius affirmârant) sed præter hoc *candidum* etiam rerum Germanicarum Scriptorem fuisse Conringius * evincit. Quemadmodùm verò *Sagittario*, uti dicebam, *Lambertus* ab odio in Imperatorem Henricum IV. immeritò notatus fuit, ita eidem SIGEBERTUS *Gemblacensis* in Brabantia monachus laudatur, quòd in Chronico suo, in quo varia ad Germaniæ Historiam attinentia proponit, non obscurè Henrico IV. contra Gregorium VII. faveat. Sigebetti Chronico duo Abbates, *Robertus à Monte*, & *Anselmus Gemblacensis*, appendices attexuère. Sed Sigebertum ætate aliquantùm antecessit *Marianus Scotus*, qui quòd in Chronico suo Germanicam etiam pertractet Historiam, inter Scriptores Rerum Germanicarum non infimum locum, judice Joanne Pistorio, occupavit. Ejus continuationem *Dodechinus* monasterii S. Disibodi Abbas suscepit, inter cætera gravissimas illas luctas, quibus concertandum cum Imperatoribus fuit, ut tandem utrique imperio, sacro & civili, sua jura servarentur, non indiligenter describens. *Wolphelmum*, Brun-

Marginalia: Wittekindus. Ditmarus. Adelboldus. Berno. Hermannus Contractus. Bruno. Lambertus Schafnaburgensis. Sigebertus Gemblacensis. Robertus de Monte &c.

* Assert. de Jure coronandi Imperat. pag. ix.

Brunwilerensem propè Coloniam Abbatem illustris *Leibnitius* dignum existimavit, quem inter Scriptores referret Brunswicenses; quòd vitam Comitum Palatinorum Rheni, *Ehrenfridi*, sive *Ezonis*, & *Mathildis*, eorúmque filiæ *B. Richezæ*, Reginæ Poloniæ scriptam reliquerit. Extat illa MS. in Bibliotheca S. Martini Coloniæ nonnihil ab editis diversa.

Sec. XII. Otto San-Blasianus. Seculo XII. OTTO à celeberrimo S. Blasii in Hercynia Sylva Asceterio *San-Blasianus* dictus, illustris Frisingæ Episcopi *Ottonis* Historiam magna eruditionis laude prosecutus, Germanicæ Gentis res memorabiles à novercantis vetustatis injuria vindicavit. Illustre etiam argumentum nactus est *Monachus Weingortensis*, cùm res gestas illustrissimæ Gentis Guelphicæ exposuit. Quam Historiam fortissimis Guelphis, inclyti sui monasterii conditoribus velut grati animi mnemosynon reposuit. Nuperrimè verò *de Welphonis* Ducis rebellione, déque parata in Italiam Conradi Imperatoris expeditione multa studiosè atq; insigni, ut solet, eruditione collegit* *Edmundus Mortene*; ut de *Gobriele Bucelino* nihil dicam, qui de Guelphicæ Domûs historia nullam benè merendi prætermisit occasionem.

Historici Sec. XIII. Seculo XIII. prodeunt in conspectum *Monachus S. Justinæ*, *Godefridus Coloniensis*, *Engelbertus Admontensis*. Primus facinora narrat, quæ in *Friderici II.* tempora inciderunt, quibus monachus hic æqualis fuit: quæque ab Augustalibus Vicariis, *Uberto* Marchione Palavicino in Lombardia, ac Comite *Ecelino*, ejus nominis *tertio* in Marchia Tarvisina pro imperii majestate tutanda, sunt patrata. Alter in monasterii sui ad S. Pantaleonem Annalibus res Germanicas insigni atque exquisita diligentia prosecutus est. Tertius electionem Comitis *Rudolphi* ex Augusta Gente Habsburgica primi Imperatoris carmine celebravit, quod hodie à multis frustra expetitur, cùm in deperditis habeatur. Hisce non immerito jure adjungere posse mihi videor *Albertum Stodensem*, qui tametsi ad castra Minorum transierit, ut Abbas tamen adhuc Benedictinus Chronicon condidit; in cujus prioribus quidem *Hermonnum Controctum*, *Adomnum* Bremensem, & nonnullos defloravit alios, sed ad sua pertingens tempora, quod in accuratiori Chronologia desideratur, quibusdam singularibus compensavit. Certè ejus verba de septem S. R. I. Electoribus notatu apprimè digna sunt: *Ex prætaxatione Principum, & consensu eligunt Imperatorem, Trevirensis, Moguntinus, Coloniensis, & de secularibus, Palatinus eligit, quia Dapifer est, Dux Soxoniæ, quia Mareschalcus, & Marggravius de Brandebourg, quia Camerorius. Rex Bohemiæ, qui Pincerna est, non eligit, quio non est Teutonicus. Paulò pòst hunc dignitatem obtinuit.*

Seculo XIV. *Henricus Stero*, monachus Altachæ inferioris, ibíque sub Hermanno Abbate Capellanus in Chronico cœnobii sui res sub Imperatoribus Rudolpho, Adolpho, Alberto, Henrico VII. gestas literis custodivit. Nec pauca, quæ facem historiæ istorum temporum accendunt, his continentur Annalibus. Appendicem addiderunt *Ulricus & Conradus Wellingi fratres*, monachi ad SS. Udalricum & Afram Augustæ Vindelicorum. In *Steronis* verò Annalibus ceu vitulo Aravit *Eberhordus Altaichensis*, qui ad elucidandam illius ævi historiam accomodatus, præcipue Ducum Austriæ, Bavariæ, ac Sueviæ Gesta illustravit. Quæ verò comites Flandriæ, inferiorisGermaniæ provinciæ præclarè gesserunt, planè plenéque explicata tradit *Ægidius Mucidus*, Abbas S. Martini Tornacensis. Sec. XIV. Henricus Stero &c.

Seculo XV. ALBERTUS *Sigebergensis* notitiam rerum Germanicarum non vulgarem ostendit in Historia Imperatorum Romanorum, quam ab Imperatore Augusto usque ad Fridericum Maximiliani I. parentem perduxit. Certè hæc Historia *Joanni Cuspiniano* in condendo Opere de Imperatoribus Romano-Germanicis magno usui fuit. Chronicon Ducum Bavariæ conscripsit VITUS monasterii Ebersperg ensis Prior, quod inter manu exaratos Codices Cæsareæ Bibliothecæ Vindobonensis custoditur. Idem præstitit *Angelus Rumplerus*, Abbas Fornbacensis, cujus Gesta Bavariæ sex libris comprehensa Monachium in Bibliothecam Electoralem delata feruntur. Utrumque Opus si typis committeretur, magnam de rebus Boicis cognitionem haurire liceret. Prodiit verò in lucem Chronicon Ducum Bavariæ, Principúmque Palatinorum, quod *Joannes Trithemius*, priùs Spanheimensis post Wirceburgensis ad S. Jacobum Abbas elucubravit, à quo etiam Historia Belli Bavarici conscripta habetur. Alia ejus Opera, quæ ad Historiam Sec. XV. Albertus Sigebergensis &c. Trithemius.

* Edm. Martene in Observ. Hist. præmissâ Tomo II. Collect. amplist. §. 2.

riam civilem pertinent, suô locô nec fine crisi commemorabuntur. Quô tempore autem monasterii ad S. Jacobum habenas moderabatur, Maximilianus I. Augustus *in Societate Historica*, quam per *Conradum Celtes* instituendam curaverat, *Trithemio* primas detulit. Ab ipso etiam cùm Fridericus Saxoniæ Dux ac Elector petiisset, ut Historiam de Gestis Saxonum ab *Adamo Fuldensi* cœptam ad fastigium perduceret, ad Sereniss. Principem his * verbis rescripsit: Reverten„ti mihi nuper ex Marchia Branden„burgensi, *Conradus Mutianus*, Do„ctor tuæ Serenitatis desiderium ex„posuit, quod Henricus quoque de „Bunauue miles quondam & orator „tuus non minore diligentia explica„vit. Ambo in unam retulêre sen„tentiam, quòd tua Serenitas à me „consummari desideret *Historiam de* „*Gestis Saxonum*, quam *Adam de Ful*„*da* olim inchoavit, sed morte præ„ventus non complevit. Animus qui„dem meus & promptus semper „fuit & voluntarius tuis obedire man„datis, sed variis se occupationi„bus in medium offerentibus hacte„nus satisfacere, & tuis desideriis & „meis votis minimè potui. Nunc „verò tandem opportunâ mutatione „quietem assecutus Spanhemensem „Abbatiam resignavi, & eam, in quâ „nunc pauper vivo ex more Philoso„phus, sancti Jacobi Herbipolensem „assumpsi, & meis aptam studiis, & „quietitudinis opportunitate magis „tranquillam. Si quid ergo in me est „virium, quo tuæ Celsitudini gratum „possim exhibere obsequium, para„tum me invenies semper, quia præ „multis dignum te laude Principem „omnium ore hominum cognovi, quip„pe qui sapientia maximarumque re„rum scientia, & in viros doctos fa„vore parem habes neminem. „ Hæc Trithemius. An verò & quod à Principe responsum tulerit, me legere non memini. Fortè quando voluit Elector, noluit *Trithemius*, & quando voluit Trithemius, noluit Elector.

Paulus Langius. Ut verò *Trithemius* Sodalibus suis Benedictinis clariorem facem in studio historico accenderet, *Paulum Langium*, monachum Citizensem, discipulū suum ad perlustranda rerum publicè privatímque gestarum Tabularia, consulenda Archiva, excutiendásque celebriorum monasteriorum Bibliothecas ablegavit, latentes ibidem cum antiquis chartis manuscriptos codices velut è carceribus eduxit, rectum eorum usum aperuit, Historiámque patriæ nostræ, tot antea nævis respersam, ac vix hoc nomine dignam puris è fontibus hauriendam demonstravit. Exemplo hoc excitati alii Benedictini in id incumbere cœperunt, ut ad Historiam Germanicam elucidandam etiam ipsi Symbola sua conferrent. E quibus *Petrus Basse* Prior monasterii Ballenstadiensis Historiam Genealogiæ Principum Anhaltinorum literis consignavit: *Joannes Bertelius* Abbas Luxemburgensis Historiam condidit patriam. Carolus Stengelius, Abbas Anhusanus post *Sigismundum* vulgò *Magistrum*, San-Udalricanum Cœnobitam, & Chronici Augustani authorem, easdem res Augustanas luculento elucidavit commentario. *Gabriel Bucelinus*, celeberrimus Asceta Weingartensis in Historia patria multum studii ac laboris posuit, cujus *Genealogica*, teste Sagittario, *Rhætia*, *Lacus Podamicus*, *Sacri Romani Imperii Sanctitas*, *Majestas*, *Potentia*, & *Nobilitas*, ac reliqua in Germanicis historica non minimùm æstimantur.

Petrus Basse &c.

Rebus in Helvetia, atque adeò tota Germania per septingentos annos gestis insignem fœneratur lucem *Christophorus Hartmannus* in Annalibus monasterii Eremitani præclarè scriptis. Neque tam *Annales Heremi Deiparæ Matris*, quàm Historia Imperii Romano-Germanici dicendi sunt; cùm quæ *Hartmannus* de hoc Scriptis mandavit, longè uberiorem ipsi paginam faciant, quàm quæ de Sacra differit Heremo. Atque ut exemplo fidem faciamus; prodiit paucis abhinc annis nescio cujus Dissertatio Epistolaris, quâ Auctor probatum dare contendit, *Friderico Austriaco* Ludovici Bavari custodiâ exemto nullum hoc cum Imperatore fuisse coimperium; at hæc ut chartis illinere sustineret, nunquam futurum fuisset, si quæ hac de re *Hartmannus* cum cura & fide exponit, ipsi lecta fuissent. Audiamus; sic enim loquitur **: „Anno trecentesimo vi„cesimo quinto, Leopoldus, mul„to, & indefesso labore, & conatu „desiderióque exsolvendi è captivita„te fratris, cùm de pace, & remis„sione omnia Ludovicus negaret, nisi „quæ Imperialia ornamenta, post „Henrici VII. mortem, ex Italia at„tulerat, traderet, cùm plures etiam „primo-

Christophorus Hartmannus.

* Epist. famil. lib. 2. n. 6. pag. 518.
** pag. 300.

„ primores suaderent, ea tandem pe-„ tenti obtulit. Sed Principes, & ur-„ bium magna pars Leopoldi constan-„ tia, raróque in fratrem amore per-„ moti, & jam quoque Ludovici perti-„ naciam perosi, cùm haut dubiam „ discessionem & vim captivi Regis re-„ stituendi minarentur, postremò per-„ pulerunt, ut custodiâ eximeret pactis „ & conditionibus, quarum præcipuæ „ fuerunt: Pax esset: Imperium com-„ mune. Id paribus auspiciis tracta-„ rent, regerent, cum fide & cura; „ regio uterque titulo uteretur: Sigil-„ la bina usurparent, quivis in suo „ alterius anteferret nomen: beneficia „ & feuda minora conferret utriusque „ nomine is, apud quem prima rerum „ facta petitio esset; Majora, qualia sunt „ oppida, arces, dominia, neuter, „ altero inscio, & inconsulto, dandi, „ adsignandi potestatem haberet. Quæ „ Ludovicus filio Ludovico, aut Mora-„ viæ Marchioni genero concessit, ma-„ neant rata, & immota. Alterutro „ in Italiam abeunte, alter plena po-„ testate Germaniam gubernet, alter „ res Italicas ex utriusque commodo & „ honore componat. Illis, aliisque „ paucis conditionibus, bella, inimi-„ citiæ, dicta, facta, abolita, indicta, „ infecta sint. Ista plusculis adseren-„ dæ regiæ Friderici Austriaci dignita-„ tis, quem plerique Scriptores in-„ scitè an malignè è Romanorum Re-„ gum albo expungere hactenus soli-tavêre. „ Ita *Hartmannus*. Post cujus asserta frontem exuat necesse est, qui Friderico Austriaco coimperium abnegare sustinet.

Adamus Adami. Quid verò dicam de *Adamo Adami*, Benedictino Brauweilerano propè Coloniam, ac Priore Murhardensis Monasterii in Wirtembergia? Qui cùm diu ob summam prudentiam & rerum publicarum agendarum dexteritatem in Pacis Tractatibus Monasterii Westphaliæ, multis annis diversorum S. R. I. Principum, Prælatorum, aliorúmque Dominorum Plenipotentiarium egisset, ejusdem Pacificationis historicam relationem conscripsit. *Quilibet verò rerum peritus*, inquit ejus Editor Prænobilis JO. GODOFREDUS DE MEIEREN, *fatebitur, fieri vix posse, ut à quoquam vastissimum illud Westphalicæ transactionis atque actorum corpus magis aptè, magísque concinnè in compendium contrahatur, quàm quidem egregius* ADAMUS *in narratione historica id præstitit, quoniam omnibus, quæ perfecto historico adesse debent, subsidiis abundè instructus fuerat.* Et quæso, „ à quonam melior, fidéque magis dig-„ na sperari potuisset historica narra-„ tio, quàm ab eo, qui ipsemet in Le-„ gatorum numero constitutus, rerum „ à se expositarum testis non modò fuit „ præsens & oculatus, neque nudus „ tantùm spectator, sed qui planè con-„ siliorum ipse particeps, totiúsque ex-„ peditionis socius: qui præterea, quod „ apud omnes viri fidem mirificè au-„ get, nulla tunc neque necessitate, „ neque cuipiam gratificandi studio, „ ad scribendum inductus est, amo-„ ris, odiíque causas procul habens, so-„ li tantùm litans veritati. Atque hoc „ ipso demum cupidiùs allicientur le-„ ctores, uti spero, ad cognitionem „ eorum, quæ necessaria maximè ipsis „ futura arbitramur, quandoquidem „ ex hoc auctore, citra tædium, & „ citra temporis jacturam repetere pos-„ sunt, atque addiscere, quidquid „ ad Instrumenti Pacis illustrationem, „ & ad verum illius pertinet intelle-„ ctum. Jam verò ad hoc oraculum „ fugiendum est, quoties de Statu, de „ Religione, de Libertate agitur inter „ Germanos. Illi autem interpretan-„ do aptissimus omnium, quotquot „ hodie prostare novimus, hic Ada-„ mi libellus esti censendus, qui pro-„ inde *in prælectionibus Academicis ad* „ *Instrumentum Pacis instituendis* fun-„ damenti loco quàm commodissimè po-„ netur, siquidem ad legem illam publi-„ ci juris cardinalem ac præcipuam, au-„ ditorum mentes ritè velint præpara-„ ri, tam accurata in eo omnia, tam „ solida, tam utilia, tam scitu neces-„ saria. Nitor hac in parte quodam-„ modo auctoritate gravissima Viri sum-„ mi, Germaniæ nostræ JCtorum lu-„ minis illustris Boehemeri, doctoris „ quondam mei nunquam sine piâ „ mentis veneratione nominandi, qui „ in literis humanissimis nuper mihi red-„ ditis, hâc usus est verborum com-„ plexione: **Der** Adami **wird allen und** „ **jeden angenehm seyn, weil er als ein** „ **Schlüssel zu diesen grossen Schatz an-** „ **zusehen, welchen der zuhoffende** In-„ dex **noch angenehmer und nutzbarer** „ **machen wird** &c. Sed ne putes, ve-„ lim, L. B. luculentum hoc Adami „ scriptum mea egere commendatione, „ Virtute sua in supremis Imperii tribu-„ nalibus tantum sibi favoris dudum „ conciliavit, ut, quicunque litigan-„ tium ad illud provocaverit, causa „ nunquam ceciderit, quod ex ore ha-„ beo illustris quondam in Imperiali ju-„ dicio Aulico senatoris, harum re-

„ rum

„ rum peritissimi: ut nemo tunc temporis rescíverit, quisnam verus libri auctor esset, quia ad unum omnes, eundem esse è Protestantium numero, contenderint, nomen ad speciem modò fictum credentes. „ Hæc Prænobilis *de Meieren*. Reputet verò cum animo suo, quisquis hæc legerit, quanta superiori seculo vel unius Benedictini Scriptoris merita in patriam extiterint Historiam.

Scriptores Historici nostræ ætatis.

Qui sunt verò, de quibus nostra gloriatur ætas? *Pezii*, *Beselii*, *Hergotti*, *Desingii*, *Pockii*, *Brentani* aliíque plures. Et quidem Cl. *Hieronymus Pezius* majorum exemplo, *Conradi I.* Abbatis Mellicensis, *Philiberti Hueberi*, *Anselmi Schrambii*, qui Historiam Austriacam magnoperè illustrârunt, duos Tomos *Scriptorum Rerum Austriacarum* vulgavit, præmissis sex perquàm eruditis Dissertationibus de Rebus Austriacis, quæ ab viris literatis non de nihilo magni fiunt. Nec separandus ab *Hieronymo* est *Bernardus*, major natu germanus frater, qui postquàm libros tres de irruptione Bavarica in Tirolim an. 1703. à Gallis & Bavaris facta perscripserat, subinde etiam in prima Augustæ Domus Habsburgo-Austriacæ incunabula inquirens de ejus origine epistolam publicavit. De utriusque Germani Fratris studio historico præclarum fert testimonium doctissimus Abbas LANGLET DU FRESNOY: *Le Pere Bernard Pez, & le Pere Jerôme Pez son frere sont avec le Pere Hueber de la même Abbaye* (Melk) *les premiers Religieux de l' Autriche, qui depuis peu d' années ont renouvellé les études historiques dans l' Autriche, ou elles etoient tombées, & comme aneanties depuis trés-long tems. Ils ont même excité quelques Chanoines Reguliers de l' Autriche à tourner aussi leurs études du coté de l' histoire & de la recherche des anciens manuscrits, qui sont dans les Bibliotheques des Abbayes & des Eglises. Il est à souhaiter, que ces heureux commencemens ayent des suites avantageuses.* Id est: „ Pater Bernardus Pezius, & P. Hieronymus Pezius, ejus germanus frater, præter Philibertum Hueber, ejusdem Abbatiæ (Mellicensis) Cœnobitam, inter viros Austriæ Religiosos primi habentur, qui non multis ante annis studia historica etiam altiùs diutiúsque sepulta, in Austria denuò excitârunt. Quin etiam non suis tantùm Sodalibus, sed Canonicis etiam Regularibus * authores extiterunt, ut animum ad veterum monumentorum, quæ in monasteriorum atque ecclesiarum tabulariis delitescunt, collectionem adjungerent. Optandum, ut felicia hæc initia pari non destituantur successu.

Godefridus Besselius.

Reverendissimus BESELIUS, Abbas Gottwicensis non tantùm in Tomo Prodromo Annalium celeberrimi sui monasterii Palatia & Villas Regum ac Imperatorum nostrorum atque Germaniæ Pagos in majorem lucem asseruit, sed in Tomo II. redivivam veluti sistet antiquam & mediam Austriam, unà cum terminis & limitibus, quibus Styriam versùs, reliquásque confines Provincias & Gentes circumscripta est. ** Ad hæc fidem suam Augustissimo Imperatori Carolo VI. obligavit, primum illnd ante omnia se conaturnm, ut studium hoc historicum per quosdam ex suâ Religione continuetur. Quod eidem Augustissimo ita complacitum fuit, ut in antecessum, ut ajunt, Impressorium Generale clementissimè concesserit, quô singulis Typographis, Bibliopolis, Bibliopegis sub gravi mulctâ inhibetur, ne quidquid vel ab eodem Abbate, vel à monasterii Gottwicensis Religiosis Professis pro bono Rei Literariæ imposterùm typis impressum fuerit, ullo modo, ullavè forma recudere præsumant. Magni ac Cæsarei stimuli, quis enim diffiteatur? ad patriæ Historiæ indefesso labore insudandum. Et verò illius scribendæ munus nulli Benedictini & obire commodiùs & præstare uberiùs posse videntur, atque doctissimi Gottwicenses, cùm in promptu habeant Bibliothecam cùm aliis præstantissimis libris, tum Rerum Germanicarum Scriptoribus (*quorum numerus minimùm ad decem millia ascendit*) longè instructissimam. Quis ergo non egregium aliquod, atque tanto librorum apparatû dignum opus ab iis exspectet; præsertim cùm eruditissimi sui Præsulis illustri exemplo ad strenuè elucubrandum animentur, excitentur, atque urgeantur? Nec est, ut scribendi argumentum à me suggeratur, cùm non nesciant, jam diu ab eruditis desiderari *Thesaurum Antiquitatum Germanicarum*, *Collectionem Conciliorum Germaniæ*,

* Numerum penset Cl. *Raymundus Duellius* editis literarum monumentis non incelebris.

** *Godefrido* an. 1749. 22. Jan. fatis functo, vix spes superat futuræ reliquorum Tomorum editionis, ne, quod ajunt, *turpiter atrum desinat in piscem mulier formosa superne.*

maniæ, *Germaniom Sacram ad modum Galliæ Christianæ scriptam*, *Historiom Ecclesiasticam Germaniæ*, & denique, ut plura alia silentio prætermittam, *Historiam Literariam Germaniæ*. De quorum Operum adornanda lucubratione legi potest V. C. Jo. Erhardi Kappii erudita ac insignis *Dissertatio de Ratione, quâ Germani merita sua in Studium Historicum in posterum amplificare possint.*

Marquardus Hergottus. Quàm dignum * verò & eruditione sua, & nostrâ ætate Opus susceprit *Marquardus Hergott*, Congregationis S. Blasii in Nigrâ Sylva Magnus Cellerarius, ac *Cæsareus Historiographus*, dum *felici sidere*, ut Eruditis videtur Lipsiensibus, incognitam hucusque Majorum Austriacorum seriem detexit, & ingentem errorum turpissimorum nubem Diplomatum ope dispulit. Contigit ei, quod quidem nescimus, an multis, ut à *Carolo* Imperatore Augustissimo non uberrimis solùm instrueretur subsidiis, sed &, quod maximum, in dies ferè ad exigendum monumentum incitaretur. Quod ubi perfecit, Operique illustri, & sive argumentum sive doctrinam spectes, magnifico supremam manum imposuit, illud ejusdem Potentissimi Monarchæ oculos ita in se convertit, rapuitque, ut Authorem effigie sua, aureo, gemmísque pretiosis radianti Numismati inclusa, clementissimè donatum ad novos subeundos labores historicos animaverit. Cùm verò Vir Clarissimus idem suum illustre Opus *Clementi XII.* Pontifici Maximo dono transmisisset, sequentes in modum Brevis Apostolici ab eo accepit literas.

Clementis XII. Papæ ad eum epistola. „ Dilecte Fili Salutem & Apostolicam Benedictionem. Opus ingenti „ non minùs mole, quàm studio à te „ lucubratum, cujus Exemplar humi„ liter Nobis offerre, ac dono dare vo„ luisti, libenter accepimus, gratissi„ múmque habuimus, te pertractan„ dum suscepisse tantæ Dignitatis ar„ gumentum, & Augustissimæ Austri„ acæ Domûs immortale Decus, am„ plissimáque in Catholicam Religio„ nem Merita, quamquàm sui fama „ totum impleverint terrarum orbem, „ solertiâ quoque tuâ in omnium ocu„ lis collocâsse. Confert enim ad ex„ citandam virtutis æmulationem sæ„ pius ad hominom memoriam revo„ care, quid ipsa inclytæ illi Religio„ sissimæ Genti potentiæ gloriæque at„ tulerit; Quâ de re non exiguam re„ tulisti à Nobis laudem, nostræque „ benignitatis erga te propensionem; „ cùm Nobis dubitare non subeat, „ quin quicquid ibi literis consignâsti, „ congruat omnino clarissimæ Bene„ dictinæ Familiæ Alumno, tuóque „ in Nos Romanámque Sedem obse„ quio ac venerationi, cujus merito, „ faventésque eruditioni, quam præ„ stare dignosceris, Apostolicam Bene„ dictionem tibi, dilecte Fili, pera„ manter impertimur. Datum Romæ „ apud Sanctam Mariam Majorem „ sub Annulo Piscatoris Die XXVIII. Ju„ nii MDCCXXXVIII. Pontificatûs „ Nostri Anno octavo.

Jo. Vincentius Lucchesinus.

Quantum verò in Historia non Ecclesiastica tantùm, sed profanâ etiam ac civili Germaniæ præstiterit *Anselmus Desingius*, Viri clarissimi Opera Chronologica, Geographica, Genealogica, Heraldica, Historica Auxilia &c. cùm Latio tum populari sermone festivè, tersè, ac nitidè conscripta, typisque iteratis mandata abundè testantur. Sed verò longè illustrius est Opus, cujus ideam jam aliquot abhinc añis efformavit ànimo, lineásque etiam primas chartis excepit. Historia nempe Imperii Romano-Germanici. Cui quòd manum nondum admoverit, in causa est, quòd eam in Universitate Salisburgensi aliis studiis habuerit involutam. Faciat nunc verò, munere Publici Professoris tametsi ægrè solutus, perficiátque precor, primus futurus, qui non ex Religiosis modò, sed etiam Catholicis universis hanc nobilem triverit arenam. Hac certè lucubratione non proprium modò & antiquum Ordinis Benedictini decus tuebitur, Historiæ nempe Imperii cultum, sed Catholicæ etiam rei consultum ibit; è cujus bono est, ut virulenti ii libri è nostrorum manibus excutiantur, quos heterodoxi quidam Scriptores, odio suo in Romanum Pontificem, Ecclesiam Catholicam, ejúsque asseclas imperare nescii, data opera composuerunt, ut aquam turbarent, ne lector limpidam haurire posset. Non exiguam etiam laudem consequntus fuit Cl. *Edmundus Pockius* in Athenæo Ettalensi Historiarum Professor, emissis in lucem Historico-Chronologicis ac Geo- Anselmus Desingius. Edm. Pockius.

* Ex Actis Erud. Lips. an. 1738. m. Jan. pag. 19.

Geographicis Tabellis, quibus meliores Germani hactenus non habuerunt, nec fors habituri sunt; ita omne tulerunt punctum. Suâ quoque laude frustrandus non est *Ignatius Brentanus Cimarollus*, Banthensis in Francia Orientali Cœnobita, qui res Germanicas in Epitome suâ Chronologica usque ad labentis seculi annum vigesimum sextum non incuriosè deduxit. Denique nec *Joannes Mabillonius*, quem fors omnium primò nominare debuissem, vir in omni Historia, cùm sacra tum profana versatissimus, Germaniam tacitam reliquit, sed per Benedictinos ad Christiana Sacra adductam exhibuit, quibus illa quatuor potissimùm beneficia debeat accepta; nempe conversionem gentis ad Religionem orthodoxam, Ecclesiarum Cathedralium institutionem, scientiarum disciplinam, soli cultum & ornatum. Quæ nisi comperta habeas, puer in patriâ Historia, quod turpissimum est, jure non immeritò haberi potes.

Ignatius Cimarollus.

Jo. Mabillon.

Quid plura? *Debemus*, inquit V. I. *Jo.* * *David Kœlerus*, Historiarum primùm in Altorfina, nunc Göttingana Universitate publicus ac celeberrimus Professor, *Debemus sanè illustri ac vetustæ D. Benedicti familiæ, uti bene jam olim observavit Aub. Miræus, scriptionem à multis retrò seculis, itémque conservationem melioris doctrinæ in Historia, felicémque eam prædicamus, quod etiam hac nostra tempestate in ea non desint felices veterum monumentorum indices, & vindices, quorum curam & laborem in iis conservandis & publicandis meritò omnes magni faciunt & prædicant, qui flagrant cupiditate evolvendi perficiendíque Historiam Germanicam.*

Cl. Kœleri testimonii de Historiarum studio ac merito apud Benedictinos.

Germaniæ contermina, imò in ipsius Germaniæ meditullio sita est Bohemia, cujus Historiæ nisi Benedictini scriptis suis lucem affudissent, quantis in tenebris illa hodie oberraret? Quòd Bohemia non unum antiquissimis Slavorum temporibus supremum Principem, sed complures Duces absolutè imperantes habuerit, unde, nisi ex *Walafrido Strabone* compertum habemus? Quis Bohemos sub tributum à Carolo M. redactos fuisse nos docet, nisi *Eginhardus* Abbas in vitâ Caroli Magni? Quis iterum nos docet, Bohemos Slavos ab Arnulpho Rege Germaniæ, Domino suo Supremo, Suatopluco Moraviæ Duci, subjectos fuisse? Nonne Abbas *Regino*? Nonne idem *Regino* Bohemos à perfidiæ nota, quam alii Scriptores iisdem inurunt, his liberat verbis, dum ad an. 890. testatur: *Quod Francorum Regibus fidelitatem promissam inviolato fœdere conservaverint.* Quid *Wittekindus* Corbejensis? Etsi Bohemiam ab Henrico Aucupe subactam testetur, Bohemos tamen cum Germanis in comparatione conjungens, non uno nomine illos nostris popularibus præfert: *Est namque*, inquit, *ejusmodi genus hominum durum, & laboris patiens, victui levissimo assuetum, & quod nostris gravi oneri esse solet, Slavi pro quadam voluptate ducunt. Transeunt sanè dies plurimi his pro gloria, & pro magno latóque imperio, illis pro libertate ac ultima servitute variè certantibus.* Boleslai III. cognomento Cæci, Bohemiæ Ducis Gesta densis involuta tenebris jacerent, nisi facem iisdem accendisset *Adelboldus* noster, Trajectensis Episcopus. Quid jam *Adelmum* seu *Ademarum*, *Hermannum Contractum*, *Dithmarum Merseburgensem*, *Sigebertum Gemblacensem*, *Lambertum Schaffnaburgensem*, aliósque Benedictinos commemorem, qui, quod rerum Bohemicarum Scriptores silentio prætermiserunt, memoriæ produnt? Ne multis. An non singularis illa Benedictinæ eruditionis prærogativa est, quòd *Christannus*, Boleslai Pii, Bohemiæ Ducis, germanus frater, ac Monachus Brevnoviensis, omnium primus extiterit, qui res Bohemicas in literas retulit? Florem gratiæ decerpit, qui factum occupat. *Christannum* exceperunt *Neplacho* Opatovicensis Abbas, qui Chronicon Bohemiæ conscripsit; *Radimilius* Abbas Clatoviensis, qui Origines Urbis Clatoviensis elucidavit; *Hoffmannus* San-Emmeramensis, qui Bohemiæ Historiam in Germanicum convertit sermonem.

Historiæ Bohemicæ lucem affundunt Benedictini.

Christannus,

Neplacho.

Num verò Author noster P. *Magnoaldus*, de Bohemica Historia bene meritus fuerit, indicio erit *Bibliotheca Bohemica***, in qua agitur de Authoribus, qui scripsere de rebus cùm sacris tum profanis Regni Bohemiæ. In hac Bibliotheca recensetur insame Opus *Rochezangi de Ifsencern*, in quo is Historiam Regni Bohemiæ brachio plusquàm levi pertractat, jura verò Augustæ

Magnoaldus Ziegelbauer.

* In Præfat. ad nov. edit. Marq. Freheri Directorii Historici Norimbergæ & Altorfii anno 1720.

** Hujus operis manuscriptum sibi vendicavit *D. Schwandtnerus* Vindoboræ, quod ut publici juris fiat optamus, *ne alienis se vestiant cornicula plumis.*

gustæ Domûs Austriacæ in Regnum Bohemiæ verbis ac dictis summè contumeliosis proscindit, atque pro virili, at nequissima sua parte in Lectorum animis evertere conatur. Recensio autem est editionis jam secundæ de an. 1746. An non ii verò, qui nomine Augustissimæ Imperatricis ac Reginæ Bohemiæ eidem Regno Bohemiæ præsunt, nihil potius, nihilque prius habere, atque sui esse officii existimare debuissent, quàm ut atrocissimè læso honori Domûs Austriacæ, atque nominatim *Mathiæ* ac utriusque *Ferdinandi I. & II.* Majorum Glorios. Mem. Augustissimæ Imperatricis ac Reginæ Bohemiæ consulerent, eúmque quibus modis possent, pro muneris sui debito repararent? Hoc autem quâ ratione ab iis fieri potuisset, quàm ut *Rochezangi* seditiosus & feralis Liber non modò Regno proscriberetur, ejúsq; lectione omnibus interdiceretur, sed ipsius etiam carnificis manu in Triurbe Pragâ publicè in foro flammis concremaretur? Quo incendio futurum fuisset, ut injustæ criminationes Augustæ Domui irrogatæ abolerentur, commeritæ autem ultimæ infamiæ nota contumelioso libro inureretur. At quia factum id non est, malim potiùs credere, librum Regiæ Gubernationis notitiam effugisse, quàm ejus abolitionem neglectui habitam fuisse. Grande profectò piaculum sotet, cogitare, quòd Regii Administri huic obstare malo, *Rochezangi* contumeliosè dicta æquâ aure ferre, neque gravissimè læsum honorem Regnatricis Domûs reparare voluerint; cùm justitiæ leges vel apud Barbaros ab omni humanitate relictos præscribant, ut in libellos famosos tantùm, quibus honor & fama aliorum indignè lacerantur, severissimè animadvertatur, ne dicam, quibus injusta Regni occupatio, oppressio, possessio à Scriptore, cœli terræque oblito, Augustæ Domui imputatur. At quod Pragæ non factum, Viennæ Austriæ (ubi *Bibliotheca Bohemica* in Censura fuit) anno 1749. die 14. Nov. factum: quâ illucescente sub horam nonam matutinam rogus in Novo foro, vulgò Neuen-Marckt à carnifice accensus liber infamis in illum conjectus, flammisque absumptus, nomen verò authoris *Rochezangi ab Isencern* patibulo extra Portam Scotensem noviter erecto affixum fuit. Sic *Bibliotheca Bohemica*, nondùm typis data, occasioni fuit, reparandi gravissimè læsum honorem Aug. Domûs Austriacæ. Est verò hæc Bibliotheca Prodromus tantùm ad novam Scriptorum rerum Bohemicarum collectionem Tomis IX. comprehensam; de qua quid futurum sit, tempus docebit.

Suadet ut seditiosus Rochezangi liber rogo addicatur.

Nolo jam hîc in disceptationem vocare, an Gothi, Vandali, Longobardi, ac Normanni natione Germani fuerint, certè quacunque origine nati fuerint, Benedictini in scribendis eorum fortiter ac bellicè gestis, ne illorum memoria succedentibus seculis obliteraretur, de omni Gothica, Vandalica, Longobardica ac Normannica Gente non malè meriti sunt. Gothorum verò primam originem atque historiam primus omnium contexuit *Cassiodorus*, ut in priore præfatione *Variarum* ipse fidem facit. Quam subinde *Jornandes* ex Episcopo monachus in synopsin redegit. Novam verò lucem Gothicæ Historiæ nostra ætate accendit *Joannes Garetius* è Congreg. S. Mauri, dum ad Cassiodori *Variarum* libros, seu epistolas, in quibus multus sermo est de rebus gestis Theodorici, Gothorum Regis potentissimi, notitiam dignitatum, locorum, fluminum, & id genus plurium, quæ notatu dignissima eo in Opere inveniri possunt, subministravit. Parem diligentiam atque eruditionem ad historiam Gentis Vandalicæ illustrandam attulit *Theodoricus Ruinartus*, sine cujus commemoratione multos nesciremus Principes, qui sæviente in orthodoxæ fidei asseclas Vandalicâ persecutione, regni gubernacula moderati fuerint. Quæ verò de Gente Longobardorum notitia nobis superesset, nisi illam *Paulus Diaconus*, *Erchembertus monachus*, *Joannes* Abbas, aliíque plures Benedictini Casinates in libris à se conscriptis nobis reliquissent? In obscuro etiam Normannorum Gesta jacerent, nisi *Ordericus Vitalis*, *Willelmus Calculus*, *Robertus de Monte*, *Amatus Casinensis*, *Gaufredus à Malaterra*, *Alexander Celesinus*, *Thomas Walsinghamus*, aliíque plures Benedictini Scriptores bellicam eorum virtutem, quâ sedem in Francia primùm quæsiverunt, tum nobilissima regna in Anglia & Sicilia constituerunt, ac maximas subinde res in Oriente magna cum laude gesserunt, memoriæ commendâssent. Ut quanta armorum vi Normanni olim præstiterint, quantáque pietate ac divino cultu jam inde à conversione Rollonis, inter piissimas ac religiosissimas Orbis Christiani gentes inprimis floruerint, haud

Historia Gothorum, Vandal. Longobard. ac Normannorum literis à Benedictinis tradita.

Paulus Diaconus.

Ordericus Vitalis.

haud aliunde magis, nisi ex Benedictinorum Scriptis innotescat.

Scriptores rerum Hispanicarum. Quid illos verò differo Scriptores, qui in condenda rerum Hispanicarum Historia cum aliis Viris doctissimis desudârunt? Hispania nempe per mille ampliùs annos Vandalicis Punicísque armis oppressa plus de rebus fortiter gerendis, quàm iisdem in literas & acta referendis sollicita fuit. Quamprimùm verò Barbarorum jugum excussit, luce historica illustrari cœpit. Ut enim præstantium ingeniorum feracissima est, ita continuò Livios, Tacitos, Sallustios, aliósque nobiles tulit Historicos. De nostris tantùm, iisque cumprimis, qui Regii Historiographi munere fungi præ cæteris meruerunt, loqui liceat. Gundisalvus de Arredondo. *Gundisalvus de Arredondo, & Alvarado*, Abbas illustris monasterii S. Petri de Arlanza, Regúmque Catholicorum Ferdinandi V. & Isabellæ Historiographus ineunte seculo decimo sexto absolutum dedit Opus Historiam Comitis Ferdinandi Consalvi de Castillia, magni, ut Nicolai Antonii usurpem verba, à magnis viris habitam. Prudentius Sandoval. *Prudentii Sandovalli* nomen ita illustre fuit, ut Philippus III. idoneum ante alios eum æstimaverit, cui describendarum Regum Hispaniæ rerum pace bellóque gestarum, continuandæque Floriani Decampi, & Ambrosii Morales Historiæ sexcentorum ferè annorum supplemento munus injungeret. Quâ imposita gravi provincia ita perfunctus est, ut cunctas Historici verè Regii partes omnium judicio egregiè cumulatéque persolverit. Francis. Sota. *Franciscus Sata* Caroli II. Historiographus, licèt quædam suo in *Chronico Principum Asturiæ & Cantabriæ* peccaverit, neque illud numeris omnibus dederit absolutum, multa tamen de antiquorum Comitum, Ducúmque Cantabriæ & Asturiarum serie, & stemmatibus, tum & de Castellæ veterum Comitum plurimarúmque nobilium Hispaniæ prosapiis inibi contineri proletaria nemo iverit inficias. Quatuot autem Hispanæ Gentis excellentias Benedictus de Penalosa. eximius ille Historicus *Benedictus de Penalosa*, intertextis præclarissimis exemplis, tantâ narrandi facultate exposuit, quantam Hispani rerum suarum magni admiratores nec ambitiosè quæsitam exoptârunt. Benedictus de Guardiola. Alius *Benedictus*, sed de *Guardiola* Hispanis viris, grandibus & miris minimè displicuit, cùm jura, præeminentias, reditus, insignia, & sesquipedales titulos, quibus proceres & Magnates insigniuntur, Opere historico recensuit. De Hispanæ Gentis Politia, ejus Monarchia, ratione status, incremento, diuturnitate ac perpetuitate nemo uberiorem instituit narrationem atque *Joannes Salazar*. Joannes de Salazar. Origines Regni Arragoniæ, Regúmque Asturiæ, Arragoniæ & Navarræ antiquitates à *Joanne Bris Martinez* magna eruditione conscriptæ in manibus Hispanorum habentur. Jo. Bris Martinez. Regni autem Navarræi condere Historiam, ac multorum annorum intermorientes res gestas è tenebris excitare *Petrus de Valencina* sustinuit. Sebastiani Regis Lusitaniæ manes multùm debent *Antonia de S. Romano*, qui eos ex inferis in lucem quasi vindicavit, quando infelicem quidem expeditionem bellicam, mortem verò fortissimè obitam incorrupta veritate enarravit. Quis vitas Heroum Castiliæ, & Magni Ducis Roderici Diaz, atque Comitis Fernandi Gonzalez res præclarè gestas elegantiùs præscripsit, atque *Joannes de Arrevalo* S. Petri de Cardenna Cœnobita? Jo. de Arrevalo. Chronicon Castellanorum, sive potiùs Legionensium Regum à Pelagio usque ad Ferdinandum, monacho erudito Asceterii S. Dominici de Silos, cujus nomen ignoratur, Nicolaus Antonius, celebertimus Auctor Bibliothecæ Hispanæ Veteris & Novæ attribuit. An non denique eximia prorsùs & præclara sunt, quæ VICTORIUS SIRI in *Prolegomenis ad Mercurium* tom. 2. in medium adducit, ubi Victorius Siri. tumultus Catalaunicos non minori prudentia, quàm facundia commemorat?

Rerum Italicarū Scriptores. At non omnes Benedictini rerum Hispanicarum Scriptores enumetandi sunt. Jam diu enim queruntur Itali se postremo nominari loco, qui fors primo poni debuissent. Quid verò primùm dicam de erudito illo ac eximio Opere, quod *Augustinus Venerius*, Augustinus Venerius. Cavensis Archivarius, de *Servitute Italiæ* elucubravit *. Consideranti enim Viro docto, sæpéque sæpiùs animo volventi ferventissima illa & assidua bella, quæ olim infelix Italia præ cæteris Orbis partibus (ob Barbarorum, aliarúmque exterarum gentium avaritiam, atque effrænatam tegnandi cupiditatem) passa est; Pestésque exinde ortas, famésque & calamitates plurimas, quibus toties prægravata est & devastata, illud Poëtæ elogium *Serva Italia* in men-

* Armell. Bib. Casin. part. 1. pag. 67. quem etiam de aliis Rer. Italic. Scriptor. O. S. B. consule.

mentem venit, occurrítque, ac simul quædam animi deliberatio de his aliquid lucubtandi, ac in posterorum utilitatem edendi, quod tunc se absolvisse censuit, cùm præclarum Opus *de Servitute Italiæ* edidit; ubi priscam ejus calamitatem Lectores agnoscunt; imò accuratiùs ex multifaria Græcorum, Francorum, Longobardorum, Nortmannorum, Germanorum, Suevorum, Andegavensium, Arragonensium, Dyrrachensium, Hispanorum Principum serie, qui tum in tota Italia, cùm in singulis ferè ejus regionis urbibus dominium habuerunt, certiores fieri licet. *Valerianus Castillioneus* cùm insignem in re historica, seculari, atque ecclesiastica eruditionem ac doctrinam sibi comparâsset, Carolo Sabaudiæ Duci, notæ virtutis,atque acerrimi judicii Principi dignus est visus, quem in suum eligeret Historiographum, tribus librarum argenti millibus pro annuo stipendio assignatis; quod etiam munus tam sub ipso & Victore Amadeo, quàm sub Christina Ducissa, Ludovici XIII. Galliarum Regis sorore ad obitum usque egregiè adimplevit, relictis quàm pluribus historicis scriptis, quibus res Domûs Sabaudiæ mirificè illustrantur. Sed rogatus à Cardinali Burghesio, & à Petro Toletano, Neapolis Prorege, ut Pauli V. Pontificatum, & bella à Rege Catholico in Italia gesta describeret, utramque provinciam justis de causis recusavit. Res à Senensibus præclarè gestas *Nicolaus Donati* Latino sermone conscripsit; nec minori veritate, quàm diligentia Belli Etrusci inter Carolum V. Cæsarem, & Henricum II. Gallorum Regem Historiam libris duobus complexus est. *Placidus Puccinellus* Memorias antiquas Urbis & Ducatûs Mediolanensis ab oblivione vindicavit. Quæ in Regiensium Republica ab anno 1353. ad annum 1414. gesta fuêre, scripto complexus est *Petrus de Gazata* Abbas monasterii S. Prosperi Regiensis, illúdque Chronico Regiensi à patruo suo *Sagacco de Gazata* conscripto adjecit. Res Siculas *Michael de Indice*, variis iísque egregiis scriptis magnoperè illustravit, suáque adversaria, quæ proprio usui colligere inceperat, aliorum commodo aut curiositati ad patrii soli gloriam se perficere & impertiri paratum esse Reipublicæ Literariæ significavit. Quod doctius, quod ordinatius, atque utilius Opus habemus ad cognitionem Italiæ Medii ævi comparandam, atque ea est Dissertatio, quam *Caspar Baretta* pro usu *Tabulæ Italiæ* à se pariter adornatæ in lucem dedit publicam? Ea certè tantâ eruditione atque doctrinâ concinnata est, ut omne eruditorum tulerit punctum, cùm Author brevitati summam, conjunxerit perspicacitatem ac claritatem. Illius præstantiam qui magis cognoscere cupit, operæ pretium facturus est, si legat Francisci Blanchinii epistolam ad Cl. V. Josephum Ant. Saxium Bibliothecæ Ambrosianæ Mediolanensis Præfectum. Satis etiam illustre argumentum à se pertractatum fuisse existimârunt *Petrus Ursinus*, *Valerianus de Franchis*, & *Bernardus Clavellus*. Prior quòd Otbis ac Regni Neapolitani condiderit Historiam; alter, quòd Urbis Catanensis res memoratu dignas enarrârit; postremus, quòd Arpinum, patriam suam, Volscorum olim valdè celebrem civitatem, ruinis, ruderibúsque ferè nunc obrutam conatus sit, calamo suo in antiqui nominis revocare splendorem, Arpinate Historia edita, vel ob id lectu digna, quod in ea Caii etiam Marii & Marci Tullii Ciceronis, quos ibidem natos esse constat, res gestas, mores, militiam, facundiam & obitum Italico sermone perquàm accuratè, nec indisertè tractaverit. Non minorem laudem consequutus fuisset *Mauritius Zapata*, si quæ *Notabilia rerum Parmensium* in literas retulit, typis divulgâsset. Quanto autem Respublicæ ac Civitates *Florentia*, *Genua*, ac *Venetiæ* cæteris Italiæ civitatibus potentia, viribus, ac imperii amplitudine præstiterunt, tanto earum Historiæ cæterarum urbium Historiis antecellunt. Unde *Vincentii Borghini* & *Casimiri Frescbotti* celebris est gloria; illius, quòd res Florentinas & Etruscas ditione puta, methodo exquisita, insigni perspicuitate, nec minori judicio fuerit persecutus; hujus quòd Urbem Venetam, ab ejus exordio, bellantem & triumphantem exhibuerit: Civitatem verò Genuam, diversos ejus status,ultimum cum Rege Galliarum dissidium, ejúsque compositionem relatione historicâ adumbrârit. Magnam etiam gratiam à Nobilitate Italica *Eugenius Gamurrinus*, antiquitatis studiosissimus iniit, quòd graves vigiliarum suarum labores Genealogicæ Historiæ confectârit, illustrium Familiarum Tusciæ & Umbriæ vetustas series Tomis quinque complexus, qui tunc quidem à nobilibus Familiis utpote laudum suarum ac gloriæ promptuarium avidissimè re-

Valerianus Castillioneus. Nicolaus Donati. Placidus Puccinellus. Michael de Indice. Caspar Baretta. Petrus Ursinus. Mauritius Zapata. Vincentius Borghinus & Casimirus Freschottus. Eugenius Gamurrinus.

cepti sunt. Denique, ut multos alios silentio prætermittam, *Nicolaus Maria de Tedescis*, Episcopus Liparitanus, Episcoporum Examinator, aliorúmque in Aula Romana munerum gestorum splendore conspicuus, Historiam prætensæ Monarchiæ Siciliæ primùm Italico, tum jussu Clementis XI. Latino sermone conscripsit. Absit verò, ut tacitus præteream eruditissimas Card. QUIRINI vigilias, quarum fructus est Collectio Epistolarum *Francisci Barbari*, quæ lectissimus Italicarum rerum thesaurus, ejus temporis seculi XV. appellari valent, quibúsque Purpuratus Pater Diatribam Præliminarem, justo libro non minorem, præmisit.

Nicol. de Tedescis.

Jam verò postquàm brevi ac compendiario stylo eos recensui Benedictinos, qui Anglicam, Francicam, Germanicam, Hispanam, atque Italicam concinnàrunt Historiam, ad illos veniendum est, qui vel ab Orbe condito, vel à Christo nato tes humanas universè ac generatim memoriæ prodiderunt. E multis verò, ut lectoris fatietati occurram, unum nomino *S. Odonem* Abbatem, haud satis unquam laudandum Congregationis Cluniacensis Institutorem. Is certè cùm tes humanas, quascunque miratur vulgus, tanto haberet despicatui, ut nihil præter æternas ac divinas amore suo dignaretur, illarum tamen ab exordio Mundi usque ad annum reparatæ salutis nongentesimum trigesimum septimum contexuit historiam, nullo alio fine, nisi ut earum vanitatem, caducitatem, & inconstantiam mortalibus ob oculos constitueret, atque sic ab earum amore illos abduceret. Quem eundem finem R.mo Abbati *Augustino Calmet* in Historia Universali Sacra & Profana condenda ab Orbe condito ad nostra usque tempora fuisse nuper præstitum, nullus dubito. Hunc scopum, hanc metam si Benedictini in Historia profana seu legenda seu scribenda sibi præfixam habeant, eorum Historiæ Civilis studium non jam profanum, sed sacrum habendum est.

Historiæ universalis Scriptores. S. Odo Cluniac. Calmet &c.

SECTIO III.

Historia Studii Historiæ Monastico-Benedictinæ.

Veteres plus gerendis quàm scribendis rebus intenti.

EXoriens Familia nostra plùs gerendis quàm scribendis rebus intenta, nullum non dicam negotium, sed ne ullam quidem cogitationem de historia sua concinnanda, condendísque Annalibus suscepit. Accidit nimirùm illi, quod priscæ Romanorum Historiæ, de qua C. Sallustius: *Populo Romano nunquam ea* (quæ Græcis) *copia fuit, quia prudentissimus quisque facere, quàm dicere, sua ab aliis benefacta laudari, quàm ipse aliorum narrare malebat.* Majori ac primæ curæ habuit, alumnos suos ad virtutis studium excitare, illorum formare mores, atque ad regularis disciplinæ componere observantiam. Tum quædam religiosæ humilitatis, obedientiæ, paupertatis, castimoniæ, omnis denique virtutis specimina, & exemplaria, Divum præprimis Legislatotem BENEDICTUM, ejus discipulos, *Maurum* & *Placidum*, aliósque vitæ sanctimoniâ conspicuos monachos ad imitationem ob oculos ponere, & literis consignare operæ pretium esse autumavit. Sic ÆGIL Abbas Fuldensis vitam *S. Sturmii* sive *Sturmionis*, ptimi Abbatis & Cœnobiarchæ nobilissimi Asceterii Fuldensis à se conscriptam fratribus ad mensam recitari præcepit. *B. Ægilis* verò vitam, *Rabano* Abbate exposcente, in literas retulit CANDIDUS ejus discipulus, cùm solutâ tum ligatâ oratione, ut ipsemet fidem facit in sua præfatione, in qua & asserit, se vitam *Baugulfi* secundi Abbatis Fuldensis in literas retulisse, sed ea ad nos non pervenit.

Subinde monasteriorum suorum historias seu chronica scribendi cupido nostris incessit: *quo in genere*, inquit Mabillonius, *Fontanellensi chronico, quod seculo nono condi cœptum est, nullum antiquius invenio.* Magno *Mabillonio*, cui sectionis hujus Historia magnam partem debetur, contradicere, vix non religioni mihi duco; potiùs enim me, quàm virum illum in Historiâ versatissimum falli dixerim; non capio tamen, quòd Chronico Fontanellensi primas tribuat; cùm jam Venerabilem BEDAM Monasterii sui Abbatum historiam scripsisse, alibi ipse dicat; quæ diu desiderata seculo proximè præterito à *Wiræo* primùm in Anglia,

Monasteriorum Historiæ quando conscribi cœptæ.

lia, tum à Billainio Parisiis in Gallia typis vulgata fuit, cum inscriptione: *Historia Abbatum Wiremuthensium & Girwensium.* Sed fors in hac Historia magis res gestæ Abbatum, quàm casus ac eventus monasterii describuntur; neque enim illam, ut ut optabam, videre unquam mihi contigit. Deinde duo adhuc Chronica occurrunt, quæ seculo IX. contexta fuerunt, *Fuldense* nimirum ac *Sangallense.* WALAFRIDUS enim *Strabo*, Rabani discipulus, Chronicam Monasterii Fuldensis inchoavit, quæ per alios succedentes continuata, non parvum in editione Annalium Hirsaugiensium Trithemio juvamen præstitit, ut ipse nos docet ad annum 947. Idem Trithemius de *Wernberto* monacho, quem Jodocus Mezlerus * in S. Gallo floruisse circa annum 862. scribit, sequentia memoriæ commendavit: WERNBERTUS *natione Germanus, patriâ Curiensis, Rabani Mauri auditor, vir in monasticâ disciplina exercitatus, linguæ Græcæ peritissimus, Historiographus & Theologus sui temporis nobilissimus*, ἀναγνώστης; *item & Musicus absolutus, historiam rerum Sanctgallensium ad sua usque tempora elegantissimo volumine deduxit.* *Wernbertum* excepit RATPERTUS *Senior*, qui Chronica à S. Gallo usque ad Bernardum I. qui præfuit anno 883. sua videlicet tempora perduxit. Synchronus ac condiscipulus fuit B. NOTKERUS *Balbulus* anno 912. ad Superos translatus; qui pariter historiam monasteii Sangallensis, & subsequentium temporum suam usque ad ætatem, in morem Ciceronianum, id est, per Dialogos scripsit. Si Goldasto credimus, ejus adhuc tempore alicubi exstiterunt in Palatinatû apud viduam Wolfgangi Weteri Sanctgallensis Ecclesiastæ ex Calvini secta, ad quam Urbs sanctgallensis, excusso Abbatis jugo, defecit.

Megenfridus Fuldense Chronicon ad sua deduxit tempora.

Fuldæ seculo decimo floruit MEGENFRIDUS, vir magnæ doctrinæ, qui Chronicon de Abbatibus Fuldensibus usque ad suam deduxit ætatem, quam egit sub *Ottone II. & III.* nec non *Henrico III.* qui Ottoni III. successit, & annos 23. ad Ann. Chr. 1024. imperavit. Hoc Chronicon Trithemius se & vidisse, atque adeò ad usum habuisse non diffitetur in Hirsaugiensis Monasterii Annalibus his verbis: *Claruit etiam his temporibus Meginfridus, Monachus Fuldensis Chronographus, qui velut rosa inter spinas, ita studiosus & doctus inter desides, carnales, ignarósque monasterii sui monachos clarus emicuit.* Is "inter cætera ingenii sui opuscula *Historiâ sui monasterii* ab origine diligenter "complexus, Abbates singulos secundùm ordinem temporis sibi ad invicem succedentes inseruit, & uniuscujusque gesta breviter annotavit, "Eorum quoque Cœnobiorum, quibus vel Monachos ex Fuldensi missos novit, vel Abbates, pari ratione meminit: quorum & successiones Abbatum, & memorabilia facta "interserendo, compendiosè descripsit. "*Ex cujus viri laboribus multa me fateor, in hoc Opere nostro de Hirsaugiensi Historia necessariò commiscuisse.*" Hæc Trithemius de Megenfrido, à cujus obitû *Richardus* Abbas XIX. Fuldensis sub annum 1033. monachis suis mandavit, ut facta clarorum virorum fideliter describerent, & manuscripta bibliothecæ inferrent. Quod Richardi præceptum multùm abest ab inofficiosa illa desidiæ & ignorantiæ nota, quam Trithemius Fuldensibus seculi X. Cœnobitis immeritò inurit; cujus decursû viros industria, religione & doctrina eximios Fuldæ floruisse jam aliàs ostendimus. Homo fuit *Trithemius* ab animi motibus non semper immunis; unde nescio quare offensus de Fuldensibus ea aliquando scribit, quibus spongiâ opus est. Sed his missis præter Megenfridi Chronicon, quod excidisse eruditis ac monasticæ historiæ studiosis dolendum est, aliud quod hodie superest, Chronicon seculo X. scriptum fuit ab *Aione* Croilandensi in Anglia Monacho, in quo res monasterii sui ab anno 664. ad 974. literis consignatas posteritati reliquit.

Trithemius non immunis tatur.

Chronicon Casinense Leonis Marsicani.

Multò tamen plura Chronica ab undecimi seculi monachis contexta fuerunt. Princeps facilè fuit Chronicon Casinense. *Oderisius* enim* Desiderii Abbatis, ac postea Pontificis Maximi *Victoris III.* in regimine Casinensi successor, LEONI *Marsicano* præcepit, ut *sanctæ memoriæ Abbatis Desiderii magnifica gesta*, aliorúmque Casinatium Abbatum literis mandaret: quod ille exequi aliquamdiu distulit, utpote in *servitio Domini Apostolici* scilicet *Urbani II.* jussû ipsius Oderisii, & ab ipso Oderisio in diversis negotiis occupatus, ut LEO ipse commemorat in Prologo Chronici sui, quod *Domino & Patri sanctissimo, venerabilis cœnobii Casinensis*

* Ang. Nuc. in not. in prolog. Pet. Diac. lib. IV Chron Casin.

nensis Abbati Oderisio, *Frater Leo*, *cognomine Marsicanus* inscribit: ubi ait, hoc Opus olim *Albano* Archiepiscopo Salernitano, viro sui temporis sapientissimo à Desiderio Abbate injunctum fuisse; sed eum operosioris argumenti periculo se subduxisse. Operi igitur se accinxit *Leo*, ac tres conscripsit libros, quos subinde *Petrus Diaconus* quarto addito prosecutus est. Ipsi siquidem continuandi Leonis Marsicani Historiam provincia à *Rainaldo* Abbate Casinensi demandata fuit. Nam præterquam quòd Bibliothecarius erat Casinensis, & in monumentis Cœnobii, priscisque Annalibus, ut ipse *Petrus* in Prologo libri IV. loquitur, versatus, universis ferè negotiis, quæ suâ ætate contigerant, immixtus fuerat: ut proinde præsens testis, & oculatus eorum, quæ scripturus erat, posset accedere: uberiori fideliorique notitiâ styli paupertatem redimente.

Gemblacése, Mosamense & alia. Eodem ævo conditum est *Chronicon Gemblacensis Monasterii*, Diœcesis Namurcensis, quod editum est Tomo VI. Spicilegii Dacheriani; Chronicon *Mosamensis* Monasterii Diœcesis Remensis Tomo V. ejusdem Spicilegii insertum; Chronicon continuatum Abbatiæ *Fontanellensis* Diœcesis Rotomagensis Tomo III. ejusdem Spicilegii publicatum; Chronicon Monasterii *Affligemensis* seu *Affligeniensis* in Brabantia, quod extat Tomo X. ejusdem Spicilegii; Chronicon *Centulensis* Abbatiæ, seu *S. Richarii*, editum Tomo IV. Spicilegii; Chronicon *Andrensis* sive *Adernensis* Monasterii Diœcesis Boloniensis, quod habetur Tomo IX. Spicilegii sæpiùs jam citati. Omitto *Lamberti Hirsfeldensis* Annales, *Gregorii Catinensis* Chronicon Farfense, *Ingulphi* Abbatis Croylandensis Historiam sui monasterii, aliáque Chronica, quæ hoc seculo in Italia, Germania, Gallia, Anglia, aliisque provinciis condita sunt; quemadmodum & calamum abstineo ab enumerandis Chronicis, quæ sæculo duodecimo benè multa edita fuerunt. Silentio tamen prætermittere non possum Chronicon *Vulturnense*, sive Chronicon antiquum monasterii olim celeberrimi *S. Vincentii de Vulturno*, nullius Diœcesis in Provincia Capuana, quod V. C. Muratorius inter Scriptores Rerum Italicarum Tom. I. Parte II. luce publicâ donavit. Illius autem auctor fuit Joannes *ejusdem Cœnobii S. Vincentii*

Vulturnensis Author Joannes monachus.

Monachus. Ætatem suam satis ille indicat, quum scribit *, se jam *septennem* in celebri illo monachorum conventu susceptum fuisse, sibique postea demandatam à *Girardo* Abbate curam Chronici contexendi. Opus ille impigrè aggressus est, & absolutum *Benedicto Abbati* (quem *Ughellus* in Catalogo suo prætermisit) *jam tandem dicavit*. Interea nondum perducto ad umbilicum libro, contigit, ut Beneventum accederet Concilii celebrandi causa *Paschalis II.* Romanus Pontifex, ad quem profectus est *Johannes* ipse Chronici hujus auctor, unà cum Benedicto Abbate suo, tum obsequium testaturus, tum monasterii negotia apud illum acturus. Decurrebat tunc annus à Christo Nato MCVIII. Cœptum laborem suum eâ occasione obtulit is *Joanni* Cancellario Pontificio, qui postea ad cathedram S. Petri assumptus Gelasius II. appellatus est. Ostendit ipsi etiam *Paschali Pontifici*, à quo laudem non solùm, sed etiam responsum hujusmodi accepit: *Bene ò fili! magnum opus cœpisti, sed bene cœpta melius perficere stude.*

Laudem etiam suam promeritus est Monachus *Anonymus Murensis* in Helvetia Monasterii, qui ejusdem Acta Fundationis magnâ curâ & diligentiâ literis mandavit. Posteros verò monuit, ut sicut ipse, quæ vel ante eum, vel suis temporibus huic sanctæ Ecclesiæ collata fuerant, descripserat; sic & illi facerent; qui post ipsum venturi erant. Murensis Anonymus.

Sed subinde Monasteriologiæ studium si non omninò prætermissum, certè quidem non parùm remissum quibusdam dicitur. Unde seculum decimum tertium cum proximo ab Orbe reparato omnium ineptissimum se comperisse scribit illustris *Leibnitius*. En verba illius ** admetior: „ Seculum „ decimum tertium, quò subitò om„ nes propemodùm boni Scriptores „ evanuêre, cuncta in se trahentibus „ monachis mendicantibus, qui tum „ insurrexerunt, & mox ignorantiam „ atque errorem vivicomburio sanci„ entibus, ut jam vix alia, quàm utri„ usque Juris, & scholasticarum ar„ gutiarum studia superessent. Germa„ nis certè seculum decimum aureum „ fuit præ decimo tertio & quarto; „ *quo tempore etiam Jura Imperii supi„ nâ ignorantiâ interierunt*. „ Hæc Leibnitius: quæ verò non eâ causâ in medium Sec. XIII. evanuêre Chronographi.

* Vid. Murator. l. c. in Præfat. ad hoc Chron. p. 325.
** Introduct. ad Script. Rer. Brunsv. Tom. 1. n. 1163.

medium à me hîc allata fuerunt; ac si & ego, quæ de Ordinum Mendicantium Viris Religiosis temerè edixit, meo comprobare calculo velim: quî enim hoc facere possim, nisi *Albertum Magnum*, *Thomam* Aquinatem, D. *Bonaventuram*, *Alexandrum* Hallensem, aliósque plurimos Dominicanæ atque Franciscanæ Familiæ doctissimos alumnos ignorantiæ ac inscitiæ condemnare velim? sed in hoc ferè *Leibnitio* assentior, quòd Benedictini nostri in Germania chordam studii Historici non parùm luxârint. Quotusquisque enim in tanto Monachorum numero fuit, qui seculo decimo tertio & quarto res non dico exteras, sed domesticas, atque ad suum attinentes monasterium literis consignârit? Neque tamen dixero, quòd seculum tertium supra decimum pro deplorato penitus sit habendum: præter duos enim *Conrados*, primum de *Saxonia*, alterum *de Schyra*, & tres Sangallenses Monachos, *Burchardum*, *Bertholdum*, & *Tiusburgum*, HERICUS Antistes Campidunensis, *Adelbertus* Abbas Heidenheimensis, *Reinerus* Leodiensis S. Jacobi Monachus, *Godefridus* S. Pantaleonis Coloniensis Cœnobita, *Hermannus* inferioris Altachii alumnus, monachi tres Anonymi, *Pegaviensis*, *Novientensis*, & *Admontensis* Monasteriologiæ operam navârunt.

Seculi XIV. Monasteriologi.

Seculo autem proximo, hoc est, *decimo quarto* minor adhuc copia fuit: extra *Gundakerum* enim Seittenstettensem, Anonymum San-Udalricanum, *Henricum Steronem*, & ejus defloratorem *Everhardum*, utrumque Altachii inferioris cœnubitam, *Herboldum Westhemium*, vix quisquam alius conspiciendum se præbet. Quem verò postremo loco nominavi, cùm esset monachus Imperialis monasterii Eresburgensis in Saxonia, composuit volumen * de rebus Eresburgensibus, quod *Theodericus* Abbas Corbejæ Novæ monasterii visitator an. 1341. cùm vidisset, laudavit maximè, stimulúmque dedit ad complendum istud. Priùs verò quàm hæc facta fuerant, is ipse Abbas *Theodericus*, ut Corbejenses suos ad resumendam veterem in conscribendis monasteriorum Chronicis industriam excitaret, sequentes literas anno 1337. conscriptas ad eosdem dedit.

Theoderici Corbejensis epistola.

„THEODERICUS Abbas monasterii sanctorum Martyrum Stephani atque Viti in Corbeja omnibus hasce lecturis gratiam & salutem in Domino sempiternam. Amantissimi Confratres, multùm sanè refert, ut Ecclesiæ nostræ aliarúmque eidem subjectarum antiquitates, fundationes, dotationes, jura, privilegia, & laudabiles usus, ac consuetudines, unà cum aliis notabilibus ad futurorum posterorum memoriam, nostrámque informationem, & delectationem colligantur & describantur. Cùm igitur pii prædecessores nostri *Marquardus* & *Wigboldus*, quorum memoria in benedictione sit, confratribus dilectis, quę filiis suis cumprimis senioribus & experientia rerum conspicuis, ínque præpositura vel alia dignitate constitutis mandârint, ut quisque suæ ecclesiæ, seu monasterii, cui pro tempore præerat, chronicon contexeret, seu ab aliis forsan cœptum continuaret: diversi etiam fratres monitis hisce obsecundantes, industriam suam egregiè probârint; nos inclytis eorum vestigiis insistentes, idem mandatum ceu justum & salutare tenore præsentium innovamus, & redintegramus, volentes, ut quod quilibet de suo monasterio, seu ecclesia, chronicon antea scriptum habet, diligenter custodiat, idque secundùm seriem annorum ad sua usque tempora fideliter continuet, seu per alium idoneum & fidelem virum conscribi curet. Nos libenter ex archivo & bibliotheca quæcunque necessaria fuerint, suppeditabimus non tantùm, sed etiam cujuslibet studium uti antecessores nostri specialiter cohonestabimus. Valete in Domino. Datum in Abbatia nostra Imperiali anno gratiæ MCCCXXXVI. ipso die beatæ Veronicæ."

Chronographi Corbejæ.

Ex his literis conspicuum fit, quòd res memorabiles ** per annos in celeberrimo monasterio Corbejæ Novæ in Saxonia consignari consueverint variorum laboribus, qui sibi lampada tradebant. Citantur (*in Annalibus Corbejæ Saxonicæ antiquis, sed subinde interpolatis, & ad an. 1471. continuatis*) notata *Isibordi de Amelunxen*, qui anno 1082. claruisse in hoc ipso Chronico perhibetur. Et ad annum 1097. *Marquardus* Abbas jussisse scribitur, ut qui-

* Extat in append. ad epistolas Wibaldi Abb. Stabul. & Corb. Collect. ampl. P. Marteng Tom. 2. pag. 621.
** Leibnitz Introduct. Script. Rer. Brunsv. Tom. 2.

quivis Præpositus monasterii Corbejæ subjecti, Chronicon ejus mitteret, ad futuram rei memoriam: quantò magis eum consuluisse credendum est memoriæ rerum in ipsâ Corbejâ gestarum? Mandatū Marcwardi renovavit *Wicholdus* anno 1149. die S. Walburgis, jubens, ut de omnibus Ecclesiis, Præposituris, & Monasteriis, ad Corbeiam spectantibus, eruditus & aptus aliquis cœnobita, rerúmque harum gnarus, chronicon aliquod contexeret, & ut eò majorem adhiberent diligentiam, præmio singulos invitabat. *Schakense* monasterium describere debebat Luidolfus de Artzen, *Visbeccense* Bruno de Salderen, *Werense* Ehrenfredus de Stochem, *Gröningense* Abbo de Dalem, *Aroldessense* Luidolf de Wolfinghusen, Præposituram *tom Rosdr* Englerus de Martzhufen, *Lüzichensem* Iicho de Saximonte, *Herifortium* delineârat Heremannus de Portfeldt. De familia Amelunxiana nervosè scripsit minutum Chronicon *Frederic de Amelunxen*, in quo multa memorabilia continentur. Quidam ex his libris adhuc sunt in Bibliotheca Corbejensi, quosdam Præpositi penes se habent pro informatione privatâ. Denique seculo XV. *Antonius Schakenburgius*, illustris hujus monasterii Cœnobita, breve Chronicon Corbejæ suæ Saxonicæ ab anno DCCCXV. ad annum MCCCCLXXI. contexuisse dicitur; quod verò Cl. Edmundus Martene * *opus miserum* vocat, *tantis támque fœdis erroribus inquinatum*, ut fœtum esse ipse suspicetur mediocris cujusdam & recentissimi scriptoris, qui nec ferè Corbejam noverit.

Seculo XV. inertia crescit. Per multa igitur Germaniæ monasteria seculo adhuc XV. tenuit, imò crevit, ac quasi augmenta cœpit seu imperitia seu inertia in scribendis Chronicis. *Casparus Bruschius* cùm in monasteriorum ** Germaniæ Chronologia *Friderici Comitis de Wartenberg*, ex monacho San-Blasiano in Hercynia Sylva Abbatis Divitis Augiæ præclarè gesta brevi admodùm synopsi retulisset, se quamdiu præfuerit, nusquam invenire profitetur; quemadmodum etiam de aliis Abbatibus, qui ei successerunt, nihil ferè præter nuda nomina in fastos relatum est, quòd isti Abbates fortassis, ut aliqui superiorum temporum bellis gerendis deditì essent, & seculum barbarum non haberet ampliùs monachos ejusmodi annotationum studiosos, vel de Annalibus posteritati relinquendis curiosos. Audiri etiam hac de re meretur *Joannes Tritbemius*, Abbas Spanheimensis, in Chronico Hirsaug. ad an. 1359. Agens enim de *Wignando*, illius monasterii tricesimo quarto Abbate asseverat, se pigritia & ignavia monachorum id causante, de ejus gestis, tametsi supra viginti annos præfuerit, aut nihil aut parum deducere posse ad notitiam posteritatis, *quia & supra memoriam eorum, qui hodie vivunt, acta sunt, & à nullo literis, ut oportuerat, commendata. Nam posteaquàm*, inquit, *amor & studium literarum à Monachis deficere cœpit, unà cum disciplinâ observantiæ regularis, mirandum non est, si nec monasteriorum suorum conditiones pro tempore sæpiùs variatas, nec successiones, actáque suorum literis mandaverint Abbatum*, cùm ex „ his, qui hodie vivunt, sub *Reformationis Bursfeldinæ* titulo, nec unum „ quidem invenire potuerimus de omnibus, qui veterum exemplo animatus, vel scribere novam, vel continuare diu inchoatam proprii sui „ monasterii *Chronicam*, ad informationem posteritatis aut velit, aut possit. „ Proh pudor! dicere de multis Abbatibus, qui *sanctam observantiam* regularis vitæ cum suis monachis profitentur, qui Historiæ utilitatem ignorant, quid nobis opponant, compellor. Ajunt enim, *quid nobis scire conducere potest fundationis monasteriorum nostrorum antiquitatem? quid Abbatum vel successiones, vel gesta reducere ad memoriam confert, qui in pulvere mortis dormiunt, nec ullis laudibus demulcentur?* ô jam „ sepulti ignavi homines vivi! quorum peribit memoria cum sonitû, „ quàm sitis asini ac rudis ingenii palàm ostenditis, qui bonum contemnitis *Historiarum*, quod assequi non „ potestis. *Historia vivis tam præsentibus quàm futuris conscribitur, non mortuis.* Neque enim, si tollatur Historia, Evangelii sacrosancti memoria, neque martyria, & passiones „ Sanctorum ad nostram scientiam devenissent. *Valeant ergo vivi homines ignorantiâ sepulti, & sibi vivant solis ignavia sua contenti, nulli utiles, nullique in bonis actionibus vel studiis imitabiles.* „ Hæc Trithemius, cujus ætate atque temporibus vixit Abbas quidam doctissimus Ordinis nostri in mona-

Trithemii hac de re testimonium.

Historiæ utilitas.

* Collect. amplist. Tom. II. Observ. præv. in epist. Wibaldi Abbatis pag. 154.
** Bruschius pag. 13.

monasterio Reinhartsborn, seu, ut certior res videtur, in Cœnobio S. Petri Erphordiæ, qui anno 1481. Congregationis Bursfeldensis Patres scripta oratione ad studium historicum exhortatus est; quæ cùm primùm à Christiano Francisco Paullini Actis & Factis Præsulum Nuenbergensium intexta, tum iterum à *Joanne Georgio Leuckfeldio* in Antiquitatibus Bursfeldensibus publici juris facta, neq; tamen permultis Sodalium nostrorum lecta fuerit, operæ pretium facturus mihi videor, si eam paulò pòst legendam exhibeam.

Andreas Montis Monachorum Bambergæ &c.

Eâ tamen exhortatione seculo XV. opus non habuisse mihi videntur: ANDREAS Montis Monachorum Bambergæ Abbas Trithemio synchronus, qui non tantùm sui monasterii Chronicon, sed & totius Ordinis S. Benedicti Historiam condidit, hodiedùm MS. in ejus loci chartulario, & in Monacensi Electorali adservatam. CORNELIUS Monachus, qui Breviarium Fuldense, ULRICUS Bursfeldensis, qui Chronicon Amelunxbornense, *Franciscus Rivo*, qui res Cluniacenses, *Adrianus de Veteri Busco*, qui Historiam sui monasterii ad S. Laurentium Leodii, *Arsenius à Monelia*, qui Acta Cœnobii Sylvariensis, *Bartholomæus Veronensis*, qui Chronicon monasterii S. Nicolai de Litore Venetiarum, *Hieronymus Alliotus*, qui Annales monasterii Aretini, *Nicolaus de Albicis*, qui Historiam SS. Pauli Apostoli & Benigni Martyris de Capite Phari in Urbe Genua literis consignârunt.

Chronographi Angliæ.

Non minori laude digni existimandi sunt Benedictini Angli, qui ad studia Historica jam inde à primis exordiis Benedictinæ in Anglia Religionis se conferendo, ea usque ad illius unà cùm orthodoxâ fide excidium strenuè coluerunt. Atque ut de seculo tantùm decimo tertio loquar, quo studium Historicum evanuisse illustris *Leibnitius* conqueritur, Anglia complures aluit Benedictinos, qui Historiæ tam ecclesiasticæ ac civili, quàm monasticæ magnam lucem affundunt. Ut enim de bina illa priori nihil commemorem, an non *Hugo Candidus* scripsit Historiam monasterii Petroburgensis; *Joscelinus* Chronicon cœnobii sui Buriensis; *Joannes de Wallingford* nomina Fratrum de professione S. Albani defunctorum; *Mathæus Parisius* Chronica majora Asceterii S. Albani, atque ejusdem monasterii Gesta viginti duorum Abbatum; *Mathæus Westmonasteriensis* res gestas Westmonasterii? Nec ferè pauciores seculo XIV. fuerunt; veluti *Adamus de Domersham*, *Joannes de Oxonedes*, *Joannes* Petriburgensis, *Joannes Tinmouth*, *Joannes* Glastoniensis, *Stephanus Cawston*, *Guillelmus Thorne*, *Elias Eweshamensis*, & alii, de quibus Lelandus, Baleus, Pitseus, Seldenus, Caveus, Warthonus, & alii videri possunt.

Alii Germaniæ Monasteriologi.

Revertor in Germaniam, in qua cum *Volradus Schube* Ecclesiæ Cathedralis Hildesheimensis Vicarius circa annum 1483. Chronicon monasterii S. Gotthardi, eâ in civitate siti, adornâsset, ab Abbate munere non contemnendo donatus fuit. Ad parem subeundum laborem *Joannes Trithemius* à Blasio Abbate Hirsaugiensi donis ac præmiis excitatus fuit, ut monasterii sui Annales contexeret; quod ille magna doctrinæ ac eruditionis laude effectum dedit. Ejus discipulus *Paulus Langius* elucubrando Chronico Citicensi non postremas etiam laudes promeruit. De hujus *Langii* itinere literario, quod Trithemii auspiciis pro apparatû colligendo tum ad alia argumenta, tum Chronica Ordinis concinnanda, aggressus est, jam aliàs à nobis dictum est. Hîc tantùm ex Trithemii commendatitiis literis, quas *Langius* Abbatibus Ordinis nostri exhibendas secum tulit, pauca repetere liceat: *P. Langio dedimus in mandatis, ut omnium monasteriorum totam per Germaniam fundationes, tempora, patronos colligat. Quapropter vos per mundi Salvatorem rogamus, ut eum benignè admittatis...*

Seculo XVI. Celebres Chronographi.

Inter Chronographos Monasteriorum seculo XVI. *Joannes Legatius* primo locò vult nominari. Erat is professus in celebri monasterio ad S. Godehardum Hildeshemii, cujus Chronicon superiore seculo à *Volrado Schube* Ecclesiæ Cathedralis Hildesheimensis Vicario fuisse adornatum, paulò antè diximus. Verùm Abbas *Henningus*, sive quòd in hoc Opere multa desideraret, sive quòd è honore monasterii non esse existimaret, si exterum tantùm, non etiam domesticum haberet Chronographum, *Legatio* novi Chronici conscribendi provinciam demandavit. Quod cùm ille perfecisset, lucubrationem suam Abbati *Henningo* nuncupavit. Dedicationem verò his verbis auspicatur: „ Haud scio Pater „ Venerande, quonam pacto ad id ve„ nisti, quod tute meliùs potes, fa„ cere alium imperitâris, nisi est, quod „ suspicor, te mole curarum aliarum

„ sic oppressum, ut huic rei dare operam non possis. Mihi historias scribere præcepisti, qui es ipse historiarum plenus & veterum & novarum, „ & Græcarum & nostrarum. Tibi id „ optimè congruebat, qui non abundas historiis solùm, verùm etiam di„ ves quarumcunque rerum lectionum. „ Nihil apud te antiquius, nihil gratius, „ nihil jocundius literarum ac librorum „ cupiditate &c. „ Quis autem sub tam docto, támque rei literariæ studioso Abbate non libenter calamum exercuisset?

Rumplerus Fornbacensis Annales condit sui monasterii.

Angelus Rumplerus anno MDI. in Abbatem Fornbacensem electus Annales sui monasterii quàm acri judicio tam festivo & eleganti scribendi genere adornavit. *Henricus Bodo* Cœnobii Clusani Asceta Chronicon Gandersheimense contexuit; quod *Meibomius* dignum judicavit, quòd publicaretur, quamvis in fine mutilum esset propter multas variásque antiquas notitias, ad Historiam pertinentes, ipsa præcepta Cæsarum inserta. *Non probo*, inquit editor à sacris Romanis alienus, *non probo quidem omnia, quæ de Saxoniæ Principibus disserit monachus, multa tamen præclara non sine industriæ laude congessit, & tradidit.* Laudibus etiam à Bruschio mactatur *Caspar Riegkherus* ex Ethonis Monasterio in Abbatem Mauri-Monasterii anno 1514. postulatus, quòd vir fuerit doctus, & Annalium sui Monasterii in Rusticorum civili bello amissorum diligens reparator, qui & de suo, & de vicinis quibusdam monasteriis multa sibi benigniter communicârit. *Wolfgangus Trefflerus* cœnobita præclaræ doctrinæ ac eruditionis ad S. Jacobum Moguntiæ res sui Monasterii in literas retulit; cujus suæ industriæ ipse testis est in aliis lucubrationibus, quas posteritati reliquit. *Chronicon Schwarzachense* plures ejus loci Monachi adornârunt. De *Bartholomæo Taberna*, *Luca Brixia*, *Romano Sincero*, *Wilielmo Capisacchi*, *Joanne Benedicto de Guardiola*, Italis & Hispanis Chronographis quid dicam? cùm alii quàm plures intuendos se præbeant, qui seculo XVII. ad industriam condendi monasteriorum historias se revocârunt, eámque haud segnites hodie prosequuntur. *Jacobi Cavacii* Historiarum libri VI. Monasterii D. Justinæ Patavinæ omnium manibus teruntur, quos Phœnix Literatorum Isaacus Casaubonus unicè mirabatur. *Constantinus Cajetanus* Abbas S. Baronti è Congregatione Casinensi, inter Eruditos suo tempore ce-

Scriptores alii plures.

Jacobus Cavacius.

lebris, multa è manuscriptis Codicibus sibi paraverat, quibus ad illustrandam Historiam ac præcipuè monasticam uteretur. Adservantur ista apud Patres Benedictinos Venetiis in amplissimo S. Georgii cœnobio, ejúsque cultissima Bibliotheca. *Licuit mihi* (sunt verba Cl. Viri Lud. Ant. Muratorii in præfatione in Chronicon Breve Monasterii Casinensis tom. 2.) *ex eo penû & hoc Opusculum producere.* Ipsum verò majus Chronicon Casinense præter *Laurentium* Vincentinum monachum, *Jacobum du Breul*, Monachum S. Germani à Pratis, *Mathæum Lauretum* Abbatem S. Salvatoris de Castellis ANGELUS NUCEUS Abbas Casinensis non typis modò vulgavit, sed amplissimis etiam notis illustravit. Quamvis *Nuceus* æquam de *Laureto* gravissimè conquerendi se habere causam existimet. *Mathæus Lauretus*, inquit, *Abbas Sancti Salvatoris de Castellis, qui prodierat è disciplina celebris Monasterii Montis Serrati* (*rogatúne Casinensium, an suâ sponte, obscurum*) *hanc ipsam historiam Neapoli edendam curavit anno MDCXVI.* sed ita, ut omnia se fidelissi„ mè ex archetypis expressisse testare„ tur, illúdque jactaret, vindicatam „ ab sese à probris & repurgatam fuisse „ ad fidem Originalis Venetam editio„ nem. Est hîc sanè lector, quod plùs „ satis mireris. Nemo suam fidem plùs „ venditat, quàm qui fide sublesta est, „ & infima. Quâ fronte scilicet iste ho„ mo fuit, ut de suæ fide editionis „ tam impudenter ementiretur? quàm „ sæpe ab eo, quàm multarum rerum „ ordo perturbatus! Annorum ac tem„ porum quàm depravata ratio, quàm „ temerè infarta, & inculcata multa „ è suo! Quid? quòd Mathæi som„ niis nomen prætexit & authoritatem „ Leonis, ac Petri, eáque his tribuit, „ quæ ipsis dicere nunquam venit in „ mentem. Alicubi securim, spongiam „ alicubi, ubique scilicet temerè ac in„ eptissimè adhibet. Multisn arrationū „ periodis multísque capitibus dimi„ nutam, ac decurtatam & mancam ex„ hibet, & in extremo, integram hi„ storiam proscribit. Verba innume„ ra, quæ minùs intelligit, non pu„ tat irreligiosum esse immutare, multa„ rúmq; proinde rerum & eruditionum „ notitiam lectoribus invidet, subducit „ ac subtrahit. Quid verbis opus est? „ vix unum sine flagitio mendóque ver„ sum deprehendas, ut non tam Leonis „ Historiam, quàm errorum Odysseam „ edidisse videatur, & tamen, quasi Fi„ dei & Veritati thura quotidie adole„ ret,

Angelus de Nuce.

„ ret, nihil magnificentius, quàm il„ larum lucem, ac vibrantes radios lo„ quitur. *Ita planè falsitas non deciperet, nisi sub larvâ fidei & veracitatis delitesceret.* „ Ex quibus *Nucei* verbis intelligimus, *Lauretum* non tam condidisse, quàm corruptam dedisse Historiam Casinensem à *Leone Marsicano* & *Petro Diacono* ad an. 1138. deductam. Ut verò illa ad nostra usque tempora pertingeret, operam dedit ERASMUS GATTOLA, Abbas S. Mathæi Servorum Dei, & Casinensis Archivi Custos; de cujus excellentis Operis meritissimis laudibus uberiùs aliàs dicturus sum. Nolim verò inter Italos Ordinis nostri Chronographos hìc omittere celeberrimum *Benedictum Bacchinium*, qui Historiam monasterii S. Benedicti Padolironensis elaboravit; in quâ ex archivo Asceterii illius totius Italiæ amplissimi monumenta antiqua haud pauca, ad Comitissam imprimis Mathildem comparuerunt.

Erasmus Gattola.

Benedict. Bacchinius.

In Hispania JOSEPHUS PERESIUS, vir doctus, ac linguarum in Universitate Salmanticensi Professor edidit præclaras Dissertationes ecclesiasticas de monasteriis Hispaniæ; quorum fundationes à Regibus factas peculiari libro descripsit *Prudentius de Sandoval*: fatetur autem in primo statim limine suæ Historiæ, se tantùm Monasteriorum Regni Castellæ ducturum rationem, quæ si cum cæteris tota Hispania diffusis componas, perpauca sunt. Idem ferè in *Lusitania Benedictina* præstitit *Leo à S. Thoma* Abbas Tibianensis, & Congregationis Benedictino-Lusitanæ Generalis. Ut verò quædam Hispaniæ * monasteria sigillatim nominemus, Historiam Asceterii Monserratensis *Anselmus de Forcada*; *Annales cœnobii S. Dominici de Silos Gaspar Ruiz*; Chronicon monasterii S. Petri de Cardenna *Hieronymus de Arevalo* condiderunt.

Josephus Peresius.

Leo à S. Thoma.

In Gallia *Vincentius Marsolles* ** Superior Generalis Congregationis S. Mauri de instruenda monasteriorum Gallicanorum Historia sollicitus erat, & ad exprimendas locorum imagines jam multa ectypa curaverat. *Dionysius Sammarthanus* ejus celebratissimæ Congregationis Præfectus Generalis in nova *Gallia Christiana* omnium Abbatiarum O. S. B. in amplissimo eo regno Historiam compendio refert. Quam ut diffusiùs San-Mauriani Sodales exponerent, *Joannes Mabillonius* doctissimam iis methodum conscribendi historias monasteriorum suppeditavit. Ejus verò Achates, *Michael Germanus*, synopsin historiæ monasteriorum Congregationis S. Mauri in Manuscriptis reliquit. Præ cæteris tria Chronica laudantur, *Claudii Stephanotii* Chronicon Cazalense, *Michaelis Felibien* Historia regalis monasterii S. Dionysii in Francia, & *Jacobi Bouillart* Annales Asceterii S. Germani à Pratis. *Victor Cottronus* in concinnandis historiis è Regiis Diplomatibus, è Literis Summorum Pontificum, aliisque chartis antiquioribus non parùm temporis insumpsit & operæ: Historiis, inquam, monasteriorum Senonensium S. Remigii, S. Leonis, aliàs S. Gervasii & Prothasii, B. Mariæ de Chanego, & aliorum, præsertim verò insignis Abbatiæ & perantiquæ S. Germani Autissiodorensis, quas publico bono in lucem se daturum olim recepit *** *Lucas Acherius*. Hujus postremi monasterii Chronicon etiam *Georgius Viole* adornavit, quinque magnæ molis voluminibus conscriptis.

Dionysius Sammarthanus.

Mabillon.

Germain.

Etienot.

Felibien.

Bouillart.

Cottronus.

In Helvetia **** *Annales Einsidlenses* magnam rebus in Germania gestis affundunt lucem. *Augustinus* inclyti hujus Asceterii Abbas & Princeps, ut primùm anno 1600. electus ad ejus clavum sedere cœpit, inter plurimas alias curas, quæ ipsum eodem tempore in continenti invaserunt, non postremam eam habuit, quo pacto monasterii Annales, antecessorùmque suorum successionem, & memoriam, tot casibus, incendiísque penè abolitam, atque extinctam denuò repararet, & adversùs id genus & alias temporum hominúmque injurias quàm lenissimè conservaret. Si enim unquam aliàs magnus profectò tunc temporis Historiæ usus, magnum emolumentum, monasteriis præsertim, & sacri Ordinis collegiis, quorum ortus, & instituta, & successiones, & privilegia nôsse, & dissensiones non modò utile & delectabile, sed propè necessarium videbatur. Quando non defuerunt, qui monasteria, & collegia veluti afflictæ, & exhaustæ nobilitatis hospitia, & perfugia à Regibus, & Principibus condita, Monachorum & Sacerdotum odio, prodere haud reveriti sunt. Homines præposteri. Quasi maximorum Regum ea cura maximè fuerit, quo profligatis & perdi-

Annales Eremi Deiparæ in Helvetia.

Perstringuntur Monacho-Mastyges.

 tis,

* Vid. Nic. Ant. in Bibl. Hisp.
** Mabill. in vit. Opp. posthum. Tom. 2. p. 38.
*** In Spicileg.
**** Vid. Dedicat. & Præfat.

tis, qui ganea, manu, ventre, ludo bona patria laceravissent, receptus esset, aut latebra. Et non potiùs in id animum intenderunt suum, ut quò major eorum in terris facultas & potentia erat, eò plura & insigniora adversùs divinam Majestatem, cujus vicem implerent, & erga eos homines, qui sese divino cultui & famulatui addixissent totos, cæteráque omnia præ rerum immortalium amore, & desiderio posthaberent, vitámque in terris cœlestem agitarent, suæ pietatis & gratitudinis exempla & monumenta essent, & superarent. Idque *non solùm ad præsentis*, ut fermè loquuntur, *sed ad æternæ beatitudinis præmium sibi profuturum crederent*. Sed id genus absurditates, & ludibria confutare, neque nostri consilii; & cum laude alii præstiterunt. Revertatur ad Abbatem *Augustinum* oratio. Is cùm igitur & utilitatem & necessitatem condendæ sui monasterii Historiæ pervideret, id negotii Bibliothecario suo commisit. Erat is *Christophorus Hartmannus*, non unus è multis, sed inter multos propemodùm singularis. Cujus Historiarum peritiam, elegans scribendi genus, diligentiam in colligendis, veluti magno ex naufragio tabulis, digerendisque ac componendis, cùm non probare non posset, Opus ætatem laturum in publicam emisit lucem, quod publico exceptum plausu, hodiedum omnium laudibus ornatur.

Christophorus Hartman.

Eundem lapidem in publicanda monasteriorum suorum Historia volverunt duo alii ejus seculi in Helvetia Abbates, *Augustinus Stöcklinus*, & *Dominicus Tschudius*; quorum prior *Antiquitates monasterii Fabariensis*, alter *Origines Murensis monasterii* in lucem emisit. Etsi fortè *Hartmanni* laudem non æquârint, operæ tamen pretium, multa scitu apprimè digna referendo, omnium judicio fecerunt. Omnia verò illustrissimæ Congregationis Helveto-Benedictinæ monasteria in *ejusdem Idea* Musæ San-Gallenses anno 1702. scitissimè expresserunt.

August. Stöcklinus & Dominicus Tschudius,

E Germanis possem nominare *Melchiorem Weinerum*, monachum Prislingensem, *Franciscum* Majoris Augiæ Brigantinæ Religiosum, *Danielem Molitorem* Ascetam Rotensem, *Clarum Fasmanum* Priorem Varnabacensem, *Joannem Egonium* Augiæ Divitis Priorem, *Joannem Winckensium* Priorem Seligenstadiensem, *Menradum* Heuchlingerum, Priorem Wiblingensem, *Arsenium Sulgerum*, Priorem Zwifaltensem, *Simonem Rettenpacherum*, Cœnobitam Cremisanensem, *Ignatium Groppium*, Herbipoli ad S. Stephanum Professum, aliósque complures, qui vel hoc labente, vel proximè elapso seculo suorum aut etiam aliorum monasteriorum Historiã condiderunt. Sed his brevitatis studio prætermissis, GABRIEL BUCELINUS nominandus venit. Is enim primus fuit, qui diversorum in Germania Abbatiali maximè titulo insignium monasteriorum catalogum magno labore ac industria contexuit. Ejus ferè exemplum secutus fuisse videri potest *Carolus Stengelius*, vir incomparabilis ac planè indefessæ industriæ, nisi priùs in publicum exire jussisset *Monasteriologiam*, in qua illustrium aliquot monasteriorum in Germania origines, fundationes, clarósque Viros ex eis oriundos descripsit. Consilii atque instituti sui rationem in procemio ad Lectorem hisce paucis exposuit: „Collegeram ante non paucos „annos ordine alphabetico, aliquot „centena supra mille Ordinis nostri „monasteria, sed dum editionem differo, eámque augere, & origines „ac progressus eorundem penitiùs indagare laboro, ecce prodeunt in „lucem *Origines Benedictinæ* à R. D. „*Autberto Miræo* editæ. Nostram „itaque collectionem supprimere, & „tenebris sempiternis obruere constitui: non defuerunt tamen viri „quidam reverendi, non tam doctrina, quàm dignitatibus Ecclesiastícis præfulgidi, qui ut etiam fœtum „illum meum publici juris facerem, „urgere non destiterunt. Cùm ergò „viderem, virum alioquì doctissimum, *Bruschio*, qui res monasticas „non bonâ fide tractavit, nimis fideliter inhæsisse, bonis consiliis cedendum, rursum manum operi admovendam esse sum ratus. Et quoniam „priora consilia novis ac melioribus „mutare consiliis, & promissa factis „vincere in his, quæ publicis rationibus expediunt, mihi semper visum ex intima laude liberalitatis, „idcircò accuratiùs in Historias inquirere animum induxi; ita tamen, „ut non absonum fidei ducam, quin „à nobis item, ut fert humana conditio, sive dormitantibus interdùm, „& peccata, quæ μνημονικὰ ἁμαρτήματα „vocantur, peccantibus, sive hallucinantibus, quædam literis sint prodita, quæ doctiorum, siqui fortè „labores nostros non contempserint, „ungue notari possint, cùm nemo fa-„cilè

Monasteriologi recentiores.

Gabriel Bucelinus,

Carolus Stengelius.

Errores excusat an ipse accusat?

„ cilè queat omne offensionis aut pro„ lapsionis, aut errationis periculum „ evitare. Persapienter enim Quin„ tilianus monet: *Legentes non sibi „ persuadeant, omnia quæ magni aucto„ res dixerunt, esse perfecta.* Nam & „ labuntur aliquando, & oneri ce„ dunt. Hoc minutis auctoribus quan„ to debet esse solatio? *Omnium me„ moriam habere, & in nullo penitus „ peccare, divinitatis est potiùs, quàm „ humanitatis*, inquit Imperator Ju„ stinianus. Non erubescimus igitur „ nos hominum similes confiteri; id „ est, lapsos alicubi, & labi posse; & „ meminimus unum esse Deum μόνον „ σοφὸν, qui decipi non potest.

Addidit icones monasteriorum.

„ Addidi tabellas æri incisas, mo„ nasteriorum ideas utcunque referen„ tes, æternæ memoriæ gratiâ. Nam „ veterum quosdam imaginibus *tacen„ tium Historiarum* nomen tribuisse „ audio. Horatius æri primum ferè „ in perennando locum assignat (figui„ dem exegisse se canit monumentum „ *ære perennius*) ita æri incisæ, & in„ de nostrates in chartas expressæ „ quæcunque tandem effigies, non „ procul ab æternitate concilianda ab„ esse dicantur: Hæc Abbas *Stengelius* non facundè minùs, quàm modestè ac prudenter.

Ad hæc idem Præsul brevem etiam Mellicensis monasterii Historiam composuit cum Syllabo Abbatum, quâ postea diffusiorem & magis accuratam *Anselmus Schramb* ejusdem monasterii alumnus Vindobonensis typis edidit in folio, seculi hujus anno secundo. Ejus inclyti Asceterii duo Cl. Bibliothecæ Præfecti Fratres *Pezii*, *Bernardus* & *Hieronymus* non pauca monasteriorum antiqua Chronica è situ & pulvere in publicam lucem protraxerunt; ille in *Anecdotorum Thesauro Novissimo*, hic in celebri Opere *de Scriptoribus Austriacis*. Institerunt nempe vestigiis V. C. *Lucæ Acherii* è Congregatione S. Mauri, qui multa vetera monasteriorum Chronica cum blattis & tineis in Bibliothecis decertantia ab interitu vindicavit, éque tenebris tandem eruta publicam in lucem suo in Spicilegio emisit Tomis XIII. in 4.

Anselmus Schramb Mellicensis Chronographus.

Infra Mellicium situm est *Gottwicum*, celeberrimum monasterium, in cujus texendis Annalibus jam pluribus ante annis occupari cœpit Reverendissimus ejus loci Abbas GODEFRIDUS BESELIUS. Quòd si Tomo Prodromo jam anno 1732. juris publici facto respondebunt, uti nemo in dubium vocat, in Opus evadent eruditum, elegans, & nitidum. Nec hìc omittendum aliud in hoc etiam genere præstans monumentum, quod R.mus COELESTINUS principalis monasterii S. Emmerami Ratisbonæ anno 1680. juris primùm fecit publici sub titulo: *Ratisbona Monastica* seu *Mausolæum S. Emmerami*... modernus verò Celsissimus Princeps JOANNES BAPTISTA ad hæc usque tempora deductum, notis & auctariis, ac etiam insigni *probationum libro* stipatum, quartâ vice prælo dedit, *Ratisbonæ* A. 1752. in 4. Suâ quoque mactandus laude est R.mus BERNARDUS Lunelacensis seu Monseensis Antistes meritissimus, qui tacito nomine nuper vulgavit insigne sui monasterii Chronicon veteribus chartis & diplomatibus benè multis suffarcinatum. Sed cumprimis memorabile est *Chronicon Benedicto-Buranum*, operâ & studiò Cl. V. P. CAROLI MEICHELBECK pridem adornatum & in duas partes distinctum, quarum *primâ* recensentur monasterii incunabula, vicissitudines, decrementa, & incrementa, nec non Abbatum & aliorum virorum celebrium Acta, ac quamplurimæ etiam veritates hactenùs reconditæ deteguntur, obscuritates tolluntur, &c. ex instrumentis, codicibus, membranísque vetustissimis, à seculo Christi VIII. usque ad hæc tempora... *Altera* exhibet instrumenta ipsa, seu *Codicem probationum*. Quod Opus posthumum, præmissâ Authoris Vitâ, in lucem prodiit accurante R. P. *Alphonso Heydenfeld* ejusdem celeberr. monasterii alumno, *Monachii & Aug. Vindelicor.* an. 1751. & 1752. in fol.

Chronicon Gottwicense.

S. Emmerami, Lunelacense, Benedicto-Buranum.

In hoc etiam fundo non impigrè desudavit Collega noster *P. Oliverius Legipont*, qui Annales sui monasterii hactenùs neglectos magno labore, nec minori industriâ concinnavit hoc rubro: *Chronicon Abbatiæ S. Martini Maj. Coloniæ, vulgò in Insula Scotorum O. S. B. Congr. Bursfeld. in duas partes distinctum, quarum prima cœnobii originem, Abbatum seriem, rerúmque patriarum, ac totius propè Historiæ sacræ juxta ac profanæ epitomen ab anno DCC. ad nostra usque tempora deductam exhibet*; Altera *chartas, diplomata, Bullas, & reliqua antiquitatis monumenta, ad quorum amussim exasciata est historia, repræsentat*... Hujus Operis apographum cùm subindè Cl. P. *Bernardo Pezio* submisisset *Oliverius* inter *Sinzendorfiana*,

S. Martini Coloniæ.

dorfiana, quæ tum ille pollicebatur, edendum; horum verò editio, obice nescio quo, sufflaminata non prodiret, rem suam deinde repetiit noster, tandémque recepit anno 1734. cum hac doctissimi *Pezii* censura: *Opus egregium condidisti prelóque dignissimum, cui id ipse jam subdidissem, nisi tumultus bellici sub finem proximi anni erumpentes, sereniora tempora exspectare me jussissent...*

Alia ejusdē comatis opera. Laboriosâ vastâque istâ lucubratione ad umbilicum perductâ OLIVERIUS Fastos ejusdem monasterii heroïco carmine complexus est hoc titulo: *Fastorum Abbatiæ S. Martini Maj. Coloniæ O. S. B. Exegesis historica per succinctam rerum enarrationem & Cœnobiarcharum seriem heroïco epicheremate deducta...* Cujus itidem opusculi exemplum cùm antefato *Pezio* inter alia tacito nomine edendum transmisisset, rescripsit ille literis ad *Oliverium* 4. Junii 1730. datis in hæc verba: *Epidigma Fastorum S. Martini edam, si ejus Auctorem indicaveris. Id pereleganti ac fluido versu conscriptum est; recentioris tamen vel ideò ætatis esse apparet.* Verùm *Bernardo* fatis A. 1735. erepto, utrumque Opus luce publicâ dignissimum hactenùs mansit ineditum. Protulit prætereà OLIVERIUS *Historiam monasterii Disibodibergensis in Palatinatu Rheni, à se revendicati, unà cum facti, jurisque deductione pro ejus recuperatione...* Coloniæ 1736. in fol. Item *Monasticon Moguntiacum*, sive *succinctam veterum monasteriorum in Archiepiscopatu Moguntino, vicinísque locis partim extantium, partim suppressorum, vel in usus promiscuos conversorum notitiam...* Pragæ typis Joannis Julii Gerzabeck 1746. in 8. Quo de opusculo *Fama Europæa* parte CXLVII. A. 1747. plura curioso Lectori propinabit. Ipsus insuper multo labore condidit *Lexicon Monastico-Teutonicum ordine alphabetico vetera Germaniæ Monasteria exhibens.* Quod Opus, ut brevì lucem adspiciat, optant boni omnes. Adornavit etiam *Historiam Congregationis Bursfeldensis*, & alia hujus commatis plura luce dignissima. Prelum quoque exspectant

Origines San-Blasianæ. *Origines San-Blasianæ*, i. e. celeberrimi & antiquissimi monasterii S. Blasii in sylva Hercynia Annales, quibus condendis primam manum admovit *Stanislaus Wiberts*, ultimam addidurus *Marquardus Hergottus*, ambo ejusdem Abbatiæ alumni eruditione præcipui. Minimè etiam hîc prætereundum Opus diu desideratum, quod sub titulo: *Monasticon Scoticum* adornavit Cl. V. P. *Marianus Brockie* Prior S. Jacobi Ratisbonæ de literis optimè meritus. Cujus amplissimi Operis editionem suis sumptibus procurandam in se recepit *D. Martinus Veith* Bibliopola Augustanus. Reliquos huc spectantes Monasteriologos largiori manu dabimus parte IV. hujus Historiæ. Monasticon Scoticum.

Veterum Instrumentorū Collectores. Atque his hactenùs enumeratis Chronicorum & Annalium monumentis deinde accessêre veterum cujusque monasterii *Instrumentorum Collectiones*, quæ vulgò *Chartularia*, aut *Veteres notitiæ*, vel *Traditionum Codices* & *Regesta* appellantur. Viam his cumprimis aperuit FOLQUINUS seculi noni monachus Sithiensis, seu Bertinianus, quem alii subinde magno agmine secuti sunt. In his alii solas monasterii chartas retulerunt, & ex eis unum corpus confecerunt: alii Abbatum suorum seriem, & facta præcipua inseruerunt, ut *Folquinus* mox laudatus, & *Joannes Casauriensis* monachus, qui egregium chartaceum volumen, in Bibliotheca regia nunc asservatum, ex monasterii sui instrumentis & gestis Abbatum composuit.

& Historiarum Scriptores. Non defuêre tamen primis etiam illis seculis è nostris Historiarum Scriptores: sed, sive quod difficile esset per ea tempora literarum comercium, sive quod disjuncta essent à sese invicem monasteria, nulla ferè societate confœderata, illustrandæ potiùs patriæ suæ aut domesticæ Historiæ, quàm monasticæ in scripta redigendæ operam contulerunt. In ea classe exstitère apud Italos *Paulus Warnefridi*, diaconus & monachus Casinensis, & *Erkempertus*; apud Gallos *Aimoinus*, *Rodulphus Glaber*, *Hugo* Flaviniacensis, *Ordericus Vitalis*, multíque alii; ex Anglis Venerabilis *Beda*, *Ingulfus*, *Wilelmus Malmesburiensis*, *Matthæus* uterque *Westmonasteriensis* & *Parisius*, alíque magno numero Historici, nec pauciores apud Germanos, in quibus *Lambertus* Schafnaburgensis præcipuus est: qui omnes patriis suis Historiis, siquæ in monasteriis nostris commemoratu digna ipsis occurrerant, inserere non omiserunt. His adjungendi *Regino* Prumiensis Abbas, *Hermannus Contractus*, *Marianus Scotus*, *Sigebertus*, qui generales Historiæ indices potiùs scribentes, quàm Annales, de rebus quoque monasticis quasdam retulerunt particulas, eorúmque exemplo cæteri, qui Annales ad paschales cyclos concinnârunt.

Primus

Quinam de Viris Illustribus Ord. S. B. scripserint.

Primus è nostris, quod quidem sciam, librum *de Viris illustribus Ordinis nostri* scribere aggressus est sub finem seculi quartidecimi *Raymundus de Rialaco* monachus Conchensis apud Ruthenos, eúmque Petro cognomento d'Abazac, ex monacho Archiepiscopo Narbonensi inscripsit: quem librum in quatuor distribuit partes, in quorum prima agit de sanctis Summis Pontificibus Ordinis monastici; in secunda de sanctis Martyribus; in tertia de sanctis Episcopis; in quarta denique de Abbatibus, & Monachis, ut legitur in codice Lirinensi, in quo hic liber habetur. *Petrus Wagner* ex monacho Sanct-Udalricano Abbas Wessofontanus seculo quintodecimo ad finem vergente *Collecturam* instituit *Illustrium Virorum* Ordinis nostri, eámque *Joanni de Giltingen* Abbati S. Udalrici an. 1481. inscripsit. Paucis post annis *Andreas* monasterii S. Michaelis propè Bambergam Abbas circa annum 1489. Opus ingens composuisse dicitur *de Gestis Pontificum, Archiepiscoporum, Antistitum, Abbatum & Abbatissarum, quotquot ex Ordine Divi Benedicti in Sanctorum numerum relati sunt*. Quod extare MS. in S. Michaëlis Bibliotheca perhibet V. Cl. P. *Oliverius Legipont*, qui illud suismet oculis usurpavit, nobísque laudavit.

Qui domesticos illustres Viros recensuerint.

Ante hosce Scriptores alii extiterunt, qui non totius quidem sacri Ordinis, sed certi cujusdam monasterii Viros illustres scriptis celebrârunt. *Ermenricus* monachus Augiensis circa an. 850. clarus libellum Grimaldo Archicapellano Cæsareo nuncupavit, in quo de Viris illustribus monasterii San-Gallensis agit. *Reinerus* sancti Laurentii Leodiensis monachus sub annum 1120. librum edidit de Viris illustribus cœnobii sui, & Episcopatus Leodiensis. *Petrus Diaconus Casinensis* eodem ævo libros duos, unum de *Viris Illustribus*, alterum de *Sanctis ac Justis Casinensibus* composuit.

Bibliographi celebriores.

Præter laudatos *Guillelmus Gillingbamus* Cantuariensis in Anglia monachus eruditione & meritis circa A. 1387. conspicuus, inter alia *Bibliothecam Benedictinam* magno labore condidit, in qua, teste *Lelando* cap. 182, *omnium O. S. B. Scriptorum nomina, librorúmque titulos sedulò consignavit*, illis ipsis pro insigni studio jure quodam suo adscribendus. Neutrum viderat JOHANNES TRITHEMIUS Abbas Spanheimensis, qui primus hoc de argumento scripsisse hactenùs creditus est. Is cùm videret alios pænè omnes in uno codice habere Ordinis sui historias, quibus juniorum animos ad præcedentium Patrum exempla imitanda provocentur; habere etiam illustrium virorum catalogos, Sanctorúmque actus conscriptos suorum, indignè tulit in solo Ordine nostro, qui pro antiquitate, dignitate, & auctoritate, cæteris præstat, nihil aut parùm his de rebus conscriptum esse. Quapropter commentarium de Viris Illustribus nostri Ordinis scribere in animum induxit, majori quidem studio, quàm censurâ, tametsi diligentiâ non vulgari; quippe conquisitis undequaque veterum Codicum subsidiis, quos ad sex millia in suam Bibliothecam Spanheimensem comportavit; & *Paulo Langio* monacho ad alias Germaniæ Bibliothecas perscrutandas misso, rem pro tempore & vitæ suæ brevitate gnaviter exsecutus est. Symbolas quoque suo è penu Trithemio non spernendas suppeditavit *Joannes Boutzbachius* Prior Lacensis, in agro Treverico, qui insigne Auctarium Trithemiano Operi de Viris illustribus adjecit. Ipse verò Trithemius huic suo Commentario superaddidit *Chronicon Hirsaugiense*, secundis curis ab ipso recognitum & auctum, quale anno 1690. Sancti-Gallensibus typis vulgatum est: quo in Chronico generalis quædam Germanicorum monasteriorum Historia continetur.

Trithemius de viris illustribus Ord. S. B.

Cluniacensis Bibliotheca.

Illustre etiam Opus aggressus est *Martinus Marrier*, Prior S. Martini de Campis, vir non modò doctus, sed omnium testimonio sancti exempli, & probatissimæ morum integritatis; qui ut suis Cluniacensibus animos ad terenda Majorum vestigia adderet, eorum vitas, gesta, & scripta in unum volumen, cui nomen *Bibliothecæ Cluniacensis* indidit, congesta ipsis nuncupavit. „Quod nimirùm, *inquit in Dedicatione*,„ut assequar, vobis, non quod„vis Monasticæ vitæ genus, sed quod „sanctissimi Patris BENEDICTI Regu„lam, ac disciplinam sequitur, com„plexis: vobis, inquam, non obscuro, „humili, aut ignoto loco, sed in Clu„niaco, ob priscæ Religionis obser„vantiam, toto orbe celeberrimo, stri„ctioris vitæ normam professis, non „è Pythagoræ collegio, non Socratis „Scholâ, non Platonis Academia, non „Aristotelis Lyceo, non denique Ze„nonis Porticu, desumpta dogmata, „sed sanctissimorum Archimandrita-

„ rum nostrorum vitas, miracula, ge„ sta, opera, quæcunque ad nos pet „ membranas, codicésque MS. magnâ „ pro parte prælo minimè pressos, per„ venere: dicare, nuncupare, ac de„ vovere, nostri esse muneris existima„ vimus. *Nam si naturâ trahimur ad „ simulacra & effigies magnorum viro„ rum noscendas, & illa corpora sive „ hospitia, quibus cœlestis se animus in„ clusit, quanto magis Patrum piissimo„ rúmque Abbatum nostrorum vitas, „ tot virtutibus & miraculis illustres at„ que prædicandas, non nescire, & ad „ unguem callere debemus?* - - Quantos „ verò eos fuisse arbitramur, qui Clu„ niacensis monasterii & Ordinis no„ stri prima jecère fundamenta? ODO„ NEM intelligo, *Majolum*, *Odilonem*, „ *Hugonem*, *Petrum Venerabilem*, & „ cæteros, quos vitæ meritum pietás„ que divorum numero sociavit, & sin„ gularis eruditio inter Ecclesiæ Ca„ tholicæ Doctores & Scriptores, non „ ultimos consedere fecit. Jactent „ enim alii Instituti sui primævos „ Authores, & numerosis scriptis „ atque voluminibus eorum memo„ riam, quanquam laudandam, no„ bis identidem inculcent, & obtru„ dant; nullâ profectò ratione, seu „ natalium claritudine, seu vitæ mo„ rúmque sanctitudine, seu doctrinæ „ multiplicis exuberantissima profun„ ditate nostris crediderim æquipa„ randos. Unde soleo sæpe mihi ante „ oculos ponere, ingeniique quo pos„ sum acumine contemplari tot in dies „ emergentia, & veluti crebris ebul„ litionibus scaturientia Ordinum di„ versorum genera, & huic nostro Clu„ niacensi sub primis illis Abbatibus „ opponere & committere. Deum im„ mortalem! quantis parasangis, quan„ tísque spatiis isthæc antecedit! Nam „ sicut *Basilium* Oriens, ita Occidens „ noster piissimum Patrem BENEDI„ CTUM, tanquam Religionis aucto„ rem ac parentem veneratur, à quo „ veluti viva radice, variæ deinde pro„ pagines variarum familiarum, quæ „ idem Benedicti Institutum complexæ, „ nonnulla tantùm reformando, vel „ addendo, aut leviter immutando, „ ab ipso discrepârunt. Harum verò „ prima & antiquissima fuit Cluniacen„ sis, quæ ab *Odone* nostro & exordi„ um sumpsit & nomen. Hic enim „ doctrina atque sanctitate præstans, „ BENEDICTI disciplinam, quæ jam „ (*quod natura fert in omnibus ferè re„ bus*) senuisse videbatur, magnáque „ ex parte laxata esse, ad pristinam „ formam revocare aggressus est, quod „ etiam perfecit. Cujus exemplum „ sequuti complures alii Abbates in to„ tâ fermè Italia, Hispania, Germa„ nia, Anglia, in suos ipsi quoque „ greges reformandos incubuère, id„ que eodem successu, qui deinde uno „ spiritu ac vinculo colligati, adhibi„ ta etiam Romanorum Pontificum au„ ctoritate, quotannis convenire con„ sueverant ad ea tractanda, & de„ cernenda, quæ ad tuendam discipli„ nam pertinebant. Magna omnino „ ea immutatio fuisse dicitur, in qua „ planè ad duo millia Cœnobiorum re„ stituta & sanata scribuntur. - - - „ Quantis deinde *Majolus*, quantis „ *Odilo*, quantis cæteri sanctiss. Patres „ nostri Cluniacensis monasterii incla„ ruerint miraculis, testantur abundè „ archiva & codices, quos nobis desu„ isse, quibus hìc caruisse, plurimùm „ indolemus. *Unde si qua vos pietas si quæ devotio pungit, excitat, & permovet, si quis Ordinis nostri decor, si quæ dignitas & reverentia vestris mentibus inhæret & infixa est, ô Cluniacenses nostri! rogamus, precamur, obtestamur, horum saltem vel copiam editioni (si Numini placuerit) futuræ contradendam, impertiri dignemini, neque tot ac tantorum virorum præclara facinora diutiùs tecta & veluti consepulta manere patiamini.* „

Cluniacensium primipili.

S. Benedictus occidentalium Monachorũ Patriarcha.

Votum Martini Martier.

Hæc & plura *Martinus Marrier*, S. Martini de Campis Parisiensibus Prior longè Religiosissimus, piissimus, juxtà ac doctissimus, cujus vota atque æquissima desideria post elapsum integrum seculum, & quod excurrit, non ita multis abhinc annis Anonymus nonnemo (*è cœtu Cluniacensium suspicari fas est*) se impleturum adpromisit, emisso in lucem *Prospectu novæ editionis Bibliothecæ Cluniacensis*, quem, quòd magno cum judicio, ingenio, ac doctrina elaboratus sit, hìc subjicere non gravabor.

Novus Bibliothecæ Cluniacensis conspectus.

„ Quoniam Bibliotheca Cluniacen„ sis, quæ opera & studio D. *Martini* „ *Marrier*, Prioris Claustralis S. Mar„ tini à Campis, in lucem prodiit cir„ ca annum 1614. à pluribus viris „ doctrina & eruditione conspicuis „ plurimùm laudata, multoties ab ipsis „ auctior ac locupletior hucusque de„ siderata; quia insuper difficile ad„ modùm hujus Operis exemplaria re„ periuntur; ipsam Bibliothecam Clu„ niacensem rursum publici juris face„ re in animo est, ac illi varia Clunia-

„ cen-

„ censia, vel hactenus non edita, vel „ in aliis Operibus dispersa adjungere. „ Quae omnia in diversos Tomos distri- „ buta, secundùm rerum & tempo- „ rum ordinem, quantùm fieri pote- „ rit, facilitatem non minimam affe- „ rent.

Summaria voluminis primi. In primo igitur Volumine ea comprehendi posse visa sunt, scilicet *Testamentum Willelmi*, cognomento Pii, Arvernorum Comitis & Ducis Aquitaniae, Cluniacensis Coenobii Fundatoris anno 910. qui monasterio Cluniacensi *Bernonem* Abbatem praefecit, ut juxtà S. Benedicti regulam in perpetuum administraretur. Huic Testamento multa de fundatione Cluniacensis Abbatiae testimonia adjicientur. Deinde Testamentum dicti *D. Bernonis* Abbatis, ac ea, quae ipsius vitam spectant. Regula S. Benedicti sequetur (*ipsa quippe vivendi norma est*, *in Cluniacensi monasterio praescripta*) Postea Consuetudines Cluniacenses à *S. Udalrico* nobis servatae, quae, ut ipse testatur, ibi ab exordio viguerunt; editae habentur in IV. Volumine Spicilegii D. Lucae d' Achery Monachi è Congreg. *S.* Mauri, ipsis autem adjungetur *Bernardi*, Monachi Cluniacensis, Opus quasi simile, quod nusquam * editum fuit, licèt studiosè asservatum.

II. Cluniacum caput Ordinis effectum. In II. Volumine Cluniacum, non jam peculiare monasterium, sed primi Ordinis in Ecclesia Caput effectum conspicietur sub S. *Odone* Abbate Cluniacensis monasterii secundo, sed Ordinis Cluniacensis primo, cujus vita refertur, sicut & vitae SS. *Aimardi*, *Majoli*, *Odilonis*, & *Hugonis*, ejus successorum in Ordinis Cluniacensis regimine, quo durante per ducentos propè annos innumera ferè monasteria Cluniaco adjuncta sunt, unde toties Cluniacum, tanquam Galliae decus, ab ipsis Regibus, & tanquam lumen Ecclesiae à summis Pontificibus celebratur.

III. Acta sub Pontio &c. In III. Volumine referentur ea, quae acta sunt sub *Pontio* Abbate Clun. Sancti Hugonis successore, cui etiam alter Hugo successit per tres tantùm menses. His adjungetur vita *Petri Mauritii*, dicti *Venerabilis*, qui Cluniacensi Ordini per 36. annos praefuit, ejúsque Opera omnia, mira eruditione conspicua, sicut & quorundam ejus discipulorum &c.

IV. Rerum Series ab an. 1158. In IV. Volumine reperientur, quae ab anno 1158. usque ad annum 1300. sub sexdecim diversis Abbatibus Acta sunt, insuper Privilegia quàm plurima, Fundationes monasteriorum Ordinis, Chartae, Diplomata, Donationes, & varia, quae Ordinem in genere, vel Ordinis monasteria spectant in particulari.

V. Statuta. In V. Volumine *Statuta Ordinis Cluniacensis* adducentur, quae nobis scripta remanserunt (*multa enim sunt, quae vel non scripta sunt, vel ad nos usque non pervenerunt*) hisque omissis, quae in I. Volumine tum ex S. *Udalrico*, tum ex *Bernardo* rationem Statutorum habent, sicut & ea, quae sparsim in vitis SS. Abbatum referuntur: LXXVI. Statuta *Petri Mauritii*, dicti *Venerabilis*, ab ipso redacta, ac ea, quae ab Hugone V. circa annum 1200. collecta, postea à Bertrando circa annum 1300. deinde ab Henrico I. ejus successore, & aliis sub nomine *Statutorum & Ordinationum* prodierunt, praeliminabuntur. Tum Bullae *Gregorii IX.* an. 1233. *Nicolai IV.* an. 1289. & *Bonifacii VIII.* an. 1294. in quibus forma Capitulorum Generalium Ordinis praescribitur, ipsis praeficientur Capitulis Generalibus, quae nobis residua sunt, numero circiter trecenta, videlicet ab anno 1260. usque ad annum 1600. quo sub *Claudio à Guisia* Abbate Cluniacensi celebre Capitulum Generale habitum est, regiis literis confirmatum: quibus sanè temporibus nimiùm tepuerat observantia regularis, licèt ab anno 1500. ad Reformationem, tum in monasterio Cluniacensi, tum in monasterio S. Martini à Campis, adjuvante *D. Jacobo de Ambasia*, anhelare visa sit, cujus Reformationis varii conatus usque ad annum 1620. satis utiles fuerunt.

VI. Acta Reformationis. In VI. Volumine Acta Reformationis totius Ordinis sub *Ludovico à Lotharingia*, Cardinali de Guisia, incoeptae referuntur, quae quidem à *Jacobo de Veyni de Arbusio* tunc Priore majori procurata, ab ipso in Abbatem electo, multùm stabilita, tandem sub Eminentissimo Cardinali *Richelio*, ejus successore, ad suae perfectionis exitum perducta est. Tum sub *Armando de Borbonio* Principe *de Conty*, ac Julio *Mazarini* Cardinali, & *Raynaldo* Estensi, etiam Cardinali, Abbatibus sibi per ordinem succedentibus, diversos lucis ac caliginis dies habuit, modò Congregationi SS. Vitoni, & Hydulphi unita, mox disjuncta; modò Congregationi S. Mauri incorporata, brevì ab ipsa segregata, conjunctim ac divisim, intus & foris multùm agita-

* Typis vulgatum jam habeatur in *Petri Disciplina Monastica.* Num. IX. p. 133.

ta nihilominus stetit, ac multoties propè jam evertenda, auctoritate Regis roborata firmior invaluit. Quorum omnium Acta referentur in hoc Volumine.

VII. Acta ab an. 1672. In VII. Volumine ea producentur, quæ acta sunt Sede Abbatiali vacante post obitum Cardinalis Estensis ab anno 1672. usque ad annum 1682. quo postulatus est in Abbatem Cardinalis *Bullionius*; per cujus vacationis tempus autoritate Regia Capitulum Generale anno 1676. celebratum est, pro duarum observantiarum in unum corpus & regimen coadunatione, quod quidem opus sic inceptum, per aliud Capitulum Generale anno 1678. eàdem autoritate Regia absolutum est. Quæ Capitula Generalia Literis patentibus in magno Regis Consilio registratis confirmata; alterum Generale Capitulum anno 1685. celebratum, similiter confirmatum, subsecutum est, ac ne Autoritas Pontificia in opere tam desideràto deficere videretur, Capitulum Generale aliud anno 1693. celebratum fuit, similitérque confirmatum, præcedentium dispositiones præcipuas resumens, quod per Bullam Summi Pontificis illud Capitulum Generale ex inregro transcribentem, approbatum, sub novis Patentibus Litteris iterum fuit in magno Regis Consilio registratum. Talia sunt solida & firma Ordinis Cluniacensis in præsenti statû fundamenta.

VIII. Capitula. In VIII. Volumine Capitula Generalia annis 1697. 1701. & 1704. celebrata proferentur, quibus magnæ litis circa exercitium jurisdictionis in Ordine Acta adjungentur, tum in magno Regis Consilio, ubi solenni Arresto causa finita est, tum in Consilio Regio coram Commissariis ad hoc deputatis, ubi novo per multas Sessiones examine causa ex integro resumpta & discussa, tandem ore Regio ipsum sui Magni Consilii Arrestum confirmante videbatur terminata; rursum in celebratione Capituli Generalis anni 1708. novis difficultatibus & ambagibus implicatur; tunc visa sunt innumera propè ex utraque parte Commentaria coram Senatûs Parlamenti Magistratibus, quibus causæ evocatæ attributio peculiaris commissa est; quæ quidem causa, provisione sapienter primùm & seorsim dijudicata, omninò sopita remansit. Unde pacificè admodùm Capitula generalia annis 1711. & 1714. celebrata sunt, quorum omnium Acta sive ex integro, sive per extracta proferentur.

In IX. Volumine Jura *Voltæ* Cluniacensis seu Consilii Ordinis pro exercitio Jurisdictionis in toto Ordine, dum Sedes Abbatialis vacat, aut Abbas extra Regnum absens est, Arrestis solennibus confirmata explicabuntur, ac multa, quæ super his acta sunt, tum in oppugnandis, tum in defendendis his juribus, sicut & transactiones in supremis Curiis confirmatæ, ac ea, quæ ipsius jurisdictionis exercitium, provisionémque & præsentationem Beneficiorum Ordinis, omnimodámque administrationem spectant. IX. Voltæ.

In X. Volumine Bullarum summorum Pontificum ordinabitur collectio, & eorum omnium, quæ à Romana Sede vel Authoritate Pontificia prodierunt. X. Bullariû.

In XI. Volumine fiet collectio Arrestorum tum à supremis Curiis, tum à Regio Consilio in pluribus causis & quæstionibus, diversis temporibus digestorum. XI. Arresta.

In XII. Volumine Chronicum Cluniacense ac series Abbatum, Priorum Majorum, ac Priorum in titulum, & in commendam, nomina etiam Religiosorum Professorum cum die professionis & obitus, brevibúsque Virorum illustrium annotationibus adducentur. Deinde catalogus Abbatiarum, Prioratûum, Decanatûum, Parochiarum, Capellaniarum, cæterorúmque Beneficiorum, tam immediatè quàm mediatè monasterio Cluniacensi subditorum; cui adjungetur etiam Rotulus, sive Tabula Ecclesiarum, quæ societatem precum & orationum cum monasterio Cluniacensi habere concupierunt. XII. Series. Abbatum &c.

Atque hîc finit præclarus sanè *Prospectus novæ editionis Bibliothecæ Cluniacensis*, cujus Authorem compertum nondum habemus. Equidem jam anno 1718. Kal. Jan. in *Novis Literariis Lipsiensibus* R.mus Abbas *Augustinus Calmet* in restituenda, amplificandáque hac *Bibliotheca Cluniacensi*, opere perquàm raro, occupatus ferebatur, cujus consilii rationes, edito Operis conspectu, exposuerit. Cùm ego autem anno 1736. ea causa ad Ampliss. Præsulem literas dedissem, is mihi his ipsis verbis inter alia respondit: *Bibliothecam Cluniacensem anno 1614. editam habemus; nullam præterea editionem sub hoc titulo novimus, nullam factam, asserere possumus.* Eat jam aliquis, & indubi- Quis hujus Auctor operis.

dubitatam id genus Novellis literariis fidem adhibeat, quas certè ab aliis Novis, quæ falsis sæpenumero scatent rumoribus, nullatenus differre sæpè sæpiùs animadverti. Illud certum, quòd Author ex Cluniacensiû numero vir sit apprimè doctus; nemo enim tam eximii Operis Conspectum delineare potis est, nisi qui singulari præditus sit doctrinâ, ac maximam deinde rerum Cluniacensium notitiam ex scriniis, tabulariis, atque Archivis ejusdem Congregationis vel Ordinis Monasteriorum habeat comparatam. Etsi verò res hactenus intra promissa steterit, de elaboratione tamen vel impressione Operis aliquando futura non desperandum. Tantæ enim molis Opera non festinantur, possúntque causæ intervenire, quæ prælum aliquamdiu morentur.

Martyrologia monastica. Quòd si jam sermo faciendus sit *de Martyrologiorum Monasticorum Scriptoribus*, primas inter eos tenet GUILLELMUS Abbas S. Pauli in Urbe, patriâ Cadurcensis, qui anno MCCCLXXII. Kalendarium Omnium Sanctorum Monachorum necdum editum composuit. Illud autem ex diversis codicibus se collegisse dicit, maximè ex quodam volumine satis grandi, quod inscriptum erat, *Collectarium sanctorum Monachorum*, in quo sanctorum Monachorum vitæ continebantur. Præ eo longè notior est

Arnoldus Wion. ARNOLDUS WION, Belga, Duaci natus, * in Comitatû Flandriæ. Juvenis adhuc nomen dedit Divo Benedicto Audemburgi, quod est Oppidum propè Brugas; At Hæreticorum violentia inde extrusus in Italiam venit, & inter Benedictinos admissus, in Cœnobio S. Benedicti propè Mantuam professionem sub Congregatione Casinensi emisit, & quidem felicissimo eventû, nam eandem S. Congregationem, imò universum Monasticum Ordinem doctrinâ ac virtute pro viribus illustravit, edito inter alios præclaros libros *Martyrologio Monastico*, cui titulus: LIGNUM VITÆ, quo opere promeruit, ut inter Martyrologos Monasticos Antesignanus à multis hodie vocetur. Sequaces *Wionius* postmodùm è Gallis

Hugo Menardus, Stengelius, Bucellinus, Randeck. habuit HUGONEM MENARDUM, è Germanis *Carolum Stengelium*, *Gabrielem Bucelinum*, & *Ægidium Ranbeck*, qui Kalendarium itidem Benedictinum quatuor tomis cum æneis figuris anno 1675. vulgavit. ** Paulò minùs prolixum est Martyrologium *Eduardi Maihew* Angli, qui Trophæa Benedictino-Anglicana tribus voluminibus composuit: quibus quartum de Scriptoribus adjecit. Eduardus Maihew.

Multum quoque ad Historiam nostram contulit ejusdem nationis *Clemens Reinerus* edito insigni libro, qui *Apostolatus Benedictinorum in Anglia* nuncupatur. Clemens Reinerus. Quo in Operè *** conscribendo cùm Duaci in Collegio & Conventu S. Gregorii degens occuparetur, litteras ad *Robertum Cottonum*, Equitem Auratum in Anglia tum eruditum tum humanum dedit, quibus obsequii plenissimis impetravit, ut Leander de S. Martino, Anglus natione, hac de causâ in Angliam missus, antiquitatis monimenta, quorum nusquam aut major copia, aut major delectus exstabat, in Bibliotheca Cottoniana lustraret. Petitioni æquæ facilis annuebat Vir nobilissimus, qui thesaurum illum in publicos omnium usus collegerat, & Monachum istum placidissimis moribus, quibus se in gratiam illius insinuavit, & eruditione haud vulgari præditum, benevolo affectu complectebatur. Cùm verò quidâ gloriæ Benedictinæ æmuli **** hanc Antiquitatis & Apostolatûs prærogativam in dubium vocarent, Reinerius *Cottonum*, *Camdenum*, *Spelmannum*, & *Seldenum*, homines nobiles in republica Angliæ, florentes divitiarum & honorum gloria; magis autem suspiciendos eruditionis laude, & antiquitatum studiosa indagatione, toti Angliæ notissimos consuluit; qui omnes nullâ alterius rei, quàm veritatis habitâ ratione de hâc lite pro Benedictinis unanimem sententiam dixerunt, suorúmque nominum subscriptionibus firmârunt.

Antonius Yepesius. Tandem verò sub initia præcedentis sæculi ANTONIUS YEPESIUS Hispanus, Vallisoletanus Abbas, quod nemo ante eum tentaverat, generale totius Benedictinæ Historiæ Chronicon scribendum suscepit; Vir sanè doctrinâ & eruditione ad id perficiendum non mediocriter instructus, illúdque ad sex, quas ipse vocat, centurias perduxit: quod Domnus *Martinus Rebellius*, è percelebri Congregatione S. Vitoni, Gallicè reddidit, multísque accessionibus auxit: Linguâ verò Romanâ priores duos Tomos donavit auxitque R.P. *Tomas Weiss* Neres-

 heim-

* Armell. part. I. pag. 54.
** Quo de opere vide dicta superiùs pag. 241.
*** Thomas Smithus in vit. Cotoni pag. 28. col. 1.
**** Idem Smithus in Hist. Bibliothecæ Cottonianæ pag. 27. col. 1.

heimensis in Suevia Monachus, Scriptor perelegans & eruditus sub A. 1650. conspicuus. *Gabriel Bucelinus* Weingartensis eodem tempore clarus idem Chronicon in epitomen redegit, adjecto compendio subsequentium annorum. Nec mirum, quòd *Yepesius* in duodecimo sæculo substiterit. Cùm enim monasteriorum historias, vitásque Sanctorum atque illustrium Ordinis nostri virorum uno contextu integras semel descripsisset; nihil ferè ipsi reliqui erat, quod scriberet, cùm & novæ monasteriorum fundationes post sæculum duodecimum, in quo desiit, rarissimæ fuerint; & gesta Sanctorum illustriúmque virorum, qui post illud sæculum vixerant, in enarrandis uniuscujusque monasterii eventibus ab ipso jam relata essent. Verùm quia non satis amplas ad prolixum istud opus suppetias in promptu habuit Vir doctus (nam præter Baronii Annales, vitásque Sanctorum quorundam, & Hispaniæ monasteriorum tabularia, cætera ferè ipsi deerant) Historiam suam omni ex parte absolutam reddere non potuit. *Vereor*, inquit Mabillonius,* *ut quid elimatius ac solidius elucubrare potuerit* Constantinus Cajetanus, *qui in Commentario ad vitam Gelasii II. ait*, se habere præ manibus Annales Benedictinos, quos propediem editurum se dicebat. *Verùm, qualescumq; illi fuerint, publicam lucem non aspexerunt*. Sic itaque imperfecta hactenus restitit Benedictinæ Familiæ Historia.

Constantinus Cajetanus.

Patres Congreg. S. Mauri.

Cùm id animadvertissent primarii Congregationis S. Mauri in Gallia Præpositi, quibus res nostri Ordinis inprimis cordi erant; delectos è suis studiosos fratres ad colligenda Benedictinæ Historiæ monumenta designârunt: quibus perlustratis tum Galliæ tum aliarum regionum bibliothecis & archivis, copiosam inde literariam supellectilem reddiderunt. Hoc consilium primus iniit Reverendissimus Pater domnus *Gregorius Tarisse*, Congregationis S. Mauri Præpositus Generalis, idémque studiorum in illa præcipuus institutor: cujus laudabile propositum persecuti sunt ejus successores Reverendissimi Patres *Joannes Harel, Bernardus Audebert, Vincentius Marsolle, Benedictus Brachet*, & *Claudius Boistard*: qui omnes bonarum sacrarúmq; literarum studia promovere studuerunt, tum in recensendis Sanctorum Patrum Operibus, quorum lectionem ad instillandam fovendámque pietatem inprimis conducere persuasum habebant; tum in colligendis vetustis illis monumentis, quæ ad conscribendam Benedictinam Historiam necessaria & opportuna videbantur.

Mabillonio Historiæ Benedictinæ conscribendæ spartam imponunt.

Eô locò res erant, cùm MABILLONIUS Parisios venit. Ubi prima suæ eruditionis specimina dedit, omnium statim opinio fuit, nec vana, peritiorem nullum architectum tantæ molis operi præfici posse. Paruit ille Superiorum mandatis, rémque ut ab imis fundamentis duceret, à publicandis Sanctorum Actis authenticis, è quibus præcipua Historiæ capita petenda erant, incipiendum esse sibi meritò censuit. Ab Actis porrò SS. Ordinis inchoandum suasit cùm amor sacræ antiquitatis, simul & veritatis; tum maximè ut Benedictini Ordinis alumni Majorum suorum exempla in promptu habeant, atque ad eorum normam studeant mores componere suos: tum etiam ut autographa huic Collectioni inserta, elaborandæ, quam Præpositi meditabantur, generali Historiæ inserviant. De ratione operísque consilio per encyclicam epistolam suo simul & Patris *Acherii* nomine inscriptam, præmonitis literatis omnibus, mox huic operi diligentem adeò curam adjecit, ut sequenti anno 1668. primum Volumen publici juris fecerit, sub hoc titulo: *Acta SS. Ordinis S. Benedicti in sæculorum classes distributa*; quod paulatim secuta sunt alia octo. Quanto autem applausu *Acta hæc Sanctorum* in universa Ecclesia Catholica passim excepta fuerint, vel ex eo duntaxat intelligi potest, quòd CLEMENS XI. incredibili Pontifex prudentia & probitate, datis VI. Junii 1702. ad Præfectum Congregationis S. Mauri literis ea *piè ac disertè* explicata sit gratulatus. *Ubi*, erant verba Pontificis, *aliunde nobis non innotesceret, quàm vigeat, benedicente Domino, in Congregatione S. Mauri pietatis cultus, & sacræ eruditionis studium*; *satis perspectum fieret ex Opere per nonnullos ejusdem Congregationis monachos singulari sanè diligentia elucubrato, nuperque typis & quidem affabrè excuso.... Constat enim vel ipso intuitu, quam ingenti cura Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti, quæ in eo recensentur, fuerint ex antiquis monumentis conquisita; quàm etiam piè ac disertè fuerint explicata; ac propterea quantam in Domino lau-*

Acta SS. Ord. S. B.

Clementis XI. de illis judicium.

* in Præfat. gener. ad Annal. Bened. ex qua magnam partem hanc condidisse Historiam grati profitemur.

laudem ejusdem Operis Auctores sibi conciliaverint. Cùm itaque Pontificiam charitatem peculiariter demeruisse, ii merito confidere possint, qui ornamenta præfato Ordini de Ecclesia tam præclarè merito quærunt, & veræ virtutis exempla Christianæ perfectionis sectatoribus proponunt; gratum illud nobis vehementer accidisse tibi persuadere, ac ea omnia tibi polliceri poteris, quæ ad ejusdem Congregationis, tuíque ipsius commodum pertinere intelliges. Hactenùs prælaudatus Pontifex.

Mabillonii Præfationes cum plausu exceptæ.

Difficile etiam dictu est, quantoperè ejus *Mabillonii* in hæc Acta Præfationes à viris eruditis dilaudentur. Juvat audire *Joannem Baptistam Peronium*, qui eas in unum corpus collectas, typis conjunctim edidit *: „ Videlicet hîc habent monachi, ubi discant, quorumnam conatu ætatéque Benedictina Religio plerasque Europæ, ac longinquas regiones pervaserit: quo pacto sibi asserant Gregorium, Amandum, aliósque vel sanctitatis laude vel literarum gloria illustres Viros: qua de causa Abbates Episcopis obedientiam diu profiteri detrectaverint, quandóque Pontificalia ornamenta sint consecuti. Habent sanctissimi Patris Benedicti obitum certo tempori probabiliter assignatum, Sanctæ Scholasticæ genus Instituti: Congregationum origines & consuetudines: enumeratos Martyrologiorum Scriptores: præcipua suorum studia, scholas, & inventa: Ordinis decora: ad obtrectationes responsa. Habent præclaram ad virtutes hortationem, si traditum legerint, quantis contemptis molestiis eorum Majores Christi cultum amplificaverint, & ab erroribus ac contrariis ritibus liberaverint: quam domesticæ disciplinæ languenti medicinam fecerint: quem sibi ciborum potúsve modum præstituerint: quantâ vel Germani temperantia: quanto omnes solitudinis, corporis exercitationum, bonarum artium amore fuerint incensi. Atque hæc cùm Monastices splendorem augeant, tum præcipuè sectatorum provocant imitationem.

Mabillonii candor imperitis quibusdam displicet.

Initio tamen non omnes, è Benedictina Familia præsertim, collectioni Mabillonianæ æqui boníque consuluerunt. Quem enim modum tenuit vir recti amans, veritatísque studiosissimus in deligendis Sanctorum Actis, nec nisi veris indubitatísque Ordinis alumnis Ordini vindicandis, & asserendis, is displicuit pluribus, quos immodicum Benedictini nominis studium intuscaverat. Malè actum cum Ordine existimabant illi, si Benedictinus eos albo Sanctorum nostrorum expungeret, quos credula nimis Majorum nostrorum pietas Calendariis inscripserat. Hinc multiplices in auctorem querelæ, sparsáque scripta interdum duriora. Quid? quòd P. Philippus Bastidius Mabillonium in Capitulo generali anno 1677. apud Congregationis Præpositos, ut proditæ Religionis, ac violati Sanctorum nostrorum Canonis reum egerit, ut in Historia Studii Critici pluribus dicturi sumus: Hîc verba *P. Guilhelmi Fillastre* ** in epistola ad Mabillonium retulisse sufficiat. *Je trouve la dispute, que vous avez avec le P. de Cointe & nos Confreres touchant les choix de Saints de nôtre Ordre, bien plus embarassante. Car de quelque côté que vous vous tourniez, vous avez des ennemis à combattre.* Hac urget lupus, hac canis angit. *Je suis pourtant de votre avis, que le premier nous en derobe, & que les autres nous en donnent plus, qu'il ne nous en appartient. Le Cardinal* Cobellutius *disoit à cette occasion de l'Abbé Cajetan, qu'il craignoit, qu'il ne mît enfin S. Pierre au nombre des Benedictins, c'est ce que l'on pourroit dire encore de quelques uns, dont le zele n'est pas assez éclairé.* id est: „ Quæ concertatio de Sanctorum Ordinis nostri delectu tecum P. Cointio & nostris Confratribus commisit, magnis admodùm difficultatibus obnoxia mihi videtur. Quamcunque enim in partem te convertis, instant adversarii, quibuscum manus tibi conferendæ. *Hac urget lupus, hac canis angit.* Tuæ nihilominùs accedo sententiæ, quòd prior æquo plures nobis surripiat Sanctos, posteriores verò in iis, qui ad nos minimè pertinent largiendis, modum excedant. Quâ occasione mihi in mentem venit, quod Cardinalis Cobellutius de Abbate Cajetano dicere consueverat, se in metu esse, ne is ad extremum S. Petrum in album Benedictinorum referat. Id quod etiamnùm de nonnullis dici potest, quorum zelus debitæ eruditionis ac doctrinæ luce nondum satis collustrari cœpit. „

Guillel. Fillastre de eo rescriptum.

Acta Sanctorum O. S. B. primigenia, tanquam præcipuum Historiæ nostræ

* Tridenti anno 1724. in 4.
** ep. extat Opp. Posthum. Mabill. & Ruin. tom. 1. lib. 5. n. 41.

Spicilegii Acheriani.

stræ fundamentum exceperunt *Acheriani Spicilegii* Volumina tredecim, in quibus variâ monasteriorum Chronica & documenta continentur. His magna ex parte vulgatis, *Ludovicus Bultellus*, è clara Rotomagensium stirpe in Benedictinam cooptatus familiam, postquàm monasticæ Historiæ Orientalis specimen, ut ipse vocat, & quidem præclarum edidisset; *Occidentalem* itidem, id est, *Benedictinam*, Gallico idiomate ab origine pertractare aggressus est: à primis duobus voluminibus, quæ quatuor seculorum facta continent, in lucem editis dum sequentium temporum Historiam prosequeretur, subita morte correptus imperfectum opus reliquit.

Ludovici Bulteau Hist. Benedictina.

Mabillonii Annales Benedictini.

Cùm igitur Benedictinæ Historiæ quanquàm ad notitiam hominum præclarissimæ, multùm deesset ad absolutam ejus perfectionem, Congregationis San-Maurianæ Præpositi *de Annalium Conditore* deliberare cœperunt. Nemo magis idoneus, tantóque operi minùs impar visus est *Mabillonio*. Is igitur post multas excusandi rationes, quæ viri doctissimi singularis erat modestia, & animi demissio, arduum hoc opus, divino confisus auxilio tentare cœpit, & res Benedictinas in Annales pro viribus redigere in animum induxit. Ubi verò anno MDCCIII. primum Añalium Ordinis volumen in publico comparuit, ingenti eruditorum plausu nec minori gratulatione exceptum, reliquorum cupiditatem in omnium animis excitavit. In primis verò qui literariæ petinde ac Ecclesiasticæ rei pari studio ac sollicitudine invigilabat, consulebátque utriusque utilitati CLEMENS XI. Pontifex Maximus, eodem quo cæteri eruditi desiderio inflamatus, cœptum opus, quam posset maxima diligentia, ut prosequeretur, vehementer *Mabillonium* hortari dignatus est, suis ea de re per Eminentiss. Cardinalem *Paulutium* literis ad eum directis, quarum hîc summam afferre, haud ingratam futuram Lectori visum est. *Tibi*, inquit modò laudatus Eminentissimus Cardinalis, *Sua Sanctitas susceptum opus, quod illustri ingenio eximiâque eruditione tua maximè dignum putat, ex animo gratulatur; útque illud, quantum rei moles permiserit, urgeas vehementer cupit: rata posteris magno incitamento futurum ad æmulanda, quæ passim occurrunt egregia majorum exempla, & parem omnino solidámque gloriam tuo nomini comparaturum. Hæc respondere me tibi jussit Sanctissimus Pater &c. Dat. 24. Junii MDCCIV.*

Clementis Papæ XI. Votum.

Tanti Pontificis votis juxta ac literis mirum in modum animatus *Mabillonius*, Reliquis elaborandis Annalium tomis animum studiosè adjecit; atque exeunte anno MDCCIV. alterum tomum eodem quo primum literatorum ac bonorum omnium applausu publici juris fecit. Biennio post scil. MDCCVI. in lucem prodiit tertius Annalium tomus, quem brevì subsecutus est quartus medium circa annum MDCCVII. evulgatus. Jámque quatuor hisce tomis in lucem emissis, incredibilíque applausu ab omnibus exceptis, quintum prælo subjecturus etat, sextóque operam dare cœperat, cùm ecce anno MDCCVII. labori immoritur.

Edidit V. Tomis moritur Mabillonius.

Ne verò egregium id Opus, in quod totum novennium insumpserat, imperfectum relinqueretur, *Theodoricus Ruinartus* ad illud continuandum se convertit, quod tamen rebus humanis brevì post exemptus ferè intactum *Renato Massueto* dimisit, nisi quòd quinto tomo, quem paratum reliquerat *Mabillonius*, plura addiderit. Præ aliis antem Præsides Congregationis MASSUETUM delegerunt, quòd eruditione ac scribendi peritia à Mabillonio & Ruinarto minùs distaret. Is igitur Superiorum jussis necquicquam obluctatus tandem provinciam *Annales Benedictinos* continuandi suscepit, eámque magna contentione, judicio ac laude aliquamdiu administravit.

Operis Continuatores.

Anno 1710. ad omnes in Italia Ordinis eruditos Sodales Epistolam exaravit encyclicam, quâ eosdem humanissimè rogatos voluit, ut quæ in Annalium Benedictinorum continuationem pro Tomo V. forent, secum communicare non gravarentur. Literæ his ipsis conceptæ erant verbis:

Renati Massuet encyclica.

PAX CHRISTI.

REVERENDE PATER.

„Cœptos ab inclytæ memoriæ Reverendo Patre Domno *Joanne Mabillonio* Annales Ordinis nostri, & ad quintum usque Tomum, id est usque ad annum Christi 1157. feliciter perductos continuandos sibi cum suscepisset optimi Magistri Discipulus optimus *Domnus Theodericus Ruinart*, immaturâ morte consumptum rem intactam infectámque dimisisse satis patet, puto,

„puto," notum tibi. Gravis quidem bonis omnibus ea fuit jactura, sed eo gravior Superioribus nostræ Congregationis, quò resarcire difficilius erat. Ne tamen imperfectum maneret opus, Ordini Benedictino simul & Ecclesiæ utilissimum, aliquem tanti nominis Scriptoribus, qui cœptos Annales prosequeretur, eruditione licèt & cæteris animi dotibus longè inferiorem sufficere maluerunt, quàm nullum. Id si tibi literis meis significem, quintúmque Tomum, quem prælo paratum reliquit *Mabillonius* statim subjiciendum, atque turbidior jam tempestas paulùm resederit, gratum me facturum puto. Sed cùm Ordinis Historia Generalis ab accurata rerum uniuscujusque monasterii notitia maximè pendeat, operæ pretium est, ut Monasteria omnia ad totius Ordinis gloriam conspirantia, historicos de rebus suis Commentarios nobiscum communicent, eò magis ad institutum nostrum necessarios, quò pauciora ac rariora occurrunt tum in editis Libris, tum in scriniis Mabillonianis Monasticæ Historiæ posterioris ævi monumenta. Quam ob rem R. P. Superioris Generalis nomine te rogamus, PATER REVERENDE, ut unum vel plures è tuis deligas, qui dictos Commentarios conficiant, eàque omnia, quàm accuratè fieri potuit, colligant, quæ tum ad monasterii tui, tum aliorum Ordinis nostri viciniorum, seu virorum, seu sanctimonialium, Historiam spectant. Id ut fieret, jam non semel Priores monasteriorum nostrorum hortati sunt Superiores Generales nostræ Congregationis, rogaverat & piæ memoriæ Domnus Theodoricus Ruinart, scriptis ad singula monasteria nostra encyclicis Epistolis: sed hactenùs res non successit ex sententia. Feliciùs sub manus tuas successuram sperat is, qui modò Congregationi nostræ præest R. P. Superior Generalis, majoríque studio, quàm anteà negotium, quod sibi maximè cordi est, promotum iri. Porrò Commentariorum, quibus indigemus, initia duci debent ab anno duntaxat Christi millesimo. Præcipua verò, de quibus confici optamus, hæc sunt:

Desideratæ symbolæ. 1. Monasterii situs. I. *Quis monasterii situs; qua in Diœcesi constitutum; cui urbi, fluvio, aut rivo vicinum, & in cujus honorem dedicatum?*

2. Fundatio. II. *Monasterii fundatio, si anno millesimo posterior sit, à quo & qua occasione facta; qui Priores disciplinam regularem in monasterium induxerunt, & unde vocati? Qui præcipui ejusdem Benefactores, & quæ eorum nomina, gens, familia, ac beneficia? Hic exscribenda sunt præcipua quæque, tum Fundationis, tum donationis instrumenta, accuratè notatis tum adscripta die, anno & indictione, tum subscriptionibus, chirographis ac sigillis, servatâque eadem prorsùs ortographia & scribendi ratione, barbara licèt, solœcismísque referta.*

III. *Quæ fuerint, aut etiamnùm sint monasterii jura & privilegia, & à quibus concessa, & confirmata? An in controversiam aliquando venerint, & quando finita? Ubi etiam eadem ratione describendæ sunt, Summorum Pontificum Bullæ, Regum ac Principum Diplomata, Episcoporum Literæ, aliáque ejusmodi instrumenta, quæ Historiæ fidem conciliare possint.* 3. Jura & Privilegia.

IV. *An aliquod excidium passum aliquando fuerit monasterium, à quibus, quô annô, & quâ occasione? Quis restauraverit, & quo anno?* 4. Fata.

V. *An aliis monasteriis olim præfuerit, & quo jure? Qui Prioratus ab eo pendeant, & in qua regione ac Diœcesi siti? à quibus fundati? Ubi etiam rescribenda, si haberi possint, Fundationum instrumenta. Qui ex iis Conventuales exstiterint, & quamdiu? An aliqui ab Ordine distracti, & quando?* 5. Prærogativæ.

VI. *Diligenter notanda sunt præcipua quæque, quæ monasterio seu benè seu malè evenerint; varii, quos experta est disciplina regularis, casus, instituta, usus, & consuetudines, quæ ibi viguêre. Si quæ verò Abbatia à regulari ad secularem statum defecerit, habenda, si fieri possit, Bulla,* quam vocant, *Secularisationis.* 6. Disciplina Reg.

VII. *Viri Illustres, qui seu pietatis, seu eruditionis laude floruerint, vel alia quacunque ratione nomen sibi fecerint; Quo loco ac genere nati, & quo anno mortui? Quid ab eis gestum, scriptúmque fuerit? An edita eorum Opera, an adhuc manuscripta, & in qua Bibliotheca asservata? Et siqui in album Sanctorum relati fuerint; an sincera vitæ Acta nondum edita, vel ab editis diversa habeantur: & à quibus, & quando scripta? Nec omittendi, qui ex eo monasterio ad Pontificales infulas, vel ad alia regenda, fundanda, aut reformanda monasteria variis temporibus, diligenter notandis, vocati sunt.* 7. Viri illustres.

VIII. *Accurata ac continua Abbatum, Priorum, aut Abbatissarum series, cum præcipuis uniuscujusque seu benè, seu malè gestis, ac die & anno obitûs.* 8. Abbatum series.

9. Monumenta. IX. *Sepulturæ insigniores, Cenotaphia, Epitaphia, Inscriptiones, ac vetera quæque Monumenta; quæ etiam si quis delineandi peritus deformare posset, gratissimum certè faceret; ex enim iis Historia non parum illustrari potest.*

10. Reliquiæ. X. *Præcipuæ Sanctorum Reliquiæ, quæ ibi olim asservatæ fuerunt, vel nunc etiam asservantur, à quo, & qua occasione illuc delatæ.*

„ Hæc ferè sunt REVERENDE PATER, quæ in Commentarios referri „ debent. Cætera Scriptorum diligentiæ atque prudentiæ dimittimus, „ ut nimirùm ea omnia colligere & annotare non pigeat, quæ ad rem nostram facere posse videbuntur. Non „ exigimus verò, ut facta simul contexant, Historiámque continua ac cohærenti oratione scribant. Commentarios, Historiæ generalis argumentum posteà futuros, scribere sufficiat. Id unum duntaxat efflagitamus, ut suos quibúsque factis & eventis, quàm accuratè poterint, assignent annos & indictiones, ut in veteribus Instrumentis, certísque Monumentis occurrent, nec quidquam „ unquam referant, nisi citatis ad marginem auctoritatibus, quæ narrationis fidem adstruant. Si quæ etiam „ apud vos, vel amicos exstarent Mabillonii Epistolæ, magnam à nobis „ gratiam inires, si earum apographa „ ad nos transmittere dignareris: ut „ luce aliquando donari possint, quæ „ digniores videbuntur. In ea porrò „ omnia curas tuas conferas, negotiúmque acriter urgeas, maximoperè oro „ atque obtestor. Id à benignitate „ tua consequuturum sperat

REVERENDE PATER

Parisiis in Monasterio S. Germani à Pratis die 21. Julii 1710.

Humillimus obsequentissimúsque servus Frater Renatus Massuet M. B.

Cardinalis Quirinus de Massueto. Hic tenor erat Literarum, quas *Massuetus* anno 1710. ad Italos dedit Benedictinos. Priùs verò quàm eas exarâsset, Lutetiam Parisiorum venit *Angelus Maria Quirinus* (hodie Em. Card. S. R. E.) qui de Massueto in *Commentario Historico de Rebus ad se pertinentibus* * ita scribit; „Renatus Massuetus, „ postquàm in tribus Ordinis sui cœnobiis, scilicet Beccensi, Cadornensi, „ & Fiscamnensi Philosophiam, ac „ Theologiam tradens, nonnullis etiam „ editis lucubrationibus, præsertim ad „ tuendam Operum S. Augustini Editionem conscriptis adversùs Abbatis „ Alemanni censuram, haud mediocriter iuclaruisset, ad San-Germanense Lyceum accersitus, S. Irenæi Operum Editionem an. 1710. publici juris fecerat, ac posteà operam dedit „ Annalibus Benedictinis contexendis, „ successor in ea provincia renunciatus Mabillonii & Ruinarti, quâ tamen, ut mihi sæpiùs fassus est, non „ ita delectabatur, ac pristinis studiis „ suis. De hisce proinde liberiùs mecum disserebat, quàm de iisdem Annalibus, quorum eo quidem tempore in lucem emisit Tomum quintum, „ at qualem reliquerat Mabillonius, „ paucis tantùm vel à se, vel à Ruinarto adauctum. „

Francisc. Texerius. *Massueto* bonæ spei viro defuncto, suffectus est Domnus FRANCISCUS TEXERIUS, ** priùs in Majori Monasterio Philosophiæ Prælector, & in Cenomanensi S. Vincentii Abbatia per plures annos Theologiæ Professor, qui regendi pariter ac docendi peritus commissos sibi juvenes ita divinis imbuit disciplinis, ut ex eis discipulis non paucos effecerit Magistros. Nescio, an nimiæ Francisci dotes nocuerint Annalibus: nam hunc licèt doctissimum Superiores attendentes regendis monasteriis magis idoneum, Cenomanenses S. Petri de Cultura cœnobii Priorem constituerunt, ac deinde S. Vincentii eadem in urbe Abbatem elegerunt.

Vincentius Thuillier. Vivebat eâ tempestate vir apud literatos satis notus domnus VINCENTIUS THUILLERIUS, acer ingenio, & laboris amans. Hic inter cæteros domno Dionysio Sanctamarthano Præposito Generali San-Maurianæ Congregationis dignus visus est, cui omnia *Mabillonii*, *Ruinarti*, & *Lucæ Dacherii* scrinia crederentur, ex quibus Mabillonii & Ruinarti Opera posthuma vulgavit. Verùm ad profana conversus Polybii Auctoris Græci, & quidem difficillimi, interpretationem adorsus est, qua perfecta & edita, Historiam Constitutionis *Unigenitus* à sanctissimo Patre *Clemente XI.* promulgatæ, approbantibus tribus Gallicanis Cardinalibus suscepit conscribendam; Opus immensum, quod intra paucos annos diu noctúque vigilans confecit. Jámque

* part. 1. pag. 89
** Ex Præfat. R. P. Marthene in Tom. VI. Annal. O. S. B.

que ei ultimam manum imposuerat, & patronis suis obtulerat, cùm ecce Deus, qui vitæ hominum momenta omnia gubernat, *Thuillerium* pleurisi correptum ex humanis eripuit xii. Januarii MDCCXXXVI.

Edmundus Marthene

Sublato è vivis Thuillerio domnus EDMUNDUS MARTHENE, multis iisque præclaris Operibus in lucem emissis perquàm celebris, aliquot post ejus obitum dies R. P. Vicarium Generalem (*Dominum* CLAUDIUM DUPRE') suppliciter oravit, ut quod ex Annalibus Benedictinis à *Mabillonio* compositis superesset, sibi percurrere liceret. Roganti annuit pius pater, & statim Mabillonii Annalium volumen imperfectum ipsi resignavit. Exultans recessit, quasi invento thesauro volumen devoravit, iterum atque iterum perlegit. Inter legendum verò multa à *Mabillonio* omissa deprehendit, quæ percurrendo Gallicanas pene universas Bibliothecas, atque ecclesiarum cathedralium & abbatiarum utriusque sexûs archiva perscrutando olim collegerat. Longè plura ministravêre eximiæ *Wibaldi* Stabulensis & Corbeiensis Abbatis epistolæ, in quas cùm Germaniam perlustraret, felici quodam fato inciderat. *Wibaldus* ille sub quatuor Imperatoribus præcipuas cùm Imperii tum Ecclesiæ res gestas pertractavit. Hinc fit, ut ipsius literæ non levem hujusce temporis Historiæ lucem præbeant. Ex ipsis certè loca infinita in hoc posthumo *Mabillonii* volumine quodammodò vacua, seu, ut ita loqui liceat, lacunas repleri posse nullus dubitavit. Idipsum R.P. Vicario Generali cùm significâsset, consilium ejus lætus approbavit, immò hortatus est, ut in perficiendo sexto Annalium Benedictinorum volumine operam collocaret suam. Nec distulit, ad opus se accinxit, & infra paucos menses ducenta & ampliùs maximi momenti facta Operi Mabillonii inseruit, præter ea, quæ addenda ad priores tomos in Appendice adjecit; adeò ut jam manuscriptum volumen hæc omnia efficere possint. Quod autem additum à *P. Marthene* fuit, uncinis [ ] includitur. Sextus hic Annalium Tomus, anno 1739. typis vulgatus, complectitur annos omnino quadraginta ab anno MCXVII. ad MCLVII. annos contentis aliis in tomis longè pauciores, sed non pauciora facta, sed neque minoris momenti. An verò tomus hic sit ultimus, vel illum alii excepturi sint, tempus docebit. Ex literis verò amici anno 1740. die 14. Novemb. ad me datis intelligo, quòd Eruditissimus Vir Domnus *Benedictus Thiebaut* antiquissimi monasterii Luxoviensis in Burgundia Subprior etiam novam Ordinis nostri inpræsentiarum moliatur Historiam.

Sextum Annaliû Ord.S.B. Tomum complet & edit.

Benedictus Tiebaut.

Cæterùm *Mabillonius*, dum luce hac vitali adhuc frueretur, uti erat illustrandæ Historiæ Benedictinæ studiosissimus, ita quoscunque novam ei lucem afferre posse existimabat, his, ut impigrè ac indefessâ industria illud facerent, animos addere solebat. Florebat tunc temporis in Hispaniâ *Josephus Peresius* noster, de quo suprà, vir eruditus, ac sacrarum linguarum in Universitate Salmanticensi haud incelebris Professor: hunc cùm *Mabillonius* rei etiam historicæ non imperitum ex epistolarum commercio intellexisset, eum exhortatus est, ut dignum aliquid Historiâ Benedictinâ moliretur: cujus monitis *Peresius* * erudita respondit epistola, quam alio loco à nobis jam defloratam hic integram dare, cùm paucis Sodalium nostrorum in Germania fors lecta sit, non gravabor.

Josephus Peresius.

Ejus ad Mabillon. literæ.

„ Diu jam erat (R. A. P.) quòd superiorem Epistolam ad vos, cùm se prima daret occasio, transmittendam conscripseramus, cùm vestra ad nos monita an exhortationes ad aliquid Hispana Benedictináque gloria dignum aggrediendum Roma afferuntur. Ac vellemus profectò nobis otium, aut ingenium suppetere, quô vestris æquissimis votis, ac postulatis facere satis possemus. Sed enim cùm vitæ tum instituti nostri rationes, quo minùs id à nobis perfici posse speremus, validè obsistunt. Hic enim Salmanticæ ad nostræ Linguarum Cathedræ moderationem, velut *ad molam trussatilem* sic religati sumus, vix ut nobis per æstivas ferias ad proximorum Cœnobiorum (*quæ sanè haud ita multa in hujus urbis & Academiæ vicinia sunt*) Tabularia excutienda excurrere liceat. Tantùm abest, ut ad Ecclesiarum Primariarum, aliorúmque longinquorum Cœnobiorum monumenta per otium, uti rei dignitas exposcit, discutienda divertere liceat. Ac profectò per has omnes difficultates perrumperemus, veniámque à Regio Senatû hac illac „discurrendi haud ægrè impetraremus, „spes

* Extat Mabill. Opp. Posth. Tom. I. p. 455.

„ ſpes modò aliqua quippiam tanto dignum molimine præſtandi ſe ſe nobis oſtenderet. Sed enim hæc jam pridem nobis decoxit. Nam clades illa Saracenica usque adeò noſtræ Hiſpaniæ exitiabilis, omnia vetuſtiora ejus monumenta ita funditùs abſumpſit, vix ut ex iis aliquod tenue veſtigium ei ſuperfuerit. Hanc tempeſtas excepit, quâ omnia armorum fragore usque adeò ſtrepebant, ægrè ut noſtris hominibus ſpiritum trahere daretur; nedum illos poſteritatis, ad quam cùm ſuæ tum ſuperioris ætatis memoriam transmitterent, cura tangeret; nec feliciora ſanè, quod ad rem literariam ſpectat, tempora ſunt conſecuta. Nam & gladius Barbaricus diu noſtris cervicibus imminuit, & militares noſtrorum animi mirum quantum ab omni manſuetiori diſciplinâ abhorrebant. Quæ labes tam altas in Hiſpanorum animis radices egit, ut vix in duorum ſæculorum altâ pace, Saracenicorúmque armorum diutino juſtitio, hoc emunctiſſimo iſto ſeculo veternum excuſſerit. Ut ſpes inanes fovere minimè debeamus, nos aliquid inſigne, veſtrîsque antiquis monimenris æquiparandum quantovis labore, aut induſtriâ detecturos. „

Clades Saracenica.

„ Nec panicus iſte noſter timor, aut deſperatio eſt. Nec enim cum hocce, tum ſuperiori ſeculo viri gnavi & induſtrii novæ Hiſpaniæ defuere, quibus veteres ſchedas, antiquáque ſcrinia excutere curæ fuit. Id egregiè inprimis à noſtris *Sandovalio*, *Yepeſio*, *Moralio*, item *Parybaio*, *Mariana*, *Marieta*, *Surita*, *Gundiſalvio de Avila*, *Romano* Auguſtiniano, *Domeneco*, *Padilla*, aliíſque hand ſanè paucis nec vulgaris palati præſtitum ſuit: quamvis noneſt, cur nos, aut illos rei tam præclaræ navatæ operæ magnoperè pœniteat. „

Rerum Hiſpan. Scrutatores.

„ Id itaque unum nobis in animo eſt (*nec porrò deſperamus*, *cum bono Deo*, *perfecturos*) ut quidquid ad noſtrum Ordinem in Hiſpania privatim ſpectat, id in unum volumen communicemus, aliúdque SS. Benedictinorum, quæcunque detegere detur, Actis dicemus, veſtra veſtigia induſtriámque ſecuti. Altè nimirum nobis ſedet ſcitum illud: *paria eſſe*, *omnia amplecti*, *& nihil*. Quod eo magis probatur, quo noſtræ penitus tenuitatis conſcii ſumus. „

„ Quod porrò monetis de Martyrologii Hiſpani Authore *Salazario*, in eo vobiſcum ſentimus. Non, inquam, quid hominis ſit is Scriptor, neſcii ſumus. Siquid proinde ex ipſo mutuabimur, cautionem, quam ſuggeritis, ſedulò adhibebimus. „

„ An alicubi *Biclarenſis* Regula, de quâ *Trithemius*, deliteſcat; planè neſcimus. Nos certè quidquam de illo Opere, ne fando quidem, hactenus audivimus. Dabimus ſanè operam, ut in hanc rem curioſiùs inquiratur, ac ſicubi compareat, eam haud invidebimus literariæ Reipublicæ. „

De Biclarenſi Regula.

„ Quid adversùs *Hieronymiani* illius, * intemperiem moliamur, immò affectum jam prælóque paratum habeamus, in ſuperioribus literis innuimus. Quod autem cùm hic tum in primi tomi Actorum Præſatione de noſtri Ordinis in Hiſpaniâ propagatione injicitis, nec illius expreſſa Gothicis temporibus veſtigia apparere aſſeritis; id nos juxtà vobiſcum agnoſcimus, niſi quod Cinduaſindi Gothici Regis Diploma exſtat apud Sandovallium in S. Petri Montenſis Fundatione, & apud *Yepeſium* 2. Tom. omnium, quod ſciatur, Hiſpanicorum antiquiſſimum, quippe quod Æra 684. hoc eſt, anno Chriſti 645. expeditum fuit; ex quo jam tum Benedictinam Regulam in Hiſpaniâ receptam fuiſſe, ſatis probabiliter elicitur. En ejus ipſiſſima verba: *Si quis igitur* - - - *de loco Eccleſiæ veſtræ gloriæ Monaſticam traditionem*, *aut Regulæ ſanctæ Conſtitutionem voluerit evellere &c.* Quo in loco quænam alia, præter noſtram, Regulæ ſanctæ nomine veniat, haud ſatis diſpicio. Sanè noſtram Regulam ſanctam κατ' ἐξοχὴν ab ipſis ejus incunabulis dictam fuiſſe notius eſt, & à vobis ſolidiùs oſtenſum, quàm ut in eo verba prodigere neceſſe ſit. Quippe quam ipſe ſanctiſſimus ejus conditor quaſi à Spiritû ſancto ſibi traditam cap. 65. hac perhonorifica nuncupatione dignatus fuit. „

Pereſii adverſus Hieronymianum vindiciæ.

„ Quod ut ſatis firmum, & expreſſum non eſſet, ejus tamen in hoc regno antiquitati minimè officeret. Nam imprimis priſcis illis, quod probè noſtis, temporibus, cùm unus Benedictinus Ordo in Europa vigebat, id parùm curabatur, ut ſub quâ Monachi Regula viverent, exprimeretur, ubi „nullus confuſioni locus erat. Deinde „ſtatim

Regula S. Bened. ſola olim vigebat.

* De *P. Hermenegildo à S. Paulo* loquitur, qui quoddam Opus ineptiis ſcatens conſcripſeret hoc titulo: *Satisfactio Hieronymiana*, ubi Benedictino Ordini infenſus, tam ineptè fautor eſt & admirator ſui, ut Ambroſium, ejúsque ſucceſſorem *Simplicianum*, *Paulinum*, *Benedictum*, neminem non Hieronymitis accenſeat. Contra hunc bene longam Diſſertationem ſcripſit D. *Joſephus Pereſius* Salmanticæ editam anno 1688.

„statim ab illa clade Benedictina monasteria in Hispania passim visuntur, quæ sub Maurorum sævissimâ tyrannide excitata fuisse, ne suspicari quidem leviter licet. Præterea Monachos Cordubâ & aliunde profugos sub Benedictinis signis illis temporibus militâsse, est exploratissimum, & nos cuivis non pervicaci demonstraturos recipimus. Eos porrò vetus, quod antè tenerent, institutum cum recentiore nostro suo in exilio commutâsse, minimè est verisimile. Quid? quòd Æmilianense, aliáque Cœnobia Gothicis temporibus clara, semper Benedictina fuêre, cùm nullum, vel tenue, alius in ipsis instituti observati supersit vestigium. „

„ Ex queis omnibus, aliísque, quæ consultò hic omittimus, illud efficitur, Benedictinam disciplinam longè ante fatalem illam cladem in Hispaniam penetrâsse, quamquam de tempore, primísque ejus Invectoribus minùs liqueat. Id nostræ gentis Historiographi antehac persuasissimum habuêre, neque dum cordatiores Hieronymiani illius ridiculum commentum à sententia deduxit. „

De Mabilloniana Bernardi editione.

„ Illud ad extremum addimus, ex quô priorem Epistolam conscripseramus, S. Bernardi Opera sex tomis in 8.vo ut loquuntur, excusa, tuo labore aucta, & emaculata, notísque perquàm eruditis illustrata, nobis id vehementiùs optantibus, & agentibus Parisiis huc allata fuisse. Opus vestrâ cùm pietate, tum profundâ eruditione profectò dignissimum. „

„ Hæc superioribus addenda censuimus; Deum Opt. Max. precamur, ut te incolumem nostro Ordini, fuæque Ecclesiæ diu servet, & à Germanica expeditione reduci, antiquitatísque spoliis onusto, ad bene de Orbe literario merendum vires animúmque sufficiat. Scribebam Salmanticæ anno Æræ communis 1683. Kalendis Septembris. „ *Hactenus Peresius in Epistola.*

Alii rerum Benedictinarum Scriptores.

Fuerunt varii alii variis temporibus Benedictini, qui ut majorem Historiæ Ordinis lucem affunderent, varia lucubrârunt opuscula; cujusmodi sunt HUGONIS MENARDI libellus *De origine & incremento Ordinis S. Benedicti*: BENEDICTI HÆFTENI, *Vinea Benedictina Reflorescens*: LUDOVICI BULTEAU *Compendium Historiæ Ord. S. Benedicti*: ANTONII MEGE *Historia rerum magis memorabilium, quæ in Ordine D. Benedicti evenerunt*: SIMPLICII Monachi S. Sulpitii Bituricensis *de senio & inclinatione Ordinis S. B. in Galliis, & ipsius speranda restitutione, Dialogorum libri tres*: JOANNIS TRITHEMII *Liber Penticus*, id est, *Lugubris de Statu & Ruinâ Ordinis Monastici*: CAROLI STENGELII *Corona lucida*: GABRIELIS BUCELINI *Aquila Imperii Benedictina*: STANISLAI SCZYGIELSKI *Aquila Polono-Benedictina*: FELICIS EGGERI *Idea Ordinis Hierarchico-Benedictini.* MATHÆI WEISS Lyceum Benedictinum, seu de B. Alcuino aliísq; bonarum literarum ex Ordine S. Benedicti professoribus publicis... Atque hi potissimùm sunt Scriptores, qui ad res Benedictinas elucidandas laudabili industriâ incubuerunt; quorum Opera alio & commodiore loco à nobis uberiùs recensebuntur.

De Historia Literaria Benedictina.

Etsi verò Annales Benedictini ad annum usque MCLVII. operâ præcipuè *Mabillonii*, aliorúmque è Congregatione S. Mauri Sodalium perducti fuerint, Historia tamen Benedictina nondum erit numeris omnibus absoluta, sed dimidiam duntaxat partem perfecta; cùm *Historia* desit *Literaria*. Ut enim in præfatione Conspectûs ad Partem Præliminarem hujus Operis dicebam ex ore sapientissimi Bacconis de Verulamio: *Historia mundi* (quidni & Familiæ Benedictinæ) *absque literaria historia statuæ Polyphemi oculo eruto non absimilis censeri potest, cùm ea pars imaginis desit, quæ ingenium & indolem personæ maximè refert.* Hujus Historiæ necessitatem cùm *Mabillonius*, Annalium Benedictinorum parens ac conditor animo pervideret, in procemio ad Reverendissimos Abbates & Superiores ac universos Monachos Ord. S. B. disertis verbis eam professus est: *Peculiarem quoque commentarium postulant Ordinis nostri Scriptores, ex quibus præcipuos quidem in his Annalibus debito non defraudavi honore, at singula eorum recensere opera, & à genuinis dubia & spuria secernere, res nimiùm fastidiosa fuerit: quod quidem in peculiari de Scriptoribus Benedictinis opere rectiùs & opportuniùs à quodam è nostris præstari poterit.*

Quid à Mabillonio de ea scribendum censuerit.

Quam provinciam Præpositus Generalis Congregationis S. Mauri, ni fallor, *Carolus Petey de l' Hostallerie* duobus Sodalitii sui alumnis, annis abhinc triginta, & quod excurrit, demandaverat. Sed res successû caruit. Vivebat per id tempus Parisiis in Monasterio S. Germani à Pratis *Renatus Massuet*, qui cùm sciret, quòd in Germaniâ *Bernardus Pezius*, Mellicensis Bi-

Bernardus Pezius Bibliothecam Scriptorum Ord. S. B. molitur. liothecarius, intimus ejus amicus, Bibliothecam Scriptorum Ord. S. B. moliretur, omnem movit lapidem, ne quis illum scribendo antevertens, simile opus in publicam daret lucem. Discimus id ex ipsius *Massueti* literis Non. Octobris An. 1715. ad *Pezium* datis, in quibus inter alia: „ Vereor, inquit, ne susceptum à te opus de Scriptoribus nostri Ordinis refrigescat. „ Nollem tamen: id quippe vehementer cupiunt multi, & nisi tu adgressus fuisses, adgressi fuissent alii, quos dehortatus sum. Superior noster Generalis, vir quidem bonus, & literarum fautor, sed operum haud satis rectus æstimator, quoscunque potest, hortatur ad id ingrediendum. Et quid quid dixerim, altiùs animo defixum movere non potui. Nuper adolescentes duos ad S. Dionysium accersivit, ut in id incumbant, & intra biennium conficiant. Papæ! tantum opus intra biennium? At emunctæ naris juvenes sic deterrui, ut segnes manus, ne palàm repugnare videantur, operi adferentes, ad alia utiliora animum intendant. Nihil proinde est, quod ab iis timeas. Si enim impositis sibi mandatis parere cogerentur, infeliciter omnino iis cederet. Ut tamen vel eorum, vel aliorum quorumvis digitos coërceas, auctor tibi sum, ut operis tui Prodromum quamprimùm conficias, & in publicam lucem emittas, quò consilium tuum exponas, horteris eruditos omnes, cùm domesticos, tum exteros, ut tibi opem ferant, opus jam pæne maturum denunties, ac intra paucissimos annos, puta biennium, prælo committendum &c. Id fac, si me audis, & quàm citò. Cave, Prodromus epistolæ limites excedat, ut facilè ad exteras gentes per cursores publicos mitti possit. Exemplaria quædam ad me mittes, quibus nostrorum & aliorum, quoscunque novero, præproperos impetus coërceam. Volo quippe, ut Operis istius gloria tibi uni servetur. „ Hæc Massuetus; cujus monitis obtemperans *Pezius* epistolam encyclicam, in quâ Operis exhibetur delineatio, typis anno 1716. vulgavit. In hac **Encyclicam divulgat.** conceptis verbis affirmavit, *eò jam Opus improbo scilicet labore perductum esse, ut saltem post unius biennii spatium typis integrum commendari, vulgarique poterit.* Id quod cùm alii plures crediderunt, tum V. C. *Christianus Buderus*, * & R.mus Abbas *Armellinus* ** quin ita sit, nullo modo dubitarunt: unde prior in Dissertatione sua Epistolari de Bibliotheca Diplomatica his verbis Pezium allocutus est: *Egregiam tuam eruditionem testabitur ampliùs magna illa Bibliotheca Benedictina Generalis, quam tanto labore apparatúque adornas, & instruis, ac communibus votis desideratur, quámque jam te prælo paratam habere scribis.* Posterior verò in proloquio ad suam Bibliothecam Scriptorum Congregationis Benedictino-Casinensis: *Cl. Bernardus Pez, Monachus ac Bibliothecarius Mellicensis in Austria propè Viennam Generalem Bibliothecam Benedictinam in XIII. secula distributam jam ab anno 1716. concinnavit, in qua omnes Ordinis nostri Scriptores, quotquot à Sanctissimo Benedicto usque ad hanc ætatem, ubivis gentium claruerunt, se recensurum promittit, Opus eò jam perductum asserens, ut saltem post unius biennii spatium typis integrum commendari vulgarique potuerit, ut ipsemet in Epistola Encyclica hac de re ad omnia per Europam Monasteria transmissa, de se affirmat, quod an hactenus factum sit, habeo incompertum, nam Opus istud, ut nuper accepi, Romæ nondum comparuit.*

Etsi verò *Cl. Pezius* quam publico dedit fidem post vigesimũ primùm añum, quô vitâ functus est, liberâsset, *Bibliotheca Benedictinâ* in lucem emissâ, nondum tamen nos habere numeris absolutam omnibus rei literariæ Benedictinæ Historiam dici posset; plura enim ad hanc ritè condendam requiruntur, quàm quæ Vir ille doctissimus à se scribenda suscepit.

Quod verò mireris, idem *Pezius*, homo Germanus cùm esset, ad perscribendas tamen memoriæque tradendas eruditorum in Franciâ, S. Mauri Congregatione, Benedictinorum, exterorum nempe, res animum appulit. **Edit Bibliothecam Scriptorum Congreg. S. Mauri.** Nec infeliciter: Anno enim 1716. Bibliothecam Benedictino-Maurianam juris publici fecit, in cujus præfatione plures, eásque viris doctis probatas hujus sui instituti attulit rationes. Quâ erudita historia excitatus *Philippus le Cerf* è Congregatione S. Mauri **Philippus le Cerf aliam publicat.** eruditus Presbyter aliam ejusdem sui sodalitii Bibliothecam Historico-Criticam, præ Peziana locupletem, atque insignem anno 1726. in lucem exire jussit.

Paucis

* Dissert. Epistol. de Bibl. Diplom.
** Præfat. pag. 17.

Armellinus Casinensem adornat. Paucis post annis nempe 1731. in Italia typis excusa fuit Bibliotheca Scriptorum è Congregatione Casinensi, quam MARIANUS ARMELLINUS S. Petri de Assisio Abbas, magno labore ac industria, nec minore doctrina & eruditione concinnavit. In præfatione verò ad hanc ipsam suam Bibliothecam se audivisse testatur, doctissimos Congregationis Vallisoletanæ Monachos in eundem, quò *Pezius* scopum jamdiu collimantes, universalem Scriptorum omnium Ordinis nostri Bibliothecam adornare, pro quâ absolvenda peculiares aliarum nostri Ordinis Congregationum Bibliothecas hactenus impressas colligere, aut propediem imprimendas, ut sibi mittantur, satagere. Utcunque res se habeat, illud mihi constat, quod R. P. D. *Ludovicus Alvarez* eâ causâ ad R.mum Abbatem Calmet ex Hispania in Lothoringiam literas dederit, qui doctissimus Præsul, quâ est singulari humanitate, syllabum virorum doctorum, qui in Congregatione SS. Vitoni & Hidulphi floruerunt, cum eo communicavit; de quâ tamen Bibliothecâ nullum postea verbulum se audivisse ad me Calendis Junii An. 1737. perscripsit. Credo ego, virum doctum nimia difficultate perterritum manum de tabulâ sustulisse. Ut enim *Bibliotheca Benedictina Generalis* ita adornetur, ut non plurimi Scriptores silentiô prætermittantur, opus est notitiâ Authorum, qui non tantùm in Hispaniis, sed Galliâ, Germaniâ, Angliâ, Italiâ &c. claruerunt. At hanc comparare hoc opus, hic labor est. Jam olim *Arnoldus Wion* * conquestus fuit, quòd in Historiâ Ordinis concinnanda *nec literis, nec amicitiâ, quod justè & piè ab aliis optabat, extorquere potuerit.* Quis neget, justissimas & laudabilissimas *Bernardi Pezii* fuisse preces, quibus toties quà privatim, quà publicè à R.mis Monasteriorum Præsulibus singulorum à priscâ fundatione Scriptorum nomina, vitæ historiam, diem, & annum obitûs, catalogum tum typis expressorum, tum MSs. addito loco, tempore, & formâ editionis &c. expetiit? Quâ notitiâ ad condendam *Bibliothecam Benedictinam Generalem* opus summoperè habuit. Verùm se votorum non semper fuisse damnatum, ipse conqueritur cùm in EPISTOLIS APOLOGETICIS, tum in DISSERTATIONE APOLOGETICO-LITERARIA AD ANGELUM FONTEIUM, ubi multos esse conqueritur, *qui in communicandis suorum Scriptorum notitiis adeò tardi & morosi sunt, ut nullis se precibus nullisve literis ad ferendam opem permoveri patiantur.* Quem penes igitur culpa residet, nisi penes ipsos Benedictinos quosdam, quò minùs seu Bibliothecam seu Historiam rei literariæ Benedictinæ perfectam habeamus? Quàm enim eorum aliqui se morosos ac difficiles præbent? Scribes ad eos literas? nullum feres responsum. Librum adusum exiguo tempore tecum communicari postulabis? denegabunt. Admitti in bibliothecam petes? vix à limine illam salutare concedetur. Rogabis, necessariis ad lucubrandum præsidiis te adjuvari? *Manbu! quid est hoc?* Quæ omnia non tam meis, quàm *Wionii, Bucelini, Mabillonii, Montfauconii*, & aliorum exemplis, nisi forent odiosa, testatum facere possem. Sed desinamus querelarum: maximè cùm hodiè non desint à gratificandi studio laudatissimi Benedictini, qui rebus omnibus, quibus possunt, Sodalium suorum labores literarios adjuvare non semper prætermittunt.

Ludovicus Alvarez Hispanicam. Condendæ generalis Bibliothecæ Benedict. difficultas. Pezii & aliorum querelæ.

Sequitur nunc, cujus suprà à nobis mentio atque promissio facta fuit

DE HISTORIA

SERMO CLAUSTRALIS

Ad Patres Sacræ Congregationis Bursfeldensis ab Abbate Erfurtensi Anno 1481. scriptus.

QUi HISTORIAM cùm *Sole* comparaverit, sapienter certè facit. Sicut enim Sol omnibus rebus in aëre, tellure, & aqua, visibilibus & invisibilibus, calorem, incrementum, & sustentationem largitur: ita Historia vitam, fidem, auctoritatem, & stabilimentum donat omnibus rebus in vita communi. Da mihi lucem sine sole, & firmamentum rerum absque Historia. Ipse Deus in sacro-sanctis Libris, quos vulgariter *Biblia* vocamus,

Historiæ præstantia & utilitas.

* Vion præf. ad *Lignum vitæ.*

mus, præter Historiam nihil reliquit nobis. In toto V. T. præter Psalmos Davidis, Proverbia, Canticum, & Ecclesiasten, pura historia, stylo divino conscripta, rerúmque gravissimarum plena. Quid Prophetæ ad unum omnes enarrant, nisi historias? quid sanctissima Evangelia, quàm Liber Historiarum? quid tota Passio Dominica? certè historia, & amplius nihil. Omnes Homiliæ nostræ, seu expositiones Evangeliorum, sunt historiarum sacrarum explicationes. Sen terreas securos & impios, seu consoleris pavidos & tristes, seu confortes fideles in fide & persecutionibus, Historiâ opus est, & sine hac nihil unquam efficies. Vix molliùs ad somnum reduxit mater plorantem infantiam tuam, quàm vel cantillando, seu prænarrando historiolam licèt fictam, non factam. Poëtæ mysteria sua sacra & profana figmentis involvunt, seu narrationibus ingeniosè fictis & pictis. *Tota Theologia studium historicum est.* Legistæ provocant ad Acta sua, sed quid illa, nisi historiæ seu bonæ seu malæ fuerint? *Medici* nituntur ratione & experientia. Hæc ex multorum annorum historiis combinatur, & absque hac tota ars manca & mutila est. Per universam Philosophiam se diffundit Historia, seu speculativam seu practicam inspicias. *Mathesis* fulcitur observationibus, id est, Historiâ. *Ethicus* & *Politicus* semper citat historias. Omnis ætas, omnis sexus, omnis homo, seu magnus vel parvus ille sit, delectatur Historiâ. Quando rustici in cauponis inter se confabulantur, de historiis solliciti sunt, sciscitantes, quid novi in vicinia seu alibi de bello aut pace, vel de aliis rebus hic vel iste audiverit. Summa: *Historia universum mundum regit, ornat, delectat, & sustentat.* Quod cùm ita sit, miror sanè, demirórque RELIGIOSI SACRÆ CONGREGATIONIS PATRES, *Studium Historicum* (sine quo nullus solidè erudiri potest) adeò frigidè, jejunè, & ineptè (si tractatur) in monasteriis nostris passim tractari. Verùm *Sacra & profana Historia conjungenda est, si divinam providentiam, quæ cuncta gubernat, accuratiùs cognoscere, & studiosiùs perspicere velimus.* Meritò igitur in singulis cœnobiis *doctus Historiarum Magister* constituendus erat, qui juniores, at quid de junioribus dico? imò etiam seniores (*nam & hi plerique infantes sunt in hoc studio*) certis horis fideliter informet. O quantum inde lucrum, nec auro vel argento comparandum, quanta inde rerum experientia, quanta inde auctoritas & veneratio Ordini nostro! Annotârunt rerum naturalium Scriptores varia monstra, sed quod sine cerebro fuerit, nondùm reperire potui. Homo equidem juxtà Platonem monstrum est, quòd Sanctissima Trinitas monstret, demonstrétque in eo summum artificium, sapientiam, clementiam, & bonitatem suam, ipséque in compendio monstret admiranda totius mundi. Sanè, *qui Historiarum imperitus est*, hunc ego, alio tamen sensu, *monstrum* dixero. Curate igitur, Sacræ Congregationis Antistites, ut hoc studium prorsùs divinum, & sua natura jucundum, honestum, & utile in scholis nostris vigeat, floreat, crescat, fructúsque ferat mortali & perenni vitâ dignos. Fugite posthac monstrum illud horrendum, cui lumen rationis ademptum, *ignorantiam* scilicet *Historiarum.* Sic demonstrabitis vos Deo, & æternitati famulari, & ad salutem hominum natos esse. Qui aures habet audiendi, audiat, imò audiet. Obstupui, & vox mihi hæsit faucibus, si aliquando Prælatos Ordinis nostri de Fundatoribus & Antecessoribus monasteriorum suorum interrogavi, ipsos autem magis mutos deprehendi, quàm pisces. Nihil enim planè nihil respondere sciebant, seu confusè tamen, & hæsitanter, & parciùs, omnium rerum antiquarum ignorantissimi. *Ordinis nostri Instituta non sunt otiari, vel edere, vel bibere, aut saltem in choro Psalmos decantare, seu in cella aliquid orare, sed scholas etiam habere, in que iis sacras Literas & bonas artes ac scientias fideliter docere, & diligenter discere; Inter has autem Historia triumphat, & imperat, ut Regina à Deo nobis data.* Si conveniatis inter vos & faciatis hoc *Statutum*, ut quilibet Prælatus de conscribendis *Annalibus* vel *Historia monasterii sui* sollicitus esse debeat, quid meliùs, quid utilius, quid vel scitu, vel lectu jucundius præstare poterit? Dicis: *Unde otium* Abbati, qui curam debet habere rei sacræ & œconomiæ? Licèt ipse nec velit, nec possit hunc laborem in se suscipere, an non in Conventu idoneus aliquis, quem ad hoc opus deligere, & constituere valeat? at desit, aliunde petendus erit, qui bonum opus perficiat. Non dubito, quin alia monasteria etiam extra *Congregationem* & Ordinem nostrum pari diligentia accendantur, & vestigia nostra sequantur. *Si Summus Pontifex & Apostolicus Dominus universale Mandatum per totam Germaniam emitteret, ut idem studium eandémque curam in colligendis Annalibus suis quælibet*

Theologia & aliæ scientiæ nituntur Historiâ.

Constituendus in monasteriis Historiographus.

Perstringitur Abbatum ignorantia.

Statutum condendum de conscribenda cujusque cœnobii Historia.

bet Diœcesis & Monasterium haberet, eósque posteà ceu Palladium suum conservaret; prob! quàm saluberrimum institutum foret. Et si Imperator suum adderet præceptum, ut idem facerent omnes Principes & Comites in Imperio, quisque in suo territorio, vix aliquid gloriosius, seu utilius factum puto in Germania. Quis verò usus hujus laboris? inenarrabilis erit. Quodlibet enim monasterium (*de Provinciis idem erit judicium*) omnia privilegia, documenta, & acta sua in compendio haberet, nti Homerum in nuce, & sic cum Graio isto sapiente omnia sua commodè secum portaret tempore persecutionis. Salva etiam manerent privilegia, immunitates &c. quæ aliàs variis injuriis & mutationibus, belli, ignis, insidiarúmque manuum exposita sunt. Quot lites & inconvenientiæ posteris vel præscinduntur, vel deciduntur, si membranæ integræ, & illæsæ in *Copialibus* servantur? Nemo poterit certiùs & justiùs admirari Providentiam Divinam in regenda navicula Ecclesiæ suæ, quàm hoc modo, si origines & progressum cujuslibet in particulari attentiùs legat; placebit pius fervor fidelium Principum in fundandis monasteriis, & summa eorum liberalitas, ut devotiùs pro tantis Benefactoribus oremus. Crassa ignorantia domum suam nescire, eámque non satis perlustrare, & majores suos ignorare. Magna ingratitudo, gloriam, & memoriam ac pia facta Antecessorum suorum contemnere, eósque, si tamen possimus, ab interitu non vindicare. Sunt quidem multi Ordinis nostri viri docti, & conscientiosi, qui in hoc studio valdè sudàrunt hactenùs, sed unum est, quod displicet mihi. Quod nimirùm à scopo aberrent, & peregrina, quæ nihil faciant ad rem, immisceant, ut saltem volumina crescant. Nullum monasterium in tota Congregatione, fermè dixerim, Germaniâ, quod non commentarium aliquem perito Scriptori suppeditet, ut alienarum rerum obliti, metæ nostræ, quam præfigimus, unicè insistere possimus, & debeamus. Date mihi vilissimum & obscurissimum omnium, an non *Fundatorem*, seu *Fundatricem* habuit? quis vel quænam, ille seu illa? quæ familia, vita, & intentio utriusque fuit? quæ & quanta dotatio claustri? quæ privilegia? quæ series & successio Prælatorum, seu Prælatarum? quid quisque seu quæque benè vel malè egit? quamdiu sedit? quomodo de seculo in seculum monasterium crevit & decrevit? ex quibus occasionibus & circumstantiis? an non in Diœcesi sua memorabilia, seu monumenta quædam repeririuntur, quæ, ut domesticæ adjungi possint? Hæc & similia si diligenter inquirantur, notentur, scribantur, an non cum Deo & tempore pulchrum vobis reddi possit *Chronicon* variarum antiquitatum Monasticarum plenum? Respondete mihi ad hæc *Sacræ Congregationis Patres*! Quis non commoveatur ad *Historiam*; quandoquidem sanctissimi Viri, *Moyses, Prophetæ*, & *Evangelistæ* Historiarum Scriptores fuerunt. Nec labor quemquam bonum deterreat. Ad hunc enim nati sumus, ut volucres cœli ad volandum, & pisces ad natandum. Sed non quilibet aptus ad eum? Rectè. Non quilibet: Ergò etiam nullus? è quovis ligno non sculpitur Mercurius, nec *cuivis contingit adire Corinthum.* Eleganter itaque & formentur *ingenia apta*, & hæc sanè vobis non deerunt in tanta Congregatione. Ita: difficile studium historicum est, sed *jucunditas & utilitas ex eo promanans omnes superat difficultates. Historicum oportet esse veritatis amatorem, qui sciens nihil scribat, nisi quod factum sit.* Hoc non considerant illi, qui tot fabulas mulierum, & vana somnia congerunt, quam turpitudinem odi & culpo. *Sincerè scribendum est, & verè.* Si tamen, uti fit aliquando à falsa narratione, veri speciem habente, ipsum tactum specialiùs ignorans, decipiàris, veniam dabunt probi & candidi viri. Deinde potiora, graviora, utiliora, & perenni memoriâ digna notanda & excerpenda sunt. Si verò minora & leviora aliquando immisceantur, ideò fiat, quia & hæc usui esse possunt, licèt alius ex ignorantia rei parùm capiat. An non ex scintilla aliquando incendium? & an non ex minutis rebus prolixæ lites cum multis tædiis? *Ergo judiciosè agendum est in omni historia.* Licèt etiam styli decor historiam maximè ornet, tolerabilis tamen erit, modò vere & prudenter singula colloces. *Res & pondera rerum magis respiciet sapiens, quàm colorata verba sine iis.* Verba scilicet satiant animos minimè. Sed propositum meum non est docere, quo artificio scribendæ sint historiæ, potiùs autem monere, ut communi Patrum Decreto & publica authoritate sedulò doceantur illæ in monasteriis nostris, nec studium istud sapientiæ adeò neglectum ampliùs jaceat. *Sine historia non est bonum.* Sine ea non sumus Monachi, imò sine ea nemo potest salvari æternùm. Cœlitùs delapsum erat venerabile istud:

Ejus vel utilitas.

Metæ in rebus ordinis figendæ.

Nec labor defugiendus.

Sincerè scribendum & verè.

Res magis quàm verba quærendæ.

Sine historia non est bo[num].

istud: *Nosce te ipsum.* At quomodo sine Historiæ adminiculo te noveris inquam? scrutare & fatearis necesse est, me vera dixisse. Stulti essemus, & magni fatui, si adeò rigidam vitam eligeremus, nescientes, sanctissimos quosque eam præ omnibus mundi oblectamentis, deliciis, & divitiis amâsse unicè. At hoc quis tibi sine Historia dixerit? Passio Dominica est nostra exaltatio, & exultatio, nostra consolatio, & æterna salvatio. Quis verò hanc sine Historia docuit vel didicit unquam? Pauciora dixi. *Venerabiles Patres*, cum prudentibus enim loquor, & religiosis Viris. *Inter omnes Ordinis nostri Reformationes nulla pulchrior & constantior adhuc fuit, quàm hæc nostra* BURSFELDENSIS, *quia veris fundamentis subnixa est. Ipsa enim nucleum, medullam, animámque Regulæ sanctissimi Patris nostri intendit. Scitis Venerabiles Patres, Bursfeldam eo tempore, cùm Johannes noster ex Clusa propè Gandesiam, consilio Ottonis Brunsvicensis, primùm in eam veniret, fuisse horribilem abominationem totius Saxoniæ. Unicus enim ex tot in ea adhuc frater latebat, & quidem miserrimè, præter vaccam famelicam non aliud ei sustentaculum, sacra ædes straminea erat boum, equorum, vitulo[illegible]mque stabulum. Ipse tamen Johannes bono cum Deo saluberrimum Reformationis nostræ opus in ea consummavit fideliter & feliciter.* Laudate miraculum Altissimi: Quanta posteà solemnitate *Nicolaus Cusa* S. R. E. Cardinalis hujus Reformationis sacram Congregationem confirmaverit, & post hunc PIUS II. Dominus Apostolicus, omnes scitis. Cùm igitur è sordibus levati simus, meritò *Scholas* nostras optimè constituamus. *Si verò HISTORIA desit, nihil laudis, nihil emolumenti aut fundamenti, reliqua studia habebunt.* Credite mihi Patres, & ad lancem rationis & veritatis singula dicta mea expendite. Ad Dei gloriam & omnium salutem dico vobis, quod dico. Singula etiam si postulatis, in solemni Capitulo coram omnibus & singulis explicabo & demonstrabo solidiùs.

Congreg. Bursfeld. elogium.

Qui Historiam despicit bestia bestialior est.

Nihil præscribo vobis, nec prudentiorem, seu doctiorem me judico, urgente tamen conscientia, ut fidele sacræ Congregationis membrum, hæc animi mei arcana vobis ad dijudicandum propono & expono. Neminem è vobis unquam puduit, si quando in itinere dubius informari potuit à subulco, vel aniculâ rugosâ. Gratias agam puero, si in bivio trepidanti mihi digito monstret, quò tutò ire possim. Quis igitur hoc meum consilium spernet? Pietas & Doctrina fecit, ut dextera Domini Ordinem nostrum exaltaverit, eúmque admirabilem reddiderit coràm universo mundo. At ubi illa, seu hæc docetur & discitur nisi in scholis? Quomodo autem illa vel ista sine exemplis, sine historiis, vel juniori, vel seniori, infundi potest? Tantæ virtutes, tanta dignitas, tanta utilitas, & tanta etiam divinitas inest Historiæ, quam qui non æstimat, collaudat, & discit, *omni bestia bestialior erit.* Despectis literarum studiis soli Deo placere desiderans BENEDICTUS Pater noster, sanctæ conversationis habitum quæsivit. Studia literarum despexit, tanquam sancto ejus proposito inimica, sed Historiam non despexit; siquidem *S. Gregorius* M. supremus Pontifex & Vicarius Christi, dum vitam ejus scriberet, nihil planè scripsit, quàm narrationes historicas; Et quid vobis miracula sunt, quàm historiæ seu relationes rei ita verè gestæ? Si quis apud Græcos & Romanos proverbialiter vel lepidè & concinnè quid dixisset, subitò annotabatur pro notitia, informatione, & delectatione posteritatis. Et nos piget Acta Antecessorum & Monasteriorum nostrorum pro usu & instructione posterorum, fideliter conscribere, cùm tamen sic ad idem studium excitari possint? Non sufficit, quòd ego statum cœnobii mei sciam, & posteri eum scire volunt, & debent. Quomodo autem id fiat, nisi eum à nobis descriptum aliquando reperiant? An non socordiæ, ignorantiæ, infidelitatis, imò levitatis nos arguent, putantes: *nos cum Sardanapalo tantùm edisse, bibisse, lusisse, & brutali more, præsentia, futura, & præterita pari oblivione dimisisse, cùm nullum industriæ & fidei specimen exstet.* Omnia quæ manu struimus, temporum injuriis pereunt, & deletur memoria eorum, & evanescit velut fumus & umbra. *Sola charta durabilis est, & perenni memoria digna.* Multi opinantur, si grande aliquod saxum, cui effigies eorum incisa, sepulchra tegat, sat tutos & munitos esse ab interitu. At quid mihi cum inani istâ gloria, & vanis sumptibus, quos propter Deum in pauperes erogare malo? Hócne tu pro laude habes, quòd post mortem quilibet rusticus pedibus effigiem tuam conspurcat & conculcat, dicens nihil amplius, quàm HIC JACET PATER THOMAS, PRÆLATUS OLIM. Ab illo laudaris, ab isto vitupe-

S. Benedictus Historiam non despexit.

Quid posteri de nobis cogitaturi si nihil scriptum reperêrint.

ituperaris, prout hominum affectus sunt, qui nigrum ab albo distinguere nesciunt. Si alii facultates monasterii per avaritiam & fraudes, sique per fas & nefas trecentis &c. florenis augent, magnum se patrâsse gloriantur. Sed quid hoc cum proposito meo? Prælatus præsit & prosit vivis & futuris; piè & justè, secundùm Dei mandatum & conscientiam suam. Oportet enim eum villicationis suæ rationem reddere in districto examine, etiam de omissis bonis operibus. Conjungite igitur *Venerabiles sacræ Congregationis Antistites*, mentes manúsque vestras, & ad majorem Dei gloriam, ad salutem, instructionem, & delectationem hujus & futuræ ætatis, hoc negotium *de conscribendis Chronicis*, seu *Annalibus Monasterii* seriò volvite atque revolvite. Scribite, ipso Deo mandante, pro generatione altera, & populus, qui creabitur, laudabit Dominum. Scribite, quæ audieritis, & cognoveritis, quæ Patres vestri narravêre vobis. Ista non celate filios, & posteritatem nostram, ut cognoscat generatio altera, ut ponant homines spem suam in Deo, & non obliviscantur operum ejus, sed mandata illius servent in æternum. Callicrates sagittâ per latera ictus, postquàm cum aliis exportaretur, sese morientem miseratus est, non quòd pro Græcia occumberet, sed quia nihil laudabile posteris relinqueret. Ne igitur & vos obscura mors maneat, præclarum hoc institutum attendite, & scribite Deo & Posteritati. Valete & judicate. Dat. è Cella mea claustrali in Festo Fabiani & Sebastiani Martyrum. Anno Domini MCCCCLXXXI.

Abbates ad conscribenda chronica excitantur.

Quirinus de Monastica Italiæ Historia.

Non tantæ támque remotæ ætatis, sed nostri ævi, atque paucorum annorum est alia Dissertatio de *Monastica Italiæ Historia* conscribenda, quam ANGELUS MARIA QUIRINUS S. R. E. Cardinalis elucubravit. Is enim nondum sacrâ ornatus purpura cùm ex itinere literario, quod in Germaniam, Galliam, Angliam instituit, in Italiam reversus esset, in majoribus comitiis Patavii celebratis Generalis sacræ Congregationis Casinensis *Historiographus* electus fuerat: quâ provinciâ ut ritè & cum dignitate fungeretur, singula ferè, potiora certè Cœnobiorum Tabularia pervolutans, antiqua & recentiora momumenta ad monasticam Italiæ Historiam efformandam undique copiosissimè collegit, in duodecim planè Tomos distribuenda. Occasionem etiam cepit, Sanctitatem suam, *Clementem XI.* exorandi, ut Collectanea de rebus monasticis à *Cornelio Margarino* in plures manuscriptos Tomos redacta, & in Arce Castri S. Angeli asservata, secum communicari juberet. Annuit illicò Pontifex ejus precibus. Priùs verò quàm scribendæ Historiæ initium faceret, *Dissertationem de eadem sapienter conscribendâ* typis expressam, cum Superioribus ac Sodalibus suæ Congregationis communicavit. Quæ uti magnæ est elegantiæ, ita in Benedictinis Germaniæ Bibliothecis perquàm paucis habetur. Quare exemplar illius ex Italia nactus, in gratiam Sodalium nostrórum in Germania typis infrà describi curabo, QUIRINUS verò post Dissertationem modò dictam juris publici factam ad ipsum *Monasticon Italiæ Benedictinum* conscribendum se accinxit. Initium à *Farfensis Monasterii*, quondam celeberrimi, Historia facere ei collibitum fuit. Quæ causa fuit, ut ipsum Farfense monasterium mense Aprili anno 1717. adiverit. Excusso tabulario, perlectóque veteri Chronico monasterii post duos menses ad urbem Romam reversus, novam illius Cœnobii Historiam condidit, ac prælo subjecit. Hac verò vix imprimi cœpta, magna ejus impressioni impedimenta creata fuerunt, ut ipse Eminentiss. Cardinalis in Historico Vitæ suæ Commentario * his verbis exponit.

Ejus de Farfensis monasterii Historia relatio.

„ Quamvis ex Collectaneis *Cornelii Margarini*, & ex Chronico Farfensi, de quibus suprà, luculentas rerum Farfensium notitias mihi comparâssem, nihilominus celeberrimum illud Cœnobium citò invisere constitui, quò pleniùs ex ipso fonte aquas potarem. Adii itaque illud mense Aprili, ibíque binis mensibus permansi plerasque omnes diei horas insumens in veterum chartarum investigationibus, unde idoneus efficerer, statim ac Romam remeâssem, contexendo, & in lucem edendo primo monastici Italici Voluminis, quod unicè sibi vindicaret Farfensium monumentorum descriptio. Nova igitur eorundem suppellectile instructus, atque ditatus Romam repetii; móxque opus, quod dixi, impigrè

* Part. 2. lib. 1. c. 8. p. 123. seq.

Monasterii possessionibus Fiscus noster sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione adipiscendà Monasterio concedimus. Zacagnius autem Historicæ Dissertationis suæ n. 107. ita loquitur: *Monasterium tamen Farfense sub Protectione Augustorum tunc fuisse constat, adeóque Romanos Pontifices permisisse munificentissimis illis, déque Romana Ecclesia bene merentissimis Principibus, ut ipsi de rebus ad eosdem Monachos pertinentibus judicium ferrent.*

& alia documenta faciunt. Etsi verò Præsul ille, antequam eam Dissertationem conderet, adeundum sibi putâsset Farfense Cœnobium, nihilominùs dicere opus est, defuisse illi tempus ad perlustrandum Farfense Regestum ea diligentia, quæ necessaria foret. Adsunt enim in eo documenta, Principes illos non localem, non peculiarem tantùm potestatem sibi vindicâsse in ferendo de rebus ad Monachos Farfenses spectantibus judicio, sed eandem exercuisse *sedentes ad singulorum causas audiendas, & justitias faciendas*, documenta insuper ab iisdem Principibus edita ad tuendam Farfensium prædiorum exemptionem à Pontificia dominatione *in Civitate Romana æquè in aliqua alia parte nostri Regni Italici.*

Jurium Apostolicorum vindiciæ. Hisce autem in eo Scripto à me præmissis, transitum feci ad afferendas *Apostolicorum Jurium Vindicias*, quibus nihil opponi posset ex Farfensium Monumentorum auctoritate, easdémque huc transferam iis ipsis verbis expositas, quibus in eo Scripto continebantur, *Che Carlo M. e successori si arrogavano la suddetta potestà per sola ragione del Patriziato conferitoli dalla liberalità de' Pontefici, e che dalla volontà di questi dispendeva. Che i Papi toleravano in Carlo, e successori molta autorità nelle cose donate per evitare la taccia dell' ingratitudine. Che l' amicizia perpetua stabilita trà Carlo e Pontefici lasciava correre diverse cose* præter consuetum rerum ordinem, & ad communem utilitatem. *Che non avendo i Pontefici forze sufficienti per contenere i loro sudditi, credevano di non poter meglio fare che con raccomandare il governo di questi alla potenza de' Cesari. Che i l'api alieni dalla milizia si facevano la loro principale occupazione delle cose ecclesiastiche. Che* Leone III. *rinovò in Carlo M. il titolo d' Imperatore per dare a Roma, ed alla S. Sede non un padrone mà un difensore. Che i Giudici Imperiali erano spediti nelle Provincie Pontificie* non summi imperii jure, sed *Advocatiæ* & *Protectionis* debito in obsequium Apostolicæ Sedis, & ad ejus utilitates procurandas. *Che l'accettazione del Giudicio Imperiale era volontaria non necessaria* ad honorandos R. E. Defensores & Advocatos. *Finalmente che tutta quell' autorità veniva esercitata da Carlo anche prima di ricevere da Leone la Corona Imperiale, e però quand' era meramente* Patritius Romanorum. *Ch' era esercitata in un paese come il Ducato di Spoleto, e Sabina soggetto alla S. Sede prima delle Donazioni, cioe per volontaria dedizione de' popoli. Che era esercitata anche dopo la Donazione pienissima di Ludovico Pio, che vale a dire in tempi e luoghi, ne' quali indubitatamente il Papa doveva considerarsi & essere unico supremo Padrone.*

Quirinus libellum Pontifici porrigit. Indulsit Pontifex, ut Scriptum illud Sacris suis manibus à me ipso offerretur. Idque quum fecissem, spopondit verbis clementissimis, istud perpensum à se iri animo prorsùs intento, & magnoperè cupido, ut collocata à me industria in argumento, cujus tractatio ex temporum acerbitate gravissimis obnoxia foret difficultatibus, in irritum haudquaquam caderet. At revera me frustra laborâsse paulò pòst edocuit eventus; nam literas hasce à *Majella* Præsule accepi, *La Scrittura, che mi dò l' onore di rimandare a V. P. Reverendiss. ha tuta la forza per mostrare la necessità, da cui Ella è astretta ad agevolare l' edizione dell' opera consaputa; ma non contiene alcun motivo per rimuovere S. Santità dall opinione, che l' opera sia per riuscire pregiudiziale ai diritti della sua Sede; maggiormente essendo restatâ nel medesimo sentimento dopo osservato il ristretto delle risposte, che V. P. Reverendiss. dava agli avversari, che si servivano di quei monumenti. Sicchè tutta l'annessa Scrittura par che sia diretta a dimostrare a S. Beatitudine la necessità di permettere una edizione, che non può piacerle; il che é totalmente opposto alle savie e giuste mire, ed alla prudente e religiosa condotta di V. P. Reverendiss. Quando poi la Santità S. s' inducesse per li motivi allegati a soffrire e tolerare la detta edizione, non vedo quale apologia si possa fare col sacro Collegio, e con tutta la Corte, la quale non è informata degl' impegni già contratti di publicar l' opera. Del resto jo vedo bene, che bisognarebbe ultimar quanto prima l'affare, ed ottenere da S. Santità la decisione, perche ancor io prevedo il bisbiglio, ch' Ella prudentemente considera. Ma la sincera e cordial servitù, che professo a V. P. Reverendissima, e la stima, che fo del sin-*

Majellæ rescripti.

golar suo merito, mi fa nuovamente dire, che non sia espediente d'indurre S. Santità a condescendere all' edizione, quando non sia per darne la permissione con pieno contento. In tanto io che vivamente la compatisco sospiro le aperture di poterla servire, ed attenderò l'intenzione data del consaputo Congresso, per maggioramente attestarle la candidezza e l'ossequio con cui rassegno &c. Datæ sunt hæ literæ 8. Dec. 1718. ac proinde testantur, per integrum & amplius annum digladiandum acerrimè fuisse adversus objectas mihi difficultates.

Quirini animum vexat. Hæ animum meum eò magis vexârunt, quòd probè intelligerem, easdem æquè obstituras, ne aliorum Cœnobiorum, eorum præsertim, quæ sitæ forent in ditionibus Pontificiis, seu etiam in Regno Neapolitano, veteres chartæ in lucem proferrentur. Attamen parui omnino, uti decebat, Pontificis sensibus, & quem exitum tandem res habuerit, fidem faciet Cardinalis Alamanni Salviati Epistola, data post duodecim & amplius annos ad Nereum Corsinum, Clementis XII. ex fratre Nepotem, nondúmque à Patruo sanctissimo ad Purpuram evectum; recruduit enim, ut suo loco dicetur, eadem de Farfensibus chartis controversia, dum ageretur de Bibliothecæ Vaticanæ Præfectura mihi ab eodem Pontifice destinata. Hæc habet Epistola illa, *Credo che sia bene, che sappia V. Eccellenza, e per mezzo suo N.S. che parlando io accidentalmente con Monsig. Riviera gli domandai se a tempo di Clemente XI. aveva sentito parlare d'alcune carte di Farfa copiate dall' allora Padre Abbate Quirini, mi rispose, che ne era informatissimo, e che quel S. Papa pensò di mandare lui stesso a pigliare quel Codice, e riporlo in Castello, ma che poi fatta riflessione che quelle tali carte non parlavano che di qualche Giurisdizione esercitata dagli Imperatori nelle Terre della Chiesa e che di simili monumenti ve n' erano le migliaia, a quali tutti si rispondeva con altri documenti, e con buone ragioni, fustimata inutile se non dañosa questa cautela, e fu comendata l'attenzione insieme, e la fatica del Padre Abbate l'una per avere sottoposte alla disposizione del Papa quelle carte, l'altra per avere trattata la materia con tanto vantaggio della Chiesa, e più non se ne parlò. Monsig. Riviera e vivo, e vede, ed abita non molto lontano da V. Eccellenza, alla quale si ricorda sempre ben devoto, salviati.*

Adeò firmè perstiti in voluntate obsequendi Pontificis imperio, & Maielke Præsulis consiliis, quibus præterea omnino consentire deprehendi Cardinales, *Fabronum, Ptolomæum*, & *Ottobonum*, ut ne hilum quidem me ab eadem dimoverint adhibiti ad eam rem amicorum quorundam conatus. *P. Joseph Maria Sandius*, Bibliothecarius S. Justinæ, hæc ad me scripsit, *Il mio profondo rispetto vuole, che comunichi a V. P. R.ma un §. di una lettera scrittami dal P. D. Bernardo Pez Benedettino, e famoso letterato, e Bibliothecario di Melk. Dimostra egli una straordinaria passione per la stampa della di lei Storia, fiduole molto dell' incontrate difficoltà in queste formali parole.* „ Et quid tan„ dem sperandum de Monastico Itali„ co Clarissimi *D. Quirini* nostri? Opus „ hoc trans Alpes incredibili desiderio „ expectatur. Dolendum sanè tot ei „ negotia Romæ facessita. In Germa„ nia vel Gallia hujusmodi Opera li„ beriùs & tutiùs eduntur. „ *Jolesso dire che egli la stamperebbe volentieri, senza che V. P. R.ma ne spendesse altro che la briga di farle avere l' Opera MS. ed io gliela farei avere per sicuro camino.* Dum incertus adhuc foret exitus Voluminis, de quo hìc modò agitur, Joannes Frater meus Venetiis Romæ visendæ causa ad me accessit mense Junio anni 1718. quámque isto de negotio curam amantissimè ceperit, publica folia Amstelodami impressa in hunc modum evulgârunt, *De Rome le 17. Juin. M. Querini, Procurateur de S. Marc de Venise, qui s'est arreté icy pendant un mois, pour voir les magnificences de la Ville, & les fonctions sacrées, a été fort bien reçû par le Pape, à qui il a representé dans une longue audience, combien la suppression du Volume travaillé par le R. P. D. Querini son Frere, faisoit de tort à la reputation de l' Autheur, & interessoit tous ses parens, & bons amis de Rome, & de Venise. On dit que sa Sainteté a des fortes raisons pour n' en vouloir pas permêttre l' Edition. Le crime de l' Autheur à ce qu' on publie, est d' avoir deterré dans les Archives des Abbayes de son Ordre beaucoup de pieces, que les Reviseurs Romains ne jugent pas à propos de laisser publier. Peut-être que l' Edition se faira à Padoue, ou à Venise, ce qu' on veut que le Pape ait accordé aux instances de M. le Procurateur.*

Quid Sandius & alii de Monastico Italiæ Bened.

Hactenus Em. Card. *Quirinus*, cujus nunc Dissertationem, de qua suprà mentio nobis facta est, subjicimus.

DE

DE MONASTICA ITALIÆ HISTORIA

CONSCRIBENDA

DISSERTATIO

AUTHORE

D. ANGELO MA QUIRINO VENETO

Congregationis Casinensis Monacho, & Historiographo,

Nunc verò S. R. E. CARDINALI.

Ad Reverendissimos Congregationis Casinensis Præsules pro Comitiis Generalibus Perusiæ convocatos.

QUod unum maximè, REVERENDISSIMI PATRES, literaria omnis Respublica postulabat, Quod Italici nominis dignitas expetere videbatur, Quod jam pridem Casinensium Cœnobitarum Cœtus officii sui esse ducebat, Quod Majores nostri animo destinaverant, Ut nimirùm publica auctoritate Benedictina Italiæ Historia literis mandaretur, Hoc benè ac sapienter Vos ipsi in postremis Patavinis Comitiis præstitistis, dum de novo apud nos instituendo munere HISTORICI, cui hujusmodi demandaretur provincia, edito decreto sanxistis. Enimverò cùm exploratum foret, apud exteras nationes minimè defuisse Viros apprimè eruditos, qui Monasticis Provinciæ Gentísque suæ rebus illustrandis egregiam operam navaverint, quò illi hac in re celebriori laude inclaruerunt, eò majori invidiâ Italorum Monachorum incuriam, ut ipsi vocant, atque oscitantiam onerârunt; perinde ac si avitus Monachismi splendor, Parentum suorum Gesta, Familiæ, cui nomen dederunt, decus & gloria, nec leviter ipsorum pectora pertentarent. Quam profectò contumeliam longè probrosiorem ea de causa reputandam ajunt, quòd sanctissimum BENEDICTI Institutum primitùs apud Italos incœperit, apud Italos adoleverit, quòd antiquiora ac nobiliora apud ipsos cœnobiorum fundamenta, quòd Reges, Principes, & Magnates benè multi eorum Cœtibus adjuncti; quòd ipsorum Asceteria, si quæ alia, omni pietatis, & doctrinæ genere præstantissimis Viris effloruerint, indéque tot Cœlitum turmæ ad beatas illas Sedes evolaverint, tot Præsules ad primos Christianæ Reipublicæ Magistratus accesserint, supremámque etiam, quâ nulla major in terris, Romani Pontificatûs potestatem diuturno temporis intervallo administraverint. Dedecus, & invidiam augebat, quòd doctissimi Viri ad Italiæ Provincias ex remotissimis regionibus profecti nihil sibi antiquius esse præseferebant, quàm ut ad cœnobiorum nostrorum Bibliothecas, & Tabularia velut ad intactas fodinas convolarent, ibique latentes omnigenæ eruditionis divitias eruerent, quas posteà in patriam reduces magnificè ostentarent, & tanquam Italicis spoliis onusti, præter modum superbirent: dum intereà nos ipsi, seu opum nostrarum ignari, seu desides, ut illis videbamur, literaríique hujusmodi Laboris impatientes, scrinia nostra peregrinis manibus compilata, prædásque ex agris nostris abactas tacito vultu spectaremus; Accidítque non rarò merces nostras, vetera scilicet monumenta, ad exteras regiones convectatas adscititio fuco, & cerussâ peregrinâ, quin quibusdam veluti præstigiis ita ornari, componi, atque interpolari, ut posteà publici juris factæ, seu Italicæ Gentis jura dignitatémque imminuerent, seu nostrorum Principum auctoritati grave vulnus infligerent, seu Romanorum Pontificum majestatem violarent, quin etiam Ecclesiasticam in universum disciplinam, & sanctissima fidei nostræ dogmata, quantùm in ipsis erat, labefactarent, atque convellerent. Perinde quasi audaces illi nostro patrimonio non satis sibi divites effecti viderentur, nisi illud ipsum in labem, atque perniciem nostram converterent; quasi etiam splendido epulo excepti convivæ innocuas escas pestiferâ tabe, quâ ipsorum laborant præcordia, primùm corrumperent, dein verò lethales halitus, grati veluti animi argumentum afflarent. Fuêre quidem, fatemur enim, ex ipsis nonnulli probitate non minùs quàm doctrinâ excellentes, quibus Bibliothecas & Archiva

Benedictina Italiæ Historia jam diu expetita

Casinensiū Comitiorū auctoritate, decernitur.

Apud exteras natiões Monasticarum rerum illustrandarum studiū.

Italorum Monachorum quædā veluti incuria traducitur.

Monachismi gloria major apud Italos, quàm apud alios.

Italorū Cœnobiorum Bibliothecæ & Tabularia sæpiùs ab exteris eruditionis causâ expilata.

Inde exterorū veluti de Italicis spoliis triumphus.

Quidam ex ipsis parùm erga Italos æqui.

Aliorū verò laudan-

de non minùs doctrina.

chiva nostra patuisse quàm maximè gaudemus, quippe qui congestis opibus Literariam Rempublicam ita locupletârunt, ut eò se propiùs à veritate quò longiùs ab Italici nominis offensione, abesse commonstrarent. At offensio hæc ipsa erat atque admodùm odiosa, quòd hujusmodi homines per immensa itinerum incommoda Italiæ Cœnobia adeuntes thesauros effodiant, eripiant, avertántque, quos nos veluti damnosam hæreditatem repudiare, atque aspernari videamur; Rémque proindè vehementer pudendam iidem ipsi posteà clamitabant, quòd Itali Cœnobitæ non externarum tantùm sed domesticarum etiam rerum notitias ex alienigenarum eruditis lucubrationibus haurire cogeremur, eósque vocibus illis compellare, quibus olim Tullius Varronem alloquebatur: *Nos in nostra Urbe peregrinantes, errantésque Tui libri, quasi domum reduxerunt, ut possemus aliquando qui, & ubi essemus agnoscere, Tu ætatem Patriæ, tu descriptiones temporum, tu Sacrorum jura, tu Sacerdotum, tu domesticam, tu publicam disciplinam, tu ædium, regionum, locorum, tu omnium divinarum humanarúmque rerum nomina, genera, officia, & causas aperuisti.*

Italis Monachis vitio datum, quòd ab exterorum scriptis Historias suas discere cogantur. Ciceronis ad Varronē allocutio.

Notam hanc, & labem, quam plerique malâ bile adversùs Italos exæstuantes verbis contra jus fásque asperioribus quandoque exaggerârunt, tandem Eruditi omnes gratulantur propulsatam vestro, *Reverendissimi Patres*, Senatus-Consulto, quo cautum fuit, ut è nostris unus Veteribus Cœnobiorum nostrorum monumentis conquirendis, eruendis, atque illustrandis incumberet; ut nimirùm compertum fieret, Italos quoque Cœnobitas in commemorandis Patrum suorum gestis exterarum gentium studium, atque conatus æmulari, Italos quoque eruditæ vetustatis pretium utilitatémque æstimare, ac demùm hac ratione peregrini homines codices, schedásque nostras excutiendi incomodo liberarentur, iidémque ercifcundæ familiæ, regundorúmque finium postularentur; nec nobis amplius querulum illud carmen occinendum foret, quòd novalia nostra, quòd segetes nostras alienigenæ haberent. *En queis consevimus agros!*

Incuriæ nota novo Casinensium Senatus-Consulto omninò depulsa.

Actio ercifcundæ familiæ adversùs Eruditos alienigenas intentanda.

Beneficium hoc nuper in literariam Rempublicam collatum gratulantur, inquam, Eruditi, At quantò alacriùs, & vehementiùs gauderent, si, dum de hujusmodi re deliberâstis, parem tantæ provinciæ hominem suffragia vestra deprehendissent; Idque eò magis optandum videbatur, quòd hac tempestate celeberrimi, iíque doctissimi Viri, atque in Monasticis studiis exercitatissimi Galliarum Cœnobitæ Benedictinis Annalibus describendis egregiè desudent, jámque partim ediderint, partim sint edituri, in quibus ea, quæ Monachi nostri in Galliis, atque in exteris plerisque regionibus gesserunt, adeò ubertim tractantur, ut nihil in eo genere absolutiùs fieri posse videatur. Italiæ honos, & familiæ nostræ decus exposcebat, ut hîc quoque monasticæ rei illustrandæ unus præficeretur, qui cum ipsis ingenio, & eruditione certaret; Ii siquidem Cœnobiorum nostrorum Historias obiter tantùm attigerunt, ita ut elaboratissimum illud Opus Annalium Benedictinorum, quod potiora Politicæ, atque Ecclesiasticæ Historiæ capita complectitur, in hac parte deficere omnium judicio existimetur.

Celeberrimum in Galliis Opus Annalium Benedictinorum.

At in eo Italorum Cœnobiorum Historia valdè jejuna.

Votis vestris, atque sententiis, REVERENDISSIMI PATRES, obviam occurrit imbecillitas ingenii mei, quod sentio quàm sit exiguum, longissiméque absit ab ea præstantia, atque exercitatione, quæ impositis tanti muneris partibus pro dignitate respondeat. Equidem quotusquisque est, qui non videat vos in hoc delectu, quid humeri mei ferre valerent, quídve recusarent, minimè pensâsse, sed assiduos studiorum meorum labores, quibus à teneris unguiculis assuevi, & eos præsertim, quos indagandis Ecclesiasticarum rerum memoriis impendi. Spectâstis etiam eximium amorem ac zelum erga Monasticum Instirutum, quo semper flagravi, quoque non in Patriæ meæ sinu, non inter Parentum, Fratrúmqne complexus, non Consanguineorum & Amicorum aspectu recreatus arripui, sed longè à patriis penatibus superato Apennino in extera regione, in urbe nimirùm Hetruriæ principe *Florentia*, quam posteà ingeniorum, & animi cultus ibi quàm maximè vigens, politior vitæ humanitas, doctissimorum virorum copia, Civium ab omni ordine erga me benevolentia, quin ipsius Principis facilitas summa, atque benignitas, Patriâ ipsâ meâ, si fieri posset, chariorem effecerunt; Eámque præterea mihi intimè commendabat Clarissimi Bembi memoria, qui Florentiæ, dum ibi Bernardus ejus Pater Veneti Legati munere fungeretur, Literarium fecit tyrocinium, Memoria

Historiographi munus Auctori demandatum.

Auctoris studia, ejusque amor erga Monasticū Institutum.

Auctor Florentiæ Monasticen profitetur.

Florentiæ diu moratur, eámque habet veluti loco patriæ.

P. Bembus Florentiæ

moria item Vincentii Quirini, qui in Florentino ſolo ad Camaldulenſem Eremum, Petrus ibi nuncupatus, quo tempore ſummam Anachoretici illius Cœtus præfecturam Petrus Delfinus adminiſtrabat, convolavit, ibíque diu vixit illius civitatis elegantia, morúmque comitate mirificè captus, laudatúrque pluribus locis ab eodem Delfino in Epiſtolis ſuis. Fortè etiam animo veſtro reputâſtis peregrinationes meas cum chariſſimo, atque amantiſſimo Fratre in longinquas regiones uſque ad diviſos penitùs toto orbe Britannos, non animi, non vanæ curioſitatis, ſed ſolius eruditionis causâ ſuſceptas, in quibus pro virili parte curavi, ut viros, quotquot celebrior doctrinæ ſama commendat, nanciſcerer, adirem, fruerérque ipſorum congreſſu, atque colloquiis, Academias inviſerem, Bibliothecas luſtrarem, Muſea pervaderem, ac proinde nihil mihi utilitatis, quæ maxima ex hujusmodi peregrinationibus percipi poteſt, pro ingenii mei modulo deperiret. Reputâſtis etiam arctam familiaritatem, quâ doctiſſimis illis Galliarum Monachis Pariſiis quotidiana duorum, & ampliùs annorum conſuetudine conjunctus ſui, & cum iis præſertim, quos Benedictinis Annalibus moderatorum ſuorum cura præſecerat. Conſiderâſtis integram, & conſtantem ætatem, firmam quoque valetudinem, quâ Dei optimi beneficio maximè fruor, nullo usque adhuc morbo tentatam, & ad cujusvis generis medicamenta, morbis ipſis quandoque deteriora, prorsùs inexpertam, quam ſcilicet ſeu ſtudiorum labores, ſeu itinerum incommoda adeò non labefactârunt, ut nec leviſſimè affecerint. Denique ante oculos vobis fuit, nihil mihi gratius, acceptiúsque futurum, quàm ſi ſtudia mea, labor, conatus, diligentia, atque ingenium ad eum ſcopum collimarent, qui mihi ſententiâ atque auctoritate veſtrâ proponeretur.

literarium fecit tyrocinium. Vincentius Quirinus diu apud Florentinos vixit. Eruditæ Auctoris peregrinationes. Arcta ejusdem familiaritas cum Patribus San-Germanenſibus Benedictinorũ Annaliſi Operi præpoſitis. Firma Auctoris valetudo. Ejusdem ſtudia Superiorum voluntati ſubmiſſa.

Hæc illa fuiſſe reor, REVERENDISSIMI PATRES, quæ animum Veſtrum ad delegandum mihi hujusmodi munus impulerunt, fateórque eadem prorsùs in cauſa fuiſſe, cur ipſe tenuitatis meæ quodammodo oblitus tanto oneri humeros volens, lubénsque ſupponerem. Geſtit verò mihi animus Vobis hoc tempore ad generalia Comitia in unum convocatis, quàm alacriter delatum mihi Hiſtoriographi officium ſuſceperim, publico ſcripto primùm teſtari; deinde verò cùm jam præcipuas Cœnobiorum noſtrorum Bibliothecas, & Tabularia perluſtraverim, de Monaſticorum Monumentorum uſu, atque præſtantiâ paucis ediſſerendo propoſiti mei rationes omnes aperire, ut ſcilicet nihil niſi afflatu, imperio, auſpiciiſque veſtris aggrediar.

Occaſio & ſcopus hujus Diſſertationis.

Vetus Eruditorum querela eſt, eáque admodùm juſta, Media Eccleſiæ Tempora tam denſâ caligine contecta, & Cimmeriis quodammodo obſita tenebris jacere, ut quotquot Eccleſiaſticorum evolvendorum Annalium, quibus Politica etiam Hiſtoria continetur, cupiditas inceſſit, cùm ad illa pervenerint, cœcos aditus, latebráſque, & immanes hiatus offusâ undique nocte perhorreſcentes ſiſtere primùm, dein pedem retrahere compellantur. Prima ſiquidem poſt partam ſalutem hominum ſecula doctiſſimorum virorum lucubrationibus ita ſunt illuſtrata, ac pateſacta, ut in præſentiarum nihil profectò locupletius, nihil ornatius ſtudium & doctrina in hac parte efficere poſſe videantur. Poſtrema verò cùm à noſtris propiùs abſint, tanquam nota & pervulgata jure ac meritò reputantur. Sola itaque ſecula, quæ inter prima, & poſtrema excurrerunt, tenebris adhuc ſcatent, indéque invidioſo cognomento Obſcura, Tenebricoſa, Caliginoſa nuncupari conſueverunt. Talem tantámque illorum Temporum obſcuritatem inde proficiſci exiſtimaverit quiſpiam, Quòd Eruditi omnes, qui Vetera Eccleſiaſticarum rerum Monumenta perquirunt, iiſque illuſtrandis operam præſtant, poſtquàm immenſo labore primorum ſeculorum ſtadia confecerunt, ægrum jam anhelitum trahentes non ulteriùs progredi valeant, ſed nimiâ defatigatione, & ſatietate confecti in medio fermè curſu conquieſcant. Ego verò hac in re humanæ mentis imbecillitatem, & inertiam minimè accuſandam reor, quippe quæ cùm in certis pleriſque artibus & diſciplinis egregia admodùm irrequieti moliminis edere conſueverit ſpecimina, quî fieri poſſet, ut ipſa eadem ab inſita ſibi ad ſumma quæque perveniendi virtute deſciſcens, dumtaxat in exornandis Mediorum Temporum rebus curſu, ac laſſitudine exanimetur? Lubet potiùs Hiſtoricorum Monumentorum inopiam cauſſari, nam ſicuti aëris aſpiratione ad vitam, ita ad Veteres deſcribendas Hiſtorias antiquis monumentis eſt opus, quæ ſi deſint, fruſtra eſt quæcunque doctrinæ magnitudo, fruſtra quilibet ingenii vigor, aut acies. In aliis ſiquidem plerumque facultatibus humana mens ipſa ſibi mate-

Maxima Mediorum Temporum tam in Eccleſiaſtica quàm in Politica Hiſtoria obſcuritas. Cauſa hujus obſcuritatis non humanæ mentis inertia, ſed Hiſtoricorum Monumentorum inopia.

riam suppeditat, eámque collocat, atque disponit, at in Historicis lucubrationibus priùs alienis conquirendis, dein suis procreandis debet insudare. Neque verò ex hac vetera Monumenta colligendi necessitate eorum, qui hujusmodi studiis incumbunt, obstrependum est laudi; perinde ac eximii in arte ædificandi opificis præstantia non ita celebranda videretur, quòd nisi post materiem, & saxa congesta non Imperatorias tantùm domus, & Romana Palatia, sed nec ædiculam, aut rusticam casam construxerit. Hanc autem Historicorum Monumentorum, quibus Media Ecclesiæ tempora illustrentur, inopiam barbarorum populorum irruptionibus, ac dominationi debemus, quâ scilicet Romani Imperii accisis opibus, rebúsque eversis Romanæ etiam literæ interire visæ sunt, omnísque ingeniorum, & animi cultus immansuetis Septentrionalium gentium moribus decedere. Visæ, inquam, sunt interire, at non omninò interierunt, námque illatam Occidentalis Imperii Provinciis vastitatem, velut ingruentem procellam aliqua ex parte declinantes, literarum potiùs reliquiæ quàm literæ ipsæ, ad Monachorum domicilia, tanquam ad munitissimas arces, & hospitalia veluti tecta confugerunt, ibíque diutiùs, sæpè tamen ad excidium conquisitæ, ac proinde assiduâ formidine pavitantes delituerunt. Quare, si qua fuit per ea tempora eruditio, si quod doctrinæ studium, Cœnobitarum familiis acceptum ferimus, quibus cùm probè compertum foret, Christianam Rempublicam non religione tantùm, & morum sanctimonia, sed literarum etiam adjumento fulciri, atque muniri, in eam curam incubuerunt, ut in ipsorum scholis, quantum illius ævi calamitas sineret, ingenia excolerentur. Hinc Media Ecclesiæ secula non alium fermè Scriptorem ostentant nisi Benedictina veste contectum, nec alia eruditionis monumenta depromunt, nisi quæ Monachorum peperit labor, aut cœnobitica Armaria ab interitu vindicârunt. Utinam verò ex ipsis benè multa Vetustatis non absumpsisset injuria, utinam saltem quotquot adhuc supersunt, in scriniis, & arcis blattarum epulæ non putrescerent; haud ita profectò inops Mediorum seculorum esset Historia, nec tanta illis ignorantiæ, & tenebrarum infamia inureretur.

Media Ecclesiæ tempora Barbarorum Populorum irruptionibus fœdata. Inde obscuritas & ignorantia.

Tunc literæ ad cœnobia veluti ad Asylum confugerunt.

Monachorum scholæ.

Scriptores per ea secula omnes fermè Benedictini.

Verùm enimverò hac infamia se quodammodo liberâsse visæ sunt exteræ Nationes, Illustres rerum suarum Scriptores, & Explicatores nactæ, eóque magis dolendum nos Italos, unde ad illas splendor omnis literarum manavit, non ægrè pati antiquum Provinciæ nostræ statum, rémque ipsam post Romanum Imperium eversum publicam prorsùs adhuc in tenebris jacere, atque in ipsa vetustatis caligine obsolescere. Neminem adhuc Italorum aut patrii soli caritate incensum, aut domesticæ laudis dulcedine captum posteriora Italici Regni Tempora eâ, quâ oportebat, industriâ explananda suscepisse, vehementer in Epistola ad Jacobum Boncompagnum querebatur olim Carolus Sigonius, ipséque, ut ibidem ait, pro abstergendâ hujusmodi notâ, relinquendóque voluntatis erga Italiam suæ non obscuro testimonio, Librum de Italiæ Regno conscripsit, in quo licèt laudanda admodùm sit ejus diligentia, improbus labor, & egregia ingenii solertia, adeò tamen suscepti operis propositum non confecit, ut vix affectum reliquisse videatur. Defuêre siquidem tanti Viri conatibus plures Mediorum Seculorum Chronographi, qui nondum eo superstite lucem adspexerant, sed adhuc in Monasticis plerumque Bibliothecis delitescentes cum pulvere, & tineis conflictabantur. Defuêre celebriora Tabularia ab ipso minimè lustrata, exceptis nonnullis Lombardiæ, in quibus etiam plura Pontificum, Regum atque Imperatorum Diplomata collegisse contentus uberiorem messem minutiorum schedarum, quas certè inordinatas admodùm, cariéque deformatas invenerat, intactam reliquit, adeò ut, si tam antiquis, tam obsoletis, támque dispersis Italiæ rebus exponendis, figendæque Principum, & Dynastarum, qui per ea tempora Italiæ Provinciis imperitârunt, Chronologiæ non alium sponsorem, & arbitrum præter Sigonium habeamus, vehementer extimescendum nobis sit, ne ad singulos fermè passus prolabamur.

Exterorum in antiquis regionum suarum rebus illustrandis studium.

Vehementer de ea conqueritur Carolus Sigonius.

Plures Medii ævi Chronographi.

Proinde non omninò fidendū Sigonio.

Ego verò Monasticis Italiæ rebus describendis destinatus illicò cogitavi, non eas mihi tantùm partes impositas, ut seu Præpositorum nostrorum series, seu piorum Ascetarum res gestæ, seu Facta illa, & Eventa, quæ claustrorum angustiæ circumscripserunt, ad hominum notitiam literis commendata deveniant, sed magnoperè etiam enitendum, ut Monasticis scriniis summa diligentiâ excussis in publicam lucem educerem omnia ea monumenta, quibus Media Ecclesiasticæ Historiæ secula, veluti novo eruditionis lumine collustren-

Auctor non Monasticas tantummodò res illustrare aggreditur.

lustrentur. Atque ubi primùm avidos oculos, manúsque rapaces in nostrorum Tabulariorum Arcas injeci, illicò persensi materiem operis satis amplam meo proposito, atque conatui abundè respondere, quâ videlicet non Monastica tantùm, sed publicæ etiam Historiæ magna pars mirificè explicetur, Chartulas ipsas, quæ jejunæ omninò, & miseræ videri possent, quibus nempe privati Contractûs memoria, eáque implexis, & squallidis verbis expressa continetur, Chronologicæ rei adjuvandæ, difficilioribúsque ejus nodis dissolvendis maximè inservire comperi, siquidem, prout illorum temporum usus ferebat, non Dominicæ Reparationis annis, unde nihil fermè eruditionis expiscari liceret, sed Romanorum Pontificum, Imperatorum, Regum, aliorúmque Principum temporariis notis consignabantur. Omnis autem eruditionis expers, & prorsus inficetus habendus est ille, qui hujusmodi Chronologicarum Notarum usum non nôrit, quæ siquidem quamvis minutæ & tenues appareant, frequenter ad maximas dirimendas controversias unicè faciúnt, indéque quorundam factorum, de quibus non Eruditi tantùm, sed Sacerdotium aliquando, & Imperium, quasi pro aris, & focis acerrimè digladiantur, seu veritas, seu falsitas, tanquam Lydio lapide comprobatur. Cavebo tamen quàm maximè, ne me Cœnobiorum nostrorum rebus illustrandis intudantem ita Chronologica hujusmodi, aliáque ad publicam Historiam spectantia veluti abripiant, ut expansis immenso pelago velis litoris, unde solvi, riparúmque, quas primùm radere cœpi, quodammodò oblitus non ampliùs nôrim institutæ navigationis cursum moderari. Cavebo pariter, ne tot exempla virtutum, quibus monastica scatet Historia, ne religiosissimam vivendi disciplinam, ne sanctissimos veterum Cœnobitarum mores, uno verbo, ne Ascetica hæc, tanquam minuta, & privata nimis non justâ, sed perfunctoriâ tantùm operâ, parciúsque, quàm par est, consectemur. E contra hæc illa esse, quæ in Monastica Historia attentiùs à Cœnobitis spectari debent, procul dubio existimamus, sanctorum scilicet Monachorum res gestæ; ut nimirum, cùm studium nostrum in piorum virorum factis memoriæ prodendis consumamus, id magnoperè consideremus, nihil nobis esse committendum, quamobrem eorum, quos laudamus, nos non simillimos præbeamus; utque nobis Majorum veluti imagines intuentibus vehementissimè animus ad virtutes accendatur, crescátque in pectore nostro ea flamma rerum gestarum memoriâ, neque priùs sedetur, quàm virtus eorum famam, atque gloriam adæquaverit.

Materies ampla ex Monasticis Tabulariis.

Veterum schedarum usus ad Chronologiam stabiliendam.

Notæ Chronologicæ maximi aliquando momenti ad gravissimas controversias dirimendas.

At Monastica Historia in hoc Opere imprimis explananda.

Sanctorum Monachorum virtutes diligentiùs spectandæ,

ut illas imitemur.

Apage verò homines quosdam maleferiatos, quibus in mentem venit monasticorum Tabulariorum fidem omnem elevare, Monachísque teterrimam vitiatorum Diplomatum, suppositarúmque schedarum invidiam conflare. Vindicavit hujusmodi calumniam doctissimus Mabillonius in egregio Opere de Re Diplomaticâ apertissimè demonstrans, quòd in veterum libris, ac scriptis, quod in publicâ monetâ, aliísque passim rebus, idem etiam accidisse in Diplomatis, in quibus corrupta quædam, aut interpolata, nonnulla etiam temerariâ fraude conficta sunt; Nullum sanctius ævum, quàm nascentis Ecclesiæ, & tamen quanta falsorum Scriptorum monstra ementitis Apostolorum, aliorúmque Virorum Illustrium nominibus personata pepererit ætas illa, docere inter alia Gelasii Papæ censuram, qui apocryphas, fallásque scripturas à veris accuratè discrevit; At sicuti neque omnes libros, neque genuina Patrum Opera, neq; Monetas denique omnes rejicimus, propterea quòd in nonnullis imposturæ, & vitia quædam retecta sunt, ita nihilominus nefas esse vera Diplomata ob quorundam depravationes rejicere; Nullum esse hominum genus, à quo tam multa, quàm à Monachis sinceræ antiquitatis monumenta pura, illibatáque acceperimus, adeò ut Historiæ ea pars, quæ vetustis Chartis Instrumentísque continetur, manca, sterilis, ac propè nulla esset, nisi ex Archivis monasteriorum peteretur. Actum mehercle foret de omni Antiquitatis studio, si liceret adversùs veterum Monumentorum fidem, atque auctoritatem hominum animos vagis quibusdam suspicionibus occupare; Querimúrque vehementer hâc nostra præsertim ætate, quibusdam, qui Criticen professi ejus tamen fines, & modum ignorant, volupe esse, Historiam omnem sacram, atque Politicam scrupulis, & dubitationibus farcire, eósque tunc sibi verè doctos videri, cùm Scepticorum more nihil ipsi dogmatis afferentes reliquorum omnium sententias evertant. Faciunt profectò homines isti, ut nimis intelligendo nihil in-

Calumnia de Diplomatibus per Monachos vitiatis exploditur à Mabillonio.

Recentioris Criticæ abusus.

telligant, & cum ratione desipiant. Stet itaque sua Monasticis Chartis auctoritas ac fides, illisque se plurimùm debere publica Historia ingenuè fateatur.

An publica Historia Monasticis narrationibus sit intexenda, vel seorsim collocanda.

Porro diu, multúmque cogitavi, num ea, quæ ex Monasticis Monumentis excerpta publicam tamen Historiam respiciunt, ita Monasticis narrationibus essent intexenda, ut cum illis eandem quodammodo compagem efficerent, & in unum veluti corpus coalescerent; An verò expediret illa seorsim posita singularibus commentationibus explicare. Et quidem prior ratio statim arrisit, námque videbantur Monasticæ narrationes aridæ quandóque, & exiles, si publicis jungerentur, ingens inde pretium, atque ornamentum accepturæ, atque adeò legentium palato veluti condita cibaria, jucundiores futuræ. At postea consilii pœnituit, atque optimum factû existimavi, si alteram scribendi rationem secutus publica à privatis, aliena à domesticis secernerem; quandoquidem si hæc omnia in unum commiscerentur, & Monasticæ Historiæ membra quodammodo luxari contingeret, & Adnotationes illæ, ex quibus, ut speramus, haud exigua lux Ecclesiasticis Annalibus affulserit, seu brevi omninò stilo forent perstringendæ, seu fusiùs tractatæ nil aliud nisi parerga, & purpurei, qui latè splendeant, panni Monasticis, ut ita dicam, Cucullis assuti viderentur; Præterquàm quod non ita domesticæ gloriæ amor nos fallit, quin videamus, multò avidiùs Ecclesiasticam, quàm Cœnobiticam Historiam in opere, quod molimur, à plerisque perquisitum iri; quos certè valde delectabit singula argumenta singulis Dissertationibus exposita reperire, eáque libero pede nihil moræ afferentibus Monasticarum rerum minutiis, ut videri possent, ac salebris percurrere.

Alteram postea præfert.

Quibus de causis.

Non omnis tamen historia publica à Monasticis Actis segregandа.

Hoc verò non ita intelligimus, ut omnes prorsùs publicarum rerum notitiæ à Monasticis Actis sint ablegandæ; Illas etenim quæ hujusmodi sunt, ut ad Monasticam Historiam verè pertineant, illiq; arcto jungantur nexû, nequaquam animus est violenter à reliquo corpore divellere, ac quodammodo dilaniare, alioquin communem navem cum socio dividere videremur. Consilium nostrum eò tantùm spectat, ut ea, quæ licèt ex Monasticis scriniis deprompta parùm tamen, aut nihil faciunt ad Monasticam Historiam illustrandam, si publicam seu Ecclesiasticam, seu civilem clariorem reddant, ea, inquam, singularem locum in Sylloge Dissertationum inveniant. Adsunt in Tabulariis nostris quamplurimæ Chartulæ, in quibus nihil Monastici est, quod eruamus, nisi Abbatum, aut aliorum Præpositorum nuda nomina; Eæ tamen, si curiosis oculis introspiciantur, conferantur, vertantúrque in omnem partem, & veluti torqueantur, incredibile est, quantus inde sæpissimè exquisitæ eruditionis succus exprimatur. Ex illis nimirum Romanorum Pontificum, & Imperatorum involuta Medii ævii Chronologia accuratiùs explicabitur, Dynastarum, qui per ea tempora Italiæ provincias gubernârunt, incerta adhuc Genealogia, & series figetur, nobiliorum apud nos Familiarum antiquitas comprobabitur, Longobardici Regiminis forma innotescet, Geographica id ætatis Italiæ Descriptio dignoscetur, Barbari Imperii Jurisprudentia illustrabitur, Ecclesiasticæ obscuris illis temporibus Politiæ status apparebit: Apparebunt etiam Oecumenicæ Romanorum Pontificum potestatis certa ubique vestigia, nec ea quidem recèns in spissâ illius ætatis caligine signata, aut ex stupenda, ut quidam commenti sunt, Episcoporum reliquorúmque Clericorum inscitia, & vetustorum Canonum ignorantiâ profecta, sed altiùs pressa, & primævæ antiquitatis, Apostolicorúmque temporum consensu firmata, quæque nulla unquam hominum improbitas, nulla obscuratura sit ætas; gravisque animum nostrum admiratio percellet, quòd vel illis temporibus, quibus lurida admodum fuit Romanæ Ecclesiæ facies, Apostolicam Sedem paullo minus reveriti fuerint Fideles, optimè gnari Petri dignitatem, & auctoritatem cum commendatarum sibi ovium custodia quamvis in indignis hæredibus perseverare. Denique, ut uno verbo dicam, omnis Mediorum Temporum eruditio obscura adhuc, & cœca, ut effossum è terra aurum, perfractis Monasticorum Tabulariorum repagulis in hominum conspectum, utilitatémque prodibit. Hæc, inquam, omnia si separatim à Cœnobitica Historia locentur, hoc minimè erit membra à suo corpore distrahere, sed suam quibusque sedem assignare.

Quàm multa ex Monasticis chartis illustrentur.

Oecumenicæ Romanorum Pontificum potestatis certa ubique vestigia.

Petri auctoritas etiam in indignis hæredibus perseverat.

Auctor Operis dif-

Video tamen quàm longè suscepta hujus propositi ratione labor iste meus provehatur, quanto molimine sit opus, quantis omnigenarum literarum adjumentis

mentis indigeam; Námque si congestis tantummodò Monasticis notitiis, quibus Municipalis Cœnobiorum nostrorum historia texatur, meo muneri satisfecisse me putarem, facilis quidem, & expeditus cederet labor, at non magna cum laude, neque cum multa aliorum utilitate demandatam provinciam administrarem. Lubet animum erigere, & majora conari; deficientibus viribus laus erit audacia, satísque fuerit voluisse. *Multi sunt*, ait Tullius, *qui desperatione debilitati experiri id nolunt, quod se assequi posse diffidunt, sed par est omnes omnia experiri, qui res magnas, & magnoperè expetendas concipiunt. Quod si quem, aut natura sua, aut illa præstantis ingenii vis deficiet, aut minùs instructus erit magnarum artium disciplinis, teneat eum cursum, quem poterit. Prima enim sequentem honestum est, in secundis, tertiisque consistere.* Quin piaculum existimarem, si Bibliothecarum, & Tabulariorum nostrorum Codices omnes, & chartulas diligentissimè evolvens nil nisi privata Monachorum gesta conquirerem, colligerémque, publicarum verò rerum notitias flocci facerem, atque æterno scriniorum nostrorum carcere damnatas relinquerem. Piaculum etiam eò gravius, si cùm in cœnobiis nostris non Scripta tantùm nostra, sed aliena olim cujusvis generis hominum velut in thesauris reposita fuerint, & nostræ fidei commissa, ea literariæ Reipublicæ tanquam sua vindicanti, & repetenti potiùs quàm justè reddere, seu abnegare, seu celare mallemus. Non ita desipimus, susceptíque muneris rationem æstimantes nihil reliqui faciemus, quominùs & Monastica Familia, & pleraque eruditorum natio, si non ingenio nostro, & doctrinâ, labore saltem, & diligentiâ in veteribus monumentis colligendis edendísque proficiat.

ficultatem fatetur.

In magnis voluisse sat est.

Prima sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere.

Ingentes hujusmodi conatus ipsimet REVERENDISSIMI PATRES auctoritate vestra præscripsistis, & ad sublimem hunc scopum tenuitatem meam altiùs respicere compulistis, dum eo Decreto, quo me Historiographum renunciâstis, Benedictinos Mabillonii Annales miris laudibus extulistis; vastum illos, & elaboratissimum Opus nuncupâstis, quod ferè totam Ecclesiasticam Historiam comprehendat, nihílque in eo genere doctorum hominum judicio fieri posse absolutius pronunciâstis. Puderet Vos ipsos, si Ego ad tantum Exemplar vocatus humile dumtaxat, & vulgare opus molirer, tutúsq; nimiùm, & pavidus procellæ pedem intra Monasticarum narrationum pomæria continerem; Puderétq; ampliùs, si, cùm hac nostra ætate Cœtum nostrum non tantùm Scholasticæ, quam tamen semper apud nos honoratam, primóque loco semper habendam existimarem, ac suaderem, sed Polemicæ Theologiæ studia, Sacrorum Canonum scientia, liberalium artium notitia, & Græcæ præsertim linguæ cognitio (absit invidia) singulariter commendent, si inquam, ipse unus in penso meo curando nonnisi degeneris virtutis documentum exhiberem.

Annales Mabillonii à Patribus in Decreto vehementer laudati, & veluti exemplar Auctori propositi.

Quàm longo tempore indigeat susceptum Opus.

Injurius autem in Sapientiam vestram viderer, si hoc loco pro opere, quod aggredior, perficiendo diuturnioris otii, & longioris temporis beneficium precariò obtinendum existimarem. Mabillonius ipse, cujus eruditionem non Gallia, & Italia tantùm, sed universus orbis demiratus est, quamvis per *annos* ferme *triginta* studiorum suorum rationes pæne omnes in Monasticam Historiam jam tum retulisset, attamen impositam sibi Benedictinorum Annalium componendorum provinciam reluctanter admodùm suscepit ob argumenti difficultatem, atque magnitudinem, ut ipse testatur in Præfat. ad Primum Tomum, Idemque, ne opus inchoatum præmaturè in lucem emitteret, non ante *novem* ab incepto labore *annos* de illius editione cogitavit. Post Mabillonii excessum (eheu quàm Christianæ omni Reipublicæ, & Literariæ præsertim lugendum!) Theodericus Ruinartus jam pridem ab eodem in studiorum societatem adscitus, optimi Magistri optimus discipulus se totum Moderatorum suorum voluntate ad Annales Benedictinos convertit. At per duos ferme annos, quibus Mabillonio supervixit, id unum præstitit, ut Quinto Tomo, quem typis paratum reliquerat Mabillonius, pauca quædam adjungeret. Ruinartum excepit Renatus Massuetus, qui adornatâ post aliquot annos Quinti Tomi, quem diximus, editione, eidem nonnulla de suo adjecisse testatus, Præfationéque cum Mabillonianæ, & Ruinartianæ vitæ synopsi præfixa sequentem Tomum ne auspicatus quidem est, fatóque interceptus Sodalibus suis Mabillonianos Annales velut intactos dimisit.

Mabillonius per triginta annos Monasticæ Historiæ insudat reluctanter Annaliū Benedictinorum provinciam suscipit.

Nonnisi post 9. annos de primi Tomi editione cogitat.

Post Mabillonium Annaliū pensum Ruinarto imponitur.

Pauca quædā 5. Tomo, quem paratū reliquerat Mabillonius, adjiciens moritur.

Ruinarto succedit Massuetus.

Nil aliud præstitit, nisi ut 5. Tomi editionem adornaret.

. Imbecillitatem ingenii mei vobis certè deridendam obtruderem, si post adeò lentos præstantissimorum virorum conatus me in eodem argumenti genere

properanter, ac brevi imposito muneri satisfacturum jactarem, quódque illi stadium tardo pede inchoatum nondum peregerunt, me uno veluti spiritu confecturum promitterem. Quid dignum tanto ferrem hiatû promissor? *Sat citò, si sat bene.* ajebat ille, *si sat bene*, pervulgatúmque Augusti Cæsaris dictum, *Festina lentè*, itémque Horatianum illud, *Nonúmque prematur in annum*, ac denique ut sexcenta alia veterum effata ad damnandam præcipitem in scribendis, edendísque libris festinationem omittam, *Non potest*, inquit Cicero, *in eo esse succus diuturnus, quod nimis celeriter est maturitatem assecutum.* Historica & Chronologica studia, nam de illis est sermo, si vel à limine salutaverit quispiam, statim agnoscet, quanti negotii sit non integrum dumtaxat ad ea spectans volumen compingere, sed vel singularem texere Dissertationem, quámque scabendum aliquando sit caput, vivique ungues rodendi, ut una, aut altera temporaria nota examussim constituatur; Imoverò quàm sæpe usuveniat, ut, postquàm longâ investigatione rem acu tibi quodammodo tetigisse videris, derepente, vel calculo malè subducto, vel veteris testimonio parùm æquâ lance pensitato, aut alio recèns detecto omnis vigiliarum, contentionúmque tuarum fructus depereat, adeò ut quæcunque scripseris, illicò veluti difflatæ nebulæ evanescant. Pauci sunt, qui hujusmodi hæc advertunt, quin maxima hominum pars, quò planiùs, & apertiùs difficillimas ceteroquin quæstiones pertractatas vident, eò faciliori negotio omnia ab Authore suo composita existimant, ac properanti veluti calamo excidisse, minimè gnari non nisi post multos detersos sudores, & summos mentis conatus eò perventum, ut obscurissima quæque non mediocri luce donarentur; perinde ac si quis Gordianum nodum alienâ operâ dissolutum inveniens vix crediderit lora illa connexa priùs & implexa fuisse; aut per amœnos agros exspatiatus vix senserit, se nonnisi post avia loca, nulliúsque ante trita pede peragrata, præeuntis Ducis vestigia prementem ad illos devenisse.

Sat citò, si sat benè.

Chronologicorum Tractatuũ difficultas.

Quid verò cùm Monasticum etiam Anglicanum, quod nimirum sola Regni illius Cœnobia complectitur, duobúsque tantùm Voluminibus constat, nam Tertium complures Cathedrales, & Collegiatas Ecclesias comprehendit, impleántque utramq; paginam Vetera Monumenta Saxonica primùm, eadémque postmodum Latinè versa, attamen non nisi labore indefesso, & *triginta annorum* impendio à Rogero Dodsworthio compositum fuerit, ut tradit Johannes Marshamus in ejus Præfatione; cui insuper Gulielmus Dugdalius tantam supellectilem contulit, ut Authoris alterius titulum optimè promeruerit, accedente etiam operâ Gulielmi Somneri.

Monasticon Anglicanum triginta annorum impendio conficitur.

Tam longas temporis inducias minimè postulamus, imoverò, ut promptior investigationum nostrarum fructus obveniat, eam inivimus rationem, ut non universam Italici Monachismi Historiam uno, eodémque opere, atque contextû complectamur, sed illam per Cœnobia dispertientes Monasticon potiùs Italiæ Anglicani instar describamus; námque si Annales, ut Mabillonianos, componere animus esset, post lustratos tantummodo Italiæ angulos omnes, post excussas Bibliothecas universas, & compilata Tabularia, póstque immensam propemodùm veterum schedarum supellectilem undique corrasam de opere construendo cogitare liceret; econtra singularibus lucubrationibus singulorum Monasteriorũ Historias in scripta redigentes illud consequemur, ut conge stis memoriis duorum, vel triumCœnobiorum, aut quotquot ad unum justæ molis volumen concinnandum necessaria esse comperiemus, calamum illicò sumere, manúmq; operi admovere permittamur. Suam habet utraque Methodus tam Annalium, quàm Monastici utilitatem, ac laudem, & Annalium fortasse magnificentior, ac splendidior reputabitur, at Monastici longè expeditior, multóque opportunior visa est usui Eruditorum, quos, ut speramus, magis juvabit, singillatim cujusque Monasterii memorias unico contextu explicatas, & illustratas reperire, quàm illas huc, & illuc dispersas, & in minutissimas partes concisas, aliísque omninò disparibus colligatas ex pluribus voluminibus assiduo & fastidioso evolvendorum Indicum incommodo expiscari.

Consilium de Monastico Italiæ describendo.

Præfertur methodo Annalium.

Utriusque methodi laus. Annalium methodus splendidior. Monastici expeditior & commodior.

Ad finem autem cujusque Tomi, seu, ut meliùs, cujusque lucubrationis ampla Diplomatum, & Veterum Chartarum accedet Mantissa, ex quibus scilicet quæcunque cum in Dissertationibus, tum in Monasticis Narrationibus tradita fuerint, palàm comprobentur; siquidem in veteri Historiâ explanandâ summa lex esse debet, ut nihil nisi exhibitis tabulis affirmetur: Ex qua præterea Mantissa, veluti ex quodam promptuario, unusquisque, quæ ad rem suam

Mantissa Probationũ ad finem cujusque Tomi.

suam maximè faciunt, facilè depromet. Veterum Anecdotorum utilitatem norunt omnes, qui feveriores literas nôrunt, egregiúmque de hisce studiis judicium ab ore Alex. VII. acceptum Jo. Bona Lucæ Dacherio olim repræsentavit, qui Spicilegium ejus laudantem Pontificem conceptis verbis dixisse scribebat: *Utiliorem præstare operam Reipublicæ Literariæ, qui eruendis è situ Bibliothecarum lucubrationibus veterum incumbunt, quàm qui novos cudunt libros; libri enim novi, si quid boni continent, ab antiquis mutuari solent.* Utilem etiam eidem Reipublicæ præstare operam minimè diffitendum est illos, qui licèt non eum investigationum suarum fructum consequantur, ut novos Veterum Scriptorum fœtus in Bibliothecarum forulis deprehendant, & primi in lucem educant; attamen in prioribus Editionibus manuscriptorum codicum ope expurgandis egregiè desudant. Palàm est complura Veterum Scripta primorum Editorum seu incuriâ, seu ignorantiâ, sive etiam fraude ita manca, corrupta, sordida, hiulca, atque interpolata quandoque prodiisse, ut nobis quidvis aliud, quàm sinceros Authores repræsentent. Siqui sunt igitur, qui magnam antiquorum, ac melioris notæ exemplarium copiam colligentes, eáq; cum excusis Herculeo prorsùs labore conferentes, veteres Scriptores emendant, reficiunt, atque restituunt, procul dubio de literaria Republica maximè benemereri sunt existimandi. Quamobrem vehementer mirari contigit, non deesse Viros quosdam cetera doctos, qui hujusmodi studium veterum Manuscriptorum consulendorum contemnunt, atque reprehendunt, excusásque Editiones minimè sollicitandas deprædicant, haudquaquam advertentes, has ipsas non è cœlo lapsas, sed ex veteribus Mann-scriptis propagatas, ac proinde quas jactant in hodiernas Editiones minas atque convicia, eadem & in Veteres recidere. Equidem si Autographa Exemplaria ante nos habuissent sinceri & diligentes Editores, operam profectò Inderet, qui novas Editiones procuraret, ut illis pretium à copia Manuscriptorum, quos ipse consuluit, accederet. At non est, quod de hujusmodi Autographis seu priotes, seu posteriores Editiones sibi admodùm plaudant; antiquioribus contenti esse debemus exemplis, horúmque copiam, atque delectum ad eruditionem, & ad antiquorum Authorum restitutionem maximè conducere, quicunque rem sapienter adverterit, constanter affirmabit. Quàm varia, quamque eximia nobis aliquando suggerant Variantes (ut dicere solemus) lectiones, eáque quæ nemo anteà divinare potuit, aut explicare, in promptu esset pluribus exemplis edocere. Abscedant itaque malè sani Critici Veterum Manuscriptorum osores.

Veterum Anecdotorū utilitas.

Oraculum Alexandri VII.

Noverum editionum ad veteres Codd. Mss. castigatarū utilitas.

Veteres Editiones plerumque mancæ & corruptæ. Manuscriptorū ope restituuntur.

Studium veteres Codices consulendi minimè contemnendū.

Variantes lectiones admodùm utiles.

Est & aliud pædagogorum genus, quos pariter procul esse jubemus. Illos intelligo, qui Latinæ linguæ nitorem, suavitatem, atque elegantiam ita depeteunt, ut omnia Medii ævi monumenta tanquam impuris incompti barbarique sermonis labibus contaminata fastidiant, aspernentur, ac continuò de manibus abjiciant. Viderint ipsi, quo jure, dum Scriptores Romanam eámque Augustæi ævi puritatem redolentes se unicè complecti, & exosculari profitentur, Romanos tamen illos dicendi Magistros haudquaquam imitentur. Qui siquidem Veterum suorum lectionem minimè refugerunt, quamvis eorum verba allium, & cæpe, ut Varro loquitur, olerent, Qui in Ennii stercore aurum, & in testaceis vasculis thesaurum quærebant. Quicunque libri præteritarum rerum cognitionem nobis exhibent, minimè abjiciendi sunt, sed barbaræ dictionis molestia devoranda, & gravis instat cibi, studiosi stomachi calore concoquenda. *Quidquid tulerunt sæcula*, ajebat ille, *ferendum est nobis. Qui à rudiori ævo exspectat elegantias, optat ille, voce ut loquatur psittaci coturnix; Non minùs à mediocri, quàm à comptiori stilo suppetit nobis antèactarum rerum cognitio.* Abscedant igitur, ut tandem D. Hieronymi verbis utamur, *quibus non sunt suaves epulæ, quæ non placentam redolent, quas non condit Apicius, in quibus nihil de Magistrorum hujus temporis jure suffumat.*

Latinæ linguæ nitor in Scriptoribus Medii ævi haudquaquam quærendus.

Devoranda dictionis barbaries ob rerum utilitatem.

Quidquid tulerunt sæcula, est ferendum.

Dictum S. Hieronymi.

Unum tantùm superest, ut vobis REVERENDISSIMI PATRES, propositum omne meum patefaciam, videlicet quòd quamvis Benedictinæ in Italia gentis Historiam literis mandare meæ futuræ sint partes, operæ tamen pretium facturus videbor, si altiùs rem repetens priùs de Monasticæ apud Italos Institutionis origine, atque primordiis, quæ Benedicti ætatem duobus fermè seculis antevertunt, Procemialem Dissertationem instituam, atque in hunc modum primos totius Operis aditus, veluti vestibulum sternam. Specimen dumtaxat Cœnobiticæ vitæ, & quasi leviter adumbratam imaginem vetustiora ea tem-

Præliminaris Dissertatio de Monachismo

Ante-Benedictino Operi præmittenda.

tempora nobis exhibebunt, cùm cœpisse potiùs, quàm adolevisse visa sit, antequam Casinensis Legislatoris informaretur præceptis, quibus illicò ad quendam juventæ florem pervenit. Verùm enimverò primæva hæc in Italiâ Monachismi incunabula, & rudimenta mihi perquirenti nihil profectò jucundius, nihílve auspicatius occurrere poterit, quàm sancti Hieronymi testimonium, qui in epistolâ ad Principiam Virginem prodit, Monasticæ vitæ rationem tunc primùm Romanâ in urbe innotuisse, quando Alexandrini Sacerdotes, & Antistites, quorum agmen ducebat Magnus Athanasius, Orientalium Synodorum sententiis veluti quadam tempestate jactati Romam quasi ad tutissimum communionis suæ portum confugerunt; ipsi siquidem vitam B. Antonii adhuc tunc viventis Monasteriorúmq; in Thebaide disciplinam multis apud Romanos sermonibus commemorantes in eam Urbem Monachismum ex Oriente delatum invexerunt. Itaque bono prorsus omine laborum nostrorum initium capere nobis videbimur, quòd ipsa præformati per Athanasium in Urbe Romana Monachismi Epocha pristinum non Occidentalium tantùm, sed Orientalium etiam usum Romanam Ecclesiam omnium Matrem, atque Magistram in Majoribus Causis adeundi adstruat, atque confirmet, itémque supremam Romani Pontificis auctoritatem, quâ à primis Ecclesiæ seculis graviores totius Christiani Orbis controversias dijudicare consueverat. Fausta hæc Operis auspicia lætâ admodùm gratulatione excipiemus, indéque animo præsagimus, multa Monasticis nostris lucubrationibus sese identidem obviam exhibitura, quibus sanctæ Apostolicæ Romanæ Sedis jura atque potestas novis veluti præsidiis adversùs refractariorum hominum arrogantiam communiantur.

Romani Monachismi epocha

usum Romanam Ecclesiam in Majoribus Causis adeundi adstruit atque confirmat.

Accepistis jam, REVERENDISSIMI PATRES, rationes omnes meas, quas vestris obtemperaturus mandatis mente constitui, quasque Vos authoritate vestrâ approbaturos vehementer confido, quatenùs me, quem Patavinorum Comitiorum suffragia Casinensis Cœtus HISTORIOGRAPHUM renunciârunt, Perusini Conventus studium, & favor ad imperia vestra adimplenda alacriorem efficiant.

Author Patrum favorem ac studium implorat.

Qui favor, quod studium tunc potissimùm enitescent, cùm Operis difficultatem, & magnitudinem æquiùs imposterùm fortassè, quàm anteà ex hoc ipso exhibito specimine existimantes subsidiis illis, & adminiculis, quæ Ipsimet labori meo maximè necessaria ab initio judicâstis, mihíque tribuenda volentes, lubentésque olim decrevistis, minimè diutiùs carere patiemini. Quàm multis adjumentis, ut Benedictinos Annales, quamvis post *triginta annos* Monasticæ Historiæ præsertim impensos, indiguerit Mabillonius (cujus vel nomen, & ipsa umbra nos terrent, quid enim ad illum comparati, nisi anseres ad argutum olorem, & ad procerum cupressum lenta viburna?) palàm ipse edocet in ejusdem Operis Præfatione. Monasticon etiam Anglicanum nunquam licet *triginta annorum* Gulielmi Dodsvorthii labor peperisset, nisi plurium doctorum Virorum obstetrices veluti operæ accessissent. Æquitatem vestram appello, REVERENDISSIMI PATRES, ut scilicet quorum exempla in decernendis Benedictinis Italiæ Annalibus imitati estis, eorundem in tribuendis opportunis tanto Operi adjumentis providentiam æmulemini.

Tunc enim humanis subsidiis instructi fidentiùs divina implorabimus, Deum Optimum Maximum, *à quo bona cuncta procedunt*, enixis precationibus obsecrantes, ut propitius cœptis nostris aspiret, atque allabatur.

Mabillonii methodus conscribendæ Monasteriorum Historiæ.

Post Quirinianam hanc Dissertationem operæ pretium facturus mihi videor, si quam *Methodum* * *conscribendæ Monasteriorum Historiæ* Gallico conceptam sermone MABILLONIUS Sodalibus suis è Congregatione sancti Mauri reliquit, in gratiam nostrorum per Germaniam Sodalium à Cl. P. *Oliverio Legipont* latinè redditam, hîc subjiciam.

Admonitio iis accommodata, qui in scribendis Monasteriorum Historiis versantur.

QUæ monumenta ad componendam Monasterii Historiam faciunt, ab eorum collectione initium fieri oportet. Isthæc verò monumenta conquirenda sunt 1mò ex Chartulariis, 2dò ex Archivis; ubi necessarium erit, autogra-

Unde conquirenda monumenta.

* Ouvrage Posthum. Tom. 2. p. 91. seq.

tographa conferre cum apographis, ut dignosci possit, an hæc ex illis fideliter sint desumpta, maximè quod ad nomina propria, & dierum notas attinet; deinde an non quædam supersint instrumenta, quæ nunquam chartulariis fuerint inserta. 3.tio Ad examen vocanda sunt Martyrologia & Necrologia, ut dies emortuales Abbatum, Benefactorum, hominúmque aliorum illustrium annotari queant; quemadmodùm etiam religiosæ illæ communitates, quæ monasterium, cujus pertractatur historia, aliis temporibus incoluerunt, disquirendæ veniunt, nec aliæ res omittendæ. 4.to Si quæ habentur manuscripta, paginatim, ut ita loquar, evolvenda sunt; sæpius enim in iis reperire est res pro Historia conscribenda notatû non indignas, quæ vel in quarundam paginarum spatiis vacuis collocari, vel ad marginem manuscriptorum exarari consueverant; præprimis verò ad initium, & sub finem: nec refert, quòd id genus manuscripta toto cœlo diversa argumenta, veluti Opera SS. Patrum contineant. 5.to Ad hæc Archiva & Bibliothecas vicinorum monasteriorum perlustrare oportet, ut quæcunque in rem, quæ narranda suscipitur, facere videntur, ex iis colligantur. Supponitur præterea lectio librorum, qui typis vulgati agunt de monasterio, cujus Historia contexenda præ manibus habetur; præprimis verò illorum, quibus gesta Episcoporum, tésque provinciæ, in qua scribitur, ex instituto enarrantur.

Præcipua capita quæ illustranda. Præcipua verò capita, pro quibus illustrandis ejusmodi annotationes & excerpta fieri debent, sunt Monasterii fundatio, ejus destructiones & instaurationes, mutationes, casúsque memorabiles, statuta ad tuendam disciplinæ regularis observantiam condita, Abbates, & alii viri illustres, benefactores, studia literarum, Prioratus, & alia Sacerdotia, Privilegia exemptionis, jus portandi mitram & conferendi Ordines minores Abbatibus concessum, ordo præcedentiæ, quem in congressibus observare debent.

Modus excerpendi duplex. Duplex verò est modus, quô hæc monumenta coacervare licet. Prior est, quo continenter & confusè omne id in compendium redigitur, quod ad capita priùs memorata pertinet, annotando paginas chartularii vel manuscripti, ex quo quid excerptum fuit, & adscribendo ad marginem annum, quo res contigit. Alter modus est, quô isthæc monumenta sub distinctis titulis comprehenduntur; nempe sub titulis fundationis, privilegiorum, cujusvis Abbatis in particulari, beneficiorum &c. veluti suprà magis sigillatim ostensum fuit. Posteaquam verò omnia monumenta, quæ ad componendam Historiam idonea repetiri potuerunt, collecta fuerunt, opera danda est, ut in unum corpus Historiæ efformentur. Id quod duplici methodo fieri potest.

Qualiter efformanda ex iis Historia. Prima, & maximè nativa est, si ante omnia fundatio, quæ distincta nomina complectitur, situs loci, & fundatores unà cum instrumento fundationis referantur; tum si secundo loco Abbates in totidem classes vel capita distribuantur, quot secula à fundatione Monasterii elapsa fuerunt, enarrando, quæ sub uniuscujusque regimine contigerunt, nec reticendo Sanctos, vel viros alios eximia quadam virtute conspicuos, qui pariter sub eorum præsulatû in monasterio claruerunt; donationes, quæ factæ fuerunt &c. Titulus capitum potest in hunc modum formari, v. g.

De Abbatibus Seculi Sexti.
DROCTOVEUS.

Et Abbatis nomen argumento debet præponi, quod de ipso pertractandum suscipitur, veluti suprà annotavimus. Postremò postquam de omnibus ac singulis Abbatibus satis supérque dictum est, adjici poterit unum alterúmve caput, quò certi eventus, quos determinato assignare tempori difficile est, comprehendantur; quemadmodum etiam accedere potest breve compendium cujusvis Prioratûs, qui Abbatiæ, cujus scribitur Historia, subjectus est.

Altera methodus pro majoribus monasteriis. Altera methodus est, cùm Historia in duos trésve libros dispescitur, quemadmodùm observatum fuit in Historia Regii Parthenonis S. Mariæ apud Augustam Suessionum, quæ anno MDCLXXV. typis exscripta fuit.

In libro primo agendum est de Monasterio in universum, volo dicere, de ortû, fundatione, & progressû Monasterii, de ipsius prærogativis, disciplina, Ecclesia, & locis regularibus. In Articulo vel Paragrapho, ubi sermo de ecclesia instituitur, in alium etiam de Reliquiis Sanctorum & Sepulchris Nobilium sigillatim ingredi oportet: ita tamen, ut, si duæ hæ sectio-

ctiones nimia argumenti copia laborent, è re melius futurum sit, si peculiari libro comprehendantur, prout paulò pòst declarabitur.

Liber secundus historiam Abbatum, & quæ memoratû digniora sub eorum regimine evenerunt, persequetur: attingendo ea per transennam duntaxat, quæ alio loco & commodiùs & diductiùs exponi possunt.

Libri tertii argumentum erunt Sancti, aliique Viri illustres, qui monasterium pietate ac eruditione suâ illustrârunt, studia literarum, & benefactores magis præcipui. Cùm verò de re literaria sermo fit, à loco non alienum erit, eundem transferre ad MSs. Codices, si quibus olim magno numero locuples fuit monasterium, vel etiamnum in eu non pauci asservantur.

Librum quartum occupabunt Prioratus, & si quæ alia loca Monasterio subjecta sunt.

Ad calcem verò omnium horum librorum adjungendus est codex probationum; in quo continentur chartæ & alia instrumenta, quæ usui fuerunt ad condendam & confirmandam Monasterii historiam.

Prior methodus usum præstare poterit in contexenda minorum Monasteriorum historia, ubi res paucæ commemorandæ veniunt; posterior ad majora Monasteria est accommodata.

Quid circa Reliquias & sepulchra observandum.

Advertas tamen velim, quòd si sacræ Reliquiæ, & sepulchra Virorum Illustrium numero admodùm magno adsint, & per hanc occasionem res non obviæ, atque omnibus notæ commemorari possint, maximè si ad Divos Cœlites, aliósque homines, quorum corpora in Ecclesia terræ mandata sunt, pertineant, liber quartus confieri possit, quo sigillatim exhibeantur 1.mo Vitæ Sanctorum, 2.do Syllabus sacrarum Reliquiarum, & ad extremum elogia atque epitaphia virorum ac fœminarum illustrium, quorum cineres in ecclesia delitescunt. Præter hæc non indiligenter cavendum est, ne vitæ vel elogia alia in publicum exire jubeantur, quàm quæ antehac in eo nunquam comparuêre.

Cujusvis historiæ initio præfigi debet elenchus librorum, & capitum, qui in ea continentur, similiter cujusvis paginæ frontem libro & capite inscribere oportet, ut argumentum confestim in oculos incurrat.

Quid circa chartas describendas.

Abstinendum est non minùs à prolixis descriptionibus, quæ absolutè ad rem non spectant, quàm ab aliis superfluis discursibus.

Cùm charta quæpiam usum præstare poterit ad fidem faciendam illius, quod asseritur, sufficit, fragmentum ejusdem in medium adducere, quo res probatur, de qua in historiæ progressu agitur, remittendo lectorem ad calcem Historiæ, ut, si velit, eam integram percurrat; ad marginem verò adscribendo numerum, quem illa charta in codice probationum obtinet, e. g. *Scriptura* 4.

In Chartis describendis cura est adhibenda, ut quales sunt, tales describantur, quin in iis aliquid mutetur, appositis solùm ad marginem in vulgari lingua nominibus propriis locorum, & quidem è regione nominum Latinorum, queîs in chartis exprimuntur. Velim, ut bona papyrus, & bonum atramentum adhibeantur; nec parcatur papyro, latè scribendo, & amplas faciendo margines. Nulla fieri debet abbreviatio, aut major literâ, nisi post singula puncta in nominibus propriis hominum, locorum, fluminum, & denique in vocabulis illustrioribus, veluti *Deus*, *Episcopus*, *Abbas*, *Comes* &c. Paginis apponendus est numerus, & postquam pars quæpiam descripta fuit, ejus collationem fieri oportet cum alio, in cujus manu erit autographum, ex quo apographum desumptû fuit. Quod si verbum aliquod ita difficile occurrat, ut legi planè non possit, talem in modum effigurari debet, quali conspicitur in autographo. Ortographia observanda est eademmet, quæ in autographis habetur, adeò quidem, ut nec solœcismi nec barbarismi corrigantur. Denique in referendis Bullis & aliis instrumentis ad fidem faciendam idoneis, cura Chronologiæ habebitur, ad initium præfigendo eis numerum vel ordinem, quem inter probationes sortiuntur. Id quod etiam observandum est, cùm in Historiæ progressu profertur fragmentum aut summarium ejus rei, quam illa in se complectitur.

Separatim in quaternionem conjicienda sunt, quæ memoratu digna de aliis monasteriis occurrunt, totidem faciendo articulos, quot sunt monasteria; de quibus sermonem instituere animus est, quò cum iis communicari possint, qui in illorum historiis componendis occupantur.

Requisita in Chronographo.

E re futurum est, ut qui suum laborem in ejuscemodi Historiis contexendis non ineptè versari volunt, cognitionem Geographiæ, Chronologiæ,

atque

atque artis Heraldicæ sibi comparare studeant, deinde ut in delineandis sigillis, armis gentilitiis, & antiquis scripturis haud imperiti habeantur. Ante omnia cognitam habere debent Historiam Summorum Pontificum, & Regum Franciæ; neque in Historia Ecclesiastica, & Monastico - Benedictina hospites esse debent.

De libris in usum adhibendis. Quod ad libros attinet, quibus utendum iis est, non minimum prodesset, si Chronologiam *P. Labbe* quinque voluminibus in 12. comprehensam in promptu haberent. Exhibet enim illa scientiam temporum satis accuratam, Literas Dominicales, Indictionem Romanam, Numerum aureum, & diem Paschatis cujusvis anni unà cum eventibus memoratu dignis, qui per id tempus contigerunt. Uberes etiam fructus percepturi sunt, si ejusdem Auctoris tabellas Genealogicas ad manum habeant, in quibus reperire licet Genealogiam Regum Franciæ, Familiarum totius Regni maximè Illustrium & aliarum. Ad extremum exiguæ molis libellus *P. Labbe*, cui titulus: *Regia Epitome Historiæ sacræ ac profanæ in* 12. non caret magno suo fructu, cùm nomina & ætatem Pontificum, Imperatorum & Regum specificè recenseat, tametsi non parùm sæpè eandem crambem recoquat. Quibus libris accedere meretur ejusdem Autoris *Bibliotheca Chronologica Scriptorum Ecclesiasticorum.*

Authoris methodus conscribendæ Monasteriorum Historiæ. Post Mabillonianam hanc perscribendæ Monasteriorum Historiæ methodum, si quis novam, eámque meliorem tradere vellet, næ is post Homerum Iliada scriberet? Nihilosecius consilii esse duco, si quod brevius & compendiosius narrandi genus institui possit, ut illud exponatur, partim ut comodo illorum, quibus temporis inopia pressis prolixas monasteriorum historias pervolutare haud licet, inserviatur, partim ut exemplum habeatur, ex quo conspicuum fiat, quem in modum narratio instituì debeat, ut monasteriorum origo, fundatio, privilegia, immunitates, varii casus & eventus, Abbates, viri illustres, aliáque peculiari comemoratione digna, uno veluti contuitu inspicienda proponantur. Sanè uti haud exigui res est momenti, atque judicii, ea quæ latè patente ambitu sparsa sunt ac dispalata, in justum, brevem, ac concinnum ordinem tedigere, ita in pauca capita, resciffis ambagibus, collata videre haud minoris est voluptatis. Haud ingratam ergo me iis Sodalibus nostris facturum esse operam speravi, quibus Historia Monastico - Benedictina in pretio habetur, quosque Iliada velut in nuce conspiciendi cupido incessit, si quâ ratione diffusissimè Chronici contenta in epitomen contrahi, atque paucis capitibus comprehendi queant, edocerem. Id verò feci exemplo inclyti Asceterii Brevnoviensis in Bohemia, cujus historia scitu quidem digna, perpaucis tamen nostrûm cognita, à me articulis minimè multis comprehensa, typis anno MDCCXL. vulgata fuit.

Huc etiam maximè faciunt, quæ V. C. P. *Oliverius Legipont* nuper admodùm eruditè disseruit in sua Dissertatione *de Archivo in ordinem redigendo* §. V. num. 8. pag. 179. **Aliud systema P. Oliverii.** Ubi postquàm de Veterum chartarum descriptione, & condenda ex iis Monasteriorum historia prolixiùs egit, *tantæ verò molis opus*, subdit, *hac methodo haud incongruè confici posset*: Primò nempè *indaganda erit ipsa Cœnobii origo, fundatio & dotatio*; Tum *Genus, Natales & Gesta primi Conditoris curatiùs erunt expendenda*: Ac deinde *ipsius Monasterii progressus, fata, statúsque antiquus & medius, atque reliqua memoratu digniora, sedulò venient recensenda.* His subjungatur, *Abbatum Historia, æquissimis quidem hisce legibus concinnata, ut cujuslibet egregiæ animi & ingenii dotes, præclara de Ecclesia, Cœnobio, Republica, bonísque literis merita, dignis efferantur elogiis; Eorum verò, qui à recto tramite desciscentes, incuriâ & negligentiâ suâ sibi, posterísque detrimentum attulerunt, sequiores mores, consilia, malefacta &c. minimè dissimulentur; nihil scilicet animo, partium studio, odio vel amori privato, sed uni veritati omnia tribuendo*: Cùm non minùs aliorum offensionibus cavere, quàm prudentiâ discamus sapere... *Post hæc inseratur* Codex Probationum, *Bullas Pontificias, Imperatorum, Regum, Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Archi- & -Episcoporum, aliorúmque Illustrium hominum vetera documenta complectens, quibus tanquam certissimis vadibus ea, quæ in præcedentibus adserta sunt, corroborentur, & dictis fides concilietur. Utile autem fuerit ipsis instrumentis, tam obsoletis, quàm nævis scatentibus, ampliorem subinde explicationem, Ritúumque veterum, Legum, Observantiarum, atque vocabulorum subjicere declarationem, ac ne cui liberum sit per causam vitiatæ in quibusdam scripturæ, aut mendosæ* chro-

chronologiæ, *vel alio quocunque inani prætextu*, *quælibet sine discrimine diplomata invadere*, *ac aperti doli aut falsi*, ut fieri amat, *postulare*, *notulæ quædam in perplexis aut dubiis*, *ad cujusque chartæ oram vel calcem erunt statuendæ. quarum ope & usu Diplomatibus hujusmodi malè adfectis vel sanitas & integritas restitui*, *vel saltem venia apud æquos rerum arbitros conciliari possit.* Hæc Oliverius. Verùm cùm res ista maximè pendeat à cojusque Scriptoris sagacitate, industriâ & arbitrio, nostra quidem candidè proponimus consilia monitáque, nemini tamen leges figere contendimus, probè rati eos nobis sat gratiæ relaturos esse, quis nostrum bene de rebus Ordinis merendi studium agnoverint, probaverintque, ac imitati fuerint. Quia verò ea omnium verissima certissimáque est historia, quæ publicarum actionum nititur instrumentis, recto ordine ad *Rei Diplomaticæ & Antiquariæ* studium more nostro expendendum pergimus.

CAPUT V.

HISTORIA STUDII DIPLOMATICI, CRITICI & ANTIQUARII.

Rei Diplomaticæ utilitas.

SI quod politioris doctrinæ genus Viros decet Religiosos præsertim *Benedictinos*, haud scimus sanè an aliud quodpiam præstantius, aut honestius censeri debeat, quàm *Rei Diplomaticæ*, *& Antiquariæ*, adeóque totius annosæ vetustatis studium. Quid enim constanti illâ antiquitate pulchrius? quid publicis & legalibus retroactorum monumentis venerabilius? Quid dulcius atque jucundius, quàm ipsos Imperatores, Reges, Principes, Comites, Episcopos, & reliquos Monasteriorum Fundatores, Benefactores, Antistites, sibi quodammodo præsentes sistere, cum iis colloqui, syngraphas contrectare, mentem relegere, demirari monogrammata, symbola, cifras, imagines conspicere, spectare pietatis magnalia, atque traditiones in secula missas venerari? Et quid verò dignius aut æquius, quàm in eorum recordatione fervere studio, excubare famulatu, qui cœnobia nostra vel primi erexerunt, vel dotârunt, vel providè gubernârunt, aut industriâ, sudore, parcimoniâ, studiis, laboribus, curísque œconomicis ampliârunt, aut collatis beneficiis, vel impetratis prædiis, censibúsque solidè auctis, ac etiam juribus & prærogativis invictè propugnatis, ad eam, quam nunc spectamus, amplitudinem eadem provexerunt? Horum, *inquam*, memoriam à tot retro seculis penè sepoltam, in præsentium ac posterorum exemplum suscitare, ac ne ullo unquam tempore excidat, evolutis ipsorum chartis, iisque typorum beneficio æternitati dicatis, perpetuare, quid justius atque honestius? Exigit id honor Dei & Cœlitum; Idem postulat ipsa erga Fundatores & Benefactores gratitudo; Suadet id ipsum Patriæ amor & Reipublicæ utilitas; Id denique efflagitat Ecclesiæ & Ordinis decus, Historiæ rerúmque olim piè gestarum ratio, ac ipsa causæ æquitas & debita Majoribus reverentia. An enim ingrato posteris silentio eos abscondemus, quibus plantantibus, quibus rigantibus, Deus nobis incrementum dedit? An sinemus Majorum merita & præclarè gesta, quæ nobis virtutum incitamenta esse debent eò fortiora, quia domestica, iisdem, quibus ipsi, cineribus obrui æternáque oblivione sepeliri? Certè aliud meruêre pii Manes, aliud à nobis exspectant, aliúdque requirit ipsa status publici ratio. Ex his enim venerandæ antiquitatis reliquiis non solùm genuina domesticorum jurium notitia percipi, sed etiam sinceræ rerum origines, progressus, vicissitudines, & provincialium perinde ac privatorum negotiorum rationes, maximè quæ ad Cæsarum, Regum, Ducum, Comitum, Pontificum, Episcoporum Historiam faciunt, in suis veluti visceribus sine ullo fuco, colore, nebula & incrustatione dignosci; Vana novitiorum commentorum monstra profligari; ignorantia proscribi, & rerum successivè gestarum legalis ac genuina cognitio hauriri, atque in posteros poterit propagari. Neque verò alii limpidiores superant fontes, ex quibus tot diversæ hominum, gentium, seculorum consuetudines, ritus, leges tum publicæ, cùm provinciales explicari ac-

cura-

curatiùs possint, quàm hæc ipsa vetustioris ævi documenta, non nisi singulari Numinis providentiâ ad nostram usque ætatem servata & propagata. De horum itaque monumentorum studio, & cognatis cum eo disciplinis, *Criticâ* & *Antiquariâ*, quatenùs inter Benedictinos excultæ fuerunt, per sequentes periochas agere constitutum animo nobis est.

SECTIO I.

Historia Studii Diplomatici.

Joannes Mabillonius Diplomaticæ primus cultor.

REm Diplomaticam, nullis antehac regulis ac legibus subjectum argumentum, qui omnium primus ad artem ac præcepta scitè feliciterque redegit, fuit JOANNES MABILLONIUS. Rei Diplomaticæ notitia * intimis Archiviorum recessibus eatenùs conclusa tenebatur, nec è tenebris emergere valebat, nullo manum porrigente: vetus etsi ac vulgaris foret ejus professio, utpote quam omnes sectantur homines forenses, & Historici, docti pariter & indocti; jacebat tamen illa sine regulis, sine legibus, præter eas quas pro suo quisque captu ac ingenio confingebat. Hinc nata confusio ingens, falsa plerumque judicia de veris Instrumentis, inanes passim conjecturæ de falsis, sanctorum Diplomatum reverentia vix ulla, nulla penè autoritas, nisi apud æquiores & magis eruditos, qui animum à morosis pseudo-criticorum præjudiciis repurgatum habebant. Hanc indignè ferens *Mabillonius* rei literariæ plagam, tentavit remedium, & quidem opportunum: opem ferre constituit, Archiviis præsertim Gallicanis, quibus maximè clades hæc imminebat. In hunc campum aleæ plenum descendit, ut desertam illam ac propemodum neglectam rei literariæ partem pro modulo illustraret, rei diplomaticæ adferret lucem aliquam, suam restitueret Sacris Summorum Pontificum reverentiam, ac præcipuè Regum Galliæ Diplomatibus autoritatem postliminio vindicaret.

Opus Criticum eliciunt Papebrochius & Henschenius.

Ut tamen ** non minùs novum, quàm arduum ac salebrosum erat argumentum, nihil festinandum esse censebat vir prudens, donec maturitatem assecutum esset tantæ molis opus. At cœpta dudum, jámque satis meditata maturare compulit *Danielis Papebrochii*, viri editis Sanctorum Actis celeberrimi tentamen. Is enim, utì ante eum *Godefridus Henschenius* in sua de tribus *Dagobertis* diatriba in 4.to Antverpiæ anno CIↃDCLIII. excusa, acerrimo bello S.Dionysianis Diplomatibus, aliisque Benedictinis indicto, *Propylæum* illud Antiquarium circa veri ac falsi discrimen in vetustis membranis, anno CIↃDCLXXVI. Actorum Tomo II. mensis Aprilis promulgaverat, quo non varia solùm San-Dionysiana aliáve Benedictinorum Diplomata pro adulterinis venditat, sed & novas artis hujus regulas dare ausus est, quibus tamen si locum fecisset Orbis literatus, vix superfuisset Diploma, cui non partûs adulterini macula inuri posset. Cùm enim veterum chartarum nulla sibi fuisset parabilis copia, nullásque ferè scripturas authenticas vidisset, *quòd nulla sibi archiva lustrare licuisset*, ut modestè fatetur vir candidus, unius dumtaxat, aut alterius chartæ inspectione in transversum actus, judicium de omnibus iniquum tulit. Pronunciare fidem non dubitavit, in dicto *Propylæo*, chartas fidem habere eò minorem, quò majorem præferunt antiquitatem; in toto Franciæ regno nullam chartam sinceram, ac genuinam reperiri ante regnum primi Dagoberti; paucissimas autem sub illo, ac post illum usque ad secundæ stirpis Reges scriptas haberi, quæ vel autographæ dici possint, vel ex autographis fideliter desumptæ: eodem modo ratiocinandum & de privilegiis Apostolicis, quibus ab Episcoporum jurisdictione exempta monasteria, & sub immediatam Sedis Romanæ protectionem suscepta sunt: denique de Adeodati Papæ privilegio pro Martiniano cœnobio, déque aliis aliorum Pontificum pro Dionysiano, atque aliis porrò omnibus, tempore primæ stirpis regiæ editis, illud omninò tenendum esse, tantò minus adhibendum eis fidei, quantò plus præseferunt antiquitatis.

Iniquè de veteribus chartis pronunciant.

Hæc & alia, cùm Archivum Dionysianum velut *Officinam falsorum Diplomatum* traducerent, & in omnium aliorum, in uno confossorum, imò totius

* Ruinart in vit. Mabillonii n. xxiv. pag. mihi 56.
** Massuet in vit. Mabill. pag. mihi 122.

Falsis eorum regulis veras opponit Mabillonius.

tius Francici regni redundarent injuriam, æquo animo ferre non valens *Mabillonius*, falsis Papebrochii regulis veras opponendas esse duxit. Ad argumentum igitur dudum susceptum jam probè meditatus accedens, quæcunque ad rem diplomaticam pertinebant, accuratiùs, & attentiùs expendit, digerit, explicat, archivorum fidem, & auctoritatem tuetur, collatísque secum invicem infinitis propemodum, quas inspexerat, chartis, regulas eruit, quibus genuinæ à spuriis, integræ à vitiatis discerni queant, veterum scripturarum varia specimina, in tabulis LX. accuratissimè delineata, oculis exhibet; & ut verbo dicam, insignem illam de re diplomatica lucubrationem in lucem emittit anno MDCLXXXI. in fol. maj. Ad novum illud antiquariæ artis genus, quod hactenùs aggressus erat nemo, obstupuit literarius Orbis, ac præter mentis acumen Auctoris, ingenii sagacitatem, profundam eruditionem, immensam veterum recentiorúmque lectionem miratus est rem diplomaticam certis quibusdam regulis subjici potuisse, quibus coërceri posse desperabant omnes. Ea laus poterat esse hominis duntaxat longo usu in ea arte contriti ac subacti. Plausere proinde antiquarii, forenses, omnis generis, & nationis homines, novámque sibi viam aperiri & æquari gestierunt, quam imperviam, ancipitem, & inexplicabilem esse putabant. Plausit inprimis vir doctissimus *Daniel Papebrochius*, omnémque respectum sincero, quô flagrabat, veri studio postponens, non tantùm non molestè tulit, se à *Mabillonio* confutatum fuisse, nec præproperè conceptam opinionem vanis rationibus & cavillationibus tueri studuit, ut juvenculus quispiam tyro fecisset; sed scriptis ad Auctorem * literis gratias egit, eíque trophæum ipse his verbis ponere non detrectavit:

R. Pater!

Papebrochius suam retractat sententiam per literas.

„Tandem Parisios pervenit sarcina, cui ante menses aliquot commiseram vitam S. Gerardi Broniensis, petitam à Reverentiâ vestrâ: quam licèt audiam nunc peregrinari, postquam tamen utcunque evolvi opus vestrum de re Diplomatica, non possum celare fructum, quem inde retuli. Fructus autem hic est, quòd mihi in eâ de eodem argumento, octo foliorum lucubratiuncula, nihil jam ampliùs pla„ceat, nisi hoc unum, *quòd tam præclaro Operi, & omnibus numeris absoluto*, occasionem dederit. Idque his ipsis ferè verbis profitebor in præfatione ad Conatum meum chronico-historicum de Romanis Pontificibus, qui cras ad prælum dabitur. Quod facere nolui, priusquàm ex vestro libro notâssem, quid corrigere circa ipsorum Bullas deberem ad restituendam San-Dionysiano Archivo æstimationem suam, quam læsisse videor, secutus Lanunoy judicium. Cæterùm non possum satis mirari, quo modo res tanta à vobis potuerit tam brevi tempore confici, quantulum edito Aprili nostro ad añum millesimum sexcentesimum octogesimum primum fluxit. In uno alteróve puncto non videor satis fuisse intellectus, vel potiùs ipse locutus obscuriùs. Nam neq; absolutè dicere volui, *In nomine Patris & Filii* inchoari omnia Caroli & decessorum Regum Diplomata; sed ea solùm, quæ invocationem habent; aliud scilicet nihil tunc curans, quàm ut ab antiquioribus, quale prætendebatur esse Horrense, amolirer invocationem sanctæ & individuæ Trinitatis. Secundò nec per somnium quidem cogitavi usum diuturniorem Ægyptiæ papyri, jam pridem persuasus, chartam lineam à Gallis & Belgis, ipsísque Germanis, non aliâ ex causâ vocari *papier*, quàm quia Ægyptiæ papyro successerit. Lineam autem sciebam recentioris esse inventionis: sed illam posse vocari *escorce d'arbre*, & à Doubleto sic vocari, peregrinum valde mihi accidit. Verùm quid hæc ad tam multa, in quibus me rectè accusat, & corrigit Reverentia Vestra? cui hoc nomine magis, quàm unquam antea obligor, tantùm abest, ut quidquam ægrè feram. Initio quidem lectionis, fateor, patiebar humanum aliquid, sed mox ita me rapuit ex utilissimo solidissiméque tractato argumento proveniens oblectatio, & gratus emicantis ubique veritatis fulgor, cum admiratione tot rerum hactenus mihi ignotarum, ut continere me non potuerim, quin reperti boni participem statim facerem socium meum Patrem Baertium. Tu porrò, quoties res tulerit, audacter testare, quàm totus in tuam sententiam iverim, méque, ut facis, perge diligere, qui quod doctus non sum, doceri saltem cupiô. Antverpiæ 10. Jul. 1683.„ Hactenus vir modestiâ perinde ac doctrinæ & eruditionis præstan-

* leguntur in Annal. Bened. Tom. I. pag. 624. inque Librorum de Re Diplom. Supplem. pag. 5. & Opp. Posthum. Mabill. Tom. I. Lib. V. pag. 459.

tia

tiâ eximius. Cui Mabillonius in hæc verba respondit:

Cui aliis literis respondet Mabillonius.

„ Nobis ex Itinere Germanico reversis reddita sunt *Acta S. Gerardi* Abbatis Broniensis cum Epistola tua, in quâ quid de Opere nostro Diplomatico sentias, sincerè exponis. Ego verò satis mirari non possum tantam in tam insigni eruditione modestiam, cujus exemplum vix ullum illustrius reperire licet. Quotus enim quisque eruditorum est, qui in literario conflictu victum se agnoscat, & agnitâ veritate priorem sententiam incunctanter deponat? atque id palàm omnibus testatum velit? Tu verò id facis ultrò & tam amicè, ut etsi aliunde te non nôssem, statim ob id unum intimo amore complecterer. Sic non tibi sufficit doctrinæ & eruditionis primas tenere, nisi etiam primas assequare modestiæ: Utramque tibi palmam deferimus, admodùm Reverende Pater, neque hæc mei solius sententia est, sed etiam eorum omnium, quibus literas tuas tuo jussu ostendi. Alii nimirum eximiam tuam humanitatem, alii modestiam & humilitatem, omnes insignem eruditionem tuam deprædicabant: sed vereor, ne, dum hæc fusiùs prosequor, mihi de tua confessione ingenuissima adblandiri videar. Absit hæc à mente mea cogitatio, ut ex tua modestia ego ipse superbiam. Immo verò id ita animo reputo, si quid in Opere meo dignum tua publicâve æstimatione inveniatur, non tam ex ingenii nostri conatu, quàm ex monumentorum copia & authoritate æstimandum esse. Verùm quidquid illud est, malim esse modestissimæ epistolæ auctor, quàm cujusvis operis vanus ostentator. Tu verò vir piissime, Deum precare, ut qui tui in Actis Sanctorum illustrandis imitatores sumus, etiam in consectanda Christiana humilitate socii esse mereamur. Pridie Id. Nov. 1683. „

Bellum instauratur à Germonio.

Conquievit inde RES Diplomatica, ferè per xx. annorum spatium, donec eam iterum Jesuita *Bartholomæus Germonius* resuscitaret, *Disceptatione de veteribus Regum Francorum Diplomatibus* ad Mabillonium Parisiis anno CIↃDCCIII. promulgata. *Crozius*,* in Vindiciis veterum Scriptorum contra *Harduinum* asserere non dubitavit, Jesuitas, non ut communi rei literariæ consulerent, *Mabillonio* bellum movisse, nec ea ratione *Papebrochium* fuisse impulsum, ut Propylæum suum publici juris faceret, & cùm is à *Mabillonio* confutatus fuisset, Socios id ægrè ferentes *Germonio* animos addidisse, ut bello instaurato stantem Mabilloniani libri gloriam oppositis suis Scriptis, tanquam machinis oppugnare, atque subvertere conaretur. Quæ cùm *Petrus Bælius* legisset, in suo repetiit Dictionario, in quo scribendi facilitatem cum carpendi libidine conjunxisse dignoscitur. Hanc verò infamiam *Joannes Bapt. Solerius* in Epistola ad *Fridericum Schannat* datâ à suis detergere Sociis, operam adhibuit. Verùm nec hic satisfecit illustri *Ludewigio*, qui in suâ ad Reliquias Manuscriptorum præfatione Tom. I. pag. 24. aliam instaurandi adversus Benedictinos Belli diplomatici causam indicat: *Scilicet*, inquit ille, *tæduit piguitque Ultimos* (Jesuitas) *sui ortûs novi ac veluti adolescentis, alüsque omnibus ætate posterioris. Id ergò egerunt Jesuitæ, ut omni vetustati indicerent bella, ne aliis præcipui aliquid eos oporteret relinquere. Deinde cùm antiquioris ævi Ordines insigniter gauderent suis literariis thesauris, & diplomatum festivo ac venerabili adparatu, contrà hominum novorum Jesuitarum tabularia calva & vacua essent horum cimeliorum, irretorto oculo intuiti sunt, quidquid redoluit sacram vetustatem. Inde hujus instituti furor, quo chartas omnes in dubium vocare ausi sunt, simúlque pretio omni eas destituere* **.

Utcunq; verò ista se habeant, certè *Germonii* conatibus non respondit pro votis exitus. Quæ enim de Auctore & Opere fuerat apud eruditos existimatio, mansit incolumis, imò ex irritis conatibus crevit. Idque verissimum esse expertus est prudens quisquis rerum æstimator, quod initio libri primi de re Diplomatica pronuntiaverat MABILLONIUS, „ *Ad id argumentum pro dignitate tractandum opus esse in primis eruditione non vulgari, tum multo veterum chartarum atque archivorum usu, quibus etiam moderatio & æquitas accedat.* Qui vel uno horum destitutus id susceperit, timendum esse, ne aut falsas regulas pro veris obtrudat, aut incidat in temerariam præcipitémque censuram. Nam, ut addit in Supplementi Caput I. si de uno singulari instrumento decretorium ferre judicium difficile est homini

Scriptorus de re Diplomatica quibus præsidiis opus habeat.

* Vide Discours preliminaire de M. *La Croze* à l' histoire d' un Voyage literaire fait en France l' an. 1733.

** Confer. Cl. V. *P. Oliverii Legipont* Dissert. III. de Diplomatum Criterio §. II. pag. 156. seq. *Michaelis à S. Josepho* Crisis de Criticos arte pag. 181. Ubi: *Longe*, inquit, *mei abjuntur à Germonii in re diplomatica minimè toleranda pyrrhonismo &c.*

homini in hoc argumenti genere minùs versato: quantò magis de universis statuere arduum & periculosum, si non adsit experientia, quæ non nisi longo hujusmodi monumentorum usu comparari potest? Nec sufficiunt ad hoc judicium humaniores artes, orationis politioris studium, nec denique lectio assidua melioris literaturæ auctorum; imò hæc studia ad id plurimùm obsunt, si eadem dicendi elegantia, vel puritas in vetustis illis instrumentis exigitur. Ad hæc enim improbanda, vel rejicienda suopte marte ducitur animus politioribus illis imbutus auctoribus, quorum leges aliquo modo dediscendæ erunt, ut his infimæ Latinitatis monumentis animus assuescat. Et tamen plerumque accidit, ut, qui illis studiis imbuti sunt, de his quoque summo jure judicandi potestatem usurpent, rideántque alios, qui secùs sentiant. Quapropter qui se rei Diplomaticæ arbitros profiteri volunt, de his idem exigendum est, quod de pædagogis exigebat Quintilianus: nimirum, *ut aut sint eruditi planè, aut se non eruditos esse sciant.* „ Hactenus Mabillonius.

Mabillonii ratio in confutando Adversario. Cùm autem vir clarissimus adversariorum rei diplomaticæ objectiones jam plus satis vel confutâsset, vel occupâsset in Opere de Re Diplomatica, vel ea principia statuisset, ex quibus omnes pæne à peritis facilè solvi possent, nova scripta Doctorum judicio permittere maluit, quàm datâ operâ refellere, ne refellendo, vel eadem cum tædio lectorum iteraret, vel lites cum temporis, majorísque momenti laborum dispendio perennaret. Ne tamen & doctorum amicorum consiliis prorsus deesse videretur, mediam hanc iniit rationem. Paratum dudum habebat supplementum, novæ librorum de re Diplomatica editioni ab omnibus expetitæ, quam tum meditabatur, subjungendum; separatim tamen imprimendum, ne, qui priorem editionem sibi comparâssent, novam emere cogerentur. Huic illud præmittere consultius esse duxit, ratus (nec fefellit spes) id plus satis esse ad succutiendas inanes adversariorum objectiones; iis tamen, velut si nulli fuissent, ne nominatis quidem, aut expressè confutatis. Prodiit igitur in lucem *Supplementum* ann. MDCCIV. in fol. dilata in opportunius tempus nova editione, quæ demum vulgata est anno MDCCIX. In eo Supplemento retractato breviter Diplomaticæ totius argumento, archetypa pro regulis proposita, ipsæq; regulæ denuo confirmantur, novisque speciminibus & argumentis asseruntur, & illustrantur; diplomata plura, formulæ, veteráque monumenta hactenus invisa in lucem emittuntur, ac demum objectiones omnes, quæcunque proponi poterant, aut propositæ hactenus fuerant, sedulò excutiuntur, ac planissimè diluuntur: ita ut jam nihil superesse confidens, quod lectorem æqui veríque amantem remorari posset, à contentiosis scriptis abstinendum sibi meritò censuerit.

Ejus ad rem Diplomaticam Supplementum.

Si quis, inquit, *rixas & contentiones persequi & ingerere amet, nihil responsi à me exspectet. Ut enim ab ejusmodi cavillationibus semper abhorruit animus, ita, nunc maximè, bis tricis confici puderet reliquum hoc ætatis meæ ac temporis, quod melioribus studiis occupari decet.* Fecit, quod dixit vir pacificus: quidquid enim egerint quidam, ut veteranum militem proritarent, à proposito dimoveri non potuit, non causæ suæ diffisus, quæ jam absoluta videbatur, sed paci ac tempori consulens.

Alii Mabillonii & Diplomatum vindices. Quibusdam tamen ex *Mabillonii* amicis, cùm major tanti viri moderatio videretur, quàm res ferret; amici, veterúmque Diplomatum, adeóque venerandæ antiquitatis vindicias susceperunt. Inter eos excelluit Illustrissimus D. *Justus Fontaninus*, tunc in Romano Archigymnasio publicus eloquentiæ Professor, & Cardinalis Imperialis Bibliothecæ Præfectus, vir non solùm politiorum Musarum studio, sed omnigena eruditione conspicuus, & ad ejusmodi pugnam, siquis alius, instructus, & munitus. Is ergo librum edidit Romæ anno MDCCV. cui titulus: *Vindiciæ antiquorum Diplomatum*, quem Summo Pontifici CLEMENTI XI. nuncupavit, in quo singulas adversariorum objectiones accuratè expendit, ac solidè & eruditè refellit. Quod verò contra *Germonium* calamum strinxerit, in causâ est *Dominicus Passionei*, tunc illustrissimus Abbas, nunc Eminentissimus S. R. E. Cardinalis, qui, ut hoc faceret, stimulos ei ac calcaria addidit.

Mabillonii literæ ad Fontaninum. MABILLONIUS, ut se gratum *Fontanino* præberet, sequentes literas ad eum exaravit: „ *Pervenit tandem in manus meas è Regia Bibliotheca aureus liber tuus*, Vir Clarissimè! *quò veterum Diplomatum veritatem, simúlque meam fidem ab iniquâ Germonii censurâ vindicare aggressus es.* Ubi primùm illum mutuò accepi à Regio Bibliotheca-

„ thecario, continuò eum aperui, móxque ad legendum me rapuit primò quidem typorum nitor, quo nihil elegantius, tum argumenti genus, quod meâ maximè intererat. Argumento probè respondet titulus, quô concinnius nihil, *Justi* nomen præferens, ad jus suum cuique reddendum. Verùm eò felicius nihil, quod SS.mus Pontifex CLEMENS XI. communis omnium parens & judex, causæ tuæ pariter ac nostræ patrocinium suum impendi haud dedignatus est, passus auspicatissimum suum Nomen libro tuo præfigi; quâ de re maximam tecum gratiam Sanctitati suæ habemus. Lecta magnifica tua ad eum epistola mox librum totum avidè lego ac perlego, in quo scribendi modus Professoris eloquentiæ nomine dignus elucet. Jam verò quàm exquisita rerum in toto operis decursu varietas, quanta rationum vis, quanta argumentorum moles! Ea sanè ut iis adversarius non tam superari, quàm obrui videatur. Quamquàm vereor, ut se victum fateatur Germonius; víxque mihi persuadeam, ut is, qui se in re Diplomaticâ magistrum putabat, vix discipulum se reputari facilè sustineat. Verùm hac de re judicabunt æqui rerum æstimatores, quos tibi applausuros esse non dubito. Hæc saltem Germonio nos debere censebimus, quòd tam præclaro operi occasionem dederit. Ad me quod attinet, etsi non dubitem, Vir Clarissime, te in componendo edendóque eximio isto libro non tam mei, quàm publicæ rei, ut par est, rationem habuisse; tamen quia mea causa cum publica conjuncta est, téque meis studiis aliàs favere compertum habeo; verbis exprimere, nedum reipsâ non valeo, quantum tibi obstrictus sim, quòd istam lucubrationem elaboraveris, ac publici juris feceris; ex quâ certè intelligent literati omnes, quæ & quanta ex tua eruditione sperare & exspectare possint, qui tam præclarum specimen ejus præter alia dederis. Quam exspectationem ut factis compleas, integram & diuturnam valetudinem à summo rerum Autore tibi concedi ex animo exopto. Plura tibi nomine meo dicturus est in Urbe Procurator Generalis. Vale, & me tibi addictissimum, ut cœpisti, amare perge. Parisiis pridie kal. Novembris anno 1705.„

Mabillonio his literis *Fontaninus* respondit:

„ Post longam corporis ægritudinem, quæ vix dum impressis, neque satis recognitis Vindiciis antiquorum Diplomatum, per integros duos menses elapsi autumni me afflixit; opportunum solamen animo nostro præbuerunt suavissimæ literæ tuæ, quibus lucubrationem meam non modò à te, Vir Clarissime, non improbatam, sed, quæ tua humanitas est, luculentis laudibus insignitam testaris: quam amplissimam sanè mercedem, haud continuò illi deberi putarem, si hoc absque injuria sinceri animi, & perspicacissimi judicii tui fieri unquam posset. Est profectò, unde me circumspiciam, non invitâ Minervâ, tantam causam in hac luce hominum à me ita fuisse susceptam, ut Disceptatione Germonii Urbs hæc sapientissima florenti nomini tuo, seu publicæ veritati, nihil omnino detractum esse intellexerit, & oratio mea exspectationem tuam sustinere potuerit; quæ licet causæ ipsius magnitudini, & operis tui celebritati potiùs, quàm ullis ingenioli nostri subsidiis tribuenda esse videam; attamen mihi tanti sunt, ut non pœniteat, scriptum illud è manibus nostris elabi sivisse; quum inde certò innotuerit, me, quamvis tuis laudibus imparem, non indignum existimari, qui me tui præcipuum admiratorem profiterer. Hoc tam magno, tam præsente, tam honesto præsidio circumdatus, vix est, cur edentula & imbecilla ea omnia non putem, quæ in Rem Diplomaticam fortè deinceps conjici poterunt. Etenim in Scripta tua veritati & immortalitati subnixa quo majore conatû, studióque res agitur, eò leviorem infirmiorémq; eandem vim existimo, quum non me unum adstipulatorem, qui tantulus sum, sed universum eruditorum consensum tibi tanto antè comparare potueris, ita ut disceptationibus te aggredi, sit contra omnes iniquâ certatione velitari. Plura nomine tuo mihi nunciavit vester in Urbe Procurator Generalis, pro quibus magnam gratiam habeo, vellem etiam referre. Valeas interim, Vir celeberrime, & qui literariæ Reipublicæ causa es natus, te etiam ejusdem causa, non tuâ solùm, diu nobis incolumem præsta, quódque mihi maximo honori ducam, me, ut facis, amare perge. Datum in Urbe nonis Januarii 1706.„

Fontanini ad eum Responsoriæ.

Alter vindex est THEODERICUS RUINARTUS Mabillonii in hoc studio-rum

Theodericus Ruinartus

rum genere synchronus ac socius. Cùm enim *Germonius*, ne causam *Mabillonio* tradere videretur, anno MDCCVI. novam Disceptationem edidisset, eámque Supplemento oppofuisset, veritus Ruinartus *, ne verborum pompa, & apparatû, auctorísque confidentiâ imperitorum oculis pulvis offunderetur, eam refellere sic aggressus est, ut tandem in omnibus excutiendis, quæ confidentiùs objiciebantur, tempus frustra terendum non esse meritò censeset. Ex omnibus selecta una singulari charta, in quam majores fuerant impetus, hujus defensionem præ cæteris suscepit, ratus, si tutam ab adversariorum telis facilè servaret, ex hoc vel uno specimine facilè intellecturos omnes, quo loco habendæ, & quanti faciendæ essent aliæ in alia diplomata leviores objectiones. Testamentum *Vandemiris* est, viri illustris, & Erchambertæ uxoris ejus, quod insignis Ecclesiæ Parisiensis veteres titulos seu basilicas spectat, à Vandemire magnificè dotatas, quod proinde ab injuriosis ictibus illæsum servari multùm illius Ecclesiæ intererat. Strenuè servavit Ruinartus scriptâ anno MDCCVI. lucubratiunculâ sub hoc titulo: *Ecclesia Parisiensis Vindicata*, &c. in quâ expensis singulis objectionibus, eas nullius toboris esse invictè demonstrat.

Dominicus Lazzarinus.

Tertio qui loco sequitur, DOMINICUS LAZZARINUS est, cui stomachum Trevoltiani moverant, quòd dum librum *Fontanini* recenserent, passim causam agerent socii sui Jesuitæ. Igitur adversùs illos epistolam scribit quàm elegantem tam vehementem. Libellus inscriptus est: *Dominici Lazzarini ad amicum Parisiensem epistola pro vindiciis antiquorum diplomatum Justi Fontanini Forojuliensis* Romæ (vel potiùs Parisiis) *1706*. In Præfatione Editor ita de Lazzarino „*Dominicus Abbas*, inquit, *ex nobilibus de Maro*, quod oppidum est celebre in Piceno, *vir apprimè humanioribus literis*, *Græcis*, *Latinísque excultus*, *Juris utriusque paritérque Philosophiæ*, *& Theologiæ Doctor*, *perfectáque disciplinarum notitia spectabilis amplissimos magistratus cum laude gessit*, *Juri dicundo in Perusina insigni urbe deputatus*, *ubi Auditoris Rotæ*, *ut vocant*, *munus*, *pari æquitatis sagacitatísque commendatione exsecutus est*. *Ne multa*: *Genere*, *morum æquabilitate*, *eruditione*, *dicendique copia perinde clarus*, *virque omnium numerorum &c.* Habuit etiam Lazzarinus vehementem orationem coram Auditorio Maceratæ, quam Editor *Cajetanus Lombardus* Philosophus & Medicus Neapolitanus in frontibus singularum paginarum vocat *Germonianam* imitatione Verrinarum Ciceronis, & Philippicarum Demosthenis.

Declamat contra Germonium.

Sub finem orationis *Lazzarinus* in Germonium his verbis invehitur: *Ego*, GERMONI! *ut candidè loquar*, *Pyrrhonæam istam scholam*, *quam nuper aperuistis*, *ferre non possum*. *Vix defenderamus ab Harduini manibus Thucydidem*, *cæterósque Historicos & Poëtas*, *Latinos & Græcos*, *ut nihil jam dicam de SS. Patribus*, *quos ille falsos esse diceret*: *cùm à te literæ Principum vetustissimæ defendendæ sunt*. -- *Et sanè vos*, *ut critici maximi in historiâ habeamini*, *Sceptici iidémque ridiculi evasistis*: *nisi fortasse aliqua vestra sit machinatio in antiquitatem*. *Rumor est Romæ*, *non defuturum inter vos*, *qui signa omnia marmorea*, *quæ vetusta sint*, *neget vetusta esse*. *Certè non desunt gravissimi testes*, *qui unum aliquem ex Trevoltianis heroibus dixisse meminerint*, *cùm Romæ ille degeret*, *columnas Antonini & Trajani non esse vetustas*. *Sed quid testes adhibeo*? *An non literis mandavit Harduinus*, *marmora illa Pisana à strenuo quodam artifice conficta esse*: *atque adeò nullum operæ pretium fecisse Cardinalem Norisium*, *qui illa eadem marmora suis dissertationibus illustraverit*. Cæterùm Lazzarini epistolam, de qua suprà, exhibent Nova Literaria Germaniæ An. CIƆDCCVII. mense Junio pag. 220. seq. & *Germon* ipse in novis Disceptationibus anno CIƆDCCVII. editis pag. 388. seq.

Mabillonii literæ ad Lazzarinum.

MABILLONIUS, ut Lazzarino pro suscepta Operis sui Diplomatici defensione gratias haberet, has ad ipsum dedit literas: ** „ Incredibili gaudio, Vir præstantissime, me affecit adventus in hanc Urbem illustrissimi Abbatis *Passionei*, quem summoperè videre cupiebam, ut debitas ei gratias coram agerem, quòd ejus favore & beneficio clarissimum Abbatem *Fontaninum* adversùs *Germonii* insultus strenuum vindicem habuerim. At novo me gaudio cumulavit idem illustrissimus Abbas, cùm elegantissimam istam epistolam mihi legendam dono dedit, quâ tu ipse, Vir nobilissime, *Fontani*-„*num*, communem amicum, de Tri-„vol-

* Massuet in vit. Ruinarti.
** Extant Opp. Posth. Tom. I.

„ voltianis censoribus ita vindicâsti, ut ne mutire qnidem in posterum ausuri sint, si sapiant. In eas enim illos redegisti angustias, nt, si sincerè agere volent, quod vereor, ut velint, errorem suum agnoscere cogantur, séque longè à veri scopo aberrâsse palàm fateri, cùm *Fontaninum* Germonii scopum non attigisse temerè dixerunt. Sin verò culpam suam tueri pergant, habent, qui eos egregiè refellat, ac retundat. Miseret me sanè illorum angustiæ, in quam se imprudenter conjecerunt, quasi nemo futurus esset, qui eorum fucos & artes retegeret, & in publicum traduceret. Quòd autem id tam bellè præstiteris, Vir illustrissime, & *Fontaninum* nostrum tantâ vi eloquentiæ, tam pressè, tam falsè & lepidè vindicaveris, hoc nomine me tibi obstrictissimum esse persentio & agnosco. Sic enim *Fontanini* causa cum mea modò conjuncta est, ut qui illum amet ac defendat, amicus, qui lacessat, ut candidè modo tuo loquar, inimicus mihi reputandus sit. Immortales itaque gratias tibi ago, Vir illustrissime, quòd ejus causam ac meam tuendam susceperis; precórque obnixè, ut idem posthac facere pergas, méque in numerum eorum, qui te plurimùm colunt, tibique addictissimi sunt, accensere digneris. De cætero certiorem te esse velim, me tui deinceps memorem semper fore apud Deum, ut præclaram tibi præbeat occasionem experiendi eximias istas, quibus ejus dono excellis, animi & ingenii dotes ad ipsius gloriam, & reipublicæ christianæ utilitatem. Vale Vir illustrissime, & veritatis veritatémque sincerè amantium defensor esse perge. Iterum vale. Parisiis VI. kal. Septembris an. 1706. „

Antonius Gattus. Ultimus vindex est ANTONIUS GATTUS in epistolâ ad V. C. *Jacobum Bernardum* pro vindiciis antiquorum Diplomatum, Amstelodami (Parisiis) an. 1707. quam prolixè satis recensuit Bernardus mense Martio: vide *Nouvelles de la Republique des Lettres* An. CIƆIƆCCVII. pag. 335. seq. de Autore JCto & Mediolanensis Senatûs Professore Ticinensi, vid. *Giornale de' letterati d'Italia Tom. IV. pag.* 225. In gratiam Fontanini pariter hic scripsit, exprobravítque Bernardo, ephemeridúmque quibusvis ferè scriptoribus, quòd in recensendis ejus generis libellis nomini Germoniano nimis parcere viderentur.

Germonii Apologia. Quattorviris hisce non multò pòst respondit *Germonius*, novis de veteribus Regum Francorum Diplomatibus, disceptationibus adversùs *Ruinarti*, & *Justi Fontanini* vindicias, atque epistolam *Dominici Lazzarini* & *Antonii Gatti* editis Parisiis 1707. Priores duas disceptationes *Ruinarto* & *Fontanino*, appendices verò *Lazzarino* & *Gatto* opposuit: Ruinarto respondit, parùm ingenuè secum actum esse ab illo, quòd *Ecclesiæ Parisiensis vindicatæ* titulo usus sit ad invidiam Germonio excitandam, quasi impetita fuisset Parisiensis Ecclesia, cùm tantùm illius quædam documenta in dubium vocaverit. Quare valde dolet de studio adversariorum, quo illi invidiam & odium universi propemodùm Orbis literarii conciliârint, quasi omni antiquitati bellum indixerit, déque omnibus libris, monumentis, chartis, diplomatibus temerè dubitaret. Vide Bernard l. c. mense Sept. & Oct. 1707. pag. 243. seq. & 363. seq. Conf. Biblioth. choisie Tom. XX. p. 268. Cautiorem ergo, si non meliorem hac novissima apologia se exhibuit *Germonius*: cui tamen responderunt *Lazzarinus* peculiari contra Germonium defensione; itémque *Scipio Maranta* expostulatione in Germonium pro antiquis Diplomatibus & Codd. Manuscriptis 8. Messanæ CIƆDCCXII. Hæc *de bello Diplomatico*: * Nam Vindiciæ MSs. Codd. à *Germonio* impugnatorum, authore Domno *Petro Coustant*, Presbytero & Monacho Ord. S. Benedicti è Congregatione S. Mauri, quæ Parisiis prodière, aliam, sed affinem tangunt litem. **ad quam respondent Lazzarinus, & alii.**

Mabillonius novam de Re Diplomatica editionem meditatur. Nunc ad *Mabillonium* ut redeamus, sydus illud Benedictini Ordinis nunquam occasurum, déque immortali ejus Opere, quod jure Diplomaticam proram puppímque absolvit, quæ dicenda supersunt, tribus, quod ajunt, verbis attingamus. Quamvis hæc eruditionis pars, quæ rem Diplomaticam complectitur, jam satis doctè ab illo elaborata videretur quàm plurimis, eo tamen minimè contentus Vir immortalis memoriæ Mabillonius noster ad majora animum intendit, & opus quotidie lambendo novam, eámque perfectiorem meditabatur Operis editionem, de quâ ipsum in Supplementi præfatione differentem vide, his verbis: *Ca-*

terùm

* De quo Videsis plura in libro Gallico Parisiis A. 1708. edito hoc tit. *Histoire des contestations sur la Diplomatique.* .. & Italicè reddito Mediolani 1720. in 4.

terùm nemo existimet, me intactam prorsus reliquisse primam totius Operis nostri editionem, imò verò multa in eâ novis præsidiis auxi, & confirmavi: non pauca etiam correxi, & emendavi, tum ex meis, tum ex aliorum observationibus &c. Sed quod magnoperè dolendum, medio quasi laborum cursû, cùm Opus adhuc sub prælo esset, immaturâ morte an. CIƆDCCVII. exeunte Magnus Mabillonius præreptus est. Verumenimverò Theodericus, quem modò diximus, *Ruinartus*, hoc muneris in se suscepit, ut Operi non præfationem solùm, de quâ Autor cogitaverat, sed & appendicem, tum suo, tum Mabillonii studio collectum adjiceret, cujus curâ año CIƆDCCIX. Operis editio Lutetiæ Parisiorum recusa est hoc titulo: *Joannis Mabillonii de Re Diplomatica Libri VI.* quibus, quidquid ad veterum instrumentorum antiquitatem, materiam, scripturam, sigilla, monogrammata &c. pertinet, explicatur: Accedit Commentarius de antiquis Regum Francorum palatiis: veterum scripturarum varia specimina Tabulis LX. comprehensa: Nova CC. & ampliùs monumentorum collectio. Editio secunda ab ipso Auctore recognita, emendata, & auctior curâ Theodorici Ruinart Paris. sumptibus Caroli Robustel ch. Reg. Anno 1709.

Operis editioni immoritur.

Quam tamen Ruinartus accurat.

Nova hæc, imò novissima, nitidissimáque editio, accessionibus aucta quàm plurimis, nec minori eruditorum plausu excepta est, quàm prima, quæ anno CIƆDCLXXXI. Parisiis prodiit. Quam quidem Belgæ, ut minoribus liber ob singularis argumenti dignitatem præstantissimus impensis haberi posset, recudere voluerunt, sed irrito hucusque successu: Nam rerum momenta hîc à picturis & scripturæ formis pendent, non ita facili imitatû. Præfatione *Ruinartus* maximam partem *Hickesio* respondet, qui in *Thesauro Linguarum veterum Septentrionalium Archæologico*, sed moderatione singulari usus, regulas Mabillonianas sub examen vocaverat, & ita quidem respondit, ut Lector inde multùm ad veritatem proficere queat.

Literatorum applausu excipitur.

Hactenus de Præfatione: Quod ad ipsum Opus attinet, postrema hæc editio cum priori penè paginarum numero congruit, subinde tamen additis nonnullis, demtis, aut etiam immutatis atque correctis, cumprimis Libro VI. frequentiores observationes adjectæ sunt, quibus vel confirmata, vel illustrata, & quæ minùs rectè ex apographis excerpta erant, restituta & correcta videas quàm plurima. Accesserunt præter alia, nova V. scripturarum specimina: primùm Romana illa, elegantissimis characteribus ex Pithæano Virgilii fragmento expressa, quam vide pag. 635. sqq. collato tamen Libro V.to pag. 352. & p. 354. Duo námque jam suprà ex Virgilio tum Vaticano tum Florentino produxerat, nitore tamen ac elegantia cum hoc minimè comparanda.

Quid novi contineat?

Totius verò Operis summam & contenta recognoscere qui cupit, consulat Librorum indicem ac Capitum, uni-verso Operi qui præmittitur, copiosum satis, & in compendio *Acta Eruditorum Latina* An. CIƆDCCXXXII. pag. 130. *le Cerf Bibliotheque Historique & Critique des Auteurs de la Congrégation de S. Maur. p. 256. & seq.* itémque Autorem Anonymum, quem modò *Raguetum* esse diximus, *dans son Histoire des Contestations sur la Diplomatique avec l'Analyse de cet ouvrage composé par le Pere Mabillon. Paris.* 1708.

Ubi Operis recensio haberi possit?

Opus ipsum VI. Libris distinguitur, sed rei summam primis III. Autor ipse exequitur: *Quarto* namque de Francorum RR. palatiis agitur, & villis Regiis, in quibus Diplomata datæ fuere, & concessa, quæ quidem juxta literarum seriem non tam Autoris, quàm fidelis Achatis *Michaëlis le Germain* verbis recensentur ac commemorantur. Quinto cum variis Alphabetis scripturarum veterum specimina Codicum, Inscriptionum, & Diplomatum Regiorum à *Dagoberto I.* ad S. Ludovicum curâ singulari æri incisa pag. 342. ad pag. 361. exhibentur, adjectísque notis illustrantur & explicantur. Delibemus quædam, sed primis, quod ajunt, labris: Virgilii fragmentum pag. 354. ex Vaticano & Florentino Codice productum modò diximus: Scriptura Franco-*Gallica*, seu *Merovingica* cum Alphabeto, & quas vocant abbreviaturis p. 348. sq. *Saxonica* duplex ex Isidoro & Hieronymo in Isaiam Corbeiensi pag. 350. sq. Seculi VI. specimen ex FF. Florentinis p. 356. sq. Adde tamen p. 636. sq. lib. VI. ubi Alphabetum ex famosis illis FF. Voluminibus ab Authore ipso in itinere confectum: Mittamus reliqua brevitatis studio.

Quæ brevissima hîc exhibetur.

Restat Supplementum, quo tamen hâc novâ editione cùm nihil omninò, nec annus quidem CIƆDCCIV. quo olim excusus fuerat, immutatus sit, hoc unicum addidisse suffecerit, quòd va-

Notitia de Supplemento.

tia

ria hic pro candore suo, retractet Autor, cumprimis cap. XI. pag. 45. sqq. plurimáque nova in Historicis eruat ac Genealogicis. Exemplo sint appendicis Pars III. quæ chartas authenticas pro legitima origine Regiæ Stuartorum stirpis cum explicationibus historicis sistit, pag. 102. sqq. & ipsius libri cap. IX. quo de Caroli M. natali, Patriatu, obitu Pipini &c. agitur, Carolúmque non anno XLVII. sed DCCXLII. IV. Non. April. & quidem Aquisgrani natum esse ex vetustissimo seculi IX. Calendario Laurissensi demonstratur pag. 38. sq.

Quæ in Mabillonio notentur, Sed dies diem docet, & in tam vasto doctrinæ campo quis ausit sibi polliceri, quò minùs etiam, cùm se attentum maximè & cautum putet, vel invitus non aberret? Notatus ergo subinde Mabillonius *Eccardo*, *Maffeio*, & postremò quoque in præfatione Tomi prodromi Gotwicensis p. 20. quæ tamen leviora sunt, ac vix obelo digna, quippe quæ ad methodi, quæ tamen arbitraria est, ferè leges redeant. Cumprimis autem illustris Maffei liber *Istoria Diplomatica* &c. 4.to Mantuæ an. CIↃDCCXXVIII. huc pertinet, Mabilloniano labori partim corrigendo, partim supplendo conscriptus, de quo vel in ejus Opere desiderentur, suprà. Sic de Sigillis utique supplendus *Mabillonius*, posteaquàm insignem rarissimorum sigillorum messem ex variis, velut Corbeiensi, Goslariensibus, Quedlinburgensi, aliísque quàm plurimis Archivis summo studio collectam *Heineccius* libro de veteribus Germanorum, aliorúmque Sigillis suppeditavit: Mabillonius enim, licèt plura Lib. II. sex capitibus à Cap. XIV. usque ad XX., inque Supplemento cap. XI. eáque egregia de Sigillis disserat; rem tamen adeò omnem non exhausit, ut ultra Francica Sigilla vix quicquam observaverit. Scripturam porrò tremulam, saltem in majoribus literis, jam Sec. IX. apud Germanos cœpisse, passim ex Diplomatum Apparatu ab *Eckardo* & *Schannato* edito constat, licèt contrarium Mabillonius verbis asserat: *Tremula porrò scriptura* in majoribus saltem literis seculo X. imperantibus Ottonibus apud Germanos invecta est. Lib. I. cap. XI. p. 52. Ita Mabillonius tres tantùm Epochas Regni Carolini statuit, Eccardus verò VI. eruit ex Carolinis Diplomatibus, in *Animadversionibus Historico-Criticis in Joannis Friderici Schannat Diœcesin & Hierarchiam Fuldensem*, fol. Wirceburgi. CIↃDCCXXVII. promulgatis p. 77. Omitto reliqua: Nam in dies major Chartarum ac Diplomatum apparatus passim ex Archivis & Manuscriptis Codd. cum cœtu literario hac nostra ætate communicantur: Exempli loco sit *Rymerianus* Thesaurus, qui solus egregia ad Mabillonium supplementa abundè suppeditare poterit: scilicet inventis quædam facilè addideris.

Multos ubique sequaces habet. De *Mabillonio* hactenùs, ejúsque præstantissimis de Re Diplomatica libris; cujus Operis utilitatem præstantiámque nihil adeò commendat, quàm quòd *Mabillonius* non cives solùm suos, sed & nostros, imò totius Europæ viros eruditos doctrinæ laude florentes ad idem argumentum tractandum, & illustrandum excitâsse & instruxisse videatur. Nam ut eos prætercam, qui rem per se difficilem non tam illustrare, quàm novis ambagibus obscurare conati sunt, de quibus suprà dictum est in belli Diplomatici Historia. Non modò Galliæ, verùmetiam Hispaniæ, Germaniæ, Italiæ, & Angliæ Viri doctissimi in rem Diplomaticam post *Mabillonium* suam hucusque operam contulerunt. Testes sunt Clarissimorum Virorum libri hujus argumenti passim editi: Rei Diplomaticæ cumprimis Germanorum Scriptores, cum Collectoribus Diplomatum ac Monumentorum veterum, quorum insignis Scriptorum copia produci posset, si speciales illos controversiarum de diversis Diplomatibus coñumerari velis. Exemplo sit unicum *Lindaviense bellum Diplomaticum*, quo ferè diuturnum magis in Germania non fuit, ejúsque haud contemnendi Scriptores, tum illi, qui Lindaviense Diploma tuentur, atque defendunt, tum isti, qui illud impugnârunt utrinque. Sed de his alibi: Nos enim non nisi generales hoc loco spectamus, Ordinis præsertim S. Benedicti asseclas, non verò speciales vel particulares rei Diplomaticæ, multò minùs autem bellorum forensium Scriptores.

Montfauconius Græca Palæographia æmulatur Mabillonium. At nemo nescit, quò in *Mabillonium* studio, quóve ardore Clarissimus eundem sua Palæographia Græca æmulatus sit ejusdem Congregationis S. Mauri Presbyter, Dominus BERNARDUS DE MONTFAUCON; quam Mabillonii exemplo, cujus ferè methodum quoque & tractandi rationem sequitur, excitatus ipsemet edidisse profitetur, eo potissimùm consilio, ut ad ritè dignoscendam Græcorum Codd. ætatem, facilémque eorundem, ut & Diplomatum, lectionem manu quasi duceret.

Opus præclarum, & multis nominibus commendandum. Sigillatim verò rem Diplomaticam Græcorum libro VI. tradit, cúmque Orientem peragrare, Græcorúmque Diplomata in monasteriis, præsertim *Montis Atho* investigare Autori non licuit, solis Neapolitani ac Siciliæ Regnorum, quibus olim Magnæ Græciæ nomen fuit, Diplomatibus utitur.

In Hispania rem Diplomaticam illustrat Josephus Peresius. Neque tamen Gallia sola tutelarem egit vetustissimorum Diplomatum; sed jam ante aliquot annos à prima Mabilloniani Operis editione in Hispania eruditione ac scriptis clarus Benedictinus, & SS. Linguarum in Academia Salmanticensi Professor Ordinarius JOSEPHUS PERESIUS *Dissertationes Ecclesiasticas, quibus pleraque ad Historiam Ecclesiasticam, rémque Diplomaticam spectantia curatè discutiuntur, Salmanticæ anno* CIƆDCLXXXVIII. in 4.to promulgaverat. Mabillonii vestigiis insistens idem autor filum texuit ad rei Diplomaticæ firmandam fidem; cumprimis verò Benedictinos suos in Hispania respicit, eorúmque causam adversùs Hermenegildum, aliósve iniquiores Aristarchos masculè satis ac strenuè tuetur ex Compostellanis, Legionensibus aliísve Benedictinorum tabulariis diversa, centum & ampliùs ante memoratum ab Hermenegildo Benedictinorum in Hispania adventum huic Ordini concessa in medium producit, eorúmque genuitatem ac fidem egregiè vindicat.

Ang. Maria Quirinus rem Diplomaticam Benedictinorum in Italia curæ habet. In Italia ANGELUS MARIA QUIRINUS postquàm ex literario itinere, quod ultra montes, in Gallias præsertim, instituerat, Florentiam reversus erat, celebriora Benedictinorum * Cœnobia adiit, ut collecta ex Tabulariis & Archivis veterum monumentorum copiosa suppellectile opus aggrederetur, cujus specimen exhibuit in Dissertatione *de Monastica Italiæ Historia conscribenda*, Romæ vulgata, ac paulò pòst manum admovit edendo *Farfensium rerum Commentario*, quem tamen temporum acerbitas, vix uno, aut altero folio typis consignato remorata est, quod minimè passa sit, priscas eas chartas, licèt innocuas, publicari. Inter eas verò chartas habetur Privilegium à *Faroaldo*, Spoletano Duce, Farfensi Cœnobio concessum, cujus authentiam argumenti negativi præsidio impugnavit V. C. Lud. Ant. Muratorius Tom.II. Part. alt. *Scriptor. Rer. Italicar.* ubi Monumenta plura Farfensia recitantur. Datum est illud Privilegium anno circiter DCCVI. transmissúmque Joanni Romano Pontifici, atque ita desinit: *Post autem relecta Epistola petimus, ut eorum monasterio reddatur pro perpetua securitate.* Ad quæ verba hæc apponitur nota ad calcem pag. 331. & 332. *Suspicionem aliquam confictæ seriùs Epistolæ hæc mihi movent. Ut quid enim petere, ut Romanus Pontifex Farfensibus Epistolam hanc reddat, quàm ipsi ab eodem Faroaldo Duce breviùs impetrare poterant? Posteriora tempora exemplum hujus rei suppeditare possunt. Nescio, an & illa secula quid simile ostendere possint.*

Quid de Chartis quæ pamandatæ res cum aliis formulas non præferant? De plerisque certè venerandæ Antiquitatis Monumentis conclamatum foret, si ea ad apocryphorum classem amandare liceret, quoties formulas præferant, quibus adstruendis fidem non faciant paria ejusdem Monumenta, dum quàm plurima in ipsis ævo absumpta periisse, nemo est, qui non nôrit, nemo est, qui non doleat. *Nescio* (ajo & ipse) *an illa secula quid simile ostendere possint* Faroaldi Privilegio. Ut quid igitur petere, ut illius formulæ ad parium Chartarum normam exigantur? Deinde si ea *Faroaldi* petitio, ut Romanus Pontifex Epistolam illam redderet Farfensibus, futilis prorsùs haberi deberet, quòd eam *ipsi ab eodem Faroaldo Duce breviùs impetrare poterant*, hæc ipsa futilitas obstare debuisset, ne posteriora tempora ejusdem petitionis exemplum admitterent. Tandem miror, primæ omninò Chartæ, quæ in Farfensi Chronico legitur, falsitatis labem eâ notulâ adspergi, postquàm Muratorius, Vir summus, de Farfensibus Monumentis in Præfatione ad illud Chronicon ita locutus fuerat; *Pretiosa sanè Volumina, & auro minimè redimenda; quippe tantam antiquitatum segetem complectuntur conjunctam simul, qualem vix alterum in Italia monasterium ostendere possit.* Si in vivis degeret doctissimus Fontaninus, quot turbas ab eo propter labem illam, seu suspicionem excitatum iri putamus adversùs eos omnes, qui Farfensibus Chartis, ceu indubiis documentis sunt usi, quoties ad impugnandam sanctæ Sedis supremam in regiones sibi subditas dominationem quidpiam conducere posse viderentur. „ Ita verbatim Purpuratus ille Pater, uti dignitate, ita doctrina & eruditione summus, Epistolar. Dec. 2. ep. 6. p. 7.

In

* Vid. Epist. Dec. 3. ep. 4. pag. 3.

Austriam ex Archivo Mellicensi illustrat Huelerus.

In Germania Cl. *Philibertus Hueber*, Archivarius celeberrimi Monasterii Mellicensis optimè de patria sua meritus est, cùm Austriam ex Archivis Mellicensibus insigni Opere Diplomatico illustravit. Cùm enim * per triginta ipsos annos Superiorum jussu in monasterii excutiendis, ordinandis, digerendísque Archivis versatus esset, quotidie ampliùs & clariùs perspexit, accuratam, diligentem, constantémque veterum originariarum chartarum, diplumatum, aliorúmque antiquorum monumentorum tractationem non solùm stabiliendis privatis Ecclesiarum juribus maximè necessariam & opportunissimam esse, verùm etiam amplissimâ luce universam Historiam, maximè patriam, perfundere, Genealogias Principum, & illustrium Virorum nomina restituere, oppida, fluvios, & notabiles olim, sed lapsu temporum velut intermortuas diversorum locorum memorias resuscitare, aliáque plurima in Rempublicam Literariam commoda inferre, quæ post eruditum Mabillonium, Eccardum, Ludewigium, alióſque doctissimos viros operosiùs hîc recensere non vacat. Itaque cùm hactenùs privato monasterii sui commodo duntaxat laborâsset, omniáque vetera instrumenta Archivorum Mellicensium in plura majoris formæ ac molis volumina contulisset, cœpit cogitare de condendo aliquo Opere, quò tot exantlati sudores in communem etiam totius Provinciæ Austriacæ usum derivarentur. Fecit, elaboravit, ac in lucem brevì pòst emisit Opus in tres libros distributum. Continet id Romanorum Pontificum, & aliarum Nobilissimarum Sedium Antistitum Diplomata & Bullas, quibus Ecclesiam Mellicensem ad maximum splendorem evexerunt. Exhibet præterea * Austriacorum Marchionum, Ducum, Archiducum, Regum, ac Imperatorum authenticas literas, & Decreta, quibus Mellicensis monasterii possessiones vel fundant, vel cumulant, vel asserunt, ac defendunt. Repræsentantur recensentúrque hîc Nobilissimarum Austriæ Familiarum Nova & Insignia, ex quibus singularum longissima ætas, antiqua diversarum ab iis gestorum in Austria munerum gloria, Avitáque quàm plurima stirpium suarum decora demonstrari & illustrari possunt. Atque hoc modo inclytum Mellicense monasterium reclusis primùm Tabulariis suis exemplum aliis monasteriis idem actitandi præbuit, réque ostendit, longè certiora liquidioráque esse monasteriorum jura, quàm ut scrupulosa veterum instrumentorum dissimulatione ac occultatione defendi necesse habeant.

Amplio- rem meditatur collectionem ex aliis tabulariis.

Post editam verò Lipsiensibus typis *Austriam ex Archivis Mellicensibus illustratam*, ad longè ampliorem, longiúsque spectantem Collectionem Diplomaticam se accinxerat. Valuit ille vir mirâ in aliorum, etiam maximorum hominum, animos se insinuandi gratia, eadémque agendi venustate ac lepore ad subeunda secretissimorum tabulariorum adyta sibi viam stravit, & aperuit. Eum intra luculentorum Archivorum suorum septa admiserunt Reverendissimus & Excellentissimus DD. MAURITIUS GUSTAVUS *S. R. I. Comes de Manderscheid, Blankenheim, & Geroldheim &c. tum Episcopus Neostadiensis, nunc Celsissimus Archiepiscopus Pragensis*, Antistes non magnitudine generis, quàm eruditione ac multigenâ doctrinâ major: Reverendissimus *D. Ernestus* Ecclesiæ Claustroneoburgensis Præsul immortalis memoriæ: Reverendissimus *D. Carolus* inclyti Monasterii B. Mariæ Virginis ad Scotos Viennæ Abbas, cui tanquam famigerato Literatorum Mæcenati novum suum Opus dicare constituerat: aliíque quàm plurimi abditorum hujusmodi thesaurorum Domini. Jámque in maximam molem ejus commentarii excreverant, cùm ecce in gravem animi & corporis morbum incidit, diémque supremum in corona Fratrum suorum anno Domini MDCCXV. Augusti XXV. optimè de Monasterio Mellicensi meritus clausit. Ejus post obitum scrinia cùm in Cl. Bernardi Pezii potestate essent, lustravit, meliora selegit, ac novæ Collectioni ordine Chronologico inseruit, adscriptis ad marginem literis *P. H.* quæ notæ *Philibertum Hueber* indigitant, idque eum in finem, ut sua laboribus amici laus constaret, æmulisque ansa eriperetur, Pezium calumniandi, quasi qui alienis plumulis se ornaret, quam rem procul à se semper habuit.

Labori immoritur.

Bern. Pezius de editione Cod. Diplomat. Udalrici Babenbergensis cogitat.

Idem Cl. *Bernardus Pezius* Conspectum insignis Codicis Diplomatico-Epistolaris Udalrici Babenbergensis, quem non diu anteà in Bibliotheca Zwetalensi Ord. Cisterc. in Austria felici sidere recepit, cum literario orbe anno 1716. communicavit. Equidem promiserat jam olim Cl. *Daniel Nesselius*

* ex Auctoris Præfat. ad Lect. & operis dedicatione.

lius integri Operis Udalriciani, cujus ἰγραφον in Bibliotheca extat, editionem; sed aut mors aut alia impedimenta consilium optimum intercepe- runt. Unde etiam factum, ut ne quidem quid in illo Opere contineretur, eruditi satis noverint. Quare Cl. Pezius eo proniùs spem codicis proximè edendi publicè Eruditis fecit.

quæ Gentilloto non probatur.

Quamprimùm verò *Angelus Fontejus Veronensis*, i. e. *Benedictus Gentillotus ab Engelsbrun* Bibliothecarius Cæsareus, non verò, ut Acta Eruditorum Lipsiensium volunt, *Justus Fontaninus*, Vir celeberrimus, acceperat, Codicem illum integrum prælo parari, mentem suam in epistola publicam in lucem emissâ exponens, maximâ sui parte fore inutilem, doctisque hominibus ingratam editionem judicavit, indicatis libris, ubi plurima illius Codicis monumenta jam dudum publici juris facta leguntur.

Pezii rationes in contrarium.

Hoc verò malè habuit *Pezium*, suspicantem *Fonteium*, veterem suum amicum, epistolâ illâ invidi animi documentum edidisse, ideóque dissertationem eodem adhuc anno vulgavit, quâ institutum suum edendi Codicem illum integrum non contemnendis propugnavit rationibus. Etsi enim magna pars monumentorum isto codice contentorum edita jam fuerit à Gretsero in libro, quem *Divi Bambergenses* inscripsit, & à Tengnagelio in *Veteribus monumentis*, *quæ jam olim pro Gregorio VII. aliisque Pontificibus Romanis conscripta fuerunt*, duo tamen hæc Opera tantæ esse raritatis ait, ut compluribus ne nota quidem sint, in Bibliothecisque plurimis frustra quærantur. Addit, quæ edita sint sui Codicis monumenta, tam mendosè, imperfectéque fuisse exscripta (cujus rei exemplum producit unum, itémque alterum) ut nova emendatiorique eorum editione omnino opus sit. Cúmque Gentillotus quædam illius Codicis monumenta non esse publicanda propterea censeat, quòd Lutheranis favere, causæque Catholicorum minùs patrocinari videantur; respondet Pezius, consilium istud oppidò inconsultum esse, cùm ita Protestantibus causa subministretur, Catholicos Scriptorum veterum editores fraudulentiæ & partium studii jure optimo accusandi. Statuit contra, fideliter publicanda esse omnia, quæ iu codicibus manû exaratis offendantur, suámque hanc sententiam non solùm Melchioris Cani suffragio munit, verùm etiam gravibus confirmat rationibus, & exemplo Mabillonii, Acherii, Baronii, Sirmondi, aliorúmque. Hinc tandem conclusit, se & proposito publicè Syntagmatis Udalriciani Conspectu bene de republica literaria meritum fuisse, & longè optimè de eadem integri Udalriciani Codicis editione meriturum esse: cui sententiæ Collectores Actorum Eruditorum an. 1718. m. Aug. lubentissimè subscripserunt, doctissimúmque Pezium, ut editionem suam maturaret, publico nomine rogârunt. Quod ipsum jam ante illos fecerat Illustris *Joannes Petrus de Ludewig*. Cùm enim in novo suo volumine Scriptorũ rerum Germanicarum Codicillum etiam edidisset Diplomatum Bambergensium, summoperè ipsi doluit, hæc talia rei historicæ fundamenta etiamnum sollicitè abscondi, neque in publicum protrahi; quare laude dignissimum censuit doctissimi *Pezii* de edendo Udalrici Bambergensis Codice diplomatico, institutum, eúmque, ut fidem datam liberaret, publico nomine, & per sacra harum literarum rogavit, & obtestatus est Quàm bene verò *Cl. Pezius* de Re Diplomatica in suo Thesauro Anecdotorum Novissimo meritus fuerit, ex alibi dicendis constabit. *

Editionem maturare rogatur à literatis.

R.mi Abbatis Besselii merita de Re Diplomatica.

Majore adhuc famâ & celebritate Reverendissimus GODEFRIDUS * Gottwicensis in Inferiore Austriâ Abbas Chronici Gottwicensis Tomum Prodromum promulgavit, cujus parte Imâ Mabillonius quoad eam Rei Diplomaticæ Germanorum partem, quæ tempora excepit Carolingica, suppletur, & Regum nostrorum, vel Imperatorum, inde à Conrado I. usque ad Fridericum II. ab anno DCCCCXIV. ad añum usq; CIↃCCXXXVII. illustrantur Diplomata. Rem ipse Rev.mus ** Author sequentibus verbis deductiùs exponit. „ Quò ampliorem laudem ab Orbe erudito consecutus est sagacissimus hic „ [*Joannes Mabillonius*] vetustarum „ Chartarum indagator & censor, eò „ acerbiùs dolendum est, utilissimos „ ejus labores intra Diplomata à Merovingicæ & Carolingicæ stirpis Regibus concessa, intráque tabulas, „ res Gallicas duntaxat spectantes, ut „ plurimùm substitisse, neque ad superstes adhuc in Germania verissimorum Fran-

In quibus Mabillonium suppleverit.

* Recensuit hos & alios insignes rei Diplomaticæ Scriptores *Cl. Baringius* in Clave Diplomatica Hanoveræ A. 1737. in 4. editâ. ** In Præfatione Operis.

„ Francorum Regnum, post extinctam scilicet in *Ludovico IV.* virilem Caroli Magni prosapiam, in *Conrado I.* Francorum Germanorum Rege continuatum progressos esse, adeò ut sola adhuc Germania nostra, quæ post tot aliorum Regnorum conversiones, & casus moribus antiquis, usúque patrio hodiéque vivit, dum immensa Diplomatum, tam in Principum, Urbium, Monasteriorúmque tabulariis, quàm in publicis Collectionibus ac editis libris prostantium mole gaudet quidem, nec sub Criticum tamen examen singula revocandi certas ac exploratas Regulas habet, hac parte obscurior, minúsque beata videri possit. --- Unde Clarissimus *Ludewigius* in ampla Præfatione, quam Tomo I. Reliqq. MSs. præfixit §. 34. jure merito notavit desiderari adhuc in Germania nostra Diplomaticæ Artis systema, Mabilloniano simile, aut fortè majus, & nostro propius instituto. Effecerunt hæc, ut ad explenda eruditorum virorum desideria, & vota, atque ad eam Rei Diplomaticæ partem, quæ tempora Carolingica excipit, & à nemine adhuc occupata est, pro virium nostrarum modulo illustrandam, & ad Criticæ Regulas exigendam animum adpelleremus. Cùm enim probè nobis constaret, plures viros doctos ab hujusmodi Opere manum ideò abstinuisse, quòd eo, quem hæc tractatio exigit, antiquario & literario apparatu destituerentur, nobis verò maximus ex attentâ originariorum Diplomatû & Chartarum inspectione suppeteret, rem patriæ nostræ nequaquam inutilem nos facturos existimavimus, si ex sacratioribus promptuariis novam Rei Diplomaticæ lucem afferre, disciplinámque hanc, quâ quidem Germaniam spectat, ad certas quasdam Regulas, & normam reducere conaremur: id quod posterius non minùs veritatis & conscientiæ nostræ causa, quàm modestiæ dictum esto. „

Ejus assertio de juribus veterum Germaniæ Principum.

Hæc Reverendissimus Abbas in Præfatione; in ipsius verò Operis contextû hæc inseruit: *Destruximus hoc subsidio* [Diplomatum] *novellorum quorundam partum planè immaturum, antiquorum scriptorum colore incrustatum, quatenus temporibus Conradinis & Henricianis, extinctâ nimirum stirpe Carolingica, nescio quæ jura affingunt Principibus, iisque imaginariam quandam libertatem antiquam quasi postliminio vendicare moliuntur.* * *Concidit fide Diplomatû Fictitia illa in antiquis hisce temporibus jactata Territorialis jurisdicti . Quam partum seculorum Nostrorum scimus.* Et uberiùs: *Ducum potestas Vicaria tantùm & Administratio est.* ** *Si quid ultra sibi adrogârunt Duces Germaniæ, Rebelles fuerunt.* Et iterum: *nulla in Ducatibus* HÆREDITARIA SUCCESSIO. Et iterum: *Omnia ab* ARBITRIO *& voluntate Regis. Eadem* COMITUM *potestas, pendens ab Imperatore, non à Ducibus.*

Contraria est doctrinæ Ludewigii.

Hisce verò verbis Illust. *Ludewigius* Universitatis Hallensis in Saxonia Cancellarius doctrinam suam velut totidem telis acriter peti existimavit. Is enim tum in *Germaniâ Principe*, tum aliis suis in Operibus contrariam non perfunctoriè docuit, nempe Duces Germanici Regni uti nostrâ ætate, ita jam ab ineunte anno 913. habuisse *Territorialem jurisdictionem*, eámque in *Comites, Dominos, Equites*, & *Civitates*, quinimo in Episcopos & Abbates sine exceptione exercuisse, neque ullis omnino *Regalibus*, seu *Juribus*, quæ modò Germaniæ Principum sunt, unquam fuisse destitutos. Ne nova sua verò dogmata deserta, indefensáque relinqueret, D. Abbati Gottwicensi bellum Diplomaticum apertè denuntiavit, edito scripto Anno CIↃIↃCCXXXIV. eóque *** Hallensibus Diurnis inserto, in quo actum est: *De vetustate Principis Germaniæ*, id est, DE VERA ET GENUINA ORIGINE SUPERIORITATIS TERRITORIALIS GERMANIÆ PRINCIPUM *adversus erronea & perniciosa juris publici dogmata Abbatis Gottwicensis in Chronico Gottwicensi an.1732. in lucem edito.* Quod Opusculum postea recusum est, atque insutum *der rechtlichen Erläuterung der Reichs-Historie* à pag. 671. ad 760. libelli finem. Qui Halæ Salicæ prostat 1735. in 8.vo

Provocatur in arenam.

Cùm verò Reverendissimus Abbas Gottwicensis nihil ad hoc Illust. *Ludewigii* scriptum respondisset, hic durioribus, ne dicam parùm modestis verbis illum incessere, in arenam provocare,

* Chron. Gottvvic. Prodrom. Lib. II. pag. 83.
** Loc. cit. c. 2. p. 149. in Henrici Aucupis diplomatibus, & aliis locis, quæ allegat Ludevvigius.
*** Hallensibus Diurni vocantur Observationes multiplicium, imò omnis generis argumentorum, quæ hebdomodatim in gratiam Orphanotrophei Potsdamensis, cui lucrum cedit, typis vulgantur.

care, atque ad respondendum quodammodo compellere non dubitavit. Sic enim in Præfatione Tomi XI. *Reliquiarum Manuscriptorum omnis ævi Diplomatum*, infit: „ Hoc diademate, „ *Superioritate territoriali*, cùm Abbas Gottwicensis *Germaniam Principem* orbare ac destituere, vel tamen conspergere voluerit maculis, „ impetieritque inprimis nostram doctrinam verbis acerbissimis; è re patriæ libertatis omnino esse credidimus, huic Præsuli respondere, illius opprobria, & offucias repellere, atque errationis causas indicare „ sigillatim, specimine requisitu, ex „ historia Archiducatûs Austriæ, ideo „ ut constet hunc Abbatem & largitorum sui collegii immemorem, parúmque gratum fuisse, & in *Principem Germaniam* penitus. Vellem „ responderet ille argumentis nostris; „ quæ non ex inani cerebro efficta, „ sed corroborata sunt plenæ fidei „ *dogmatibus* & *monumentis*. Pudeat Prælatum, beneficiarium Austriæ clientem, cœnobii sui origines vel nescire, vel, quod est opinabilius, dissimulare. Quæ illum „ admonere debuerant, victum & cultum Cœnobitis suis non Cæsares paràsse, vel parare etiam nunc; sed „ *Austriacorum Principum* indulgentiam & pietatem. Verùm intrunita „ quorundam *Clericorum* audacia tanta est, ut nutritorum suorum memoriam expungant; ne illis gratiam referre obligentur; sed sacra patrimonia, quæ habent, cœlo delapsa esse videantur. „ Hæc Ludewigius, non sine acerbitate & convitiis, indignè ferens, ipsa *Germaniæ Principis* sacraria impetita fuisse.

Nihil movetur. Equidem hactenus Amplissimus Abbas Gottwicensis prælium cum Illust. *Ludewigio* conserere noluit; sunt tamen, qui existimant, neutiquam fore, ut semper taceat, ne silentium non fugæ belli diplomatici, sed aut respondendi impotentiæ, aut publicæ confessioni tribuatur; saltem ne de silentio sibi victoriam *Ludewigius* canat. Verùm ex silentio non semper ritè concludi potest, quòd qui pisce etiam magis obmutescit, herbam adversæ parti porrigere velit; subesse enim possunt rationes, ob quas responsione prudenter aliquando supersedetur. Ut plurimùm deinde id genus literariæ concertationes haud ferè quidquam aliud, atque odia, neminique prodenti non exosa dicteria, ne dicam, convitia generare consueverunt. Quibus non impropriis toto sacco effusis, ipse Ludewigius, jure an injuria? hîc non disputo, à Joanne Stephano Burgemeistero Ulmensi Syndico, malæ fidei & calami venalis ergò vapulat? Jam verò Reverendissimus Gottwicensis uti pacis & quietis amantissimus est, ita omnis litigii atque convitii maximè fugitans ab omnibus habetur: de cujus nominis, eruditionísque fama aliquid commemorare supervacaneum esse putamus: cùm ipse Augustissimus Imperator Carolus VI. Archidux Austriæ in privilegio Tomo Prodromo Chronici Gottwicensis præfixo *de spectata dicti Abbatis prudentiâ, literarum scientia, fide, genuino in Patriam amore, rerum gerendarum dexteritate, & probata in Publicis & Politicis de utraque Republica Ecclesiasticâ & seculari experientia, comparatisque sibi utique meritis* edoctum se palàm omni asseveratione affirmet. Quæ Augustissimi verba clypeus profectò sunt, quo *Ludewigii* inofficiosè dicta fortiter repelluntur.

Abbatis Beselii doctrina defenditur. Quia verò non ignoramus, complures esse homines naturâ ita comparatos, judicióque adeò parùm firmo instructos, ut nihil audiant, nihilque legant, cui non fidem adhibeant, nisi id refutatum intelligunt, consilium Viro Historiæ rerum Germanicarum peritissimo natum est texendæ responsionis, quâ tum Abbatis *Beselii* famæ eruditionis ac doctrinæ, tum veritati à Ludewigio lacessitæ iret consultum. Equidem id forsan esse priùs factum oportuisset, ut enim Ulpianus ait de verb. signif. Lib. 12. §. 1. *minùs solvit, qui tardiùs solvit: nam & tempore minùs solvitur*. Verùm sat citò respondet, qui solidè & fundatè respondet; ut nihil dicam, quòd Ludewigii scriptum an. 1734. *Hallensibus Diariis* insertum, ac postea *in der rechtlichen Erläuterung der Reichs-Historie* an. 1735. recusum, Respondenti nostro nec lectum, nec visum antea fuerit, quàm illud ipsi anno 1741. sub autumnum Viennæ exhibitum fuit. Neque tum temporis partim per belli injurias, partim per alias gravissimas occupationes manum contexendæ Refutationi in quinque partes distributæ admovere Viro eruditissimo licuit. Anno vertente sub Maji initium non nihil otii nactus, non diutiùs cunctandum ratus est memor illius, *Barbaris cunctatio servilis: statim exequi regium*. Igitur laxatis

habenis

habenis ad confutationem scribendam se conferens, partem primam magnâ eruditione absolvit, ne errores *Ludewigii* sobolescant, latiúsque per orbem literarium serpant in dies, ipsa verò veritas ingenti beneficio fraudetur. Quâ de re major nobis dolor suscipiendus, quàm cura de tuenda fama eruditionis Abbatis BESELII gerenda est, qui apud quosque verè eruditos illius securus habetur; Tale enim ipse nominis sui statuit monumentum, quod

- - - *Nec Jovis ira, nec ignis,*
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.

Cæterùm quanto favore & plausu non solùm in Germania, sed etiam Romæ exceptum fuerit laudatum Opus, testantur inter alia Literæ R.mi ac Ill.mi D.ni *Justi Fontanini* Archiepiscopi Ancyrensis Româ xi. Januarii anno 1734. ad Authorem datæ, quas hîc integras sistere non erit incongruum.

Reverendissimo & Doctissimo P. Domino GODEFRIDO *Abbati Gottwicensi*, JUSTUS FONTANINUS *S. P. D.*

Justi Fontanini ad Godefridum epistola ex scriniis P. Oliverii.

„MUnus egregium & magnificis, ut par erat, typis ac formâ à TE editum, *Vir ornatissime*! accepi à Clariss. ac pereruditο D.no Abbate *Rovellio* negotiorum Augustalium in Urbe Curatore, cum quo multus de TE sermo mutuâ cum voluptate intercessit. Generosam istam humanitatem Tuam suspexi, quòd me tanto munere ultro dignari volueris, de quo antè Ill.mus & R.mus Dominus Nuncius Apostolicus (*Dominicus Passioneus*) ad me perhonorificè scripserat, sed non ideo putâssem præstantissimum Auctorem, Opere ipso me omninò immerentem sponte suâ donaturum. De hoc Tibi summas, ut par est, gratias habeo, eas etiam referre paratus, ubicunque Tui demerendi mihi se obtulerit occasio, quàm sanè peropto, mihíque maximo honori vertam.

„ De Opere ipso pauca TE affari non licet, multa verò nimis longum esset, & vix fine probatissimi ipsius Operis exscriptione fieri posse arbitror, quod adhuc incompactum evolvi non solùm interdiu, sed etiam noctu in lectulo cubans. Tanto solatio in eo perlegendo afficiebar! Quæ de rebus Geographicis, nedum Chronologicis, déque *Palatiis Regum vestratium* digessisti, summè arriserunt, æquè ac „egregia monumenta æri affabrè incisa. Sacras perinde utriusque Norici Antiquitates per TE primùm illustratum, tuáque auctoritate in lucem prolatum iri confisus, Andecensium Dynastarum Historiam à P. *Pezio* in Tomo I. Thesauri Ancedotorum pag. xxII. memoratam Tibi præprimis commendo. In summâ hoc dicere sufficiat, *Volumen non solùm eximium, sed necessarium mihi videri, ac dignissimum planè, quod Augusto ac tanto Nomini inscriberetur ob causas à TE allatos.*

„Itaque macte rarâ eruditione R.me Abba! quæ reliqua sunt, cum orbe literario Tibi propterea devinctissimo, quàmprimùm communica, ac scito Urbis Literatos Viros famâ ejus invitatos ad me certatim confluxisse, ut illud Opus coram mirarentur; nec dubito, quin Concellitæ Tui Parisienses, cúmque his noster *Montefalconius*, de eo à me certior factus id nobis invideant. Deum immortalem precor, *Vir optimè*! ut diu valeas hoc novo anno, compluribúsque aliis subsequuturis, rei literariæ & præsertim sacræ istarum partium Historiæ, quam pauci admodum attigerunt, alter *Mabillonius* immensis studiis tuis profuturus. Vale! méque, ut cœpisti, Tibi addictissimum amare perge. Dabam Romæ xi. Januarii A. MDCCXXXIV.„

Marquardi Hergotti Genealogia Diplomatica Habspurg.

Magnam denique ac planè singularem Diplomaticæ gloriæ segetem omnium novissimè an. MDCCXXXVII. in orbe literario collegit V. C. MARQUARDUS HERGOTT Abbatis & Principis ad S. Blasium in Sylva Hercinia Viennæ Locumtenens, atque Sac. Cæs. Majestatis Consiliarius & Historiographus. Quis enim eruditum illud, splendidum, ac mirificè condecoratum Opus de *Genealogiâ Diplomaticâ Augustæ Gentis Habspurgicæ* non suspicit, ac dilaudat? tametsi non sim nescius, plures neque exiguos ante ipsum extitisse, qui in primam Habspurgicam stirpem magno conatu ac labore inquisiverint. Præ cæteris *Dominici Tschudi* Abbatis Monasterii ad Muros in Helvetia *Genealogia Principum Austriacorum* velut majori fide digna celebratur. Certè Illustris *Ludewigius* eam non existimavit indignam, quam post tot aliorum editiones iterùm prælo subjici curaret: in præfatione verò novæ suæ editionis in hæc erupit verba: „*Utinam ergo Stirpis* „*Austriacæ indagatores* in his acquie- „scerent tandem Originibus, sibíque „à vetustioribus commentis tempera- „rent, illius enuntiati memores, *ve-*

„ *tustatis argumentum esse*, *origines ne-* „ *scire*. Verùm hanc litem neque dum „ esse confectam ostendimus in *Germania Principe* eo libro, qui agit de „ *Rebus Austriacis*. Imò quis crede- „ ret? de Originibus Habsburgicis tot „ concertationum plenam disputatio- „ nem esse, nisi in uno volumine, eò- „ que peculiari *viginti litigatores* di- „ versos in hanc produxisset arenam „ *Joannes Ludovicus Schönleben*, quo- „ rum singuli singulares fovent opinio- „ nes. Sed alii non ad veritatem scri- „ bunt, sed ad Curiæ Austriacæ sen- „ sus; alii *laureolam in mustaceo quæ-* „ *runt*, gaudéntque, si audiant ho- „ mines opiniosissimi; plures etiam non „ judicia produnt, sed delirantium „ somnia, ut anus tam delira non sit, „ quæ talia crederet, pateretúrque si- „ bi persuaderi. „

Quam ille inierit viam ad demonstrandas Origines Austriacas.

At enim hisce *Ludewigii* verbis commonitoriis minimè absterreri se est passus Cl. *Hergottus*. Cùm enim in Genealogia Augustæ Domûs Austriacæ enucleanda à recentioribus *pius vice simplici*, ut Lyricus ait, *hallucinatum fuisse* animadverteret, certiorem sibi viam ad ejus demonstrandas origines ineundam putavit. Duæ vero juxtà ejus doctrinam sunt semitæ, quibus ad notitiam Genealogicam Augustæ Domûs pervenire potest: *Scriptores*, & *Diplomata*. Illam errandi periculo non carere existimat, hanc eò liberam & immunem pronuntiat. Priorem tenuêre, qui ex Scriptoribus suas deduxêre probationes; alteram ingressus est Hergottus. Non igitur, ut Authori videtur, ex incertis, neque ex vulgaribus Chronicis Augustæ Gentis Habspurgicæ Historiam Genealogicam, sed certis, indubitatísque monumentis, chartis, ac diplomatibus N°. CMLIV. maximâ parte hactenus ineditis illustravit. Extincta proinde, ex Auctoris mente, tandem aliquando fuit ex tot fabularum & narratiuncularum inter se miserè cohærentium nexibus confuta Genealogia Domûs Austriacæ, indéque longissimè relegata tot fictitiorum Majorum monstra, quæ libido Principibus Viris adulandi in Progenitorum censum invexerat. Opus splendidum, nitidum, ac pretiosum, quod uti characterum elegantia, chartæ nitore, omníque accuratione, omnibus hactenus libris atque voluminibus, quotquot è Germaniæ prælis vulgata fuêre, palmam facilè præripit, ita magno Cæsareæ Aulæ applausu fuit exceptum.

Ludewigii & Köhlerii de illo Opere judicia.

Etsi verò *Ludewigius*, ut paulò suprà audivimus, eos manem sumere industriam pronuntiârit, qui post tot Domûs Augustæ Genealogistas denuò in ejusdem Originibus in aperto constituendis desudent, ut primùm tamen Cl. Hergotti Opus oculis usurpavit, in aliam abiisse opinionem indicio sunt hæc ipsius verba: „ *Marquardus Hergott, qui Ordinis Benedictini gloriam in hoc studii genere exemplo suo tuetur, adaugétque in Genealogia Diplomatica, quam ante quadraginta annos egomet habui in votis, Augustæ Gentis Habsburgicæ*. Non minùs præclarè de *Hergotti* Opere sentit *Jo. David Köhlerus*, vir celeberrimi nominis, atque Historiarum primùm in Altorffina, nunc verò Göttingana Professor doctissimus, qui utì in Principum, Regum, ac Imperatorum Stemmatographia ita versatus est, ut nemo magis, ita paucis, sed disertis verbis attestatur, Hergottum omnibus, qui de Domûs Austriacæ origine & Genealogia quanta maxima potuerunt, adhibitâ diligentiâ scripserunt, indubiè palmam præripuisse, ac demirandam ejus antiquitatem ab anno 693. per incomparabile ævum annorum mille & quadraginta septem usque ad excessum Divi Imperatoris Caroli VI. anno 1740. extincti ex fundatissimis deduxisse fundamentis.

Aristarchi Censuræ.

Quia verò magna Opera, ut Em. Card. BONA in Epistola ad Cardinalem *de Bouillon* rectè dixit, & *quæ communia aut vulgaria non sunt*, *semper suos habent contradictores*, ita etiam illustre hoc Opus suum non modò *Aristarchum*, sed planè *Busiridem* nactum est, qui facibus livoris ac invidiæ, ut nemo Viennæ nescit, inflammatus, in illud, ejúsque Authorem non tam revincendi, quàm conviciandi studio grassatus, nulli contumeliarum generi pepercit; ineptè sperans, tum se in altiori collocandum honoris gradu, si alterum de ponte eruditionis ac doctrinæ dejecisset. Sed *dum ille suam exercet invidiam*, *prodit Authoris gloriam*.

Oliverius Legipont de archivis & Diplomatum crisi.

Laudabilem quoque in re Diplomatica operam nuper posuit Vir Clar. P. *Oliverius Legipontius* Collega noster optimus, quia in sua Dissertationum Philologico - Bibliographicarum pentade Norimbergæ A. 1746. edita, *magni instar artificis totum* rei Diplomaticæ systema *clausit in exiguo* *. Eo autem in opusculo agit primò, *de cura & ordinatione Archivi*, *ejúsque Indicis confi-* ciendi

* Seneca epist. 540.

ciendi methodum præscribit. Tum verò tractat *de Veterum Diplomatum crisi seriò instituendâ*; ubi *Germonii* hallucinationes egregiè perstringit, & quid circa veteres chartas, tum quoad ipsam scripturæ formam *in certo literarum ductu, variisque earundem apicibus, flexibus, crispaturis &c.* consistentem; tum quoad contextum, seu intrinsecam earum faciem, sit observandum, paucis quidem, sed solidis rationibus exponit. Inde gradum promovet ad examen chronotaxeos diplomaticæ, variósque *annorum seriem computandi* modos recenset, & ponderat. Denique disserit de veterum diplomatum exscriptione, & condendâ ex iis monasteriorum Historiâ. Atque huic demùm excursioni metam figit recentis cujusdam facti enarratione; cujus memoriam servare, & in posteros propagare, cùm totius omninò Ordinis Benedictini intersit, eam hîc in compendium referre non pigebit.

Factum nefandú ad cautelam propositum. Anno 1733. nefarius quidam impostor, nomine *Joannes Anton. Maria Schenz de Schemmerberg, Juris utriusque*, ut præferebat, *Licentiatus & Imper. Auth. Notarius publ. Matr.* varias Imperii provincias pervagatus monasteria præsertim Benedictina studiosiùs perlustrabat, de eorum fundatione, monumentis, proventibus, & his similibus maximè sollicitus. Novo autem aucupii genere nummos à Prælatis, si quos liberaliores, & satis credulos reperiebat, expressurus, iis persuadebat, *vetera aliquot instrumenta ex eorum Archivis dilapsa esse, scire se ubi lateant, sed adhuc non posse autographa in libertatem asseri; factam tamen sibi potestatem ea describendi, atque præsto esse illorum accuratum exemplum, quod R.mus Abbas parvo comparare posset pretio, atque Archivo inferre, dum ipsa originalia eo redeant..* His aliisque sermonibus postquàm eò, quò volebat, incautos deduxerat, diploma aliquod ex alio simili, vel ex relatione sibi factâ fabricatum, & velut cum originali à se viso collationatum, seu *Vidimatum*, hominibus ejus obtinendi cupidis, quo poterat pretio, vendebat. Quâ insigni fraude plura ejusmodi instrumenta suis incudibus malitiosè procusa, *ut lethales rei Diplomaticæ plagas infligeret*, monasteriorum tabulariis intulisset, nisi cauta ex adverso vigilâsset prudentia. Sed bono Numine factum, ut tandem impostura detegeretur. Cùm enim simile facinus Coloniæ admisisset, & fictitiam quamdam *Leonis III.* Bullam ex alia *Basino* S. Maximini Treviris Abbati à Gregorio II. concessâ, atque apud *Zyllesium* & *Miræum* typis editâ, transumptam nimis credulo Abbati S.Martini Coloniæ *Adriano Valck* in copia, ut vocant *Vidimatâ*, obtrusisset, speciosè nòn minùs ac flagitiosè obtenso *Oliverium* ejus loci Professum tunc Moguntiæ in S.Jacobi cœnobio Theologiæ professurâ distentum, fictitiæ ejusmodi Bullæ archetypum, ex quo suum ipse falsarius apographum hausisset, clandestinè detinere, rem tandem edoctus *Oliverius*, ne infamia subreptitiè cresceret eundo, & dum criminationes falsas tacitus contemneret, videretur crimen agnovisse, vel errorem approbâsse, Moguntiâ Coloniam digressus legitima suæ innocentiæ testimonia coram suis concellitis edidit, de injuria sibi impacta decenter conquestus. Ut verò nefarii impostoris infandum scelus, & obtrectatorum malitiam universo orbi palàm faceret, eodémque argumento posteros ad cautelam excitaret, factum hoc nefandum, unà cum ipsius ementitæ LEONIS III. *Bullæ* apographo, & clarissimi Viri *D.ni Ignatii Roderique*, Viri his in rebus apprimè periti judicio scriptis expresso huic suæ dissertationi attexuit *§. VI. pag.* 180. unde & illud hîc referendum, ceu memoratu dignissimum, duximus, *Cùm & in hac, quâ vivimus ætate*, verba sunt Oliverii, *perniciosa falsariorum improbitas, si parùm vigilet ex adverso cauta prudentia, nonnunquam præsumat malignandi materiam, & nova moliendi nequitiæ instrumenta, quibus & sincera in discrimen adducere, & lethales toti corpori plagas inferre feliciùs valeat.*

Amplissimam prætereà *Eruditionis Diplomaticæ* segetem offert novissimus duorum Patrum è Congregatione S. Mauri partus, *Parisiis* anno 1750. in 4. editus hoc titulo: *Nouveau Traité de la Diplomatique &c.* Opus sanè perpulchrum, eruditum, sublime, elegans, spatiosum etiam & magna cum laude diffusum: in quo ambiguitates tollere, scrupos, gryphósque diluere, involuta evolvere, infirmare falsa, corroborare vera, & Regulas à *Mabillonio* præscriptas stabilire moliuntur doctissimi Editores. In ambobus his quanta se laudum offerret seges, nisi latere ipsi maluissent! Sed licèt lux suo utatur testimonio, nec alieno indigeat suffragio, haud tamen indictus hîc nobis prætereundus Cel.mus S. R. I. Princeps JOANNES BAPTISTA Principalis Mona- *Anonymi è Congr. S.Mauri.*

 sterii

Joannes Baptista S. Emmerami Ratisbonæ Princeps. sterii S. Emmerami Ratisbonæ Abbas, Musarum cultor præcipuus, cujus studio & operâ recens è Sant-Emmeramensi chartophylacio prodiit *Codex Probationum Diplomaticus*, exhibens Bullas Ss. Pontificum, Diplomata Regum & Imperatorum, aliásque Episcoporum, Ducum, Principum, Comitum chartas ex autographis descriptas, quæ ad Historiam Monasterii Sant-Emmeramensis spectant, unà cum sigillis, notis & animadversionibus ad roborandam veritatem magis necessariis...

Carolus Meichelbeckius. Quæ *Carolus Meichelbeck* Benedictoburani in Bavaria monasterii asceta doctissimus, tum in Historia Frisingensi, cùm etiam in Chronico Benedictoburano A. 1751. * *Monachii* typis vulgato sapientissimè digessit instrumenta, chartas, & diplomata ex autographis ferè deprompta, egregiè quoque *Artem Diplomaticam Germaniæ* illustrant. Idem pro virili sua portione solerter præstitêre alii è nostris viri doctissimi, qui domesticis tabulariis & scriniis operosè excussis, amplas hinc inde veterum monumentorum collectiones orbi literario exhibuerunt. Ut adeò spes haud inanis affulgeat, fore ut, si Reliqui monasteriorum Antistites illustre hoc exemplum secuti fuerint, brevì uberrimum spicilegium & tempore succedente *Artem Germaniæ Diplomaticam*, Opus desideratissimum, certò simus conspecturi. Quod denique efficietur, ut omnis mediorũ temporum eruditio obscura adhuc & cœca, velut effossum è terrâ aurum, perfractis Claustralibus repagulis, in orbis eruditi conspectum utilitatémque sit proditura.

Reflexio de publicandis veteribus Chartis. Mirum quidem est, quàm sint diversæ hominum circa publicam antiquorum instrumentorum editionem sententiæ. Quidam enim membranas suas, & fundationum tabulas tam scrupulosè in scriniis custodiunt, celant, abscondunt, quasi in lucem prolatæ, aut viro ejusmodi antiquitatum studioso ostensæ, omnem suum illicò vigorem essent exhalaturæ, aut pertimescendum foret, ne jura domestica periculo exponerentur, ipsique ceu malæ fidei possessores arguerentur, dum interim rerum legaliter gestarum tabulas subtrahendo suam ultrò produnt timiditatem, ac variis sese conjecturis reddunt obnoxios. Causam igitur meliorẽ fovere se demonstrant, qui suas chartas & diplomata, ceu firmissima actorum juriúmque fundamenta è tabulariis & archivis petita toti orbi exhibere non dubitant, præsertim cùm etiam intelligant, nullâ ferè aliâ ratione commodiùs, certiùs, securiùs documenta antiqua, incendiorum ac direptionum periculis subtrahi, quàm si typis impressa in plurimorum manibus & oculis versentur. Quot enim Bullæ, Diplomata, chartæ, aliáque vetustatis monumenta aliàs superstitiosè custodita, tum tineis, blattis, furibus, militibus cuncta per jocum scindentibus negligenter impudentérque objecta sic pessum iverunt? quibus non alia res magis quàm typus æternitatem præstare potuisset. Pereant licèt aliqua editorum exempla uno in loco, at certè supererunt centena in Bibliothecis & pluteis aliis, ipsisque adeò possessoribus sua jura manebunt illæsa, & ipsa instrumenta quodammodo fient inoccidua. Animadvertit id jam pridem doctissimus è Congregatione S. Mauri Scriptor *Vincentius Thuillierius* in Præf. ad Tom. I. Oper. posthum. Mabillonii & Ruinarti his ferè verbis: *Servari*, inquit, *facilè ab incendiis & direptionibus unum alterúmve volumen possunt, in quæ Documenta ac Chartæ Monasterii fideli calamo relata sunt; difficulter pluribus hinc inde sedibus dispersa.* Quod quidem assertum si de Documentis calamo descriptis unúmque in corpus redactis intelligamus, quantò magis id asserendum erit de instrumentis hujusmodi typo exscriptis & per orbem divulgatis?

Sed ut taceamus direptionum & incendiorum discrimina, quibus expositæ sunt fragiles chartæ, est quædam prægnantior æquitatis ratio, quæ Religiosos viros obstringit, ut sua publicent monumenta, suúmque in patriam studium, & gratitudinem erga fundatores contestentur. **Urgentes ad id genus studii rationes.** Enimverò an beneficiis eorum utemur ceu floribus tamdiu gratis, quamdiu recentibus? An non eadem in libris æquè ac in animis viridi semper memoriâ servare studebimus? An ingrato abscondemus silentio, aut perpetuis damnabimus ergastulis, vel tandem patiemur intercidere, quibus debetur æternitas? Ecquid verò privilegia si latent recondita? Nihil profectò afferunt lucis, utilitatis nihil; *sunt munera data non accepta; sunt divitiæ pauperes, quia ignotæ; sunt gratiæ gratis datæ, quia neglectæ; sunt opes inutiles, quia sine usu; verbo, sunt privilegia privilegiis carentia,*

* Vide superiùs dicta pag. 407.

tia, quia tinearum, murium, glirium, & teredinum pabula. At verò cùm ea studiosè evolvuntur, & typorum beneficio proferuntur in publicum, tunc enim lucent omnibus, qui in domo sunt, feruntque fructus uberrimos in alienam non minùs, quàm in propriam utilitatem redundaturos. Quot enim facta egregia, quot viri immortali memoriâ digni eâ ratione ab oblivione vindicabuntur? *Sexcenta*, inquit Ruinartus *, *sunt exempla, quibus quàm utiles sint, quámque necessariæ veteres chartæ, posset facilè comprobari, nisi unanimis & publicus Virorum Eruditorum consensus ab ea me curâ liberaret. Hinc nata consuetudo, ut si quis modò historias maximè Monasteriorum & aliarum Ecclesiarum, Urbiúmve aut Provinciarum imò & familiarum scribere aggrediatur, necesse sit, si modò sibi haberi fidem velit, ut Acta vetera & chartas authenticas ad calcem libri repræsentet, quæ monumenta meritò* Probationum *titulo decorantur, quod absque iis eorum, quæ narrantur, fides videatur vacillare.*

Diplomatum usus & præstantia. Et verò quia jam *de usu & præstantia Diplomatum* sermo incidit, ut nihil porrò dicam de utilitate privata, quæ singulis religiosis domibus ex editione veterum chartarum accrescere dignoscitur, certè res Diplomatica, si quæcunque alia, historias referat, obscuris lucem accendit, dubiis fidem conciliat, doctrinas Juris publici & privati limat, Principum & subditorum prærogativas ab insultu malevolorum vindicat, provincialia negotia in ordinem collocat, medii ævi geographiam illustrat, genealogicas difficultates elucidat, chronologiæ dispellit tenebras, & si quid majus in Jurisprudentiæ & Historiæ commodum exspectari poterit, exequitur, quin superat quàm manifestò. Sunt enim hæ chartæ solidissima jurium fundamenta; sunt certa miniméque dubia rerum gestarum documenta; sunt historiis, quia simul cum re ipsa natæ, plerumque antiquiores: sunt, quia temerè adulterari, citra perspicua doli argumenta, nequeunt, utì legalitate, sic fide potiores, ita quidem, ut historias non rarò ad Diplomatum amussim, non è diverso diplomata ad illarum rationem oporteat exigere, utì pluribus ostendit Illust. Ludewigius in sua Dissertatione de Usu & Præstantia Diplomatum Tom. I. Reliq. Manuscript. p. 96.

Eorum occultatio noxia. Malè proinde sibi, posteris & publico consulunt, qui ejusmodi veneranda antiquitatis reliquias, superstitiosè celant, & abscondunt, cùm & ipsa earum occultatio, & neglectus, aut ignorantia, easdem omninò reddat inutiles; *quod enim nescitur, non habet usum, quod usu caret, tametsi bonum est, bonum esse desinit.* Nihil prodest thesaurus intra terræ viscera sepultus, nisi eruatur, & dias productus in luminis auras Mortalium commodis servire jubeatur, gemmæ & uniones, ut niteant, ex cœcis concharum matricibus liberentur necesse est; sic enim scintillantes jaculabuntur ignes; sic gratiam plausúmque ab oculo spectatore merebuntur. Non dispar in veteribus chartis ratio est: Hæ si latent, ad nullam partem sunt utiles, nihil afferunt lucis, nihil habent commodi: *Quanto autem jura & privilegia prodierint in publicum clariore notitiâ, tanto liquidiùs posteritati successuræ tollitur altercandi materia.*

Objectio refellitur. Verùm dicet fortè quispiam, ad quid tot inficetæ, exesæ, jejunæ, infulsæ publico obtruderentur chartæ, è quibus nulla latini sermonis puritas, sed sola barbaries, & veterum ruditas innotescere orbi potest? At enim quisquis ita tecum ipse differis, longè à vero sensu deflectis. Testes sunt tum viri sapientissimi, quibus id genus instituti pridem placuit, & ab insigni utilitate seipsum commendavit. Testes etiam sunt cùm aliæ disciplinæ, tum Historia & Jurisprudentia maximè, quantum lucis bonæque frugis ex ejusmodi scriptis alioqui horridulis & inficetis hauriri possit. *Chartulæ*, inquit Eminentissimus Quirinus **, *in quibus nihil Monastici est, quod cruamus, nisi Abbatum aut Præpositorum nuda nomina, ea tamen si curiosis oculis introspiciantur, conserantur, vertantúrque in omnem partem, & veluti torqueantur, incredibile est, quantus inde succus exprimatur.* Sic in pratis herbula quandoque minima, quæ incauto aliorum pede proteritur, egregium alteri usum præstat. Sic & hìc erunt fortè aliqua, si non tuis, fortè alterius, si non privatis, saltem publicis usibus apta. *Certè*, inquiunt Lipsienses eruditi ***, *nihil in antiquitatibus oportet contemni, nihil ceu inutile jugulari. Haud rarò privati hominis consignatio barbarè scripta, sæpè etiam Diploma de Monachorum ovis, caseis, pullisque movit risum,*

* Ruinart Præf. ad alteram editionem Mabillonianі Operis Diplomatici.
** Quirinus in Præf. ad Monast. Ital. Hist.
*** Acta Erud. Lips. mens. Jan. A. 1737. pag. 35.

sum, quod peritioribus argumentum dedit eruendæ vel confirmandæ utilissimæ veritatis...

Chartæ etiam privatæ suum habent usum.

Non igitur *jejunæ adeò & miseræ* videri debent membranæ illæ, quibus fortè nihil aliud, quàm privatorum contractuum memoria eáque implexis & squallidis verbis expressa continetur, cùm & notæ chronologicæ non rarò ad rectiùs ineundam temporum rationem conducant, & vel nuda illustrium subinde testium nomina sæpenumerò Genealogicis obscuritatibus magnam lucem afferant, materiæ ipsæ veterum judiciorum ac negotiorum formam clariùs exhibeant, stylus denique & verba, quantumvis hodiernis auribus barbara, exotica, & insulsa, sive ad intelligendos penitiùs medii ævi Scriptores latinos, sive posteriorum temporum Theotiscos, seu Germanos usque ad vicina nobis sæcula mirè conferant.

de edendo Codice Diplomatico-Germano-Benedictino.

Rem itaque cœlo cedróque dignam, Orbíque erudito æquè gratam ac Ordini proficuam & suo Nomini gloriosam præstarent RR.mi Abbates doctissimíque Sodales nostri, si inito inter se consilio, junctísque animis & operis, domestica tabularia solerter excuterent, schedarum veterum supellectilem curiosè perlustrarent, Diplomata, chartas, veterésque notitias sedulò colligerent, atque dirigente negotium viro masculâ eruditione prædito, ex his omnibus in unum congestis *Opus quoddam Diplomaticum Germano-Benedictinum* conderent, & Orbi literario, palàm sisterent; *ut quæ non prosunt singula, juncta juvent.* Illi profectò, qui certissimæ utilitatis conscientiâ impulsi tale quid molirentur, utì quàm optimè de Ordine, ita multò pulchriùs mererentur de Republicâ. Habebunt enim & Exteri perinde ac domestici Scriptores, quæ ex libris nostris & monumentis discant, quæque ex particularibus cujusque monasterii tabulariis in suos & communes ac publicos usus traducant, atque iis Historiam non solùm Monasticam, sed etiam Ecclesiasticam & Civilem multis locis augeant & illustrent, quin immensis itinerum incommodis eos fatigari, nostros verò privatæ editionis sumptibus, curis & molestiis necesse sit prægravari. Verùm de his satis: si enim illi, quorum solennis est hac in re authoritas & facultas, ad gloriam rectâ virtutis & doctrinæ viâ grassentur, facilè suos habebunt pedissequos. Quia autem sine artis Criticæ usu, solidi nihil in re diplomatica præstari potest, de hac consequenter agere collibitum est.

SECTIO II.

Historia Studii Critici.

Ars Critica quid sit?

Ars *Critica*, seu *Censoria*, prout nostro quidem ævo à nonnullis exerceri consuevit, definitur à viro docto, & hypercritico *, quòd sit *ars judicandi de factis historicis, de Scriptis doctorum virorum, de variis eorum Scriptorum lectionibus, de eorundem sensu, stylo, & auctoribus.* Quæ definitio an satis accurata sit, ut hic in examen adducere nolim, ita quàm plurium Criticorum hoc esse vitium affirmare ausim, quòd aureum illud: *ne quid nimis*, neutiquam, ut par est, in oculis habeant; quin potiùs omnia in altercationem rapiant, ac quoties ipsis collibitum fuerit, corrigendi & obelisco notandi quidvis, vel fine prævio examine rejiciendi penitùs, aut certè quidem in dubium vocandi potestatem temerario ausu sibi usurpent. ** Non pauci nempe Aristarchi sunt, qui eo morbo miserè hoc ævo laborant, ut se sapere non credant, si cum aliis sapiant. De quibus pridem Hieronymus ad Pammachium: *faciunt intelligendo, ut nihil intelligant, & dum alienam imperitiam volunt coarguere, suam produnt; adeò intelligunt, ut nihil intelligant.*

Ejus abusus.

Ejusdem utilitas in O. S. B. variis comprobatur exemplis.

Ut ut verò magnus nostris temporibus Critices sit abusus, eâ tamen arte nostro in Ordine non uno ex capite opus esse cœpit. Primùm ut iis viris eruditis, qui superiore seculo nonnihil, quæ ad Familiæ Benedictinæ antiquitatem ac splendorem pertinent, in incerto posuerunt, satisfieri ac responderi posset; tum ut immodicus æstus, quo nostrûm quidam correpti adserendæ Ordinis gloriæ non satis accurata veritatis habitâ ratione, plus æquo studebant, reprimeretur; deinde, ut quæstiones controversæ, quæ ad

* R. P. Honorius à S. Maria Ord. Carmel.

** Vid. Michaelis à S. Joseph Madritani Ord. SS. Trin. Redempt. Capt. Crisis de Criticis arte. Matriti 1745. in 4.

ad Historiam Benedictinam spectant, quæque inter ipsos Benedictinos agitantur, per Critices normam dijudicari valerent; pòst ut in veterum codicum manuscriptorum, atque cum primis sanctorum Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum editionibus ad antiquorum exemplarium fidem expurgandis minùs Sodales nostri aberrarent, tum ut iidem pro vitiosa temporum supputatione probam substituere, authores, qui alieno, quàm vixerunt ævo recensentur, ad veram ætatis ipsorum tempus revocare callerent, deinde ut asserta sua contra alios Criticos, Momos, & Aristarchos tueri possent, denique ex aliis multis capitibus, quæ recensere longum foret. Ea verò quæ à nobis memorata fuerunt, majore in luce, adductis exemplis, collocare juvat.

Pro S. Gregorio M. Ordini afferendo contra Baronium pugnant. Cùm Cardinalis *Baronius* levibus conjecturis inductus sanctissimum Pontificem, ac Ecclesiæ Dei Doctorem GREGORIUM M. communi veterum, novorúmque Scriptorum calculo in Album Monachorum S. P. N. Benedicti dudum illatum expunxisset, tota Religio nostra classicum sibi cani rata, defensionem veteris possessionis, ut par erat, cœpit meditari, cui nemo ante Baronium afferre manus est ausus.

1. Anonymus Casinensis. Hinc quidam *Monachus Casinas*, cujus mecum *Yepesio** nomen fugit, Animadversiones scripsit, eâ animi moderatione usus, ut priusquàm typis mandaret, *Camillo* Patriarchæ Alexandrino Romam mitteret, censuram ipsius subituras. Oravit insuper, si è re videretur, etiam *Baronio* monstraret. Legit Monachi hujus lucubrationes Cardinalis, nihilominùs non modò in spongiam non incubuit, novam ac ante id non auditam sententiam abolendo, ut potiùs *Antonio Gallonio* negotium dederit (cujus eruditioni plurimùm confidebat) Monachi refutandi. Is animo calamóque promptus invasit Animadversiones: rem Baronii inclinatam, quâ potuit, fulsit: simul plurimis locis Privilegia Leoni Ostiensi pro Appendice addita suam ad incudem vocavit: malè excepit: & nihil intentatum, nil inausum reliquit, quò persuaderet orbi, nucleos se, nos putamina vendere.

2. Constantinus Bellotus. Quocirca *Constantinus Bellotus*, S. Joannis Evangelistæ Parmensis Urbis Cœnobita, ac deinde S. Michaelis de Teliore (qui est vicus Diœcesis Parmensis) Prior, ut dicimus, Titularis, vir eruditione præstanti, non jam sub rosa longiùs mussitandum, sed in publicam arenam prodeundum ratus, totam disputationem in Dialogos digessit, *Baronii* nomine in *Bernhardi* verso, an ut facilè excusares, si peccaret contra τὸ πρέπον? an verò, ut meliùs intelligeres, quid vellet? Igitur obliquè sic tactum à *Belloto*, ut defenderet Gallonius, correpto calamo Apologiam composuit, prelóque subjecit, quâ omnes ingenii vires intendit, ut Baronianam victoriam pararet: omnem lapidem movit, ut in aëre arcem ædificaret.

Hæc res fecit, ut *Antonius Yepesius*, Hispanus, *Constantinus Cajetanus*, Italus, *Clemens Reynerius*, Anglus, *Henricus van Zippe*, Belga, aliíque plures in arenam contra *Baronium* & *Gallonium* descenderent. 3. Yepesius & alii. Cùm verò *Yepesius*** hanc quæstionem eviscerare, fortè fortuna evenit, ut Salmanticæ in P. Franciscum Suarez, Jesuitam, virum gravissimum, juxtáque doctissimum, incideret: quo humaniter salutato, *mi Pater!* dicebat, *mihi cum Baronio non parvum negotium est, quod cùm ego tenui ingenio emoliri non possim, per te explicari velim.* „Fuit Gregorius M. Ecclesiæ Doctor „omnibus retrò seculis noster: ex„tremo isto Baronius Cardinalis exti„tit, qui manus ei injicere ausus, no„bísque è complexu eripere conatus „est. Illius, nostráque argumenta in „promptû sunt, quæ nunc nuper in „medium contulimus. Visa tibi, le„ctáque esse nullus dubito. Quocir„ca etiam atque etiam te oro, tuam ut „mihi exponas sententiā. „ Et quidem haud gravatè, excepit ille: *modò enim*, reponebat, *Tomum de Religione sub manû habeo, qui ansam mihi præbuit, rem summo studio indagandi, ac imo ex fundo eruendi. Si igitur aliquid momenti in me ponis, Maximum Pontificem Ordinis S. Benedicti Monachum fuisse, Baronium verò lapsum esse sentio.* 4. Franc. Suarez S. J. Tum Yepesius perfusus gaudio, incertus tamen, utrius liber priùs in lucem esset proditurus, majorem in modum rogavit virum, ut per ipsum sibi liceret, hoc ejus oraculum typo quoque suo edere. Facilè, ut alia omnia, annuit. Fortunatum profectò, ut par erat, se *Yepesius* duxit, cujus in sententiam tantæ vir doctrinæ ac eruditionis iret, Baronio

* Chron. Gener. ad an. Chr. 576. p. 324.
** L. c. pag. 341. Col. 1.

ronio præterito, quamvis ipsius argumenta diligenter expenderit in trutina.

Quid Clemens Reynerio præstiterit.

Stetit promissis *Suarezius* in Tomo IV. de Statû Religionis, in quo diligentiùs tractat quæstionem de Monachatû Benedictino S. Gregorii, quam in tertio Tomo levi manû duntaxat insinuaverat. *Clemens* autem *Reynerius* *, qui illum Tomum tertium tantummodò viderat, promissam *Antonio Yepesio* disputationem non inveniens, mirari cœpit, cur à tam sollicito veritatis indagatore fuerat prætermissa, causamque suæ admirationis cum aliqua doloris sui significatione posuit. At ubi Tomus IV. *Suarezii* in manus *Reynerii* pervenit, ea inedita voluit, quæ in primâ editione Operis sui de Apostolatû Benedictinorum in Angliâ contra Suarezium dixerat: cùm ille Theologus maximus modestissimúsque præstiterit, quæ promiserat: cujus propterea piis manibus benè precatus fuit *Reynerius*, quòd sicut copiosissima doctrinâ in aliis necessariis veritatibus explicandis omnes Theologiæ studiosos adjuverit, ita & in hac controversia de Ordinis nostri gloria bene mereri voluerit, & tantum ejus ornamentum luculenta autoritate stili sui asserere laboraverit.

Quid Philippus Brietius ex adverso effutiat.

Non ejusdem sententiæ, nec paris in scribendo modestiæ fuit *Philippus Brietius*, qui certè nullos in Annalibus suis flores in Benedictinos spargit, quòd editis apologiis S. Gregorium sibi vindicent, sed eos ad Joannem Diaconum amandat, ut nugas suas aliquâ authoritate tueantur. Nobis verò Brietium ad *Dominum de Barcos*, Abbatem S. Cyri amandare liceat, ut ex eo intelligat, quàm nugæ non sint rationum momenta, quibus Benedictini Gregorium M. Familiæ suæ enixè assertum. Is vir igitur *Brietio*, doctrina & eruditione uti non inferior, ita ab affectibus & animi motibus, quibus Brietium in scribendo fuisse obnoxium, ejus etiam Sodales ** fatentur, cùm à *Gussanvillæo* novam S. Gregorii Operum editionem curante, consultus fuisset, quid de hâc re à Baronio noviter in controversiam adducta sentiret, gravissimas pro ejusdem sancti Pontificis Monachatû Benedictino literas ad eum dedit, quas *Mabillonius* dignas existimavit, ut eas ad calcem Tomi I. Annalium Benedictinorum subjiceret. Cùm verò Gallicè scriptæ à potioribus Sodalibus nostris in Germania non intelligantur, eas Latio, utcunque potuimus, in eorum gratiam donare nos non piguit. Ita enim habent:

Literæ D. de Barcos Abbatis S. Cyri ad Gussanvillæum de Benedictino S. Gregorii monachatu.

„ Ego verò, *mi Domine*, opinor, nequaquam fore, ut demireris, si quas ad me literas dedisti, eas me nec opinantem oppressisse dicam. Quî enim fieri potuit, ut mihi non de improviso intervenirent, qui neque me tibi cognitum esse, neque ullam à te cogitationem de me suscipi persuasum haberem. Eóque magis admirari subiit, quòd disceptationis illius, quæ te inter & Religiosos Congregationis S. Mauri agitatur, arbitrum ac quasi judicem me deligere videaris. Quòd si tantum ingenii, doctrinæ, ac literarum in me non residet, quantum ad dicendam sententiam requiritur, tu tamen pro certo de me tibi pollicearis, nihil esse, quod verearis, ne illorum partes contra te injustè defendendas suscipiam. Quæ enim ratio me impellat, ut in eorum gratiam id faciam, quorum præteritis annis, ut tute nôsse potes, non ea in me extiterunt officia, quibus tenear devinctus? Unde sola veritas est, cujus unius intuitu à me affirmari posse credo, non ullam præstò esse rationem, quâ adducar, ut S. Gregorium Papam Ordinis Benedictini fuisse alumnum eam inficias.

Motiva & rationes, queis adductus fuit, ut S. Gregorium Benedictinis assereret.

„ Primò, quia communis orbis consensus id pro certo habuit, usque ad Baronium, qui ab ævo usque S. Gregorii omnium primus extitit, qui controversiam ea propter injicere sustinuit. Neque enim vel Benedictini, vel alterius instituti Religiosi alumnus, aut alius quispiam ex Authoribus Catholicis repertus est, qui ejusdem cum ipso esset opinionis. Est hæc igitur antiqua & universalis traditio, quæ in quæstionibus de facto magni debet esse momenti. Nec gravi vacat periculo, libertatem sibi arrogare veteres & perpetuas traditiones, quæ solis hominum testimoniis nituntur, ceu falsas rejiciendi, ex levibus quibusdam nec tamen convincentibus conjecturis; maximè cùm nullus authorum in medium adduci queat, qui suo suffragio clarè id confirmet. Nemo unus uspiam gentium fuit, qui ante *Baronium* Benedictinam S. Gregorii professionem negaverit; uno omnium ore, qui hac de „re scripserunt, contraria sententia fuit „ asser-

* In prima editione *Apostolatûs Benedictini.*
** Vid. R. P. Joseph. Pichler Aug. V. Carol. Hist. in vit. Caroli M part. 2. cap. 3. n. 399. pag. 76. edit. in fol.

„ afferta. Quòd si potestas sit, res gestas ab antiquis Scriptoribus memoriæ commendatas, atque omnium consensu sine contradictione receptas reprobandi, per eam causam, quòd in earum narratione tricæ occurrant, quæ explicatu sint difficiles, quam penitus historiam vel in melioris notæ libris, vel in ipsis sacris paginis mihi ostendes, quæ verso pollice damnari non possit? Est earum, & quidem præ cæteris certarum non exiguus numerus, quæ oppositis conjecturis, atque rationibus speciem veri longè majorem præferentibus, atque quam illæ habent, quæ contra monasticam S. Gregorii in Ordine D. Benedicti professionem adducuntur, velut adhibitis quibusdam machinis frangi debilitarique possent.

Gregorius ipse sui monachatûs testis.

„ At veritati huic dedit testimonium, eámq; extra dubium posuit ipse *S. Gregorius* in quarto suo libro super primum Regum, ubi dilucidis verbis fidem facit, se non Monachum modò, sed Abbatem etiam Ordinis S. Benedicti fuisse, atque vitæ religiosæ tyrones juxtà Regulam hujus Sancti instituisse. Nam obtentui habere, hoc Opus à *S. Gregorio* non fuisse profectum, veluti tu facis, est discedere ab omnium Autorum, non tantùm Catholicorum, sed etiam Protestantium sententia, atque opinionem prorsùs novam, atque singularem in scenam protrudere. Nemo hactenùs est repertus, si unum Ministrum Anglum excipias, qui in dubium vocârit, utrùm hi libri in primum Regum S. Gregorium habeant authorem: verùm id absolutè inficiari ausus non est; & nihilominùs omnes authores perinde ex numero Protestantium atque Catholicorum suum ei suffragium denegârunt. Inter omnia S. Gregorii Opera non aliud est, quod ipso magis sit dignum, atque hoc ipsum. Non stylum modò ipsius, sed etiam spiritum sapit, magniq; momenti complectitur veritates, quas non alio loco æquè benè expressit: multùm illæ debilitandæ forent, si Gregorii ipsis adimeretur authoritas. Nihil est, quò Scripta SS. Patribus falsò attributa meliùs detegantur, atque styli, cogitationum, ac modi eas exprimendi diversitas: quæ omnes notæ præstò & in medio sunt, ut isthoc Opus *S. Gregorio* afferatur. Dicis, quòd nullibi in suis Operibus illius meminerit; verùm, præterquàm id satis perspicuum non sit, atque in contrarium adduci possint argumenta, si hæc ratio ullius est nervi ac roboris, complura indubia Opera

An Liber super 1. Regum genuinus sit partus ipsius?

„ sanctis Patribus abjudicari possunt, cùm nullo loco eorum faciant mentionem, & perpauci sint, qui sua ipsorum Opera allegent. *S. Paterius* in Collectione sua, quam ex Gregorii Operibus adornavit, non solùm Commentaria in libros Regum, sed alia etiam ejusdem Sancti Scripta silentio prætermisit, nec ullus veterum auctorum est, qui de Operibus hujus Patris sermonem instituens ad unum omnia recenseat.

Objectio Gussancii Villæi refellitur.

„ Quòd si persuasum habes, satis esse argumenti, ut hoc Opus S. Gregorio adimatur, dicere, quòd non ante editionem de anno 1537. in publico comparuerit, nec ullus illius habeatur manu exaratus codex, concludas necesse est, ex censu Operum SS. Patrum non pauca expungenda esse; cùm exiguum præterlapsum sit tempus, ex quo in lucem edita fuerint, nec ullus alius manuscriptus habeatur codex, præterquàm ille, ex quo typis exscripti fuerunt; veluti Liber S. Augustini *De Gestis Pelagii*, & plures alii. Dicis, vero videri simile, quòd Commentariorum in hosce libros auctor Monachus, & non Papa extiterit. Persuaderi etiam non potest, quòd de Regula sancti Benedicti nullibi quàm in hoc libro verba faciat, cùm in aperto sit, quòd de eadem in Dialogis suis, aliisque locis magis adhuc honorificè loquatur. Cùm igitur ratio non suppetat negandi, quòd Commentaria in libros Regum authorem habeant *S. Gregorium*, consequens est, nullam etiam rationem adesse inficiandi, quod ille in quarto asseverat libro. Quo argumento adhuc fortiùs Baronii opinio evertitur; neque enim contradicit, sed ultrò dat, Commentaria super libros Regum esse Gregorii, velnti ipsi in editionibus Romanis & aliis omnibus attribuuntur. Nec ipse, nec alius eorum quispiam, qui in ipsius concessêre sententiam, ea Commentaria reddidit dubia. Involvit verò eorum sententia contradictionem in hoc, quòd S. Gregorium Monachum fuisse Benedictinum pernegent, & in hoc, quòd Comentaria progenuino ipsius fœtu agnoscant, in quibus se Monachum fuisse Benedictinum profitetur.

Altera ratio deducta ex missione Mõachorum Ord. S. B. in Angliam.

„ Porrò ut plures rationes, quibus coacervandis hæc epistola admodùm longa redderetur, prætermittamus, satis erit, si unam adhuc in medium afferamus. Est verò hæc, *quòd Monachi à S. Gregorio in Angliam missi, indubiè ex Ordine S. Benedicti fuerint, ejúsque Regulam in hanc Insulam secum al-*

„*latam in omnibus monasteriis servandã constituerint.* Erant præterea *Monachi ex S.Gregorii monasterio*, velut ipsemet hoc asserit, atque ex monasterio S.Andreæ, quod Romæ construxit, & in quo habitum induit monasticum. Jam verò extra omnem veri est similitudinem, contendere, quòd in Anglicanis monasteriis vivendi modum tenuerint diversum ab eo, quem Romæ observârunt; quódque Regulæ, quam professi fuerant, nuntium remiserint, ut alii manus darent, eámque in novam Ecclesiam à se fundatam importârint; cùm id facere haud potuerint, quin absque ratione suam violarent professionem. Nec quemquam præterit, quanta Religiosorum pro sua Regula sit zelotypia. Qui Regulæ S. Francisci se addixerunt, non illam unquam abdicaturi sunt, ut in eorum monasteria S. Dominici Regula inducatur; nec Dominicani admissuri sunt, ut Fundatoris sui placitis Regula S. Francisci præferatur. Extra omne igitur dubium est positum, quòd hi Missionarii S. Gregorii monasteria in Anglia pro Regulæ Benedictinæ observantia construxerint, atque ex ejus præscripto vitam egerint, quam Romæ etiam observaturi fuissent; quódque hæc Regula in monasterio S. Andreæ observata fuerit, cujus disciplinâ S. Gregorius haud secus atque illi institutus est. Illud controversiâ vacat, quòd hanc Regulam monasteriis in variis locis à se fundatis præscripserit, nec id sine judicio fecerit; ea enim ipsi visa est una omnium optima, ut quæ præ cæteris quibus demùm cunque sit maximè discrera, *discretione præcipua*. Et verò discretio ex mente SS. Patrum prima virtutum, atque cæterarum omnium anima est, sine qua mortuæ & vera vitia existunt. Certum igitur manet, quòd illam pro suis delegerit monasteriis, nec ullam illi aliam prætulerit, cùm nulli tantum statuerit pretium.

Regulæ S. Benedicti celebritas D. Gregorii ætate.

„ Jam verò dicere, quòd S. Gregorius Regulæ Benedictinæ nullam habuerit cognitionem, quódque illa non antè Romæ visa fuerit, quàm Monachi Casinates, destructo ipsorum à Longobardis monasterio illuc eam attulerint, est rem perhibere, quæ à veri similitudine longissimè distat: tanta enim ejusdem fuit claritas, tantúsque splendor, ut *Divo* BENEDICTO adhuc in vivis agente radios suos in Franciam usque diffuderit, ubi per *S. Maurum* vulgata, à Regibus maximo in hono„re habita fuit; quod idem à *S. Placido* „in Sicilia præstitũ, qui eò loci eximiæ magnitudinis excitavit monasterium. Cùm deinde duo alia monasteria Sublacense & Casinense ab urbe Roma non longè dissita essent, quis in animum inducat, ut S.Gregorium tanto temporis intervallo nihil de eadem Regula audivisse credat, famâ laudes *D.Benedicti* vitæque monasticæ per Romæ compita ita celebrante, ut Senatorum præcipui filios suos ad eum adduxerint, veluti *S. Maurum* & *S. Placidum*, quibus ceu primis lapidibus suæ Religionis poneret fundamenta. Leo etiam Ostiensis, aliique à te allegati Authores neutiquam perhibent, quòd *S. Gregorius M.* à Religiosis Montis Casini, post ejus expilationem, primam Regulæ Benedictinæ notitiam acceperit; sed, inquiunt, quòd inter res, quas hosti subductas Romam attulerant, numeranda omnium primò veniat Regula manu propriâ *D. Benedicti* exarata, tum mensura panis & vini, quam Monachis servandam præscripsit; quæ reliquiarum instar hujus Sancti habitæ fuerunt.

Bernardi Abbatis Fundani ad Simplicium epistola laudatur.

„ Elucet hoc præterea ex epistola *Bernardi* Abbatis Fundani ad *Simplicium*, tertium à S. Benedicto Montis Casini Abbatem datâ, & in Bibliotheca Casinensi reperta, in qua asseritur, quòd Regula S. Benedicti à plerisque Italiæ monasteriis recepta fuerit, ut primùm in publicum comparuit: & proinde cùm pleraque monasteria in Regulam Benedictinam priùs concesserint, quàm D.Gregorius Monachis se aggregavit, consequitur, quòd vestem induerit Benedictinam, & sub Regula S. Benedicti vixerit, quam plerique Monachi & Abbates Italiæ professi discipulos hujus Sancti se ferebant. Quæ res etiam in Francia accidit, in quam ut primùm à *S.Mauro* allata fuit, continuò se per omnia ferè monasteria diffudit, ut veteres Authores fidem faciunt. Excellentia enim & perfectio hujus Regulæ in causa fuit, quòd omnes Religiosi, quos timor Dei repleverat, illam cum gaudio receperint, eique colla sua posse subjicere gloriæ sibi verterint: quemadmodùm etiam Deus illum suâ benedictione repletum eâ cumulavit virtute, ut inconditus sit discipulorum numerus, quos proventû longè uberrimo protulit. Non existimo, *Domine*, necessarium esse, ut fusius per hac re plura in medium afferam, quò, cujus sim sententiæ intelligas. Persuasum mihi habeo, quòd, quæ scri„psi, in bonam sis accepturus partem; & licèt

D. Barcos folius veritatis amore calamum strinxit.

„ licèt iis tuum addere calculum nolis, tecum tamen sis statuturus, me sine animi motû nulliúsque privati commodi intuitû, solius verò veritatis studio ac amore scripsisse. Hanc in omnibus quæro rebus, non solùm in fidei dogmatibus, sed in materiis longè minoris momenti, atque in omni, quæ per vitam occurrit fortuna; credo siquidem, eam nec amari, prout oportet, nec reperiri nisi hoc medio posse. Et quemadmodum veritatis, quam ambabus amplector ulnis, maximus sum amator, ita maximus etiam sum osor novitatis, quæ viro cùm probo tum doctò uti parùm esse digna, ita perinde pietati quàm scientiæ adversari mihi videtur. Quæ causa est, quòd ab antiquitate nunquam non steterim, cujus partes tuendas tum demùm suscipere desinam, cùm vel authoritatum vel rationum convincentium ponderi cedendum erit. Nihil verò ejuscemodi est, quòd Baronius contra veterem eámque perpetuam traditionem, quæ S. Gregorium Benedictinæ Familiæ annumerat, proferre primus sustinuit: quare ab ejus discedere opinione, nullus dubitavi, præsertim cùm non sim nescius, plures ipsum erràsse id genus errores; deinde quòd viderem, ejus opinionem à veritate evidenter profligari, quam confirmare tamen deberet, quò digna foret, ut contra vim atque præjudicium totius antiquitatis recipiatur.

Ejus scribendi candor. „ Vides, *Domine!* loquendi genus, quod tecum instituo, quem licèt famâ notissimum, de facie tamen penitus habeo incognitum: persuasus sum, amantem te esse sinceri candoris, nec non libertatis, quâ nullatenùs destitui possunt, quibus veritas est in amore; atque hâc ratione futurum esse, ut illam favore tuo digneris, neque ad eum adhibeas usum, quô exosa illis fiat, quibus aliàs in medullis minimè hæret. Id quod si facturus es, arctô amicitiæ vinculô me tibi constringes, atque ad omnem reddes occasionem attentum, quò tibi quacunque in re obsequi ac gratificari valeam. „ *Hæ fuerunt literæ Abbatis* BARCOSII *de Benedictino S. Gregorii M. Monachatu.*

Antonii Pagi de eâdem lite sententia. Quid jam de *Antonio Pagio*, celeberrimi nominis Critico, dicam? Is, judice R. P. *Ludovico du Mesnil* S. J. Tom IV. de Doctr. & Discipl. Eccl. in fine pag. 532. *Baronii Chronologiam sæpiùs correxit, & ex vetustissimis Chronicis, Sanctorum Actis, aliisque postea in lucem editis, quæ adeò in manus Eminentissimi Annalium Scriptoris non venerunt, multa supplevit. Si utriusque Opus in unum coaluisset, nova fors Ecclesiæ Historia non desideraretur.* „ Quæ jam verò est *Pagii* mens de S. Gregorii M. ascesi Benedictina? An in *Baronii* negantem abit sententiam? minimè gentium. Sed *Gregorium Magnum* à Baronio Familiæ Benedictinæ levissimis ereptum argumentis, eidem validis rationum momentis restituit. Quòd si igitur opera hodie danda foret, ut amborum, *Baronii* & *Pagii* Opus in unum coalesceret, utrius sententiam putas retinendam? *Pagii*, credo, qui *Baronium* emendavit, nisi me fallunt omnia. In hanc certè abiit *Franciscus Pagius*, magnum & ipse inter Criticos Historiæ Ecclesiasticæ lumen, non quòd patrui sui esset sententia; sed quòd verigius tati foret consentanea. Ejus verba hìc referre me non pigeat *; „ *Quo in monasterio vitæ monasticæ rudimenta didicerit Gregorius, docet ipse variis in locis, nimirùm in monasterio S. Andreæ, quod Romæ construxerat, ut scribit lib. 4. Dial. cap. 21.* „ Benedictinam „ verò eò loci viguisse Regulâ, ostendit „ *Mabillonius* in part. 2. Dissertationis „ laudatæ, ex ipsius scilicet Regulæ „ observatione, & auctoritate apud „ Monachos Andreanos; ex Gregorii „ singulari studio in eandem Regulam, „ ejusque Auctorem; ex ipsiusmet Re„ gulæ propagatione per Gregorii di„ scipulos facta in magna Britannia; & „ ex testimoniis Veterum, qui ab an„ nis ferè nongentis *Gregorium* Soda„ libus Benedictinis adnumerant. *Ba„ ronius* quidem, quem alii secuti sunt, „ *Gregorium non sancti Benedicti*, sed „ *sancti Equitii Institutum* amplexum „ fuisse credidit, & ad id approbau„ dum multa congessit; sed *Mabillo„ nius* loco citato ad ejus argumenta „ respondet, ut ibidem videre est. „ Ita *Franciscus Pagius*.

Quid Francifcus Patrui sui sententia censerit.

Brietii nugæ notantur. Et Benedictini tamen à *Brietio*, Scriptore affectibus ac motibus animi sui, uti notum est, nimiùm indulgente, ad Joannem Diaconum amandandi sunt, ut nugas suas aliquâ tueantur authoritate? Ineptum convitium! quod tamen Brietius in Baronio, quem more suo contrahit, nusquam legit. Sed mittamus illud, atque Gregorii Kolbii ex eadem Societate Jesu non incelebris nostra ætate Historici ** effato ac-

* Breviar. Gestor. Pont. Rom. Tom. I. Sec. VI. p. 258. col. I.
** Hist. Pontif. Rom. Sec. 6. pag. 73.

acquiescamus: *Fuit ferè magni Benedicti Magnus Discipulus Gregorius*.

Philippi Bastide Dissertatio de propagatione O. S. B. per Galliam.

Philippus BASTIDE è Congregatione S. Mauri anno 1672, Dissertationem, cui titulus: *De Ordinis Benedictini Gallicana propagatione*, publicam fecit. Videtur * in illa unicè animum eò intendisse, ut *P. Cointium* è Congregatione Oratorii confutaret; qui posteaquàm in prioribus suorum Annalium Tomis Ordini Benedictino complures illustres viros, ne à præcipuis quidem gloriæ Benedictinæ æmulis in controversiam vocatos, è manibus extroquere sustinuit, in Tomo IV. lacertos movens summa contentione id operam dedit, ut Regulam *D. Benedicti* ante finem octavi seculi minimè in Galliis fuisse observatam adstrueret. Quæ Dissertatio ad *P. Mabillonii* palatum tantoperè fuit, ut integram ad calcem secundæ partis Seculi III. Benedictini existimârit subjungendam.

Cointii ad eam responsio, & iterata P. Bastide Dissertatio.

Contrà verò *P. Cointii* animum acriùs pupugit, quàm ut silentium ferre posset: illam proinde in quarto Annalium suorum volumine confutare aggressus est. Id quod Patri *Bastidio* animos addidit, ut alteram Dissertationem novis observationibus illustratam, præque priori multùm auctiorem adornârit: quam Autissiodori an. 1683. sub eadem epigraphe typis Francisci Garnier excusam *D. Colberto* ejusdem civitatis Episcopo inscripsit. In illius contextû planum facit, quòd Martyrologium Romanum sub oculis atque ex imperio Summorum Pontificum Gregorii XIII. & Urbani VIII. adornatum veras tueatur opiniones, quódque disertis verbis affirmet, Regulam D. Benedicti mirificos in Occidente fecisse progressus, existente adhuc in vivis eodem sancto Legislatore: Quòd S. Gregorius M. ordinaverit, ut eadem Regula non in omnibus modò Italiæ provinciis, sed ubicunque locorum Romani sermonis usus vigeret, observaretur: Quòd eadem Regula ante S. Gregorium suâ sapientia, suorum præceptorum discretione, suíque Authoris sanctimonia tantam sibi ipsa commendationem comparârit, ut cæteris omnibus quasi caliginem inducens, per excellentiam *Regula Sancta*, per S. Gregorium M. verò, & Bonifacium IV. *Regula Monachorum* fuerit appellata: Quòd Monachi bene multi etiam ante S. Maurum in Francia hujus Instituti monasteria erexerint, veluti *S. Leobardus*, qui fuisse S. Benedicti** discipulus existimatur; *S. Martinus* Wertavensis, & complures alii; Quòd Carolus M. indagari jusserit, secundùm quam Regulam in Gallia Monachi vixerint ante Benedictinæ Regulæ observantiam, evidente argumento, quòd illa priùs & antea, quàm hic Princeps regni habenas moderari cœpit, observata fuerit: Quòd post S. Mauri adventum monasteria imenso nnmero aucta fuerint: & quòd ab ejus obitû *Regula*, quam *S. Columbanus* in Galliâ observandam præscripsit, haud alia fuerit, atque D. Benedicti Regula. Id quod probat, iis capite septimo recensendis, quæ majori consideratione digna S. Benedicti complectitur Regula, de quibus S. Columbani Regula ne per transennam quidem mentionem facit, eò quòd Monachis temporis illius ex Regulæ Benedictinæ præscripto viventibus, cujus explanatio & commentarius propriè loquendo duntaxat est *Regula S. Columbani*, superfluum planè ac nulli foret usui, id pluribus velle ipsis dicere, quod in ista Regula copiosè adeò explicatum habetur, cujuscemodi sunt, quæ attinent ad electionem Abbatis, receptionem hospitum, Cellerarium monasterii, mensuram potûs, laborem manuum, artifices monasterii, septimanarios coquinæ, vestimenta & indumenta Fratrum, denique omne id, quod spectat ad monasticam disciplinam, filios nobilium, vel pauperum, quomodo suscipiantur. P. Bastidius contendit, quòd ex silentio Jonæ contrarium haud concludi queat. Quid? quòd hujus ipsius Auctoris, aliorúmque seculi septimi Scriptorum testimoniis evincat, quòd D. Columbanus eorum in numerum, qui Regulam S. Benedicti professi fuerunt, referendus sit: quòd per Regulam sanctorum Patrum haud alia unquam intellecta fuerit, atque SS. Benedicti & Columbani Regula; & quòd hæc nomenclatura fuerit usitata in isto sensu Fontanellis, Altivarii, & Suessionibus apud Religiosas Dominæ Nostræ.

S. Columbani Regula non alia quàm Benedicti.

Tertia P. Bastide Dissertatio veteribus chartis stipata.

Ad hanc Dissertationem *P. Bastide* aliam adjecit, quâ tractatur argumentum, ad privilegia, donationes, cæterásque monasteriorum tabulas pertinens, quas diversæ personæ diversis temporibus subscripsisse videntur: id

* Vide le Cerf. Bibl. Hist. Crit. pag. 8.

** P. Bastidius Mabillonio non persuasit, fuisse ex Ordine S. Benedicti; unde locum illi quidem dedit in Actis Sanctorum Ord. S. B. sed inter Sanctos prætermisit.

id quod locum P. Cointii præjudicio fecit, ut acta hæc spuria, multúmque à veritate remota esse contenderet. Præ cæteris litem peculiarem movit Privilegio, quod monasterio Corbejensi an. 662. concessum fuit. Eo autem nomine illud in dubium vocabat, quòd complures Episcopi, qui ad initium privilegii ne nominati quidem sunt, nihilominus in fine subscripserunt. *P. Bastidius* huic sententiæ non subscripsit, sed illam funditus evertit, demonstrando, quòd antiquis temporibus in more fuerit positum, ut non minùs absentes, quàm qui præsentes & coràm aderant, Conciliorum decretis aliísque actis publicis subscriberent. Quod ad Privilegium monasterii Corbejensis attinet, expressa Episcoporum nomina signa sunt omni luce clariora, quòd illi, quorum nomina ad initium silentio sunt prætermissa, anno sequenti subscripserint, cùm Ecclesiæ Corbejensis dedicatio ageretur. Multa alia sunt exempla, quibus suam confirmat assertionem, sigillatim illud de *Talasio* Episcopo Andegavensi, qui tametsi absens Concilio II. Toletano subscripsit an. 461. id quod ipse verbis expressis in subscriptione notavit. Quem morem etiam Patres Concilii Remensis usurpârunt in privilegio, quod S. Berchario in favorem Monachorum Cœnobii Dervensis indulserunt. *Quæ constitutio nostra*, inquiunt, *ut plenius confirmetur, cæteris fratribus & Coëpiscopis, qui ad præsens non fuerunt, destinavimus insuper roborandum.* Qui mos ac consuetudo, observante *Baronio*, ita obtinuit, ut cùm haud plures 125. Episcopis Concilio Carthaginensi an. 419. interfuerint, nihilo tamen minùs ad finem actorum ejusdem Concilii 217. subscriptiones legantur. Hanc sententiam magis magisque confirmat Patris Mabillonii observatio Annalium suorum Tomo tertio, ubi advertit, morem communem ita tulisse, ut diplomata & instrumenta successoribus eorum, qui primi subsignârunt, exhiberentur subscribenda.

Mabillonius de violato Sanctorum Canone postulatur.

Si quam igitur *P. Bastidius* eruditionis palmam, criticum ineundo certamen cum *P. Cointio*, ab eo reportavit, illâ certè in contentione cum *P. Mabillonio* frustratus est. Hunc enim ipsepræprimis, tum alii quidam*, nimio Benedictinæ gloriæ studio abrepti, zelóque ducti haud satis provido, in Generali Capitulo an. 1677. apud Congregationis S. Mauri Præpositos, ut proditæ Religionis ac violati Sanctorú nostrorum Canonis reum vocârunt: propterea quòd sanctos Monachos complures in extraneorum classem rejecisset, typísque minoribus edi curâsset eorum acta, quos in domesticorum ac sodalium numero Scriptores nostri hactenus habuerant: ex adverso non nulli alterius partis homines causabantur, quòd historiam nostram Actis Sanctorum subditiorum onerâsset. Verùm quodcunque utrobique videbatur incommodi; tantùm abest, ut instituti methodum ac rationem convulserit, aut attigerit; quin potiùs illustrando consilio suo plurimùm id conferre luculenter demonstravit. *Nihil*, inquit Mabillonius, *convenientius aut accommodatius videtur potuisse inveniri ad utriusque partis conciliationem, quàm si Sanctos dubios & extraneos, quos tamen non nulli è nostris omninò proprios, extraneos non nulli omninò existimârunt, retineremus quidem, sed minoribus characteribus designaremus. Sic enim utrorumque votis fit satis, dum & illi habent acta, quæ legant, hi verò distinctos habent, quos eliminent, si velint.* Nec meliùs sanè alumni Benedictini, qui Patris ac Ordinis legitima decora propugnare debet, vel Historici sinceri & veritatis amantis partes explere poterat.

Seipsum à criminatione vindicat.

Movit illum nihilominùs adversariorum querela, eo sanè molestiùs, quòd nihil hac in re susceperat aut scripserat inconsultis majoribus: Ordinémque sibi longè charissimum tanto præ cæteris pluris æstimabat, quantò præ illis meliùs noverat, quæ illum verè ac legitimè commendarent. Scriptis iterum consilium suum propugnare coactus, censorum objectiones ut validis, ita eruditis responsionibus confutavit, strenuéque, ut par erat, causam ipse vindicavit suam; subinde verò explicatis argumentis à Martyrologio Benedictino, atque Virorum Illustrium Scriptore *Tritbemio* petitis, quin etiam rejectis amicorum in ea contentione consiliis, eos minimè audiendos ostendit, qui in hac Sanctorum Ordinis collectione non tam accurati criterii, quô vera à falsis discernuntur, quàm pietatis, cujus causâ suscepta fuerat, habendam esse rationem; nec tam disceptanda, quàm referenda Ordinis decora; uno verbo, si quid rejiciendum, id certè domesticos dedecere contendebant.

Hoc

* Ruinart in vitâ Mabillonii n. 15. p. 45.

Animus ejus veri tenax.

Hoc specioso rationum obtentu permotis non parùm Præpositis, ne vel minimum quidem motus *Mabillonius* est: nec flecti unquam potuit animus veri tenax, ut quidquam scriberet à veritate & sinceritate præcipuis Historici dotibus alienum. *Ut æquitatis amor*, ajebat ille in Apologia MS., *prima judicis dos est, sic & rerum ante actarum sincera & accurata investigatio Historici munus esse debet. Judex persona publica est ad suum cuique tribuendum constituta; ejus judicio stant omnes in rebus, de quibus fert sententiam: maximi proinde criminis reum se facit, si pro virili sua parte jus suum unicuique non reddat.* „ Idem *Historici* munus est, qui & ipse „ persona publica est, cujus fidei com„ mittitur examen rerum ab antiquis „ gestarum. Cùm enim omnibus non „ liceat eas per se investigare, senten„ tiam ejus sequuntur plerique: quos „ proinde fallit, nisi æquam ferre „ conetur; nec satis est tamen, ve„ rum ut amet, & investiget, nisi „ is insit animi candor, quò ingenuè „ & apertè dicat, quod verum esse no„ vit. Mentiri si Christianis omni„ bus, multò magìs religiosam vitam „ professis, nullà unquam ratione li„ cet, longéque minùs, cùm menda„ cium multis exitiale est ac pernicio„ sum. Fieri verò non potest, quin „ *Historici* mendacia vergant in perni„ ciem multorum, qui verbis ejus fi„ dem adhibentes decipiuntur, dum „ errorem pro veritate amplectuntur: „ non levis proinde ejus culpa fuerit, „ qui tot alios secum in errorem trahit.

Historici munus.

Debet ergo, si candidus sit, procul ab omni studio partium certa ut certa, falsa ut falsa, dubia ut dubia tradere; neque dissimulare, quæ utrique parti favere, aut adversari possunt, non debet à veritate sejungi pietas, neque hæc, si vera ac sincera sit, veritati unquam adversari. „ Iniquè igitur agerem, si falsa ut ve„ ra, dubia ut certa proponerem Or„ dinis decora: siquidem id repugnat „ veritati, cujus partes Monachi, ut„ pote Christi, qui veritas est, sectato„ res sequi debent: tum religiosæ sin„ ceritati, quam à nobis potissimùm „ requirunt viri seculares: tum humi„ litati ac modestiæ; quæ viros maxi„ mè decet Religiosos; neque enim, „ nisi fovendæ vanitati conferre po„ test, alienæ virtutis, aut mutuati „ splendoris ostentatio; tum denique, „ quia id Ordini nocet quàm pluri„ mùm, pessimámque de illo ingerit „ adversariis opinionem; nihil enim „ æquè de Historici fide detrahit, ac „ si vera pro falsis, aut saltem incerta „ pro certis nimio partium studio as„ serantur, ubi quippe vel semel veri„ tati defuisse quis convincitur, inde „ certa quæque rejiciendi, aut saltem „ de illis suspicandi adversariis causam „ præbet. „ *Fracta*, inquit Augustinus, *vel leviter diminuta auctoritate veritatis, omnia dubia remanebunt.*

Peccat, qui sibi indebita arrogat.

In alio quoque loco non minùs validè illorum refellit opinionem, qui vindicandæ Ordinis gloriæ studio ducti cuncta sibi licere arbitrantur. *Persuasum*, ajebat ille, *semper habui Christianam pietatem ac religiosam modestiam non minùs violare monachos, dum falsa aut vana Ordini suo adscribunt, quàm privatum quemlibet, dum indebita sibi arroget; neque enim valet, quæ adducitur adserendæ Ordinis gloriæ ratio: hæc quippe non tam Ordini communiter favet, quàm privatæ cujusque cupiditati, à qua me, pluribus licèt obnoxium vitiis, magnoperè semper abhorruisse profiteor.* Hæc de veritate, cui dùm vixit, sanctè jugitérque adhæsit, sentiebat *Mabillonius*. Quantum porrò esset, quo flagrabat, veritatis studium, vel in extremo vitæ discrimine testatum fecit; cùm nonneminem è discipulis aliquantulùm turbatum advertens ob aliquem videlicet, qui in nonnulla operum suorum loca irrepserat, errorem, mox sine mora emendatum voluit; neque enim vel minimùm vacillandum putabat vir veri amantissimus, cùm quidpiam aut sincerè referendum, aut ingenuè castigandum occurrebat, tantùmque abest, ut arguentes se malè exciperet, ut potiùs ceu de accepto beneficio gratum se illis ac memorem exhiberet; qua in re quos noverat peritiores ac doctiores amicos non solùm invitâsse, sed etiam coegisse satis superque docent nonnulla, quæ in ultimo Annalium volumine de illorum consilio in appendice emendata leguntur.

Mabillonii Vindicias probant eruditi omnes.

Cæterùm quamvis ista concertatio non parùm ipsi molestiæ, atque ob documenta, quæ in sui vindicias proferre coactus est, laboris attulerit plurimum: utrumque tamen non leviter temperârunt, quos patronos, causæque suæ strenuos defensores expertus est, non sodales modò doctrinâ ac pietate magis conspicui, sed ipsi quoque Præpositi Generales; quorum gratia ac patrocinio nec ad sui vindictam, nec ad sui jactantiam uti unquam voluit; vicisse ac propositum suum vindicâsse

con-

contentus, quódque mirandum sanè est, ejus rogatu publici juris facta, quæ adversùs ipsum concinnata fuerat, Dissertatione, nulla exinde suæ in censores amicitiæ & existimationis argumenta non dedit. *Mabillonii* porrò consilium, ejúsque vindicias postmodùm probavêre Literati quique, in primis verò doctissimus juxtà ac Religiosissimus Cardinalis BONA. Is enim auditis non sine quadam animi molestia delatis in *Mabillonium* querelis, id in ejus gratiam Operísque laudem testatum omnibus voluit; *se nempe diligenter perlectis Sanctorum Actis, nihil nisi sapienter excogitatum, solerter dispositum, appositéque distributum in notis sive historicis, sive chronologicis, ac dogmaticis observâsse, Mabilloniúmque non vulgari laude dignum judicavit, quòd proprios ac germanos Ordinis Sanctos à dubiis & adscriptitiis scitè adeò distinxisset.*

Clemens XI. Pont. eidem suffragatur.

Præclarum hoc tanti Viri suffragium, seu potiùs magni momenti testimonium, literis quoque suis confirmare dignatus Clemens XI. Pontifex Max. literarum patronus ac literatorum, si quis alius, longè peritissimus æstimator - - - *Ubi*, inquit, *abundè nobis non innotesceret, quàm vigeat, benedicente Domino, in Congregatione S.Mauri pietatis cultus, & sacræ eruditionis studium; satis perspectum fieret ex Opere per nonnullos ejusdem Congregationis Monachos singulari sanè diligentia elucubrato, nuperque typis & quidem affabrè excuso. - - - Constat enim vel ipso intuitu, quàm ingenti curâ Acta Sanctorum Ord. S. B., quæ in eo recensentur, fuerint ex antiquis monumentis conquisita, quàm etiam piè ac disertè fuerint explicata, ac propterea quàm in Domino laudem ejusdem Operis auctores sibi conciliaverint. Cùm itaque Pontificiam charitatem peculiariter demeruisse, ii non immeritò confidere possint, qui ornamenta præfato Ordini de Ecclesia tam præclarè merito quærunt, & veræ virtutis exempla Christianæ perfectionis sectatoribus proponunt; gratum illud nobis vehementer accidisse tibi persuadere, ac ea omnia tibi polliceri poteris, quæ ad ejusdem Congregationis, tuíque ipsius commodum pertinere intelliges.* Hactenùs prælaudatus Pontifex. Atque hæc sunt Acta Sanctorum Ordinis S.B. à *d'Acherio* & *Mabillonio* ingenti studio, curâ, & labore collecta, quæ ut primùm lucem publicam aspexerunt, toti Familiæ Benedictinæ ita continuò arriserunt, ut ea communi consensione receperint; maximè postquàm ea non tantùm viri excellentis doctrinæ ac præcipuæ in Ecclesia dignitatis dilaudârunt, sed Vicarius etiam Christi Pontificio suo approbavit oraculo.

Quæ alii quidam ediderè Benedictini, non æquè probantur.

Quæ verò duobus proximè antecedentibus seculis nonnulli Scriptores Ordinis nostri ediderunt, non omne tulerunt punctum, nec eruditioribus Benedictinis ita probata fuerunt, ut in iisdem non majorem crisim desiderârint, hodiéque desiderent. Negari enim non potest, Fastis quorundam Benedictinis insertos fuisse Cœlites, qui Benedictinæ Familiæ alumni nunquam fuerunt. Quod duplici potissimùm ex capite factum est; aliis nempe Hagiographis seu Martyrologis in tanta Actorum & antiquitate & obscuritate, id temporis parùm adhuc discussa, nondum ea criticæ peritiæ lux oborta fuerat, ut veros ac genuinos ab extraneis & subdititiis satis dignoscere possent: aliis verò ea erronea insederat opinio, in concinnando Sanctorum elencho, qui ab omnibus retrò seculis pro Benedictinis habiti fuerunt, haud anxium & scrupulosum instituendum esse criterium, maximè cùm ex imminuto Sanctorum numero Ordinis gloria imminui ipsis videretur. Quâ re tamen factum, ut existimationi Ordinis plus nocumenti, quàm commodi afferrent.

Brietii S.J. Scriptorum convicium.

Certè *Philippus Brietius* Benedictinos universim *Sanctorum plagiarios* vocare non erubuit. Quod illiberale convitium docto Familiæ nostræ viro ita bilem in nares concivit, ut irâ commotus dicterium, si non magis verum, certè æquè acerbum regesserit, quod ego tamen silentio prætermitto. Christianorum enim, ne dicam, Religiosorum est, non modò contumelias non inferre, sed ne quidem referre. Sed plerumque fit, ut qui acetum propinat, felle perfundatur, & cùm dixerit, quæ voluerit, audire debeat, quæ noluerit. Ego qui inclytam Societatem Jesu amore, Ordinem S.Benedicti professione teneo, id genus dicteria, quibus charitas & pax utramque inter Familiam dilaceratur, semper animo aversatus fui, minarum non immemor, quas S.Paulus dicacibus intendit. *Si invicem mordetis*, inquiens, *videte, ne ab invicem consumamini.* Quanta verò contumelia *Brietius* Benedictinos, à quibus tamen minimè læsus erat, affecerit, facilè intelligi potest. Esto enim, quòd aliqui Scriptorum Sanctos æquo plures Ordini Benedictino adscripserint, nunquam eapropter tamen Benedictini universim *Sanctorum plagiarii*

giarii vocandi sunt. Rem exemplo minimè antiquo manifesta in luce ponamus. *Joannes Harduinus*, ut eruditorum nemo nescit, universæ rei antiquariæ internecinum bellum denuntiavit, omnibus veteribus MS.tis codicibus, excepto suo *Plinio*, in suspicionem falsi adductis. Quæ ridicula scepsis ita absurda habita est, ut *Harduinus* viris prudentibus planè delirare sit visus *. Quis verò propterea omnes *Harduini* socios, totámque adeò inclytam Jesu Societatem in reprehensionem delirantis hujus scepsis vocare ausit? Nemo, nisi qui præ Harduino deliret. Si dixisse sufficit, Societatem Harduini librum pro suo non agnoscere, nos Benedictini etiam causam diximus, si aliorum sodalium seu criticam imperitiam, seu inconsultum ardorem in Sanctis Ordini adscribendis nos minimè boni consulere protestemur. Longè aliter res se habet in Ord. D. Benedicti, atque Societate Jesu. Hæc, non ille, ab uno pendet *Præposito Generali*. Hujus licentia & approbatio omnibus necessaria est, qui commenta sua prelo subjicere constitutum habent. Eâ verò acceptâ, liber typis excusus à Societate pro suo habetur. Et libri tamen à Jesuitis conscripti in publico comparuêre, quos Societas pro suis se non agnoscere palàm contestata est. Quâ ratione id factum sit, alii disquirant. Non ita verò, ut dicebam, res se habet in Ordine S. Benedicti. Is enim non ab uno pendet supremo Capite, sed singula ferè monasteria proprios suos habent Superiores. Quòd si jam hic vel ille Abbas suorum cuidam cœnobitarum facultatem impertiatur, quò librum à se lucubratum publicam in lucem emittere possit, aliis Abbatibus & Religiosis omnia benè esse scripta præstare non est animus; minùs animo ita parati sunt, ut si quæ perperàm literis mandata, aut erroribus respersa habentur, eorum culpam præstare velint. Ex quo liquidò apparet, *Brietium* non minimam Benedictinis imposuisse injuriam, cùm eos *Sanctorum plagiarios* vocare non perhorruit. Neque enim in plurimorum situm erat potestate, aut hodie est, ut impedire possent, ne hic, illéve vel artis criticæ ignarus, vel immodico abreptus fervore Sanctos extraneos veris ac sinceris annumeraret. Sed misso *Brietii* convitio, *Mabillonius* est, quem Bollandiani Socii à sinceritatis studio in scribendis Actis Sanctorum Ordinis S. B. meritò commendant **: *Quod spiritu*, inquiunt, *utinam omnes suorum quisque Ordinum opinamenta ab antecessoribus accepta & expenderent ipsi, & expendi ab aliis patiantur.*

Harduini paradoxa.

Quæ inter Benedictinos Scriptores & Jesuitas differentia.

Artis Criticæ regulas à Mabillonio edoctus fuerat *Theodericus Ruinartus*, ejus discipulus, qui subinde missionem S.Mauri, discipuli S. Patriarchæ Benedicti in Franciam à Criticorum quorundam cavillationibus vindicandam sibi suscepit. Jam illustrissimi Harlæi Archiepiscopi Parisiensis temporibus, cùm in reformandum Parisiense Breviarium naviter incumberent delecti ab eo periti Critici, lectionésque omnes Breviario inserendas ad severioris Criticæ leges expenderent, lis ea de re mota fuerat, sed facilè sopita; prolatis quippe à nostris San - Germanensibus argumentis & auctoritatibus, quibus vetus & recepta hactenùs in Ecclesia Parisiensi, & toto Ordine Benedictino traditio nitebatur, firmabatúrque. Sic festum sancti Mauri Abbatis, quod solenni veneratione semper celebravit Ecclesia Parisiensis, ex quo præsertim ejus Reliquiæ in monasterium Fossatense Parisiis vicinum illatæ sunt, pristinam sedem & dignitatem in novo Breviario retinuit, cujus lectiones in eo festo legi solitæ *missum à S. Benedicto Maurum in Gallias* palàm asserere perrexerunt.

Missio S. Mauri in Franciam à Ruinarto vindicatur.

Sed cùm illustrissimus Archiepiscopus *Antonius de Noailles*, paucis ante annis Cardinalis Eminentissimus Breviarium Parisiense accuratiùs recognitum, & emendatum edere meditaretur, acriùs recruduit sopita, non extincta *de missione S. Mauri* controversia. Qui enim missioni adversabantur, resumptis eâ occasione animis, eam modis omnibus concutere conati sunt; non quidem prolatis rationibus & authoritatibus [quæ rem factam negarent, nullæ erant] sed congestis difficultatibus & cavillationibus, quibus vulgata S.Mauri Acta in suspicionem vocarentur; infirmatáque veteri traditione, nova opinio paulatim succresceret. Vocatis in commune consilium partibus, auditisque, ac expensis utrimque rationibus sententiam à decessore latam confirmavit illustrissimus Archiepiscopus. Nec sic tamen à cœpto destitêre Adversarii, sed quæ viva voce protulerant, sparsis per urbem

Confirmatur ab Archiepiscopo Parisiensi.

* Systema *P. Harduini* S.J. jam anno 1696. plures ita commoverat, ut ipsum non modò velut fanaticum, sed tanquam hæresiarcham perniciosissimum traducerent; uti referunt novellæ Hagæ Comitum 12. Jan. anni 1715.

** Tom. IV. Junii pag. 119.

urbem scriptis, imò & in Hollandiam missis, publicare cœperunt. Lectis iis scriptis Protestantes pro more exsultare, triumphos agere, Catholicis imò & sancto Mauro, quasi larvæ insultare, Benedictinisque ipsis palàm imponere, quasi adversariorum argumentis victi agnovissent tandem, fabulosam esse totam S. Mauri historiam, Sanctúmque ipsum fictitium.

Hactenus nulla eâ de re Scripta protulerant nostri, satis habentes Adversariorum objectiones vivâ voce dissolvisse. Sed quod factum nondum fuerat, jam tunc facto opus esse res ipsa monebat. Hanc provinciam cùm suscepisset Ruinartus, edidit anno MDCCII. patrio idiomate *Apologiam missionis sancti Mauri, Benedictinorum in Francia Apostoli, in 8.vo* Ab ipso limine probat, exstitisse sanctissimum quendam Benedicti discipulum, nomine Maurum, quem ipsum esse primum Abbatem, ac conditorem Monasterii Glannofoliensis in Andegavensi Comitatû, recepta jam ac constantissimâ nono seculo traditio ferebat. Quam quidem traditionem à sancti Benedicti temporibus ad nonum seculum, dehinc verò ad nostra usque tempora continuatâ serie manasse, certissimisque argumentis, auctoritatibus & monumentis fultam esse demonstrat vir doctissimus: & quamvis Acta sancti Mauri interpolata fuerint, certos tamen in iis residuos esse characteres, quibus sarta tecta maneat eorum auctoritas, ac fecerint haud difficile valeant posterioris manûs additamenta à primæ ductibus, qui missionis sancti Mauri testimonium ferunt, nullis argumentis, sive Basnagii, sive aliorum (quæ quàm infirma sint, ostendit) concutiendum. Et quia Basnagius & alii quidam cum eo Critici modum omnes excedentes, non tantùm Acta vulgata, sed ipsum etiam Martyrium, imò & personam sancti PLACIDI, sancti Benedicti discipuli, & sociorum ejus meram esse fabulam contendebant, Ruinartus additamento ad calcem apologiæ suæ facto, morosiores illos Criticos egregiè refellit. Ingenuè quidem fatetur, vulgata martyrii Acta vix ullam fidem mereri, inconcussam tamen manere veterem traditionem, tum de misso à Patre suo Benedicto in Siciliam Placido, tum de ejus illic ac Sociorum martyrio, quam invictè confirmat inventio corporum sanctorum Martyrum facta anno MDLXXXVIII. in ecclesia sancti Johannis Baptistæ Messanensi. Hæc ferè summa apologiæ sancti Mauri, quam Latinè conversam edidit Mabillonius ad calcem tomi primi Annalium Ordinis S. Benedicti.

Ruinartus edit apologiam A. 1702.

Etiam pro S. Placido.

Alia quæstio, quæ diu inter ipsos Benedictinos, Cassinates Italos, & Floriacenses Gallos agitata fuit, nec hodie terminata est: *quiescántne in Cassinensi Monasterio, an in Floriacensi, sacra S. Benedicti & S. Scholasticæ pignora?* Itali Leonem Marsicanum in Chronico Cassinensi, ejúsque continuatorem Petrum Diaconum sequuti, prorsus negant, ullam Reliquiarum S. Benedicti Translationem factam ad Floriacense Monasterium. Galli contra & factam asserunt, Bedæ, Pauli Diaconi, Adrevaldi, Aimoini, aliorúmque veterum Scriptorum auctoritate nixi, & ipsas Reliquias ad Cassinense Cœnobium nunquam ampliùs relatas contendunt. Medius inter Italos & Gallos stat *Anastasius Senior*, ossa Viri sanctissimi in Gallias asportata scribens, eáque rursus tempore *Stephani II.* Papæ Cassinum delata. Hujus Anastasii breve Chronicon Cassinense publici juris fecit V. C. Ludovicus *Antonius Muratorius* * præmissâ præfatione, quæ à cæteris ejus plurimis proloquiis, quæ in Scriptorum Rerum Italicarum Tomos adornavit, minimè abludit, id est, eloquentiæ, doctrinæ, atque eruditionis criticæ plena est. Cùm verò Opus hoc pretiosum sit, nec in omnibus Benedictinis per Germaniam bibliothecis habeatur, rem non ingratam iis sodalibus nostris, quibus id in promptu non est, facturus mihi videor, si laudatam præfationem huc transcribam. Ex eâ enim addiscent, in quo cardo celebris hujus controversiæ tot annorum, ne dicam, seculorum decursû Casinenses inter & Floriacenses Benedictinos potissimùm consistat. Sic igitur vir maximæ doctrinæ præfatur.

Alia lis de reliquiis Ss. Benedicti & Scholasticæ.

„Diu inter Casinates Italos, & Floriacenses Gallos, agitata est, ac etiamnum viget celeberrima Quæstio; *quiescántne in Casinensi Monasterio, an in Floriacensi, sacra S. Benedicti, & S. Scholasticæ pignora?* Hinc inde à diffidentibus patronis veterum suffragia congesta sunt, atque inter alios ab *Arnoldo Wion* laudatus est Anastasii Liber, de quo agimus. Attamen habes quod mirère. Neque Italis, neque Gallis Opusculum hoc probatur; quippe illi *Leonem Marsicanum* in Chronico Casinensi,

Muratorii ea de re opinio.

* Tom. II. pag. 249.

„ si, ejúsque continnatorem *Petrum Diaconum* sequuti, prorsus negant ullam Reliquiarum S. Benedicti Translationem factam ad Floriacense Monasterium. Galli contrà & factam asserunt, *Bedæ*, *Pauli Diaconi*, *Adrevaldi*, *Aimoini*, aliorúmque veterum Scriptorum auctoritate nixi, & ipsas Reliquias ad Casinense Cœnobium nunquam ampliùs relatas contendunt. *Anastasius* verò iste medius stat, ossa Viri sanctissimi in Gallias asportata scribens, eáque rursus tempore Stephani II. Papæ Casinum delata. Clarissimus ergo Vir Johannes Mabillonius in Act. Sanct. Ord. S. Benedicti sect. 2. pag. 337. Dissertatione peculiari pertractans Historiam Translationis corporum S. Benedicti & S. Scholasticæ in Galliam, Scriptorem hunc *Pseudo-Anastasium* appellat, & Bullas Pontificias ab eodem laudatas falsi inscribit. Tum num. 20. ejusdem Dissertationis hæc habet : *Quis ergo*, *inquis*, *fictitiæ illius Relationis auctor est*, *si non Anastasius Bibliothecarius ? Istud sanè aliis desiniendum relinquimus. Quamquàm si quis attentè rem perpendat*, *in illa narratione quædam cum Petri Diaconi ac Bibliothecarii Casinensis stilo*, *ætate*, *& genio convenire advertet.*

Inclinat in Casinensium partes. „ Equidem in controversiam tam arduam temerè me non ingeram; Neque hujusmodi narrationem, neque Scriptoris nomen legitima prorsus, ac germana præstare mihi est animus. Imo contrà stat mihi, Scriptori, qui hæc literis mandârit medio seculo Octavo, falsò tribui hunc fœtum. Attamen, quod est ad narrationem, & rem ipsam addere liceat, vix me intelligere, cur tot vocibus in ipsam effundantur tum Casinates, tum Galli. Ad illos quod attinet, ex eorum Bibliotheca Liber prodit; ac proinde, ut veri videtur simile, à Casinate Monacho ista venire, ita difficile excogitare possumus, nisi vera fuisset, & Casini quoque credita Benedictini tumuli expilatio per Francos facta, Casinatem Monachum eam tanquam rem certam relaturum fuisse. Multóque minùs eidem neganda fides, quum in hoc ei consentiant *Paulus Warnefridi*, Casinensis olim Monachus, *Johannes VIII.* Papa, & tot alia antiquorum testimonia, quæ Mabillonius in laudata Dissertatione congessit. Rursus quod est ad Gallos, ipsi quoque meminerint, se in suis Historiis nonnihil habere, quod Casinensis Scriptoris narrationem, quod est ad „ rei substantiam, satis juvet. Scribit „ ille, *reportata tandem Casinum sanctissimi Abbatis Lipsana.* At negare ne illi quidem possunt, Adrevaldo teste, *Zachariam* Romanum Pontificem, literis datis ad omnes Francorum ecclesias, enixè curâsse, ut Casinensi Cœnobio restituerentur sublata S. Benedicti ossa. Præterea ex eodem Adrevaldo, Ademaro, & aliis habemus, Carlomannum Casinensem Monachum, Pipini Regis Fratrem, in Franciam missum, *ut reportaret in Casinum corpus S. Benedicti.* Denique ex Actis *Episcoporum Rotomagensium*, ut Mabillonius ipse concedit in Annalibus Benedict. ad annum Christi 750. constat, à Medone Abbate Floriacensi aliquam saltem sacrarum Reliquiarum partem Casinatibus concessam, sive restitutam. Audiamus Adrevaldum in Relat. miracul. S. Benedicti cap. 17. ubi fatetur Abbatem Floriacensem Casinatibus *ex ejusdem pretiosissimi Confessoris corpore Reliquias benignissime contulisse.* „

„ Ex his satis intelligimus, restituti sacri pignoris narrationem à Francorum monumentis non abludere, quum & similia utrobique habeantur in suffurandis sacris corporibus acta, & ab utrisque Carlomanni expeditio, & quidem cum Stephano II. Papa, in Gallias referatur, ut recuperarentur Casinatibus S. Benedicti ossa. Quod si Casinas Scriptor restituta quæque scribit, Adrevaldus verò Floriacensis Reliquias tantum : cur veritatem nutare ab Itali tantum parte velis, quum non minùs simulare potuerint Casinates, quàm Franci dissimulare singula recuperata, pro suorum Cœnobiorum honore? Accedit, quòd ipsius Pauli Diaconi verba, à Gallis pro se prolata, innuere videntur, restituta Casinatibus sacra Corpora. Imo idem Paulus *in Homilia de S. Benedicto*, dum Casini degeret, scriptâ, auctor est, suis temporibus hominem mutum, & surdum usum linguæ & aurium recepisse *ad sacratissimum Corpus S. Benedicti.* Mabillonius in Annal. Benedict. ad ann. 797. censet, id *sine dubio* intelligi de corpore Floriaci posito. At Paulus suos Casinates ibi alloquitur, & ipsos ejusdem miraculi testes appellat. Neque Casinates cum Floriacensibus versabantur. Leo etiam Ostiensis miraculum hoc ibi patratum disertissimè scribit.

Gallorũ rationes elevat.

„ Denique magnum momentum ad hujus rei elucidationem conferre poterit, quod nunc subdam. Paulus Diaconus Lib. 6. cap. 2. Hist. Longobârd.

Momentum grave ex Paulo Diacono.

„bard. omnium gravissimus testis est, verè expilata per Floriacenses ossa S. Benedicti fuisse, eáque in Galliam asportata. Id Paulus disertè affirmat, quamquam subsequentibus verbis, ut *Angelus Nuceus* contendit, affirmare rursus videatur, idem S. Benedicti Corpus Casini adhuc adservari. Ego locum Langobardicæ Historiæ in antiquissimo Codice MS^to^ Ambrosianæ Bibliothecæ per Clarissimum & amicissimum Virum *Josephum Antonium Saxium* ejusdem Bibliothecæ Præfectum, attentè considerandum curavi. Rescripsit ille, in editis quidem Pauli libris legi: *Circa hæc tempora cum in Castro Casino, ubi Beatissimi Benedicti sacrum corpus requiescebat &c.* at in Ambrosiano Codice legi: *ubi Beatissimi Benedicti sacrum corpus* REQUIESCIT. Si germana hæc Pauli lectio est, vides, ipsum quidem fateri furtum, ad simul innuere Restitutionem factam; quod & in Chronico nostro contenditur. Certè hujus unius vocis mutatio Paulum totum eripere Floriacensibus potest. Quod si restitutum sacrum illud Corpus Casino Paulus apertè non scribit, id factum, quia Langobardicam Historiam usque ad annum 754. minimè ille perduxit. Si Librum perfecisset, fortassis & hoc ibi legeremus expressum. Quare suspenso quidem gradu procedendum est Eruditis in amplectenda Anastasiana hac narratione; sed & ab eadem rigidè atque omnino exsibilanda abstinendum fortassis est, quum Pauli Diaconi auctoritas re consentire „ cum hoc Scriptore videatur. „

Anastasii narratio suspecta. „ Dixi tamen narrationem hanc ab Anastasii illius ævo abhorrere, quando ipsum velimus hæc scripsisse anno Christi 754. Nam occurrunt nonnulla, imo complura, quæ recentioribus seculis aptiùs conveniunt; qualia sunt intentata tam facilè à Romanis Pontificibus Anathemata ipsis Francorum Regibus, quòd Floriacenses & Cenomanenses non cogerent reddere Reliquias sublatas. Præterea illorum Regnis denuntiatæ Interdicti Ecclesiastici minæ: qui mos tantùm invaluit post millesimum annum à Christo nato, antea perquàm rarus. Denique cum Seculo VIII. nullo pigmento componere possis Populorum *Lotharingorum* memoriam, quum constet, tunc ignoratam terris hanc appellationem fuisse. Reliqua prætereo. Leo autem Marsicanus Cardinalis Ostiensis Lib. 2. cap. „22. Chronici Casinensis auctor est, „ Henricum I. Imperatorem Sanctum an. 1022. Casinum advenisse, ibíque non uno miraculo certiorem factum, quòd illic B. Benedicti Corpus veraciter requiesceret, *ubicunque postmodùm scripturam Translationis ejusdem B. Patris reperire potuit, flammis exussisse.* Pergit dicere Marsicanus, optimum illum Augustum *ex ipsius falsæ Translationis serie rationabiliter ostendisse, hæc frivola esse, ac conficticia, dum sicut ibi refertur, unus idémque Angelus & illos hortabatur ad surripiendum, & Romanum Pontificem instigabat ad persequendum, rursúmque illis insistebat ad fugiendum.* His verbis ne puta, Anastasianam narrationem Translationis impeti. Feriunt illa Adrevaldi, Aimoini, & reliquorum Floriacensium Historiam, ubi contraria hæc prodigia legas, quæ judiciosâ sanè censurâ Leo Marsicanus explodit. Itaque si in Libello, quem edimus, de Restitutionis negotio ficta & somniata legere tibi videris, ne ab hujusmodi quidem censura immunem se præstat Floriacensium Monachorum de Translatione assertio.

An Casinatis Monachi vera sit aut falsa. „ Quod restat, in eam pendeo sententiam, Historiam hanc à Casinate quopiam Monacho post millesimum à Christo nato annum fuisse concinnatam. Vera ne is tradat, an mera figmenta dederit de reportatis ad Montem Casinum SS. Benedicti, & Scholasticæ ossibus, in medio relinquo. Sed sive vera, sive falsa referat, narrationem suam ornâsse, sive infucâsse videtur miraculis, Bullis, & concionibus ad rei opportunitatem fero à se compositis. *Anastasii* verò *Bibliothecarii* inscriptionem ab alio potiùs, quàm ab ipso, adjectam, ut major fides Historiæ Translationis accederet, veri simile puto; quippe post ipsius Translationis seriem, quæ sequuntur, nemo negabit, quin ab uno eodémque Scriptore procedant. Quei ergo se *Anastasium*, nempe Virum viventem anno Christi 754. effingere se ille voluerit, aut potuerit, qui Historiam Casinensem ad tempora usque Bertharii Abbatis deducit, hoc est ad annum circiter 857? Præterea in plerisque cum Leonis Ostiensis Historia Chronicon istud graditur, ut conferentibus patebit. Attamen, qualiscunque sit hic fœtus, certè antiquus, non ingratum Lectoribus reor, si in publicum diem efferatur, tum quòd ad Historiam Casinensis monasterii aliquid conferat, „tum quòd ad examen implicatissimæ

„Quæstionis, ubi nunc conditum jaceat S. Benedicti Corpus, hæc quoque sint adhibenda. Dixi, Opusculum hoc desinere in Bertharii Abbatis Vitam; sed suspicari jure possumus, non illic constitisse Scriptorem, ipsumque alia addidisse, quæ temporis injuria exciderint. „ Hactenus V. C. Lud. Ant. Muratorius de Translatione Corporis S. Benedicti.

Quid ea de re sentiat Quirinus.

Eminentissimus Cardinalis QUIRINUS in descriptione * literariæ suæ peregrinationis per Galliam pridem institutæ testatur, se celebrem adiisse Abbatiam Floriacensem, quò Galli translatum autumant è Casinensi Monasterio à Longobardis jam everso, Corpus S. Benedicti. A Monachis illis humanissimè exceptus, haud tamen omisit acriter propugnare Casinatum suorum causam, quòd memoriæ ipsius fixa hærerent, quæ Angelus de Nuce, aliique de eo argumento eruditè & solidè prodiderant.

Controversia de reliquiis S. Dionysii.

Non absimilis ferè contentio multis abhinc jam seculis viget inter S. Dionysii in Gallia, & S. Emmerami in Germania Cœnobitas. Utraque pars S. Episcopi & Martyris Reliquias se possidere asseverat. San-Emmeramenses nituntur auctoritate S. Leonis IX. qui publicis declaravit tabulis (quæ hodie leguntur, & subscribi possent, nisi apud Baronium extarent) servari Ratisponæ S. Dionysii corpus furto per Arnulphum Imperatorem Parisiis olim sublatum, indéque Ratisponam deportatum. Sed contrà *Rigordus* Historicus gente Gallus, qui sub *Philippo* Ludovici F. scripsit, exertè obnititur, docétque S. Dionysii pignora custodiri Lutetiæ, nec unquam fuisse inde sublata, lireras esse confictas à Bojis, *quod mihi*, inquit CAROLUS STENGELIUS **, Abbas perdoctus, *procul à verâ videtur ratione abesse. Quæ enim causa Bojos adegisset? aut quorsum illa opinio gentem invasisset, si non Imperator ipse Arnulphus corpus in Bavariam transtulisset? an ut umbram Dionysii, vel cærula cæli adorarent?*

Mabillonii argumentum negans.

MABILLONIUS, cùm itinere literario in Germaniam instituto Ratisponam ad monasterium S. Emmerami pervenisset, insignem Evangeliorum Codicem, mandato Caroli Calvi optimè scriptum sibi ostensum fuisse his verbis perhibet: *Hunc librum ex Parisiensi sancti Dionysii monasterio unà cum sancti Martyris corpore furtim sublatum, donoque Arnulfo Imperatori, atque ab eodem Ecclesiæ S. Emmerami traditum asserunt. At mirum est, inquiebam*, ARNOLFUM *ejusdem cœnobii ex Comite monachum, qui sub annum millesimum scribebat, meminisse istius codicis ab Arnulfo concessi, nulla corporis S. Dionysii mentione facta.* „ Est hoc præcipuum *Mabillonii* argumentum merè negativum, cujus quanta sit vis, si loco debito adhibeatur, Critici non ignorant. Illud tamen antiquæ San-Emmeramensium traditioni nihil officere, V. C. *Bernardus Pezius* contendit. Ipse enim est, qui ex ejusdem Asceterii Bibliotheca vetustissimum eruit fragmentum, quód Thesauri Anecdotorum Tomo III. Parti II. col. 400. inseruit. In hoc Translatio Corporis S. Dionysii è Francia in Germaniam ad monasterium S. Emmerami disertim asseritur. Porrò fragmentum hoc Opusculis *Othloni*, qui anno MXXXII. ejusdem loci monachus factus fuit, intextum, ejusdem seculi XI. manû, qua illa, exaratum est, ut adeò vix dubio locus sit, ab eodem Auctore profecta esse, præsertim cùm aliis nihil in toto codice insit, quod non sit certissimè Othlonianum. *Quantum verò momenti*, inquit Pezius, *hoc Fragmentum in celebri illa de Translatione Corporis S. Dionysii ad monasterium Emmeramense afferat, nemo ignorat, qui præcipuum Mabillonii argumentum, à silentio Arnulphi seu Arnolphi Comitis in Dialogo de Miraculis S. Emmerami &c. petitum rectè unquam expendit.* „ Verùm id argumentum hoc fragmento immensum quantum infirmatur. Cùm enim ipse Mabillonius, Tom IV. Analect. p. 403. fateatur, *Othlonum* Arnolpho æqualem extitisse, quid traditiooi Emmeramensium obsit silentium Arnolfi de præsentia corporis S. Dionysii, quam Arnolpho synchronus, pietatéque ac doctrina si non major, certè par Othlonus apertè prædicat? „ Hæc *Pezius*, qui alia deinde rationnm subjicit momenta, quibus suam corroborat assertionem. In fine verò addit: *Sed ad hanc universam rem accuratè pertractandam, non tumultuaria quædam observatio, sed vix integrum volumen satis fuerit.* Mihi palàm fecisse sufficit Monachos San-Emmeramenses nec mendacio finxisse, nec imprudenti levitate credidisse, Reliquias S. *Dionysii* è Gal-

à Bernardo Pezio refellitur.

* In Commentar. vitæ lib. 2. c. 9. p. 214.
** Monasteriolog. part. I. in Monasterii S. Emmerami Historiâ.

è Gallia in Germaniam ad suum Ascetcrium fuisse translatas.

Launoii infulsum dicterium. Quamquam si *Launoium* audimus, hâc de re disputandum non sit: litem siquidem inter San-Dionysianos & San-Emmeramenses Cœnobitas *ludicrum & umbratile certamen* vocat, quòd in eo versetur, *ut utriusque monasterii monachi fraudis & imposturæ dicam sibi mutuò scribant, & ad probandum hoc crimen instrumenta contraria insumant.* Quid verò insulsius atque injuriosius ab importuno hoc Aristarcho dici potuit, qui aliis id genus pugnas frequentes sine necessitate dedit? Certè *Launojo* nec prudentia & judicio, nec doctrina & omnis eruditionis genere inferior fuit *Joannes Gregorius Eckart*, qui tametsi Monachus non fuerit Benedictinus, litem tamen hanc inter utriusque monasterii Cœnobitas multis jam seculis agitatam suo examine non indignam judicavit. Optarem, ut celeberrimi hujus Scriptoris *Historia rerum Francicarum* duobus comprehensa Tomis in omnium Sodalium nostrorum Bibliothecis extaret; multarum enim rerum scitû dignarum, atque ad Historiam Benedictinam attinentium ex ejus lectione comparare sibi possent; sed cùm non nesciam, in permultis eam desiderari, non defugiam gravem transscriptionis laborem (Amanuensem enim non habeo) atque *Eckarti* Disquisitionem * bene tametsi longam hîc subjiciam.

Eckardi disquisitio Critica de ossibus S. Dionysii. „Erat hac tempestate (anno 893.) omnibus persuasum, illum S. Dionysium, cujus ossa in Monasterii S. Dionysii Basilica apud Parisios asservabantur, esse ipsum *S. Dionysium Areopagitam.* Ingens ideò ejus veneratio: & *Gisalberto* cuidam *Bajoario* cupido eadem de causa incessit, hunc thesaurum Gallis auferendi, & in patriam suam transferendi. Res successit secundùm vota, & ossa Martyris hujus Ratisbonam tandem venere. Ratisbonenses postea non sine causa gloriati sunt, se possessores sacri hujus corporis esse. Cùm verò illud ex metu, ne ipsis à malevolis eriperetur, aut, ut postea repetemus, ab Hungaris profanaretur, recondito loco depositum esset, locus ille sensim ignoratus est. Literarum tamen monumenta varia, picturæ parietum & sculpturæ vetustissimæ aderant, quibus docebatur, idem in Basilica S. Emmerami esse. Reginhardus Abbas, ecclesia S. Emmerani combusta, omne studium impendebat, ut restauraretur. Cùm rudera materiésque collapsa efferretur, anno 1052. inventi sunt tres lateres muro inclusi; in uno lectum est: EMMERANVS AQVITAN. DIONYSIVS AREOPAG. HIC REQVIESCIT. SVB ARNVLPHO IMPERATORE ET ODONE R. In altero; SVB EBVLONE ABBATE MON. SCI DIONYSII GISALBERTVS FVRAVIT. In tertio. FVRATVS EST V. N. IVL. HVC VENIT II. N. DECE. TEM. TVTON. EPI. Sic inscriptiones hasce ex ipsis lateribus exscriptas COELESTINUS Abbas S. Emmerani in Mausoleo S. Emmerani publicavit. Exemptis ex muro his lapidibus, duæ capsæ apparuerunt; quibus apertis in una Caput S. Dionysii, in altera reliqua ossa ejusdem reperta sunt. Addita erat membrana cum relatione: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus, quod hic est corpus sanctissimi Dionysii, qui à loco Areopagitæ, patriotico Jonius, Christiano autem agnomine est appellatus Macharius, à S. Paulo Apostolo Atheniensium ordinatus Archiepiscopus, Apostolica auctoritate B. Clementis Papæ universalis totius Galliæ constitutus Apostolus pro fide Christi sub Domitiano Cæsare, Præfecto Sisinnio, VII. Idus Octobris gloriosum martyrium perpetravit usque ad locum, in quo nunc Dei dispositione requiescit humatum, sine cessatione te laudans & dicens: Gloria tibi Domine.* Hæc scilicet tunc piè credebantur. Venit anno 1052. Ratisbonam LEO *Nonus* Pontifex Summus, ossáque & monumenta Sancti ipse inspexit, ac genuina esse vidit. Monachus Hamerslebiensis apud Leibnitium Script. Brunsv. T. I. pag. 709. ex Chronico quodam in anno 1126. desinente, excerpsit hæc de Leone IX. verba: *Ratisponæ verè haberi Reliquias S. Dionysii confirmavit.* Annalista Saxo, qui Chronicon suum in anno 1139. finiit, sub an. 1052. de Leone scribit. *Qui Papa veniens Ratisponam, Reliquias B. Dionysii Martyris, de quibus diu dubitatum, præsentibus Parisiorum Legatis perspexit, ibique haberi probavit.* Eadem verba habet etiam Chronographus Saxo, cujus Annales in anno 1188. desinunt; & *Hermannus Cornerus* Lubecensis in Chronico, quod in anno 1435. terminatur, ubi tamen verbis *de Leone* laudatis addit: *& Literis suis testimoniū veritati* perhibuit. Hic verò Cornerus se sua ex *Vincentii Bellovacensis* Speculo desumsisse testatur. Idem Cornerus sub anno 898. dicit: *Arnulphus Imperator, secundùm Sigibertum, S. Dionysium*

Inscriptio antiqua. Relatio ex membrana. Leonis IX. de translatione S. Dionysii sententia testimoniis veterum firmata.

* Tom. 2. lib. 32. pag. 739. seq.

Are-

Areopagitam de Gallia transtulit in Ratisponam, ubi nunc corporaliter quiescit, quanquam Franci mentientes dicunt, se corpus illud sanctissimum habere, non obstante testimonio, & diffinitione Leonis Papæ, quæ sub bulla Ratisponæ habentur. Bullæ hujus initium etiam affert. In vulgatis exemplaribus *Sigeberti* Gemblacensis nihil quidem de S. Dionysio Ratisbonam translato habetur: fuisse tamen Codicem, in quo hæc lecta sint, Cornero credimus. Lerbecius in Chronico Mindensi sub Episcopo Drogone ait: *Hic Arnulphus anno Imperii sui IX. corpus S. Dionysii Areopagitæ de Gallia in Ratisponam Theutoniæ transtulit, ubi nunc requiescit, & hoc Leo IX. Papa Bulla sua protestatur.* Andreas Ratisbonensis in Chronico, anno 1422. absoluto, de Leone: *Hic etiam*, inquit, *rogantibus Parisiorum Legatis litem, quæ inter civitatem Ratisponam & Regnum Francorum du erat de Reliquiis S. Dionysii Areopagitæ, quæ illuc translatæ fuerant ab Arnulfo Imperatore, determinavit, & eas apud S. Emmeramum haberi probavit.* Potiora deinde ex literis hac de re *Leonis* ad Henricum Galliæ Regem scriptis subjicit.

Ejusdem literæ desuper editæ A. 1052. Ex his aliisque testimoniis liquidò apparet *Leonem* Ratisbonæ Reliquias S. Dionysii inspexisse & probâsse; hancque rem publicè statim per omnem Germaniam divulgatam, & à Scriptoribus diversorum locorum annotatam fuisse. *Gewoldus* in Additionibus ad Hundii Metropolim Salisburg. Tom. I. pag. 169. literas Leonis IX. refert, sed exactiùs easdem ediderunt Baronius sub anno 1051. & Cœlestinus Abbas in Mausoleo S. Emmerani pag. 40. seq. Integras recitare lubet: *In Salvatoris nomine Jesu Christi Amen. Leo Episcopus servus servorum Dei charissimo filio inclyto Regi Francorum, & Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis in Christo filiis Abbatibus, Prioribus, Præpositis & Decanis universisque tam Subditis quàm Prælatis ejusdem Regni salutem & Apostolicam benedictionem. Deus omnipotens, qui non immeritò per Prophetam in Sanctis suis esse mirabilis prædicatur, mira quadam inscrutabilis consilii sui profunditate disponit, quæ dum considerare non sufficit mens humana, ipsa sumet infirmitate deficiens, in quendam sui excessum rapi cogitur, & stuporem. Quod ipsi nuper experti & vobis in Christo charissimis & universitati fidelium promulgare compellimur, ut & Dei opera pariter admiremur. Nam cum per instantiam serenissimi Imperatoris Henrici ad partes Germaniæ visitandas, ac præcipuè ad urbem, quæ dicitur Ratisbona, vel Regensburg, evocati essemus, ad venerabile corpus B. Wolffgangi ejusdem urbis Episcopi transferendum, hoc ea, qua debebat reverentia & devotione peracto: Tui, Francorum Rex, in Christo fili charissime, nomine Legati tua tuorumque omnium vice solicitè rogaverunt, quatenùs litem, quæ inter vos & urbem prædictam super sacrosanctis ossibus beatissimi Dionysii Areopagitæ fuerat diutissimè ventilata, veritate discussa dirimere curaremus: Vobis quidem eadem apud vos esse dicentibus, civibus autem aut incolis urbis præfatæ astruentibus, ea per invictissimum Arnulfum quondam Imperatorem ad Ecclesiam B. Martyris Emmerami esse translata, ibidémque deinceps contineri: quæ quidem inibi sita est, atque ab omni subjectione & jurisdictione libera & exempta ad jus & proprietatem B. Petri Apostolicæque Sedis immediatè pertinere dignoscitur, oblatione videlicet Excellentissimi Romanorum Imperatoris Caroli Magni ac posterorum ipsius, qui eidem hactenùs successerunt, seu in Imperio, seu in Regno. Idipsum nihilominus Venerabilis Abbas Reginhardus ac Fratres ejusdem Ecclesiæ, cum universitate Ratisponensi instantissimè petiverunt fieri. Nos ergo utriusque partis precibus inclinati, nec volentes ulteriùs corda fidelium dubii hujus ambiguo caligare, in Fratrum nostrorum ac plurium Episcoporum præsentia & conspecta scriptura Arnulfi Augusti, ordinémque rei diligentissimè perlegentes, nec eo contenti, capsas, thecas, & scrinia, in quibus sacræ Reliquiæ conditæ dicebantur, ac titulos & epigrammata eorundem oculo tenus solerti examinatione discutiendo, nihilque omittendo, quod ad indagationem certitudinis pertinet, tam Imperialibus quàm Papalibus antecessorum nostrorum literis sufficienter instructi: picturis quoque parietum multiplicibus & sculpturis vetustissimis exprimentibus indicia veritatis & notas indubitata fide comperimus; dicti Doctoris & Martyris ossa venerabilia, excepta particula unica similiter & minima manus dextræ, apud B. Emmerami Cœnobium integraliter contineri. Etenim ne testimonia hominum, quæ jam diximus, non sufficerent, divina quoque non defuère prodigia & portenta, quæ dubium omne penitus abegerunt: quæ nos quoque conscribi jussimus diligenter, vobísque transmitti per vestros Nuntios & Legatos*

gatos, nec non apud prædictam Ecclesiam conservari, ut & apud posteros gestæ rei notitia deducatur, & ulteriùs litigandi materia penitus conquiescat. Insuper etiam districtè præcipimus, statuentes, ut translationis ipsius veneranda solemnitas, tam à fratribus ejusdem Ecclesiæ, quàm ab universis urbis jam dictæ annis singulis cum omni jucunditate & gaudio celebretur, totáque tripudiet regio Germanorum tanti Patris atque Patroni adventui non ingrata. Vos autem, in Domina Fili dilectissime, Rex Francorum, tuíque fideles, quamvis invidendi Teutonæ gaudio videamini quidem habere justam materiam, ita ut meritò putetis de Alemannorum vobis lætitia esse dolendum: considerantes tamen & Dei omnipotentis & invicti Martyris sui voluntatem, quem ablatum plangitis, consolationis tamen admittite placamentum: pensantes attentiùs, quòd nec vobis totus ablatus est, quippe qui charissimos prædicationis suæ & passionis consortes Rusticum & Eleutherium in dilectionis adhuc & tutelæ pignus & rei certitudinem dereliquit: Nec dolete, si Germanos jam visitare dignatus est vel defunctus, qui vobis adhuc vivus prædicavit, cursum consummando, fidem servando, triumphum peregit virtuosissimæ passionis, Apostolatûs sui super vos figura tam in vita perficiens, quàm in morte. Cur igitur Alemanniam ipsius ossa fovere non permittatis in solatium & tutelam, quem vobis Athenæ, ut Christo lucrifaceret vos, vivum recipere, audire & cœlo transmittere permiserunt? Accedet nihilominùs consolationis & alia ratio, auctoritas scilicet & excellentia subtractoris. Pretiosum vos quidem thesaurum perdidisse fatemur, sed Ablatoris attendite dignitatem, simúlque Patris & Apostoli vestri gloriæ congaudete, qui cùm vos meritorum atque doctrinæ suæ gaza ditavit, ut Reliquiarum suarum saltem & ossium pretiositate locupletaret Teutonicas apothecas, tam devotum sui corporis furem habuit, quàm insignem, auro utique atque topazia meliorem; qui sui valore ad ossa sanctissima subtrahenda Cæsareum etiam verticem inclinavit; Nec majestas Imperialis, nec regia celsitudo pii furis hic notam aut nomen eruduit in Arnulpho, dummodo B. corporis exuviis vel doli vel furti vel sacrilegii modo sacrari atque ditescere mereretur: & qui fures & sacrilegos solitus erat condemnare, dummodo Macarii Dionysii pretioso corpore frueretur, fur ipse hic fieri & sacrilegus non contempsit. Cujus insuper fides & devotio dubium etiam omne per hoc penitus amputavit; quod non in ipsa Roma, non in quacunque Metrapoli, non in urbe qualibet regni vel arce sibi studebat eligere sepulturam, sed ubi suum se Dionysium condidisse, & scivit & lætabatur: suo se sperans patrocinio defendendum & resuscitandum in die novissimo cum beatis. Præsentibus igitur dilectionem vestrâm monemus attentiùs & hortamur, in Domina quaque præcipientes, quatenus beatis Rustico & Eleutherio contenti, non fallentes vosmetipsos & alios, beatissimi Dionysii ossa in urbe Ratisbona apud Ecclesiam S. Emmerami Martyris & noscatis & fateamini coruscare. Datum & actum Ratisbonæ per manus Friderici Diaconi, Bibliothecarii & Cancellarii S. R. E. Catholicæ & Apostolicæ** anno Domini MLII. indict. V. (aliàs XV.) Non. Octobris &c.*

Baronius ad annum 1052. easdem has Leonis IX. literas ex Antonii Augustini scriptis veteribus Pontificum Romanorum exhibuit, & hoc eorundem datum protulit: *Datum & actum Ratisbonæ per manus Friderici Diaconi Bibliothecarii & Cancellarii Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ anno Domini MLII. Pontificatus domini Leonis Papæ IV. Indict. VI. Nonas Octobris.* Sed Mabillonius ait, literas has suppositititias esse, & hoc vel ipsam contextûs lectionem persuadere, stylúmque, qui omninò à Pontificiis *Leonis*, aliorúmque Romanorum literis alienus sit. *Ast Leonis plures Bullas cùm legerim, observavi, ipsum utique alia, quàm priores Pontifices fecerant, stylo uti:* Nec Bulla est, Charta hæc *Leonis*, sed Epistola ad Regem Clerúmque & populum Galliæ perscripta. Falsum esse putat Mabillonius, quod in ea legitur, causam hanc *diutissimè ventilatam* fuisse: quoniam ante hoc tempus apud veteres nulla de hac controversia mentio reperiatur. Sed temporum illorum Scriptores adeò steriles & sicci sunt, ut plura notatu dignissima, & majoris utique momenti indicta prætermiserint. Certatum tamen inter Gallos & Germanos fuisse de *S. Dionysii Reliquiarum possessione*, satis constat ex iis, quæ paulò inferiùs proferemus. *Falsum est*, inquit Mabillonius, *Leonem ad id discutiendum tam imperialibus quàm Papalibus antecessorum suorum literis instructum fuisse. Quis enim unquam has Imperiales & Papales literas protulit?* At periisse potuerunt. *Literæ* præterea *Imperiales* interpretari possunt de membrana in capsa juxtà Reliquias reperta, quam Ratisbonenses pro

Literas has de falsitate postulat Mabillon.

sed ejus argumenta infirmantur.

* Alibi legitur, *Dilectissimi Filii*... ** In recens editis paulò aliter habet datum &c.

pro testimonio propria Arnulfi Imperatoris manu scripto venditârunt, qua in re LEO ipsis credidit. An vox *Papalis* Germanica, nec aliàs hoc ævo usitata fuerit, nescimus. LEO tamen natione Germanus eâ uti potuit: aut illa à librariis substituta est in describendo: *Mabillonius* ipse multoties diplomata à librariis corrupta & interpolata profert, & remotis vitiis ea pro genuinis habet, atque ad probandas suas sententias adhibet. Cùm vocem *Papalis* Germanicam esse dicat Mabillonius, miror eum hanc impugnare; cùm non impugnet Bullas *Leonis IX.* annis Christi notatas; sed Rei Diplom. Lib. II. pag. 185. Leonem iis usum esse statuat, *quia ex genere ortus Germaniæ Imperatorum*, qui annos Incarnationis usurpabant, & *Tulli Episcopus* fuerit, ubi frequens usus hujus calculi erat, ac demùm, quia *Cancellarium habuerit Primicerium Tullensem*; qui ejusmodi calculo assuetus erat. Hac in re si sequi potuit morem Germanorum, cur non potuisset etiam, ut illi, voce *Papalis* uti? Voces *Alemannorum* & *Alemanniæ*, quæ in his literis occurrunt, *posteriorum temporum genium* sapere existimat idem Mabillonius. Ast Galli, quia ex Germanis Alemaños vicinos maximæ habebant, jamdudum *Alemaniæ* nomen Germaniæ omni tribuerunt. Leo Germanos aliquoties nominat, sed ex Regis Galliæ literis *Alemannorum* & *Alemanniæ* appellationem desumsit, quippe qui scripserat, *sibi de Alemannorum lætitia dolendum esse*, séque *Alemaniam* S. Dionysii *ossa fovere non permissurum*. Cùm igitur ad hæc responderet Leo, verba ipsa, quibus Rex usus erat, retinuit. Falsum porrò Mabillonius esse dicit, corpus S. Dionysii ab Arnulfo Imperatore translatum esse. Falsum hoc esse & ipsi agnoscimus. Sed Leonem traditio Ratisbonensium avita in hunc historicum errorem seduxit. Ratisbonenses cùm in latere suprà recitato legissent, tempore Arnulfi Imp. furatum esse S. Dionysium, hoc ab ipso Arnulfo factum esse putârunt, qui tamen Lutetiam Parisiorum nunquam venit. Exclamat Mabillonius: *Qualia verba Leonis Papæ ad Heinricum Francorum Regem, quibus eum ob hanc subtractionem solari conatur? qualis sermo Pontificis, ut Arnulfi furtum approbet?* Fateor, hunc sermonem nostris temporibus non convenire: convenit tamen temporibus illis, quibus *Leo IX.* vivebat. Iis enim & diu etiam ante illa, furta Reliquiarum inter crimina non referebantur, ut tot *Reliquiarum fures*, à viris piissimis, Episcopis & Abbatibus sanctitate sua conspicuis adamati & æstimati ostendunt. Legenti *Eginbardi* libros de Translatione S. Petri & Marcellini, Rudolfi Monachi, Vitam Rabani Mauri Abbatis Fuldensis, Sigeberti Vitam Theoderici Episcopi Metensis, aliósque Scriptores hæc satis supérque probabuntur. Ex his enim longus admodùm Furum Reliquiarum insignium catalogus facili negotio confici potest: nec ii propterea sunt culpati, sed laudati atque amplè remunerati. Ego potiùs in literis Leonis censoria virgula notâssem initium earum: *In Salvatoris nomine Jesu Christi Amen*, quod Pontificiæ Epistolæ inconveniens, nec aliàs à Leone adhibitum est. In Corneri tamen exemplari hæc formula non extat. In dubium quoque vocâssem, *annum Domini MLII.* in Dato additum. Licèt enim sciam & jam dixerim, à Mabillonio asseri, *Leonem IX.* omnium Pontificum primum, annos Incarnationis aliquando in Bullis adhibuisse; nullam tamen hactenùs Bullam autographam atque extra suspicionem falsi positam observavi, in qua annus incarnationis fuerit expressus. In apographis illum à librariis adjectum esse, magna suspicio est. Locutio etiam *Datum & actum Ratisponæ* displicet, nec cum cæteris Leonis Bullis aut Epistolis congruit, in quibus præterea passim additur: *Vice Domini Hermanni Archicancellarii & Coloniensis Archiepiscopi...* Sed hi nævi à librariis sciolis venire potuerunt. Res ipsa certa est; & litem fuisse inter Ratisbonenses & Gallos de vera corporis S. Dionysii possessione, ea ipsa clarissimè demonstrant, quæ Mabillonius sub anno 1051. longo ôrdine profert. Henricus Rex Galliæ credidit omninò, S. Dionysium ab Arnulfo Imp. furto sublatum esse, unde illum repopoſcit, & Leoni, cui idem persuasum erat, occasionem dedit, idem furtum mollibus verbis excusandi. Legatis verò Henrici in Galliam reversis, Monachi Dionysiani asseruisse videntur, ossa Sancti sui nunquam ablata fuisse; sed adhuc integra in sua Basilica conservari. Unde visitatio exacta & solennis decreta, quam Mabillonius, à Quercetano Script. Francic. T. IV. p. 157. seqq. ex veteri auctore exhibitâ in compendio sistit. Ipsis ejus verbis eam describemus: *Ubi*, inquit, *ex nuntiis rescivit Henricus Francorum Rex, quæ Ratisponæ anno superiori acta fuerunt, inventum scilicet fuisse in Basilica S. Emmerami quoddam corpus, quod S. Dionysii Parisiorum Episcopi esse*

Ratis-

An voces Alemannorum & Alemanniæ sint posteriores illo ævo.

Reliquiarum furta antiquitùs usitata.

An Bolus Pontificum addidit sint anni incarnationis.

Reliquiarum S. Dionysii sic visitatio Henrici Galliæ Regis jussu Decreta.

Ratisponenses jactitabant, ne hæc opinio serperet latiùs, demúmque invalesceret, loculum, in quo S. Dionysii corpus in ejus monasterio servabatur, publicè reserandum, ejúsque sacras Reliquias frequenti multitudini ostentandas curavit. Hujus rei causa per Hugonem Dionysianum Abbatem, Episcopos, Abbates, & Clericos auctoritate Regia ad hanc solemnitatem convocari jussit. Præmissis jejuniis, ad condictum diem, id est, ad V. Idus Januarias, convenit Episcoporum, Abbatum, Clericorum, & promiscui sexûs plurima multitudo. Illic etiam vice Regis adfuit Odo ejus frater cum multis proceribus. S. Dionysii duorúmque ejus sociórum corpora in scriniis argenteis, jussu Dagoberti Regis fabrefactis & diligenter obseratis, ad id tempus reposita erant post altare in crypta multæ profunditatis, & reclusa in alia cryptula auro & gemmis extrinsecus decorata, in qua sub duabus feris etiam Christi Domini clavus & corona simul asservabantur. Prolato in medium scrinio, in quo S. Dionysii corpus reconditum erat, & non sine difficultate reserato, reperta sunt sacra ejus ossa, obvoluta pallio tantæ vetustatis, ut inter manus tenentium in pulverem redigeretur. Extracta è loculo ossa circumstantibus ostensa fuêre, aliòque involuta pallio, quod Rex eo præmiserat. Tum solenni pompa deportatum sacrum corpus, quod per quindecim continuos dies super Altare princeps expositum fuit. Rigordus Dionysianus Cœnobita in Vita Philippi Augusti meminit hujus detectionis, cui interfuêre ex Episcopali ordine Wido Remensis & Robertus Cantuariensis Archiepiscopi; Imbertus Parisiorum, Elinandus Laudunensium, Balduinus Noviomensium, Walterius Meldensium, & Frælandus Silvanectensium Episcopi cum suis Clericis & familiaribus. Ex ordine Abbatum Hugo sancti Dionysii, Albertus majoris Monasterii, Johannes Fiscamni, Landericus S. Petri Carnutensis, Rotbertus Ossatensis, Rodulfus Latiniacensis, & Ganfredus Columbensis Abbates, cum suis Monachis. Adfuit etiam Adalbertus S. Remigii Monachus, qui Ratisponæ præsens fuerat, cum vulgatum illud corpus incerti hominis inventum est, Imperatori contestatus, Corpus S. Dionysii in sua æde adhuc superesse. Denique ex laicali ordine aderant Odo Regis frater, Walterius Pontisarensis, Willelmus Corboilensis, Ivo Bellomontensis, & Walleramus Mellentensis Comites, aliique Nobiles, ac plurimi gregarii milites. Rigordi ipsius verba etiam adjicere placet. *Iste Henricus Rex, inquit, auditis rumoribus, quòd in Alemannia in civitate Ratispona, in Abbatia S. Emmerani Martyris inventum fuit quoddam corpus, quod dicebant esse S. Dionysii Areopagitæ: misit nuntios suos ad Henricum Imperatorem cum Literis suis, ut diem elevationis illius corporis protelarent, quousque per certos nuntios, utrum corpus hieromartyris Dionysii Areopagitæ Athenarum Archiepiscopi, discipuli Apostoli Pauli, in Francia, in Ecclesia, quam Dagobertus fundaverat, esset vel non, plenissimè certificarentur. Quo audito, Imperator misit magnos viros & sapientes in Franciam, ut plenè rei veritatem agnoscerent. Visis nuntiis Imperatoriis, Henricus Rex convocavit Archiepiscopos, Episcopos, & Barones totius Regni, & cum Odone charissimo fratre suo ad Ecclesiam beatissimi Martyris Dionysii misit. Facta autem oratione, allata sunt tria vasa argentea, Dionysii, Rustici, & Eleutherii coram omni populo, diligentissimè sigillata. Et aperto vase beati Martyris Dionysii, totum corpus ipsius cum capite inventum est, exceptis duobus ossibus de collo, quæ sunt in Ecclesia Vergiacensi, & os quoddam de brachio, quod Stephanus Papa Tertius secum ad Romanam portavit Ecclesiam; & posuit in Ecclesia, quæ hodie Schola Græcorum vocatur. Hoc videntes universi populi cum lacrymis & suspiriis puras manus levantes ad Dominum, Deo & beatæ Mariæ Virgini, & SS. Martyribus se commendantes, cum gaudio recesserunt. Tunc Nuntii, qui missi fuerant, citissimè revertentes, super his, quæ viderant & audierant, Imperatorem plenissimè certificaverunt. Hoc fuit factum tempore Leonis Papæ Noni. Anno Domini millesimo quinquagesimo [tertio]* Similia his HAIMO quoque Monachus Dionysianus profert in libello peculiari de hac visitatione Reliquiarum S. Dionysii, quem ineditum Mabillonius sec. V. Benedict. p. 113. excerpit, & annotat, detectionis hujus Reliquiarum S. Dionysii festum quotannis in Ecclesia Dionysiana celebrari. Ex his verò relationibus certissimè apparet, Henricum Galliæ Regem, causa corporis S. Dionysii Ratisbonæ inventi, Legatos in Germaniam misisse, inter quos *Adalbertus S. Remigii Monachus* fuit: certum etiam inde fit, pronuntiatum esse contra Gallos, & assertum, Ratisbonenses genuinum corpus apud se habere: Germanos, ut Rigordus vult, vicissim Legatos Lutetiam Parisiorum misisse, ut & ibi corpus S. Dionysii prætensum inspicerent, incertum est, cùm prior relatio & *Haimo* de his Legatis nihil commemorent. At, inquis, in visitatione à Gallis instituta

Rigordi ea de re testimonium.

Haymonis Monachi S. Dionysii libellus peculiaris de eadem visitatione.

ossa S. Dionysii in ejus Basilica restare constitit; ea enim reserato scrinio inventa & populo ostensa sunt per quindecim dies. Lubenter hoc concedo. Sed hæc quæstio primaria est; *an non Monachi Dionysiani, cùm corpus S. Dionysii ablatum esse sentirent, aliud substituerint demortui hominis sceleton?* Piæ enim ejusmodi fraudes non insolitæ fuerunt. Quot, quæso, capita S. Johannis proferuntur, unum tamen solum genuinum, cætera supposititia esse debent. SS. Crispini & Crispiniani ossa Suessionenses & Osnabrugenses apud se habere affirmant. Nota est concertatio de corpore S. Benedicti inter Casinenses & Floriacenses Monachos. *Caput Caroli M.* Aquisgrani & Osnabrugæ ostenditur. SS. *Martyrum Eobani & Adelarii* corpora Erfurti adhuc esse asseruntur, & memini, me juvene eadem ibi inspecta esse. Sed Series Abbatum Fuldensium ab Anonymo coævo conscripta ait, *Huoggi* Abbatem Fuldensem *Sanctos Martyres Eobanum & Adalbarium asciviſſe, & partem corporis S. Viti, arisque in eorum honore structis & dicatis, honorificè requiescere fecisse.* * Mille hujusmodi exempla addi possent; sed hæc sufficiunt. Si ergo lis oriatur, ubi re ipsa Sancti alicujus corpus, de quo controversia est, habeatur, circumstantiæ temporis & personarum, qui rei intervenere, diligenter & solicitè examinandæ, monumentáque coæva consulenda sunt. Hæc si conveniant inter se, si certa inveniantur, tum demum pronuntiari potest.

An Monachi San-Dionysiani aliud corpus substituerint?

Ratisbonensium itaque causam si examines, relatio vulgaris, quam etiam LEO *Papa* Regi Galliæ denuntiat, habet, S. Dionysii ossa ab ipso Arnulfo ablata & Ecclesiæ S. Emmerani donata esse. Mabillonius Seculo V. Benedict. p. 109. sq. & Annal. Benedict. lib. XXXIX. cap. 29. hoc falsum esse ex Arnulfo Præposito S. Emmerani demonstrat. Is enim omnia, quæ Arnulfus Imp. Ecclesiæ S. Emmerani donavit, sollicitè recenset, nec tamen corporis S. Dionysii vel verbulo meminit. Hoc argumentum, quanquàm id non sit demonstrativum, ipse accipio, qui, ut antè jam dixi, certè scio, Arnulfum Lutetiam Parisiorum accessisse. Traditionibus Ratisbonensibus hàc in circumstantia fidi non potest. Nec vetus relatio, quam *Aventinus* habuit, quicquam de Arnulfo Imperatore dicit. Verba Aventini sunt: *Gisalbertus procerum locupletissimus, ex composito sacrilegii condemnatus, de industria ad Monasterium D. Dionysii deportatus, libenter à Monachis recipitur, cum quibus frequenter bene vivitans (nam & habebat quod dabat, & dabat nemo largius) longè gratior factus est. Ubi satis fidei sibi haberi videt, sumptus affatim suppeditans, dubiam cœnam, vinum studiosè optimum Monachis & contubernalibus omnibus Monasterii, regio luxu apparat, in noctem protrahit convivium, illisque omnibus vino somnóque sepultis, tum Gisalbertum sacrilegium perpetrasse literis proditum est.* Hæc partim ex vulgari traditione protulit, partim ex tribus lateribus, quos suprà recensuimus, & qui in muro juxta capsas S. Dionysii ossa continentes reperti sunt, desumpsit Aventinus. Lateribus his omnis res innititur. Genuinos eos esse, & ipsius *Tutonis* Episcopi jussu confectos verba iis inscripta produnt. Characteres quadrati & vetusti sunt, ut ex delineatione eorum à M. R. Abbate nuper ad me missa scio. *Gisalbertus* dicitur S. Dionysii Reliquias furatus esse sub *Ebulone Abbate S. Dionysii.* Ebulonis nomen alii, quàm coætaneo homini, in Germania notum fuisse vix potuit. *Martius* ille *Ebulo* vel *Ebolus* anno 886. Abbas S. Dionysii factus est, & anno 893. VI. Idus Octobris, Rheginone aliisque monumentis testantibus, obiit. *Tuto Episcopus Ratisponensis* creatus est anno 894. Cùm igitur sub Ebulone Abbate *V. Non. Julii* ablatus sit Galliæ S. Dionysius, & quidem II. Nonas Decembris *tempore Tutonis Episcopi* Ratisbonam venerit; statuendum est, pium hoc furtum anno 893. factum, & *S. Dionysium* Ecclesiæ S. Emmeramni anno 894. illatum fuisse. *Gisalbertus* fine dubio ne detegeretur atque in itinere comprehenderetur, ambagibus usus est; & cùm dubius hæreret, ubi sacrum thesaurum deponeret, illum per aliquod tempus apud se secretò detinuit. Cùm verò nulla Ecclesia *Arnulfo* tunc charior atque in Bajoaria clarior esset, quàm illa S. Emmerani Ratisbonensis, quia anno 893. S. Emmerani patrocinio fretus *Arnulfus* victoriam de Moravis retulerat, cúmque idem Rex eandem regiis planè donis ideò honorâsset; *Gisalbertus* Reliquias S. Dionysii non alibi magis honorificè quàm Ratisbonæ, requiescere posse credidit, easque ad regiam hanc Urbem deportavit. Arnulfo defuncto, Hungari Bajoariam ab anno 907. quotannis ferè miserè vastârunt. Unde TUTO & Epi-

Aliud Mabillonii argumentum obconditur.

Aventini relatio.

Quo anno pium reliquiarum Dionysii furtum contigerit.

Gisalbertus ipsas reliquias in S. Emmerami templo reponit; Tuto

Episcopus eas muro includit. Episcopus, ne venerandæ Reliquiæ nuper acceptæ, ab iis fortè auferrentur, aut dehonestarentur, eas muro inclusisse & lateres illos tres cum inscriptione addidisse videtur. Paucos admodùm hujus occultationis conscios fuisse verosimile est, ne fortè proditione detegerentur. Hinc sensim locus, ubi conditæ fuerunt, in oblivionem venit, nec ante annum 1052. detectus est. Allatæ fuerant Reliquiæ istæ, cùm Arnulfus adhuc Rex solummodò esset; sed cùm anno 896. Imperator consecratus sit, hoc ei nomen in inscriptione, post obitum ejus facta, datur. *Gisalbertum* Traditio vulgaris procerum unum & ditissimum vocat ex conjectura; sed ego illum ex Clero fuisse suspicor; homines enim laicos Reliquias sacras furatos esse, aut manibus suis contrectâsse, rarò legitur. Atque en! in vicina Ratisbonæ Frisingensi Diœcesi eodem hoc tempore, quem S. Dionysii pium furem fuisse suspiceris. Meichelbeckius Hist. Frising. Tom. I. Part. Instrumentar. cap. 805. Chartam profert, quâ dicitur, *Venerabilem Waldonem Frisingensis Ecclesiæ Episcopum & quemdā* DIACONEM nomine KISALBERHT *quandam commutationem fecisse.* Dedit Episcopus Diacono prædicto cum consensu Canonicorum suorum & *per licentiam Serenissimi Regis Arnolfi* in loco, qui dicitur *Puotilinbach curtem, domum, borreum, de arabili terra jugera XXXI. de pratis carradas IIII. & in recompensationem harum rerum à Diacono recepit ad Ecclesiam jure hæreditario possidenda in loco Vilisa nuncupato curtem, domum, borreum, de arabili terra jugera integra XXXI. de pratis carradas VIIII. de sylva jugera V.*

Quid præterea Mabillonius objiciat. MABILLONIUS quidem Annalium Benedictin. lib. XLVI. cap. 40. Reliquias S. Dionysii ex Ecclesia monasterii sancti Dionysii nunquam ablatas fuisse exinde probare conatur, quòd *Eadgarus* Rex Angliæ in Diplomate à *Doubleto* publicato, quo anno 960. bona S. Dionysio in regno suo, à Togredo regiæ Domus Præposito ablata, restituit, jusserit hoc ipsum Diploma per Togredum ipsum *ad sepulchra Sanctorum Martyrum Dionysii & Eleutherii* deferri; *quorum sacra corpora honorificè ibi locata esse* asserit. Addidit Mabillonius Lib. XLVIII. cap. 92. Ottonem II. Imperatorem Diplomate anno 980. Broschalæ dato, quod etiam Doubletus edidit, possessiones *Monasterio S. Dionysii, usque hodie corporaliter ibi habiti*, in regno suo consistentes confirmâsse. Sed hæc parum probant. Nam furto clàm ablatus erat S. Dionysius; Ratisbonenses eo non gloriabantur, ne fortè restitutio ejus ab iis requireretur. Monachi Dionysiani, cùm nescirent, quò sacrum corpus devenisset, damnum suum callidè dissimulârunt, ne devotio piorum hominum ac liberalitas erga S. Dionysium, ejúsque monasterium tepesceret. Unde etiam non mirandum est, Frodoardum Hist. Rem. lib. IV. cap. 8. dicere, grassante Nortmannorum infestatione paulo post Arnulfi Imp. obitum Monachos S. Dionysii in urbem Remorum se recepisse *cum ipsius Martyris pretioso corpore.* Qui præcepta Regum expetebant, ii, quicquid illis complecti volebant, suggerebant; unde concludi potest, Monachos, de absentia corporis S. Dionysii apud se certos, summo cum studio verba, quibus dicitur, *S. Dionysium usque hodie corporaliter* in monasterio suo *haberi*, suggessisse, ut Imperatoris confessione aliquando causam suam defendere, aut iis etiam os obturare possent, qui jam de præsentia Sancti apud illos, non sine fundamento, dubitabant.

Palmare Mabillonii argumentum ex Witechindo. Palmare Mabillonii argumentum, quòd corpus sancti Dionysii in Germaniam, regnante Arnulfo, non sit Galliâ exportatum, ex Witechindo & Ditmaro desumptum est. Witechindus lib. I. tradit, *Henricum Germaniæ Regem*, cui *Aucupis* vulgò est cognomen, Rheno trajecto, Lotharingiæ regnum invadere cœpisse, eique occurrisse Legatum Caroli Galliæ Regis, cognomento Simplicis, qui tunc in carcere tenebatur, eíque significâsse, nihil Regi suo, ab inimicis circumvento, jucundius accidere posse, quàm gloriosos Henrici profectus audire. Tandem Legatus ad Henricū ait: *Et hoc tibi* [Carolus] *signum fidei & veritatis transmisit: protulítque* [Legatus Caroli] *de sinu manum pretiosi Martyris Dionysii, auro gemmísque inclusam: hoc, inquit, habeto pignus fœderis perpetui, & amoris vicarii.* Hanc *partem unici solatii Francorum Galliam inhabitantium --- communicare tecum maluit --- Rex autem munus divinum cum omni gratiarum actione recipiens, prosternitur Reliquiis sanctis, & deosculans eas summa veneratione veneratus est.* Ditmarus Chron. lib. I. scribit: *Fuit in occiduis partibus quidam Rex ab incolis* KARL SOT, *id est, stolidus, ironicè dictus, qui ab uno suimet Ducum captus, tenebris includitur carceralibus.* Hic

Henrici Regis nostri, nepotis autem sui, implorans auxilium, dextram Christi Martyris Dionysii, & cum ea omne Regnum Lothariorum, si ab eo liberaretur, sibi traditurū sacramento promisit. Ejusdem rei Annalista Saxo, Sigebertus, & Abbas Urspergensis meminerunt. His autem relatis testimoniis Mabillonius subdit: *Cùm igitur principatu Henrici Regis, qui anno vicesimo post Arnulfum regnavit, hoc brachium è corpore sancti Dionysii detractum sit, consequens est, sacrum illud Corpus apud Dionysianos tum servatum fuisse. Neque enim ante illud tempus Carolo impuberi & nondum Regi declarato hoc brachium concessum fuisse verosimile est.* Ubi primò notes, Mabillonium *brachium S. Dionysii* vocare, quod *Witechindus* manum, *Ditmarus* verò *dextram* appellant. Fingit id corpori S.Dionysii nunc demum detractum esse, cùm nemo tamen veterum hoc dicat. Carolus in custodia detinebatur Peronæ, alibíque, nec quicquam potestatis apud Parisios habebat; Robertus enim se jam Regem declarârat, atque à Gallis plerisque pro Rege agnoscebatur. Jussu ergo *Caroli* brachium à corpore S. Dionysii detrahi non potuit. Nec auro gemmisque, quibus illud captivus includi faceret, abundavit. Unde sequitur, *manum S. Dionysii* sive potiùs *partem ejus* jam diu ante hæc tempora à corpore S. Dionysii separatam ac auro inclusam gemmisque ornatam in Capella Regia asservatam fuisse, quam Carolus ex thesauro veterum Regum, apud se residuo, Henrico Aucupi misit, eóque signo ostendere voluit, se, quæ dici & promitti fecerat, sanctè servaturum esse. Manum enim hanc auream, cui inclusa erat *pars digiti S. Dionysii*, separatim servabant jam diu ante Caroli Simplicis tempora in Ecclesia sua Monachi Dionysiani, atque super eam, tanquam veritatis indicem & perjurii vindicem, juramenta solennia exigebantur. Mabillonius Sec. III. Benedictino Parte II. pag. 343. seqq. edidit tres libros *de Virtutibus & miraculis Macarii Areopagitæ Dionysii sociorúmque ejus*, ut vetus inscriptio habuit. Horum auctor, ut contenta indicant, & *Mabillonius* fatetur, sub Carolo Calvo vixit, & Cap. 23. ea quæ diximus, confirmat. Cùm enim cap. xx. narrâsset, *Fardulfum* Abbatem S.Dionysii anno 792. Carolum M. in Saxonicam expeditionem comitatum esse, & *pignora sanctorum Martyrum*, Dionysii, Rustici & Eleutherii secum habuisse, atque Cap. xxi. addidisset, *Bosulfum ipsius Abbatis Clericum Reliquias beati Dionysii* [quod particulā earum parvulam interpretor] *secum in Italiam quondam tulisse, & constructa ecclesia in honorem ejusdem præclarissimi Martyris & de sua hereditate ditata, eas posuisse, in ea fidelibus profuturas*; post pauca Cap. xxiii. scribit: *Ejusdem Abbatis tempore, homo quidam vocabulo Wanilo, in servitium beati Dionysii quærebatur. Re ad Lambertum Comitem delata, juramento secundùm legem libertatem se posse tueri Wanilo respondit. Statuta ergo die affuêre Comes & Monasterii Præpositus, nomine Agleboldus, habens secum partem digiti sancti Dionysii, auro instar manus affabre compositto inclusam. Proferuntur Comitis Reliquiæ, super quas homo juramentum persolveret. Contra Agleboldus Præpositus rogat, ut supra manum, quam attulerat, juraret. Consentiente Comite atque judicibus, in clypeo cum aliis Reliquiarum patrociniis indicatrix veritatis manus componitur. Ad quam dum applicare manum juraturus Wanilo vellet, sacrilegum tactum evitans, mirabile dictu aurea manus longè resilivit: ut verò ille manum amovit, divina virtute acta, Reliquias continens aurea manus ad priorem locum reversa est. Cúmq; adhuc homo, in proposito perseverans, manum rursus applicuisset sicut priùs, cessit iterum aurea manus. Sic illo tum & judicum, tum etiam sua sententia convicto, virtutem S. Dionysii in commune omnes, qui aderant, summis laudibus extulêre, per quem Dominus tam celebre miraculum ostendisset. Manus prædicta inter alia præcipua ornamenta ad memoriam Martyris appensa, hodieque à pejerandi ausu obstinatos quosque deterret.* En tibi jam auream manum ante Caroli Calvi ætatem confectam, cui pars digiti S. Dionysii inerat. En eandem manum, quam Carolus Simplex Henrico Aucupi misit in *signum fidei & veritatis* promissorum suorum. En manum fidem facientem narrationi, quæ literis Leonis PP. IX. continetur. In iis enim dicitur, integrum S. Dionysii corpus Ratisbonæ inventum fuisse, *excepta unica & minima manus dextræ particula.* Hæc ergo particula dextræ manui, ex auro fabrefactæ & gemmis decoratæ, inserta fuit. Eadem verò hæc manus sive *particula minima manus*, aut *pars digiti* S. Dionysii Henrico Aucupi à *Carolo Simplice* donata, & in corpore Ratisbonensi non inventa, ostendit, Corpus illud, quod anno 1053. in Basilica S. Dionysii visitatum, & populo mon-

Num brachium è corpore S. Dionysii detractum.

Quid auctor librorum de miraculis S. Macarii enuntiet.

Authoris sententia pro Santemmeramensibus.

monstratum fuit, S. Dionysii non fuisse. Corpus enim illud utriusque manûs membra integra habuit, nec ei quicquam, Rigordo teste, defuit *praeter duo ossa de collo, quae sunt in Ecclesia Vergiacensi, & os quoddam de brachio, quod Stephanus Papa Tertius secum ad Romanam portavit Ecclesiam.* Gallorum ergo argumenta de S. Dionysio, nunquam Ratisbonam translato, nullius sunt ponderis, & corpus, quod illi ostentârunt, suppositionis convictum; validae verò probationes, quas Ratisbonenses de possessione ejusdem sancti Corporis habent, & Gallis objicere possunt. Quam in rem prae reliquis legi meretur singularis Dissertatio à Cel.mo S. R. I. Principe JOANNE *Baptista* Abbate S. Emmerami eruditissimè conscripta & edita Ratisbonae A. 1750. in qua post doctam amplámque praefationem, primo statim loco examinat dicta R. P. *Halloix* S. J. contra Translationem S. Dionysii Areopagitae. Deinde literas subdit *Leonis IX.* Papae de illâ Translatione; Tum verò *Launoii* argumenta & inficias egregiè convellit. Inde *Mabillonii* & aliorum afferta ad incudem revocat & obtundit. Postremò Sant-Emmeramensium fundamenta pro veritate Translationis stabilit, & Adversariorum objectiones subruit. Ac denique aliqua veterum MSs. Codicum hâc de re specimina aeri incisa, aliáque monumenta nunquam adhuc edita sistit, & elucidat; unde plura hauriendi curioso Lectori dabitur copia.

R.mi Abbatis Joannis Baptistae Dissertatio de S. Dionysii Translatione.

S. Dionysius Parisiensis an idem cum Areopagita?

Alia de hoc ipso S. Episcopo & Martyre controversia est, quae multis abhinc jam seculis viros doctos inter se commisit. Ludovicus Pius Imperator *Hilduino* Abbati monasterii *S. Dionysii* propè Parisios provinciam imposuit, ut ejusdem Divi vitam in literas referret. Fecit ille non modò quod jussus fuerat, sed *Dionysium* etiam Parisiensem cum *Areopagita* confudit. Quod post ipsum etiam *Hincmarus* ex Monacho San-Dionysiano Remensis Archiepiscopus praestitit. Quam tamen suam sententiam non omnibus Benedictinis etiam in Gallia persuasere. *Usuardus* enim Monachus S. Germani à Pratis suo in Martyrologio duos distinxit *Dionysios*. Quod idem *Ado* ex Monacho Ferrariensi Viennensis Archipraesul in suo fecit Martyrologio. *Hilduini* opinio etiam Petro Abaelardo non placuit, qui in Bedae concessit sententiam, quo teste *Dionysius Areopagita Corinthiorum potius, quàm Atheniensium fuit Episcopus.* Quod cùm Monachi Sandionysiani, ejus sodales, animo ita ferrent iniquo, ut graves ea propter minas ei intentarent, fugâ se subduxit. Tandem, ni diris ab *Adamo* Abbate suo devoveri vellet, palinodiam cantare coactus est. Igitur epistolam his verbis scriptam ad eundem direxit:

Petri Abaelardi Epistola.

Adae dilectissimo Patri suo, Abbati Dei gratia Coenobii gloriosissimorum Martyrum Dionysii, Rustici & Eleutherii ibidem corpore quiescentium, unáque fratribus, & commonachis suis carissimis, Petrus habitu Monachus, vita peccator, gratia vobis & pax, ut ait Apostolus, à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

„Saepe unius error multos involvit, & proni homines in malum, faciliùs per unum in falsitatem, quàm per multos in veritatem trahuntur. Ideò dico, quòd multi ei, quam tenemus veritati de Dionysio Areopagita unius Bedae auctoritatem opponere soleant: gravioribus, qui nobis favent, aut per malitiam, aut fortassis, per ignorantiam, auctoribus postpositis. Hic quippe Dionysium Areopagitam Corinthiorum fuisse profitetur, cum alii, quorum longè validior est auctoritas, eum potiùs fuisse Atheniensium Antistitem astruant, & omninò alium fuisse Dionysium Areopagitam, alium Dionysium Corinthiorum Episcopum, suis convincant assertionibus. Ponamus itaque singulorum verba, ac deinde consideremus, si non solùm diversa, verùm etiam invicem adversa sibi sint, ac sibi penitùs repugnantia. Quòd si viderimus, dijudicemus auctoritates ipsas, ut cùm omnes salvari non valeant; illa periclitetur, quae minore utitur dignitate. Scriptum est itaque de hoc in Ecclesiastica historia, libro quarto, capitulo vigesimo tertio, his verbis: *Veniendum nobis est tandem ad beati Dionysii commemorationem Corinthiorum Ecclesiae Episcopi, cujus eruditione & gratia, quam habebat in verbo Dei, fruebantur non hi populi tantùm, quos regendos acceperat, sed & procul positi, quibus per Epistolas praesentiam sui reddebat.* Extat denique ejus Epistola ad Lacedaemonios scripta de Catholica fide, ut alia ad Athenienses, in qua ad Evangelii credulitatem invitat, & concitat seniores. Et illud designat in eadem Epistola, quòd Dionysius Areopagita, qui ab Apostolo Paulo instructus credidit Christo, secundùm ea, „quae in Apostolorũ Actibus designantur,

Varia pro Dionysiorum diversitate testimonia.

„tur, primus apud Athenas ab eodem Apostolo Episcopus fuerit ordinatus. Sed & *Hieronymus*, ille, inquam, Ecclesiæ Doctor egregius super hoc ipso in libro de illustribus Viris ita meminit: *Dionysius Corinthiorum Ecclesiæ Episcopus tantæ eloquentiæ fuit & industriæ, ut non solùm suæ civitatis & provinciæ populos, sed & aliarum provinciarum & urbium Epistolis erudiret. E quibus una est ad Lacedæmonios, ad Athenienses, & cætera.* Et post pauca. *Claruit sub Imperatore* MARCO ANTONINO VERO & LUCIO AURELIO COMMODO. Nunc & ipsius Bedæ verba ponamus, qui in explanatione Actuum Apostolorum, eo videlicet loco, quo dicitur: *In quibus & Dionysius Areopagita*, ait sic: *Hic est Dionysius, qui in Episcopatu ordinatus Corinthiorum gloriosè rexit Ecclesiam, multásque ad utilitatem Ecclesiæ pertinentia, quæ hactenùs manent, ingenii sui volumina reliquit, cognomen à loco cui præerat accipiens.* Areopagus enim est Athenarum curia, nomen à Marte trahens. Siquidem Græcè Mars, Ἄρης, villa dicitur πάγος.

Quorum repugnantia & convenientia examinatur. Inductis itaque, sicut proposuimus, auctoritatibus, earum, sicut promisimus, diversitatem aut repugnantiam consideremus. Videntur autem duæ suprapositæ auctoritates, quæ sibi consonæ sunt, auctoritati *Bedæ* omninò contrariæ. Ex illis quippe apertè convincitur, alium fuisse *Dionysium Areopagitam*, alium *Dionysium Corinthiorum* Episcopum. Nam juxtà Ecclesiasticam Historiam, Dionysius Corinthiorum Episcopus de Dionysio Areopagita scripsisse perhibetur, & ibidem Dionysius Areopagita Atheniensium fuisse Episcopus assignatur. Nec minùs ex verbis Hieronymi alium hunc esse, quàm illum apparet: cùm videlicet dicat, Dionysium Corinthiorum Episcopum sub Marco Antonino & Lucio Aurelio claruisse. Constat quippe Dionysium Areopagitam, qui prædicatione Pauli conversus est, tempore Christi & Apostolorum extitisse, ac jam virum adultum adeò fuisse, ut uxorem Damarim jam tunc eum constet habuisse: de qua pariter cum eo in Actibus Apostolorum fit commemoratio. Unde & ibidem scriptum habetur, quod *quidam viri adhærentes Paulo crediderunt, in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis.* A tempore autem Tiberii Cæsaris, sub quo Dominus passus est, usque ad tempora prædictorum Imperato„rum, sub quibus Dionysius Corinthio„rum claruisse dicitur, ampliùs quàm centum sexaginta annos Chronicorum supputatio assignat, ut nequaquam tanto tempori vita prædicti viri sufficeret. Scriptum quippe est in Psalmis: *Si autem in potentatibus octoginta anni & amplius eorum labor & dolor.* Ex quo liquidè colligitur, alium Dionysium Areopagitam, alium Dionysium Corinthiorum Episcopum extitisse. Atque ita prædictorum auctorum sententiis, Bedæ refellimus opinionem: præsertim cùm & illorum longè gravior auctoritas sit, & in ore duorum potiùs quàm unius stare verbum conveniat. Ad Ecclesiasticam quippe historiam, quasi primum & maximum Ecclesiasticorum gestorum fundamentum, tam *Bedam* quàm cæteros Scriptores Ecclesiasticos recurrere certum est. Quid itaque videtur tibi respondere posse Beda, si illa scripta ei adversari monstraveris, quorum se frequenter auctoritatibus protegit? Nil equidem rectius, quàm sapientis illum versiculum:

Conveniet nulli, qui secum dissidet ipse.

„ Ne quis autem graviter ferat, ac vehementer abhorreat, *Bedam* nonnunquam decipi, & suo spiritu, non divino, quædam protulisse, eò videlicet, quòd ejus expositiones Latinorum maximè frequentet Ecclesia: ad memoriam *Nathan* Prophetam reducat de ædificando templo deceptum, atque ipsius quoque principis Apostolorum pernitiosam simulationem à coapostolo Paulo correctam, *Quia*, inquit, *reprehensibilis erat*: nec non & venerabilem Doctorem Augustinum, qui errores proprios spontè corrigendo, omnia ferè scripta sua retractare non erubuit. Recogitet & illud Heliæ proverbium: *Non enim meliores sumus, quàm patres nostri.* Et tunc, profectò, cùm tantorum virorum errores commemoraverit, jam de errore *Bedæ* mirari desistet. Ut enim beatus asserit Gregorius in prima super Ezechielem Homilia, *nonnunquam Spiritus S. ad humilitatis custodiam mentibus fidelium sese subtrahit, & eos in errorem labi permittit*, ut videlicet recognoscant, quàm inutiles Spiritu S. abscedente remaneant: qui etiam, cùm mentibus præsidet Sanctorum, sic revelet aliqua, ut occultet nonnulla. Non magnoperè curandum est, si in historiis, aut in his, quæ ad Catholicæ fidei periculum non attinent, errâsse Sanctos nonnunquam annuamus, cùm apertè Augustinus de historia septimi Psalmi, in cujus videlicet Psalmi titu„lo legitur, *Pro verbis Chusi filii Jemini*, per

Beda subinde falsus.

„per Hieronymum erràsse convinci possit, tanquam Hebraicæ penitus expers veritatis.

aliorum sequendo opinionem. „Si quis autem BEDÆ quoque auctoritate nitatur, ut omnibus satisfaciat: dicere fortassè licebit hoc loco, Bedam aliorum opinionem potiùs sequutum esse, quàm suam constituisse sententiam. Sæpè etenim, ut Sanctorum auctoritates illæsas custodiamus, ea quæ scribunt, ad opinionem aliorum potiùs quàm ad sententiam ipsorum referimus. Sic & in hoc loco dicamus, Bedam aliorum introduxisse sententiam, qui ex æquivocatione nominis decepti, eundem esse æstimaverunt *Dionysium Areopagitam*, & *Dionysium Corinthiorum:* quippe cùm & beatum Ambrosium adeo ab historica veritate quodam loco per æquivocationem nominis videamus exorbitâsse, ut *Jacobum* fratrem Joannis, quem pariter cum Joañe fratre suo & Petro ad transfigurationem sui seorsum Dominus assumpsit, eum *Jacobum* fuisse asserat, qui primus solium sacerdotale conscendit. Quod quidem de alio *Jacobo*, & qui frater Domini nuncupatus est, & primus in Hierosolymorum Ecclesiam est ordinatus, constat intelligi debere: ut videlicet ille primus hoc modo sacerdotale solium intelligatur conscendisse. Si ergò tantus Doctor per æquivocationem nominis *Jacobi*, à veritate historica, in expositione Evangelica permissus sit deviare: quid mirum, si *Bedam* æquivocatio quoque nominis *Dionysii* vel plerosque alios fefellerit, præsertim in illa Actuum Apostolorum expositione, quam ab ipso *Beda* certum est posteà retractatam esse? In cujus quidem retractationis præfatiuncula, ut breviter verba ejus comprehendamus, ita exorsus ait: *Scimus eximium Doctorem Augustinum libros Retractationum in quædam opuscula sua fecisse: cujus industriam nobis quoque placuit imitari, ut post expositionem Actuum Apostolorum, quam ante plures annos conscripsimus, nunc in idem volumen brevem Retractationis libellum condamus, studio maximè vel addendi, quæ minùs dicta, vel emendandi, quæ secùs, quàm placuit, dicta videbantur.* Qui etiam in prædicta expositione sua versus *Arati* frequenter introduxit, cujus nonnullos novimus errores, cùm apertè eum Hieronymus in prædicto illustrium virorum libro erràsse ostendit, „de eodem die quo *Petrus* & *Paulus* passi sunt. Quem quidem diem non aliter eundem tam *Aratus* quàm *Beda* in Martyrologio, ejus auctoritate fretus accipiat, nisi anni revoluto tempore, cùm Hieronymus eodem prorsùs die, anno quarto decimo Neronis tam *Petrum* quàm *Paulum* passos esse pronuntiet. Denique ut hànc litem variarum sententiarum pacatissimo fine sopire penitùs valeamus; facilè fortassis, si duos *Dionysios* Corinthiorum Episcopos extitisse ponamus, & *Bedam* veracem poterimus tenere, & nihil per opinionem accipere: ita quidem, ut unus ex *Dionysiis* Corinthiorum Episcopis, & *Dionysius Areopagita* idem sit, de quo *Beda* scribit, & in diversis temporibus idem Athenis & Corintho præesset Episcopus, & postmodùm à *S. Clemente* Galliarū sit ordinatus Apostolus: alius verò ex *Dionysiis* Corinthiorum Episcopis, ille fuerit *Dionysius*, de quo Ecclesiastica Historia, & Hieronymus meminerunt; atq; ita arbitror omnem controversiam absolvi posse. Omnium igitur, quæ ad solutionem proposuimus, hæc sum̃a est, ut vel *Bedam* deceptum fuisse concedamus; vel eum aliorum nobis opinionem præsentâsse; vel duos Corinthiorum Episcopos extitisse. Valete in Domino dilectissimi.„ Atque hæc *Petri Abælardi* epistolaris palinodia erat, in qua tamen ad calcem ita dubitanter loquitur, at priorem suam sententiam non ex animo revocâsse jure videri possit.

Ejus retractationis liber.

Abælardus opiniones conciliat.

Seculo XVII. lis eadē de duobus Dionysiis acriùs agitata.

Seculo proximè præterito hæc controversia, quæ tumulo jam pridem illata esse videbatur, resuscitata, nec leviter agitata fuit. Ab Hilduino ex Benedictinis steterunt *Jacobus Doublet*, *Hugo Menardus*, *Simon Milletius*, *Claudius David*, & forsan alii, quorum literariæ cum *Jacobo Sirmondo*, & *Joanne Launoio* velitationes alio loco commodiùs referentur.

Ars critica iis necessaria, qui veteres edunt Codices.

Qui veteres manu exaratos codices, aliáque hactenùs inedita luce publica donare cogitant, iis ante omnia providendum est, ut regulas artis Criticæ non perfunctoriè calleant, quarum nisi sint penitus intelligentes, quomodo sincera à spuriis, integra à vitiatis, certa ab incertis secernere poterunt? Illustrissimus *Scipio Maffeius* * fatetur, Critices nomen à se ignoratum fuisse: unde cùm Cassiodori Senatoris Complexiones in Epistolas & Acta Apostolorum, & Apocalypsin è vetustissimis membranis eruisset, ab earum editione ali-

* vid. Acta Erud. Lips. an. 1729. pag. 166.

aliquamdiu remoratus fuit, quoad præeunte Abbate nostro *Benedicto Bacchinio*, Biblia, Concilia, Patres perlegisset, revocato animo ab iis, quibus hactenùs insueverat studiis.

Patres Congreg. S. Mauri in ea excellunt.

In Congregatione S. Mauri, cùm ejus Alumni præstantissimas quasque SS. Patrum editiones adornare statuissent, necessariò ad scientiam Criticam capessendam priùs se applicare debuerunt, ut errata priorum editionum corrigerent, genuina à spuriis secernerent, plura hactenùs inedita in lucem protraherent, omnia denique doctissimis præfationibus, notis, & observationibus illustrarent. Quàm insignem verò artis Criticæ peritiam fuerint consequuti, non ego, sed *Adrianus Bailletus* quàm celebris tam severus Criticus dicat. Liceat hujus Aristarchi verba Gallica Latinis intexere: *Il n'y a point d'Ecole, où la sçavante Critique, dont il s'agit icy, soit plus florisante & mieux exercée, que dans celle des Benedictins de la Congregation de S. Maur, où il semble, que le retablissement de la discipline ait procuré celuy des Etudes les plus solides, & les plus utiles au Public. Car effectivement on peut dire, que le P.* MENARD *a commencé; & qu'il a été suivi heureusement par les PP.* D'ACHERY, GERBERON, MABILLON, DELFAU, BLANCPAIN, GARET, FRISCHE, *& plusieurs autres qui aiment mieux nous faire goûter les fruits de leur Critique, que de se faire connoître pour en acquerir de la reputation, & qui nous donnent tout lieu d'esperer, qu'en se succedans les uns aux autres, nous pourrons avoir dans la suite du temps une Critique successive & continuelle des Peres & des autres Auteurs, qui ont écrit sur tout dans l'Eglise d'Occident jusqu' au temps de S. Bernard.* Hæc ille *, nec abs vero. Qui enim quantíque Critici eorum plerique non evaserunt? Quantus, quámque morosè diligens, atque accuratus Criticus *Petrus Coutantius* in laudatissima Operum S. Hilarii editione? Quantus, quámque summi judicii ac doctrinæ Criticus *Thomas Blampinus* in splendidissima, emendatissimáque Operum S. Augustini editione? Quantus, quámque profundæ eruditionis Criticus *Gabriel Gerberonius* in perfectissima, numerísque omnibus absolutâ Operum D. Anselmi editione?

At enim quem finem nostra habitura est oratio, si doctissimos quosque San-Maurianæ Congregationis Criticos recensere instituam? Unum tamen silentio involvere, parùm abest, ut mihi non ducam religioni. NICOLAUS NURRIUS is est, qui Critico suo, eóque doctissimo in Bibliothecam Maximam SS. Patrum Apparatu artis Criticæ peritiam ita ostendit, ut nemo ferè alius. Cùm enim ** virorum doctrina & eruditione præstantium impulsu de adornanda nova Patrum Bibliothecâ seriò cogitaret, non iidem modò, sed alii quoque eruditi ad eam Apparatum Criticum præmittendum esse ipsi persuaserunt. Ad eundem autem citiùs publicandum eo potissimùm argumento *Nurrium* urgebant, quòd in omnibus Patrum Bibliothecis nullum planè, aut certè vix ullum cujusvis Scriptoris verum, genuinúmque Opus à falso & adulterino distinguatur, nullum prorsùs ad certas criterii leges sit examinatum, ac nulla tandem, aut paucissima, quantumvis obscura, & difficilia cujuslibet Auctoris loca ab ullo unquam explicata, enodatáque fuerint. Quapropter quia plurimi, qui Patrum Bibliothecas pervolvere solent, sæpiùs in errorem inde induci poterant; idcircò docti illi homines communi eorum utilitati consultum esse volentes, jure prorsùs haud immerito contendebant ea omnia, quæ jam à longo tempore in omnibus Patrum Bibliothecis desiderabantur, hoc Apparatu *Nurriano* esse supplenda.

Nicolaus Nourri præcipuè laudatur.

Atque ut acriores stimulos Viro admoverent, addebant, eos, qui Lugdunensi Patrum Bibliothecæ præpositi fuerant, summam hujusce *Apparatûs* necessitatem probè quidem agnovisse, atque suam ideò obligavisse fidem, fore aliquando, ut eum publicam emitterent in lucem. Verùm quandoquidem hi nimio haud dubiè labore, maximísque difficultatibus ab eo opere deterriti, tam solemnibus promissis non steterant; inde illi, ex quorum *Nurrius* pendebat arbitrio, *Criticum Apparatum* ab ipso, priusquàm accuratiori Patrum Bibliothecæ operam daret, absolvendum esse censuerunt. His itaque rationibus victus & expugnatus, ac nequidquam virium suarum imbecillitatem excusans ad gravissimum illud onus subeundum ab iis compulsus & coactus est, quorum imperio & voluntati non parere fas sibi esse nunquam existimavit. Quanta verò cum dignitate sua, Superiorum satis-

Edit Apparatum ad Bibliothecam Patrum.

factio-

* Jugemens des Sçavans Tom. 2. part. 1. pag. 302.
** ex Præfat. ad Lectorem

factione, omniúmque eruditorum approbatione illud sustinuerit, difficile est dictu. Forsan ex ipsius verbis omnium optimè intellecturi sumus. *In hoc igitur*, inquit, *Apparatu nostro, omnia veterum Ecclesiæ Patrum & antiquorum Scriptorum Opera, quæ in maxima Lugdunensi Bibliotheca typis impressa sunt, ad severiores Criticorum regulas singulatim examinare suscipimus. Primùm verò ea, quæ ad omnes cujusque seculi Scriptores generatim pertinent, expendimus, palámque facimus, quod fuerit eorum ingenium, quæ studia, quæ occupationes, quæ scribendi occasiones, quos Ecclesiæ inimicos, ac potissimùm hæreticos impugnaverint, & debellàrint, ac quæ fuerint eorum, cæterorúmque Christianorum Scholæ & Gymnasia, quidve in eis doceretur.*

Quid in eo præstiterit. „ Deinde verò claram, pro virili parte nostra, exhibemus cujuscunque lucubrationis analysin. Tum investigamus, an genuinum, aut adulterinum sit illius, cui adscribitur, Auctoris opus, qui adhuc supersunt, manuscripti ejus codices, ac quando, ubi & quoties typis sive Græcis, sive Latinis editum fuerit. Post hæc autem novis animadversionibus & notis omnia difficilia, salebrosa, ac notatu magis digna ejusdem commendationis loca, ordine, quo possumus, dilucidiori enucleare, explanare, & confirmare conamur. Ab his verò, quæ ad sacram spectant Scripturam, ordimur, atque ibi inquirimus, quid hujusce lucubrationis auctor de veteris novíque Testamenti Scriptoribus, divinóque illorum adflatu statuat; quos libros in sacro ponat canone, vel ab eo excludat; quo sacræ Scripturæ in loco testimonia ab eodem Auctore citata, nec ab aliis indicata occurrant; quantúmve à sacro textu dissideant; atque ea demùm, quæ nec ab aliis nec à nobis in eodem sacro Scripturæ textu poterunt hactenùs reperiri. De laudatis quoque ab Auctore nostro virorum Apostolicorum, & aliorum deinceps Scriptorum Operibus, de divinis & humanis, sive scriptis, sive non scriptis traditionibus, ac de veræ Ecclesiæ traditionis depositum custodientis, characteribus, & notis disputamus.

Theologica Dogmata enucleat. „ Gradum inde facimus ad theologica dogmata, atque in iis singillatim enucleandis & vindicandis ordinem, prout fieri potest, sequimur à S. Thoma, & aliis Theologis constitutum. „ Tum subinde memorata pandimus „Christianorum instituta, virtutes, mores, consuetudines, usus, abusus, ac varios spiritualis & mysticæ, ut ajunt, eorum vitæ ad summum usque perfectionis apicem progressus. De illorum quoque constanti & publica coram tyrannis Christianæ fidei confessione seu martyrio, & martyribus, quæ obscuriùs dicta sunt, excutere non omittimus. Denique de erroribus & hæreticis, quorum mentio facta est, sic disserimus, ut quidquid in eorum, sicut aliorum omnium commemoratione occulti, & abstrusi occurrat, illud pro ingenii nostri viribus retegere, & planum cuilibet facere adnitamur.

„ Quibus quidem ita explicatis, ad Ethnicorum transimus expositionem, quæ à Scriptore nostro de Ethnicorum religione, ac impio idolorum cultu literis ac memoriæ mandata legimus. Conamur itaque singula quæque patefacere, quæ ab illo de idololatriæ origine, de falsis fictisque tam Diis, quàm Deabus, de illorum templis, aris, simulacris, statuis, imaginibus, mysteriis, sacrificiis, oraculis, aliísque nefariis superstitionibus implicatiùs scripta sunt. Ethnicorum religionem censura exponit.

„ Ad res philosophicas dehinc accedentes, manifestum utique facimus, quid ab Auctore nostro de philosophiæ utilitate, & necessitate, quid de philosophorum ex sacra Scriptura furtis, atque expilationibus, quid de illorum patria, ætate, variísque sectis & opinionibus, quid de mulieribus etiam philosophis, quid de barbaris, qui ante Græcos philosophati sunt, quid de septem Græciæ Sapientibus, ipsorúmque & aliorum sententiis, effatis, philosophandi ratione, ac de ethnicis legislatoribus & vatibus statutum, traditúmque fuerit. Res philosophicas examinat.

„ Postea verò cum eodem Scriptore ad artium, scientiarum, & aliarum rerum inventores, venimus, investigamúsque, quid ab unoquoq; inventum dicatur, ac qui de rerum inventoribus scripserint. Nec minùs enucleatè demonstramus, quinam magistri discipulos sibi fecerint similes. Pari quoque modo mutua Græcorum furta retegimus, atque ibi diligenter perscrutamur, quinam integra sibi falsò attribuerint aliorum Opera, libros, & commentationes. Artium inventores investigat.

„ Ad ipsasmet postmodùm Artes, disciplinas, & scientias progredimur, ac eodem modo ponderamus, quid ab „ auctore nostro de variis gentium dia„lectis Disciplinas & scientias ponderat.

„lectis, de humana belluináque cognitione, de verâ falsâve opinione, de demonstratione, scientia, sapientia, prudentia, grammatica, dialectico, arithmetica, & numeris; de Musica, atque Astronomia, aliísque disciplinis posteritati sit proditum.

Gentiliũ ethicam explorat. „Inde procedimus ad indagandos paganorum mores, & exploranda singularia quædam, & præclara nonnullorum populorum, hominum, mulierúmque facinora. Neque ea fine aliqua observatione prætermittimus, quæ de quibuslibet Poëtriis & Poëtricibus, ac de quibuslibet Scriptoribus, sive Oratoribus, sive Historicis, sive Poëtis, atque aliis Auctor noster observanda esse judicavit.

Opera deperdita & affecta indicat. „Denique de amissis disserimus ejus Operibus, & de iis, quæ ille scripturum se esse promiserat, vel falso illius nomine circumferuntur. Aliquam verò si exhibeat, chronographiam, eâ cum aliis accuratioribus compositâ, finem disquisitionibus nostris imponimus.„ Hæc *Nurrius*, quæ nunqoam polliceri sustinuisset, minùs cum dignitate præstare potuisset, nisi quendam quasi principatum artis Criticæ obtinuisset. Certè priores duo Tomi, quos in lucem emisit, viris doctissimis ita placuerunt, ut magis non potuerint.

Jacobus Billius Ecclesiæ Patres elucidat. Haud dissimilem ferè laborem JACOBUS BILLIUS Prunæus S. Michaelis in Eremo Cœnobiarcha, *Nurrio* ætate soperior subivit. Ut enim prophani prophanis, & obscœni obscœnis delectantur; & quisque similibus gaudet: ita noster *Billius* totus Deo rebúsque sacris deditus, omne studium circa sacros & orthodoxos illos Græcæ Ecclesiæ facilè principes Scriptores collocavit. Hi sunt, *D. Ignatius*, *Irenæus*, *Epiphanius*, *Origenes*, *Gregorius Nazianzenus*, *Gregorius Nyssenus*, *Basilius*, *Chrysostomus*, *Eusebius*, *Theodoretus*, *Evagrius*, *Damascenus*, *Nicephorus*, & alii, quorum scripta & monumenta ab innumeris mendis, quibus scatebant, vindicavit, multa in eis loca restituit, emendavit, & illostravit: ita ut ejus Observationes loco doctorum Comentariorum sæpe esse possint. Sed nihilominùs hoc scribendi genus ei tandem displicere cœpit, quòd nonnihil fastûs & supercilii ei subolere, ipséque adeò sibi correctorem Aristarchum, & severum Censorem agere videretur. Quem itaque amor repurgandorum & castigandorum illorum Authorum (quos ipse φιλαρχῶν semper unicè coluit) & rei literariæ utilitas ad hoc opus primò impulerat, ipsum Christiana quædam humilitas & verecundia ab eo revocavit. Tantò enim diligentiùs semper abhorruit à scientia illa, quæ inflat, quantò amantior illius fuit, quæ ædificat. *Humilis itaque* (ot cum Scripturâ loqnar) *in oculis suis*, licèt testimonio conscientiæ suæ, ab ejusmodi fastû vacuus esset, voluit tamen in alienis talis apparere, & omnem ostentationis suspicionem à se depellere. Quam notans in Leuuenclaio æmulo suo, ei objiciebat, qnod D. Gregorius Nazianzenus Arrianis: *Lenes*, inquit, *sibi sunt Judices, aliis autem severi Censores, vulnera habent, & aliis vibices objiciunt: turpiter cadunt, & ex aliorum maculis voluptatem sibi fingunt: denique oppressos trabibus oculos habent, & festucas aliis probro vertunt.* Sed hæc maximè in eos quadrant, qui ex aliorum censurâ & reprehensione doctiores & perspicaciores haberi volunt: ut qui ex aliorum vituperatione & insectatione inanem aliquam sanctioris vitæ laudem & gloriam aucupari student & putant, à quâ noster Billius semper fuit alienissimus.

Critici de libro Exercitiorũ S. Ignatii. De sacro spiritualium Exercitiorum libro S. Ignatii Fundatoris Societatis Jesu Critica nonnullos Scriptores Benedictinos, bene, an male? rectè an perperam? exercuit. Præcipuos nominabo. Primus est *Antonius Yepesius*, alter *Constantinus Cajetanus*, tertius *Gregorius Argaizius*. De singulis nonnulla in medium afferre visum est.

Antonius Yepesius. *R. P.* ANTONIUS YEPES *in Chronico Generali Ordinis S. Benedicti Hispanicè edito, tom. 4. centuria 5. fol. 236. censet, Sanctum Ignatium hujus libri haud dubiè conditorem fuisse, sed hunc ab eo ordinatum tunc, quando erat Minoressæ, fatetur, sibi certum non esse, imò potiùs se tenere contrarium, tanquam magis probabile. Etenim quia opus illud scatet multis auctoritatibus scripturæ, ac doctrinæ sanctorum; Viro istarum rerum, atque ipsius quidem Latini sermonis tunc imperito, illius confectionem abjudicat; propiùs ad verum accedere censens, quòd emenso Parisiis studiorum curriculo illud conscripserit, literis utique & experientia tunc temporis instructus; adeò ut, dum Minoressæ personas ad se accedentes spiritualibus imbuit Exercitiis, id non contigerit juxtà conjecturam Yepesii, quia tunc scripsit Exercitiorum Librum, sed quia tunc profecit Cisnerosiano. Addit, id affirmare sese non sua solius conjectura, sed vult id colligi ex generali*

rali Ordinis S. Benedicti traditione, quæ originem traxerit ex usu loci sacri Monserratensis.

Quid Ribadeneira statuat. *Ad hæc fatetur, Patrem Ribadeneiram in contraria esse sententia, ejúsque epistolam, à R. P. Francisco Giron Collegii Salmanticensis Societatis Jesu Rectore secum communicatam profert à fol. 237. è quâ delibo* (utor verbis R. P. Joannis Pinii Hagiographi Antwerpiensis, ac Scriptoris vitæ S. Ignatii.) *sequentia Latinè ex Hispanico à me reddita.* „ Duo Ribadeneiræ statuenda videntur, alterum, quòd valde sit probabile, beatum Patrem nostrum *Ignatium* Minoressæ habuisse notitiam libri aut *Exercitatorii patris fratris Garciæ de Cisneros*, atque in *melioris vitæ* initiis illo profecisse ad suam orationem ac meditationem; nec non à patre fratre Joanne Chanones instructum, & nonnulla ex eo edoctum fuisse; Sanctúmque etiam libro, quem postea composuit, Exercitiorum spiritualium nomen indidisse, desumpto libri nomine è patris fratris *Garciæ* libro vel Exercitatorio. Alterum est, quòd S. Patris liber à patris fratris Garciæ libro valde fit diversus: quia tametsi in uno atque altero materiatenus tractentur aliqua, quæ coincidunt; in modo tamen & forma tractandi valde differunt. Et postquam Ribadeneira, enumerâsset varia, quæ in libro Exercitiorũ præcipuum admodùm tenent locum, & de quibus in isto alio verbum occurrit nullum, statuit, dubium non esse, quin duo isti libri differant, & secundus è primo non sit desumptus. „

S. Ignatii Imperitiam vindicat. „ Ad argumentum, quod promebat *Yepesius* ex Sancti id temporis imperitia, reponit *Ribadeneira*, quod, ut Deus doceat & illuminet animam aliquam, studiis aut latinitate opus non sit. Atque id, *quod Pater*, inquit, *noster scripsit in libro Exercitiorum, non ideo scripsit, quia eò converterat studium, aut in libris id didicerat; sed quia ipsum Deus illud docuerat, idque erat in se ipse expertus.* Nam tametsi in illis principiis non sciret, quidnam de se statuisset Dominus, sciebat tamen illud Deus, & paulatim eum disponebat, ut Fundatorem eum faceret Societatis, magnúmque Ecclesiæ suæ Patriarcham; dabátque illi unum ex adminiculis, quo debebat jungere ac subigere eandem suam Societatem; ejúsque filii tantum in Ecclesia facere fructum, quantum fecêre per Exercitia. Et mox suam sententiam confirmans ex fructû, quem ubique ac tot modis Dominus noster per illa operari dignatus est, rectè judicat, quòd etiamsi sanctus Pater noster multùm studuisset, suáque ex aliis libris prompsisset Exercitia, fieri tamen humano modo loquendi, haud potuisse, ut ex ideis in schola haustis, atque ex librorum etiam spiritualium ac piorum lectione erutis, sequerentur mutationes vitæ, morum reformationes, aliáque spiritûs emolumenta, qualia ex libro Exercitiorum sancti Patris profluxêre, si singulari cum favore Dominus ipsi ea non dedisset ad istarum rerum exsecutionem.

„ Tum allegat verba Pauli PP. III. qui in Brevi, anno 1548. edito laudans & confirmans Exercitia, sic loquitur: *Exercitia spiritualia ex sacris Scripturis, & vitæ spiritualis experimentis elicita.* Item Patris Polanci (*cujus*, inquit Ribadeneira, *est Præfatio Exercitiorum*) hunc textum citat idem auctor: „ Hæc documenta ac spiritualia Exercitia, quæ non tam à libris, quàm ab unctione sancti Spiritûs, & ab interna experientia, & usu tractandorum animorum edoctus noster in Christo Pater &c. composuit. Et tandem laudatus *Ribadeneira* ita rem concludit: *Atque is fuit communis sensus omnium antiquorum Patrum Societatis, qui tractavimus, & conversati fuimus cum nostro beato Patre; nec unquam alterius fuit rei cogitatio vel suspicio.* Epistolæ Matriti XVIII. Aprilis anno MDCVII. datæ subscribitur, *Petrus Ribadeneira.* Quibus solidè stabiliuntur ea, quæ jam pridem dixerat lib. 1. Vitæ cap. 8. Hoc eodem tempore, Exercitiorum spiritualium librum, quem appellant, ex accurata eorum, quæ sibi contigerant, observatione conscripsit; *tum videlicet, quando apud Minoressanos degebat, prout ex antecedente ac consequente memorati Scriptoris textu liquet. Liber itaque ille à S. Ignatio Manresæ anno 1552. conscriptus est.*

Alia ejus argumenta pro libro Exercitiorum Spirit.

Ex his verò hactenus allatis nemini non liquet, nihil *Yepesium* nostrum literis mandâsse, quod à *P. Pinio* in reprehensionem vocetur. Proposita ab eo fuerunt *Yepesii* argumenta, & *Ribadeneiræ* ad ea responsiones. Per me licèt, *P. Pinius* in suo sensû abundet, omnéque dubium sublatum esse dicat. Illud solùm non placet, quod *Garziam Cisneros*, celeberrimi toto orbe Catholico monasterii in Monte Serrato Abbatem, sacræ asceseos peritiâ, & vitæ sanctimoniâ insignem iden-

P. Pinii S. J. scriba dictoria.

identidem *patrem fratrem* appellet. Id quod per contemptum esse dictum aliis videtur, qui Acta Sanctorum non contemptores è naribus efflando spiritus, sed eodem spiritu humilitatis, qui neminem comtemnit, quóque D. Ignatius Loyola, cæteríque Sancti vixerunt, scribenda esse ex vero pronuntiant. At jam olim ad titulum ac nomen *Fratris* ROMANUS HAY *Joanni Crusio* solidè ac fortiter respondit. Remittit nos P. Pinius ad Nicolaum Antonium, ut breve Abbatis Cisneros elogium in ejus Bibliothecâ Hispana legamus. Sed prolixius est, quàm ut hîc locum sortiatur: solùm tria verba in gratiam Lectoris ex eo delibemus. Scripsit *Garzias* OPUSCULA AUREA DUO, UNDE QUIDQUID ASCETICORUM HODIE LIBRORUM EST, VIDETUR UTIQUE DIMANASSE. Quid majus, quidve præclarius à *Nicolao Antonio* dici potuit? Quotquot ex inclytâ Societate scripserunt libros Asceticos, post Abbatem *Garziam de Cisneros* scripserunt. Ecce encomium! quod apud laudatum Nicolaum Antonium de hoc Abbate legitur. Tantum nemo Benedictinus dicere ausus fuisset.

Ex Romano Hay & aliis obtunduntur.

Altet Criticus, quem P. PINIUS *hypercriticum* vocat, cui postmodùm antiquam illam crambem recoquere, & nova inde ineptiarum fercula obtrudere placuerit, est *Constantinus Cajetanus*, à quo Venetiis anno 1641. duo libelli vulgati fuerunt. Prioris titulus est *De Religiosa S. Ignatii* sive *Enneconis Fundatoris Soc. Jesu per Patres Benedictinos institutione.* Posterioris inscriptio sic habet: *De libello Exercitiorum ejusdem ab Exercitatorio Ven. Servi Dei Garziæ Cisnerii Abbatis Benedictini, magnâ ex parte desumpto.* De utroque libello rem accipe ex Abbatis Armellini Bibliotheca Benedictino - Casinensi parte I. pag. 127.

Constantini Cajetani in eandem rem libelli.

„Contra priorem librum, *de religiosa scilicet S. Ignatii per nostros institutione* scripsit P. *Joannes Rhò* Soc. „Jesu, edito libro, quem appellavit „*Achates ad Constantinum Cajetanum*, „sed utrumque legi Sac. Indicis Con„gregatio prohibuit. Verum quidem „est, librum de S. Ignatii, sive Eneconis „religiosâ Institutione adulteratum & „corruptum ab aliquo nebulone im„pressum fuisse Quamobrem ipse „Abbas *Constantinus* illum (sic impres„sum) respuit, tanquam Benedictino „monacho, eóque Præsule indignum, „Casinensis Familiæ, quæ D. ipsum „*Ignatium* in vivis agentem humani„tate, ac cultû maximo Casini, & „apud Albanetam, alibíque prose„quuta est, injurium, & denique ve„nerationi, quæ Divo ipsi debetur „*Ignatio*, haud satis congruum. Quâ „de re *Marcus Antonius Scipio* in Elo„giis Abbatum Casin. pag. mihi 78. in „appendice *De S. Ignatio Loyolà com„plures dies pietatis studiis apud Albane„tam animum excòlente*, sic inter cæ„tera loquitur. „ *Quo iniquius ferendum nobis est, ac dolendum magis, inventum esse superioribus diebus nescio quem, qui opusculo D. Constantini Cajetani Abbatis pluribus jam evulgatis reconditæ eruditionis lucubrationibus percelebris, præfixo nomine Venetiis impresso, probrosa in S. Ignatium, ejúsque Societatem inserere sit ausus, quæ præterquàm, quod ab Authoris proposito themate ac scopo aberrant longissimè &c. tantùm abest, ut prudens quisquam sibi persuadeat, ab homine religioso, eodémque Præsule, non tam canitie capitis, quàm vitæ totius innocenter, laudabilitérque traductæ famâ venerando, exarata fuisse, typísque Christiano Orbi ad legendum propinata &c.* Idem sen„tire se testatur *Daniel Bartholus* in Vi„ta S. Ignatii Italicè scripta lib. I. pag. „59. secundæ editionis Romanæ 1659. „*Certamente perche egli* (Author sci„licet prædicti libelli) *contro ogni dove„re si è usurpato il nome di un Religioso „del Ven. Ordine de' Monaci Casinesi, „quella savissima Congregazione non ne „à sofferta la vergogna &c.* statímque „affert decretum Comitiorum Gene„ralium Ravennæ celebratorum anno „1644. contra Authorem talis libelli, „quem ipsi etiam nostri cœtûs Mona„chum esse, minimè se credere pro„fitentur. Sed hunc Cajetani librum „corruptum, & depravatum fuisse, „luce clarius, etiam patet ex suppli„ci libello sex paginarum in fol. ab „eodem Constantino Sac. Indicis Con„gregationi oblato, qui MS. legitur „in 3. Tomo Miscellan. Sacr. ejusdem „Cajetani in Bibl. Sapientiæ Romanæ „existente.

contra eum insurgit P. Joannes Rho.

SS. D. N. Pont. Max. Innocentio X. atque Eminentissimis & Rev.mis DD. S. R. E. Cardinalibus S. Congreg. Indicis &c. quibus singillatim enumeratis sic incipit: *Iterum provoco ad vos Principes Ecclesiæ militantis, Judices Consultissimi; nam cùm Jo. Rhò magnam mihi intulisset injuriam, affirmando,* Cajetani libellus Supplex ad sacr. Indicis Congreg.

me

* Hort. Crus pag. 330.

me scripsisse, quin imò falsitatis me accusans, falsas plurimas enumeravit contumelias, cùm nihil ejusmodi excogitaverim; non enim maligna illa contra Societatem scripsit, vel scribere potuit Constantinus, sed potiùs I. E. N. & quod mirum est, ex eadem Jesu Societate, qui anno X. antequam Constantinus suum composuisset, ipse librum ejusmodi calumniis contextum, & scatentem, juris publici fecit; cujus titulus est: VIDA DEL PATRIARCHA SAN IGNATIO DE LOYOLA FUNDADOR &c. EN CARAGOSA 1631. ET MADRITI LATINE 1637. *Hic est lapis offensionis, & petra scandali, occasio livoris, & odii, malè parta contra Constantinum, ejusque librum, cùm ejusmodi errores à N. opere translati fuerint in Constantini opus Venetiis post annos X. editum. Quapropter vocatus à vobis E.mis Principibus S. Congreg. Indicis, innocentiam suam aperiens contextis calamo verbis sic locutus est &c.*

E.mi & RR. DD. S. R. E. Cardinales &c.

„*Postquam Venetiis editus fuit liber noster de Religiosâ S. Ignatii, sive Enneconis Fundatoris Soc. J. per Patres Benedictinos institutione aliquot scatens erroribus, utpote inter alia, litera illa Florentinorum &c. Sac. Congreg. Eminent.morum Cardinalium Indicis librorum petiit, & habuit à me copiam recti originalis, & cùm ultrò dedissem, in fine illius manû meâ signatum ita notavi.* EGO D. CONSTANTINUS Syracusanus, Romani Collegii Gregoriani Præses Ord. S. Benedicti affirmo, superiores duos libros, cum Præfatione ad illos à me fuisse conscriptos, atque in eis scribendis conatus meos adhibuisse, ut Apostolicæ Sedis leges, & decreta perfanctè servarem; *Quamobrem, quæ Veneta editio nomine meo impressa, atque ab hoc meo exemplari diversa, & quidem religiosis auribus offensiva, continet, tanquam non mea respuo & infringo. In cujus rei fidem hanc apocham meâ manû scripsi, subscripsique hac die* 10. *Martii A. C.* 1624. *Idem qui supra D. Constantinus Abbas Cajetanus m. pp.*

Decretum circa librum Joan. Rho S. J. „Et post quædam, de Libro ejusdem Rhò, *Achates* dicto loquens „ *quare à vobis Principibus Cardinalibus jure & merito inter maledicos enumeratus, ut maledicus damnatus est &c.* Plura denique profert de S. Ignatio scitû quidem dignissima, quæ tamen nimis longum, & ab instituti mei ratione alienum esset referre: hoc solum dixero *de Constantino Cajetano*, déque hisce duobus libellis sic in Indice librorum prohibitorum haberi pag. 424. juxtà editionem Romanam anni 1711. *De Religiosa S. Ignatii, sive Enneconis Fundatoris Soc. Jesu per PP. Benedictinos institutione, déque libello Exercitiorum ejusdem ab Exercitatorio Ven. Servi Dei Garziæ Cisnerii Abbatis Vindicis Benedictini, quos ipse Abbas Constant. tanquam suppostitios, sive adulteratos pro suis non agnoscit. Achates* verò Joannis Rhò absolutè, & sine ullo additamento ibidem prohibetur.

Atque ex his judicium ferre potest æquus Lector, quàm iniquè Abbas *Cajetanus* P. Pinio vapulet, qui tela sua potiùs contra nebulonem illum convertere debuisset, à quo libellus Cajetani depravatus est, congestis in illum malè olentibus flosculis, quos ex Jesuitæ contra *S. Ignatium* Patrem, & Societatem Matrem nequissimè scribentis viridario decerpsit. Sic plerumque fit, ut alii delirent, alii plectantur. Si tamen per me stetisset, Abbati Cajetano author extitissem, ut ab hoc tractando argumento calamum abstineret; quemadmodum & Sodales nostros rogatos volo, ne ulla occasione illud recoctum in mensam Reipublicæ Literariæ inferant; est siquidem invidiæ plenum. Majori nobis sit curæ, ut pax & concordia, cujus Religiosos amantissimos esse oportet, inter utramque sacram Familiam perpetua constet. Quâ ratione impulsus locum illum, qui hâc de re in *Nizeronii Memoriis* non ita pridem editis legitur, silentio prætermitto. Ex quo P. Pinii criminatio refellitur.

Tertius denique Criticus GREGORIUS ARGAIZIUS, quem *Nicolaus Antonius* & *Joannes Pinius* CHRONOGRAPHUM *Ordinis S. Benedicti* nominant. Is porro in Historia Dominæ nostræ Monserratensis linguâ Hispanicâ an. 1677. Matritensibus typis vulgata, *S. Ignatio* de libro Spiritualiû Exercitiorum litem intendit, argumentis in medium prolatis, quæ ficulnea magis, quàm magni roboris esse judicant Adversarii. Ejus tamen disceptatio Critica imperitiæ potiùs ac ingenii debilitati, quàm animi malevolentiæ tribuenda est. In hanc partem induci se passus est à *Carolo de Tapia, Antonio de Lupian Zapata, Hieronymo Romano de Higuera.* Quanto suppositionis flagitio, atque æterno nominis sui opprobrio, is, quem postremo loco nominavi, Rom. de Higuera Gregorius Argaizius librum Exercitiorum Spir. S. Ignatio abjudicat.

guera *Dextri*, *Maximi*, *Luitprandi*, *Juliani*, aliorúmque confictis operibus Hispanicæ genti illuserit, abundè intelligi datur ex *Nicolai Antonii* Bibliotheca Hispana cùm novâ tum veteri, ubi etiam, quis *Gregorius Argaizus* fuerit, legi potest, nempe Operum à Jesuita *Higuera* suppositorum *parastates ac hyperaspistes acerrimus juxta ac simplicissimus*. Qui quæ perperàm scribendo peccavit, ea non tam malâ fide, teste Eminentissimo Cardinale de Aguirre, quàm nimiâ simplicitate peccavit. Plura etsi possem de hoc bello Critico circa Librum spiritualium Excercitiorum, ejúsque Autborem non adjicio, sed iis consultò abstineo atque ad alia propero.

Critices utilitas in temporis supputatione.

Pro vitiosâ temporis supputatione probam substituere, atque authores, qui longè alio, quàm quò vel vixerunt, vel devixerunt, ævo recensentur, ad verum ætatis ipsorum revocare tempus, num poterit, qui criticæ artis est ignarus? Rem tribus quatuor declaremus exemplis. Erasmus & Brixius, ac pleraque alii *Basilium Magnum*, & *Joañem Chrysostomum* eadem tempestate floruisse, maximámque familiaritatem inter se coluisse idcirco putant, quòd videant in pulcherrimis illis Chrysostomi de Sacerdotio libris loquentem induci Basilium, singularísque necessitudinis, quæ ei cum Chrysostomo interceslit, illustrem atque honorificam mentionem fieri. Quam tamen opinionem falsam esse *Jacobus Billius** paulò antè laudatus perspicuè demonstrat vel ex ipsis libris, à quibus in eam sententiam inducti sunt. Nam cùm *Chrysostomus* Basilium eum, cum quo colloquitur, fugâ se subduxisse queratur; cùm interim ipse ad Ecclesiæ gubernacula raptus est, quis in Ecclesiasticæ historiæ monumentis tam rudis est ac peregrinus, quin statim animadvertat, id nullo modo convenire posse Cæsariensi Basilio, qui plurimis annis ante Chrysostomum ad hujusmodi dignitatem provectus est, hoc est, imperante VALENTE?

De anno obitûs S. Benedicti.

Quô annô fatis functus sit S. P. BENEDICTUS, non convenit inter Historicos Benedictinos: sed alii in aliam aguntur sententiam. *Marianus Scotus* & *Sigebertus* Gemblacensis uno quidem ore affirmant, sanctum Patrem nonaginta sex annos in humanis fuisse: quô tamen post natum Servatorem anno vivere desierit, mirè dissentiunt. Sigebertus quingentesimo nono mortuum esse: Marianus sexcentesimum tertium attigisse affirmat. Alii Historici medio eunt. Venerabilis *Beda* mortuum esse ait anno quingentesimo vicesimo nono. Testem adducit *Victorem* Episcopum Capuanum. In eandem urnam calculum suum conjicit *Paulus* Diaconus*; quantumvis animadverterint abire se à regulis computûs Astronomici, quod Beda ipse utcunque fatetur Prologo supra circulos Dionysii Monachi. Ad Bedam proximè accedit *Raphaël Volaterranus*, qui annum quingentesimum vicesimum octavum sancti Benedicti præclara morte insignem facit. Eandem Hugo monachus Floriacensis in annum quingentesimum tricesimum sextum differt. *Bellforestius* duos annos insuper addit, adeóque quingentesimo tricesimo octavo vitam exuisse affirmat. Tertia sententia, in quam certatim etiam bodie eunt, S. BENEDICTUM anno quingentesimo quadragesimo secundo vivis eximit. Hujus sententiæ primus auctor personatus *Gordianus* fuit eô libellô, quô sancti Placidi Martyrium in lucem emisit. Inter eos, qui *Gordianum* sequuntur, antecelluit *Leo Ostiensis* libro primo Historiæ Casinensis: *Tritbemius* libro primo de Viris Illustribus Ordinis S. Benedicti. *Cæsar Baronius* etsi hanc sententiam verisimilem censeat, maluit tamen S. Fundatoris mortem in annum quingentesimum quadragesimum quartum rejicere. At *Antonio Yepesio* in Chronico Generali Ord. S. B. uno anno priùs sanctam animam efflâsse videtur; cujus sententiæ etiam est *Joannes Mabillonius* in Annalibus Benedictinis. Habes hîc quinque de anno obitûs S. Benedicti sententias, ex quibus conjicias, quàm difficile ** sit, ad unguem signare diem, quô Vir sanctus ad beatos Superos excesserit.

Gundlingio anno obitûs V. Bedæ fallitur.

Plures etiam sunt opiniones de anno obitûs Venerabilis BEDÆ: una antiquissima, altera recens. In epistola Bedæ ad Wichredum Presbyterum *de verno æquinoctio juxtà Anatholium* adducitur exemplum *de præsenti anno Dominicæ Incarnationis* 776. Ab hac sententia Nicolaus Gundlingius, Professor in Academia Hallensi, annis XIV. recedit. Is enim typis vulgavit peculiarem Dissertationem Tomo X. Observat. Selectarum Hallensium insertam, sub

* Observ. Sac. lib. I. cap. 2. pag. 5.
** De anno & die obitûs S. P. B vide Pagium ad an 544. n. XIII.

sub epigraphe: *Epistola de Bedæ ætate ac cognomine Venerabilis.* In hac Dissertatione *Beda* an. 672. natus, & an. 762. ætatis suæ an. nonagesimo denatus dicitur. Errorem suũ *Gundlingius* mutuâsse videtur à *Petro Francisco Chiffletio*, qui in concordia Bedæ & Fredegarii pag. 4. ex epistola Cuthberti emendatiore edita à Simone nostru Dunelmensi conclusit, Bedam è vita migrâsse anno 762. Sed emunctæ naris Criticus neutri opinioni accedet, prohibitus gravissimâ authoritate S. Bonifacii, Archiepiscopi Moguntini, anno 754. martyrio affecti. Is enim Ven. *Bedam* utì vitâ functum suis laudat in epistolis, quod Gundlingium fugisse videtur. Auctor libri de vita Alcuini Abbatis juxtà quorundam opinionem adfirmat, *Bedam nonagenarium* decessisse anno 731. Sed fallitur. Humana enim absolvit Beda die festo Ascensionis Dominicæ 7. kal. Junii, qui in annum 735. incidebat. Et certè si Beda diu post annum 731. vixisset, ultra hunc annum historiam suam producturus fuisset.

Criticorum opinio de S. Ruperti in Noricũ adventu variat. De S. RUPERTI in Noricum adventu ea multis jam annis versatur difficultas, quam doctissimi quique Critici ut pervaderent, multum studii impenderunt. Alii cum *Joanne Aventino* adventum S. Ruperti circa annum 570. ponunt. Alii cum *Josepho Mezgero* annum circiter 580. definiunt. Alii cum *Mabillonio*, *Valesio*, *Pagio*, *Hansizio*, & novissimè cum *Pockio*, Ettalensi Bibliothecario, excellenti Chronographo, annum 696. statuunt. Quis jam calculum rectè & ex vero posuisse existimandus est? Mezgeri sententia placuit *Bernardo Pezio*, qui eam in Epistola, in qua S. Trudperti Martyris Acta anno 1731. Viennæ Austriæ juris publici fecit, non parùm corroborâsse sibi visus est. At *Marco Hansizio*, Germaniæ sacræ Scriptori, ad cujus judicium & examen illam *Pezius* epistolam detulit, longè aliter visum. Is enim rescriptâ ad Authorem epistolâ doctè & solidè ostendit, instrumentum illud, è quo Acta S. Trudperti eruit, necquidquam dignum esse, ut in Palladis sacrario deponatur. Equidem *Pezius* novas volsellas-criticas, quibus sententiam & argumenta Hansizii convelleret ac subrueret, concinnavit, nunquam tamen (morte fors anno 1735. interceptus) eas typis exscribendas dedit, nisi quòd de victoria sibi certus literis ad amicum datis hæc verba inseruerit: *Hansizium habeo debellatum*; quæ cùm ille legeret, ad socium conversus, *vereor*, inquit, *ne Pezius Hansizium debellârit, sicut Bessus Alexandrum super mensam.* A Pezio tamen steterat *Palignesius*, in Historia Germanica apprimè versatus, cui, lectis utriusque *Pezii* & *Hansizii* epistolis, à Mezgeri sententia non tantùm non discedere decretum erat, sed in Opere Historico, quod multis jam annis moliebatur, novis potiùs illam confirmare argumentis, utì ex ore ipsius in Cæsarea Bibliotheca non semel audivi. Sed quia Historia illa, *Palignesio* è vivis sublato, lucem publicam non aspexit, nec fortè aspiciet, ex alio ejusdem non illaudato Opere* quædam huc facientia me adducere non pigeat.

Palignesii de re judicium. *Reperta sunt*, inquit, *à celebri viro* (Bernardo Pezio) *ex S. Benedicti Familia, & publici juris facta S. Trutperti Acta Martyris in Brisgavia, auctore Erganbaldo circa ann. Chr. DCC. quibus diluit, quæ eruditissimi homines contra receptam apud Salzburgenses de S. Ruperti ætate traditionem scripserunt: „Inventum profectò non una ex causa „pulcherrimum, ubi, quantum satis genti sit criticæ, ejus authoritas porrò de„monstretur. Qui reperit, sanè gestiens „historicum problema de occepto moni„mento proposuit erudita & eleganti in „epistola. Sed fidentia, qua id fecisse „apparuit, in causa fuit, cur non memor „habitus sit alicui moniti illius*

„FUMANTEM NASUM NE TU TENTAVERIS URSI."

Tangi enim sibi visus est alius perquàm eruditus Scriptor (Marcus Hansizius S. J.) *qui priscam traditionem, quod nonnulli Gallorum præcipui antè fecerant, impugnaverat dudum. Atque propterea totam rem commentum esse alia epistola ostendere est aggressus. Admirabar insignem in Opusculo dialecticen, methodum, ordinémve, quibus id argumenti pertractavit. Neque indelectabar urbanis leporibus, Plautinisque salibus, quibus pia & reverenda Pectora se aspersêre & perfricuêre. Sed crebrum ante omnia usum negantis argumenti fieri observavi, quo hic illum ubique obruere conatur. Desiderari enim docet* **. I. *Antiquitatem Scriptoris vitæ Trutperti.* II. *In eodem gravitatem communi saltem doctorum hominum testimonio & assensu probatam.* III.

Hansizii rationes inficiales.

* Ex Monitis Genealogicis, Monito 31. §. 7. p. 280.
** in Responsione ad Epistolam Pezii p. 7.

III. *Rerum, quas literis mandavit, inter se cohærentiam.* IV. *Conformitatem cum aliis monimentis antiquis passim receptis.* „ *Cæterum lis sub judice est; donec qui Trudperti vitam edidit,* **antiquitatem Ecclesiæ Salisburgensis restitutam** „ *in lucem emiserit, qua uberiora rei argumenta spopondit, à doctorum cœtu valdè desiderata. In argumento versantur, quod ob naturam suam quàm adstruere, multò est facilius labefactare. Temperabo & insuper à proferendo apertiùs judicio meo, quod tanta erga pia & doctissima Capita est reverentia nostrâ, ut magis argumenta utriusque sibi etiam repugnantia, sin minùs uno loco, ac perinde habere, ut Protagoras solebat, aut eadem fide excipere, quæ fatua fertur Ebræorum erga Rabinos superstitio; saltem eodem animo & voluptate eadem perlegere, quàm alterutri eorum adversari velimus. Id verò non ineptè fieri arbitramur, quia non mediocris ad rem literariam & historicam ex ejusmodi quæstionibus doctè agitatis, & in medio etiamnum fortè relictis, potest utilitas pervenire. Atque adeò vix alicubi locorum in Germania, Gallia, Italia, Anglia & Batavia artes liberales incrementum cepisse, mirè floruisse, aut inventa aliqua celeberrima ex tenebris protracta fuisse comperimus, absque magnorum virorum à se invicem dissentientium disputationibus. Neque quia non omnia inventa æquè prosperè succedunt, & obtinent, ideò tentantibus ingeniis non applaudendum; quinimò animi ipsis & aliis sunt addendi. Quare illis præsertim gratulandum dixeris civitatibus, quæ similes non omninò fastidiunt eruditas lites; ignavissimis enim quibusque tantum, & quorum literarum nullus est amor, nauseam generant. Æquo autem animo & justo discrimine ac laudis ac damnationis moderamine videntur accipiendæ sine alterutrius partis vituperio, quò minùs animum ipsi despondeant atque alii. Licèt enim fieri non possit, quin hominum pari quidem doctrina præditorum, sed dissimili & contraria opinione imbutorum alter veritatem, alter errorem propugnet; attamen quemque universim aliàs de rep. bene meritum manet laus sua, atque sua à tempore arbitro causarum optimo aut merces aut vituperia certissima.* Hæc Palignesius; plura verò clariss. *P. Carolus Meichelbeck* Tom. II. Hist. Frising. Differt. 1. prolegom.

Quæ ex dissidentibus opinionibus utilitas.

Arte Critica præprimis Sodalibus nostris in Gallia opus fuit contra *Joannem Launoium*, superioris ævi Criticum, qui parem scribendi licentiam cum non vulgari eruditione conjunxit, quóque veritatis studium nemo arrogantiùs jactavit, nemo haud parùm sæpè fœdiùs violavit. Fuit is Constantiæ in Normannia, Galliarum Regni provincia, natus, vir quietis impatiens, quâ nec se nec alios frui sinebat, & nativa quadam titillatus prurigine, ac jure vel injuria carpendi Viros illustres, calamum felle tinctum in plures acuit, receptásque communi piorum suffragio opiniones lacessivit argumentis ut plurimùm negativis, quæ incerta esse luculenter contra eundem Launoium evincit benè longa & eleganti exercitatione *Joañes Baptista Thiers*, qui Launoium etiam cum Amano in comparatione conjungit. Ut hic enim, quò Mardochæo nocere posset, totam Judæorum gentem perditum ibat; ita ille ut in *Robertum Quatremarium*, Congreg. S. Mauri Sodalem, à quo semel atque iterùm strenuè repulsus fuerat, inveheretur, universum illud Sodalitium convitiis lacessendum putavit. *Certè ut liberè dicam*, inquit doctissimus Amat de Graveson *, *quod olim de morosiori quodam Censore lepidè dicebat Tullius Cicero*, illum videlicet Gramaticæ non Aristarchum, sed Phalaridem esse, *in Joannem Launoium, nuperrimum Criticum, jure optimo detorqueri potest, eum videlicet multarum traditionum & opinionum non Aristarchum, sed Phalaridem fuisse.* Ille quippe est superciliosus censor, qui non ferro, sed ferreo calamo in plures receptas opiniones ac traditiones temerario ausu grassatus est, qui facta omnia, infecta esse prætendebat, qui totus fuit in vetustissimis quibusque Sanctis è cœlo pro virili parte detrudendis, quasi depopulandi cœli partes sibi desumpsisset. *Plures Divos*, inquit Bonaventura Dago, doctus Carthusianus **, *Deo hominibúsque formidandus hic Criticus de cœlo præcipites dedit, quàm Pontifices decem ibi collocârunt*: omnia in Martyrologiis suspecta habebat, ac singulos Sanctos non minori studio explorabat, quàm apud Gallos explorantur, qui *Nobilis* titulo gaudere debent. Sancti Eustachii apud Lutetiam Parochus ajebat; *Ubi Launoio occurro, pronus ac demissus pileum præ mani-*

Launoius infestus Benedictinis Criticus.

* Histor. Eccl. Tom. VIII.
** Qui sub nomine Vigneulii Marvilii Miscellanea Historica & Literaria edidit Tract. 1. pag. 227.

manibus habens salutem dico, veneror, ne EUSTACHIUM *meum nutantem ac vacillantem humi prosternat, dejiciat-que.*

Unum addo (cum Ant. Dand. Alteserra Jureconsulto Tolosano in epist. ad Lud. Nubleum loquor) *me satis mirari non posse, quo pacto Presbyter & Theologus ætate & variis literarum studiis consummatus, tam avidè novas opiniones affectat, & tam animosè receptas oppugnat, magis studio contradicendi, quàm veritatis. Quàm multa sunt, in quibus errare juvat cum plebe; nequaquàm vinci turpe est in hoc genere pugnæ, in quo victoria nihil prodest victori, nec Reipublicæ.*

contra eum pugnant nostri.

Contra insolentem hunc Criticum, cujus libri complures Romæ damnati, & inter vetitos censiti fuerunt, tum à nostris, tum pro nostris in arenam sæpiùs descensum fuit. Nec semper infeliciter. Ut enim ipse Scriptor Vitæ Launoianæ ultrò confitetur, Hugo Mathoudus è Congregatione S. Mauri adversùs Launoium *De vera Senonum origine Christiana* egregiam dissertationem conscripsit. Negaverat is nempe Acta S. Sabiniani, qui à D. Petro in Galliam missus Senonensem metropolim fundâsse perhibetur, authentica esse, sícque eidem Ecclesiæ antiquitatis suæ prærogativam apertè ademerat. Unde Mathoudus non modò à Joanne de Monpezat, Senonensi Archiepiscopo, incitatus, sed à Decano etiam Senonensis Capituli Jacobo Boileau literariis sacræ antiquitatis instructus armis, scitissimè ea tractavit. Contra eundem adversarium partes Benedictinorum in privilegio Suesionensi defendendo suscepit Cl. Dandinus, sed acerbè per eam causam vexatus à Launoio. Lubeat viri doctissimi binas ad Nubleum epistolas perlegere, in quibus planè Launoium confixit.

Eliæ Dupinii Critica.

Hujus ipsius famosi Aristarchi discipulus fuit non vulgaris eruditionis, ac penè supra magistrum, *Ludovicus El. Dupinius,* patriâ Parisinus, & Facultatis Theologicæ Doctor, qui sequioris homo doctrinæ magistri sui * vestigia ubique pressit, ac teste V. C. *Jo. Bapt. Solerio* Antverpiensi Hagiographo *multa temerè in chartam conjecit, quæ ab eruditis examinata manifesti erroris convincuntur,* & in his, quæ edidit Opetibus **, præsertim in sua *Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum*, quæ novendecim Tomos complectitur, de Romanis Pontificibus parùm reverenter loquitur, in sanctorum Patrum Opera, stylum, & doctrinam quasi pro Tribunali sedens, virgam censoriam exercet, sanctorum Ecclesiæ Doctorum Augustini & Hieronymi Opera deprimit, Scriptorum Ecclesiasticorum lucubrationes pro suo gustu & arbitrio aut contemnit, aut extollit, Viris Regularibus, quos vulgò *Mendicantes* appellamus, præcipuè Fratribus Prædicatoribus, sese passim infensum prodit, eorúmque Opera parvi facit, receptas traditiones & opiniones, quæ Fidelium pietatem alere possunt, tanquam fabulas, superstitionem, & putida commenta irridet, explodit, exsibilat, atque infelicibus conjecturis abolere conatur; uno verbo *Dupinius* Dictatam nescio quam, sine eruditorum suffragiis in liberrima Republica Literaria sibi arrogat, & si quos à se vel minimùm dissentientes putat, illicò Plautino illos sale defricat, & tanquam Critices disciplinæ penitùs ignaros traducit ac vellicat. Hinc hæreseos atque perversorum dogmatum ab Ecclesiæ Gallicanæ Episcopis accusatus, ab Archiepiscopo Parisiensi *Francisco de Harlay* adactus est ad palinodiam; cùm jam olim ob nonnullos editos tractatus malè habitus esset. ejúsque opus año 1693. tum Parisiis tum Romæ prohibitum est, magno Scriptoris dedecore. Contra hujus Critici cæteroquin pereruditi insolentiam calamum corripuit doctissimus noster *Mathæus Petitdidier* Abbas S. Petri Senonensis & Congregationis SS. Vitoni & Hidulphi Præses Generalis, qui aliquot vulgavit Criticarum Observationum Tomos in Bibliothecam Scriptorum Ecclesiasticorum à Lud. El. Dupinio contextam. Julianus Garnier, vir eruditus, & à novissima Operum S. Basilii editione percelebris, eximium vocat opus, quod homo doctrinâ præstans *Mathæus Petitdidier* adversùs multos Ludovici Dupinii errores conscripsit.

à R. P. Mathæo Petitdidier castigata.

Aliud criticæ argumentû de infallibilitate Pontificis.

Aliud insigne eruditionis Criticæ specimen edidit idem doctissimus Abbas *Petitdidier* in Dissertatione Historico-Theologicâ, in qua examinavit, quænam mens fuerit Concilii Constantiensis, præcipuorúmque, qui eidem interfuerunt, Theologorum, circa *Auctoritatem & Infallibilitatem Summorum Pontificum.* Quia verò Galli illi Theologi, quibus Concilium supra Papam evehe-

* Julii Tom. IV. pag. 36.
** ita Amat de Graveson H. E. Tract. VIII. p. mihi 181.

evehere statutum est, doctrinâ Joannis Gersonii, Universitatis Parisiensis Cancellarii, præcipuè nituntur, *Petitdidier* in mente ejusdem Gersonii, nec non principia, quæ ad stabiliendam Conciliorum supra Summos Pontifices auctoritatem adhibuit, magna diligentia inquirit. Ostendit verò Gersonium nec ab eruditione ecclesiastica, nec à fidei puritate jure ac merito commendari, ejus verò principia tam improba, & tam parùm Ecclesiæ doctrinæ esse consentanea, ut in Tractatû, cui titulum fecit: *De mediis reudunandi, & reformandi in Concilio Generali*, vix pagina reperiatur, quæ errorem non contineat, & in quâ livor adversùs Summos Pontifices non se prodat adeò ater, & violentus, ut ad errores Wicleffi aliorúmque seculi XVI. Hæreticorum proximè accedat, si multis in locis eos omninò non-superat. Quid? quòd *Gersonii* doctrina planè fit seditiosa, pestifera, execrabilis, utpote quæ non modò rebellionibus ac seditionibus, sed & generalibus subditorum à suis Principibus defectionibus januam pandat, imò potestatem tribuat eos vitâ privandi. Et hoc esse Diabolicum illud principium, quod seculo præterito Regi cuidam subditorum suorum manibus vitam ademerit, milléque alios funestos casus in aliis Europæ Statibus protulisset, nisi ipsa Europa justum horrorem, quem de tam abominandâ actione conceperat palàm testata fuisset. Hinc summâ prudentiâ *Ludovicum XIV.* prohibuisse, ne Authoris adeò perniciosi Opera in suo Regno prælo iterum subjicerentur.

Criticorum mutui morsus. Jam verò si de morsibus loqui velimus, quos Critici non parùm sæpè aliis infigere solent, peracres & dedit & accepit *Joannes Martianæus* è Congregatione S. Mauri, qui novam Operum D. Hieronymi editionem adornavit, eámque Innocentio XII. inscripsit. Neque enim hæc tam sacra, támque omni veneratione digna dedicatio Editorem contra Criticorum rabiem tutum ac securum præstare potuit. Agmen duxêre * *Richardus Simonius* & *Johannes Clericus*, duo majoris quàm melioris famæ Critici, qui non solùm, ut scribit Martianæus, *verba, sed syllabas quoque nostrorum verborum calumniantur, in eô se scire aliquid arbitrantes, si alienis operibus, ac rectè factis detrabant.* Ast ambobus non modò se parem ostendit noster, sed etiam diversis Operum suorum locis palàm omnibus eruditis fecit, plusculâ esse, quæ *Richardus Simonius*, & *Johannes Clericus* discerent à *Martianæo.* Extant satis cruentæ (*is fuerat adversariorum impetus*) Apologiæ, in quibus impavidus Hieronymi Editor *Simonii* Historiam Criticam *Veteris Testamenti stultam, temerariam ac imperitam*, vocat, ipsúmque *Simonium* velut *Scriptorem magno loquendi impetû fluentem, more torrentis turbidum ubique proferentem sermonem, ac falsa pro veris sæpiùs aut semper nobis obtrudentem* exagitat. Johannem autem Clericum, qui editis quibusdam *Quæstionibus Hieronymianis*, Hieronymi juxtà & Martianæi Nomen ac eruditionem fœdè laceraverat, singulari Opere, quod *Eruditionis Hieronymianæ Defensionem adversùs Johannem Clericum* inscripsit, tanquam ** falsum Christianum, falsum interpretem Bibliorum sacrorum, falsum artis Criticæ Scriptorem, falsum libertatis animorum vindicem, falsum quàm plurium voluminum editorem, *mertum Criticum, Sycophantam, & Clericum imperitissimum* accipit & repellit, eámque *libertatem in redarguendo imperito, & parùm modesto Critico sine summa aut imperitia, aut iniquitate non posse sibi negari existimat.* Omitto alia *Martianæi* non minùs aculeata verba, quibus ipse, quas aliis Criticis præscripsit regulas, non satis observâsse videtur. *Quid prodest*, dicebat in Tomi I. Prolegomenis, *quid prodest spumantibus labiis, & latratû adversùm nos garrire canum? Cùm simplex & moderata responsio aut possit te placare, si vera est, aut si falsa, leniter à te & placabiliter emendari.* At enim in has modestiæ leges non parum ab eo fuisse peccatum scribit *Philippus le Cerf* in Bibliotheca sua Historico-Critica. Quò etiam teste, nec propriis suis pepercit Confratribus. Quàm indignum in modum Domnos *Garetium*, & *Coustantium* (tametsi posterior in Congreg. S. Mauri vir esset celebratissimæ doctrinæ) acceperit, videri potest in ejus Prolegomenis ad S. Hieronymi divinam Bibliothecam. **Jo. Martianay in regulas Criticas à se præscriptas peccat.**

Quæ ideò à me dicuntur, ut Sodales nostri, si quando bellum criticum inter ipsos oritur, ab omni verborum aculeo, ne dicam, contumeliâ se abstineant: à nullâ enim re abhorrere magis debemus, atque ab illâ, quæ fraternam lædit charitatem; hæc enim præ doctrinæ atque eruditionis laude potio-

* Opp. D. Hier. Tom. 3. Prolegom. 5. apud Pez. in Bib. Maur. lib. 2. c. 8 p. 317.
** loc. cit. col. 1152.

potiores partes apud Viros Religiosos tenere debet. Præcipuè id tum cavendum est, cùm unum monasterium cum altero ob viros pietate ac literis insignes bello critico implicatur. *Scio enim*, inquit Johan. Trithemius, *nostri Ordinis Abbates, & Fratres complures, qui, ut cœnobia sua de aliena laude insigniora reddant, doctores aliorum sibi usurpant.* Et „ ut fidem verbis vel unico demonstrem „ exemplo, tacito nomine eorum, „ quid de *Haymone* quidam sentiant; „ breviter insinuabo. Constat, *Haymonem* monachum fuisse Fuldensis „ cœnobii, & Episcopum Halberstadiensem tertium: sicut superiùs suo „ loco descripsimus. Et nihilominus „ novi tria monasteria, quæ eum velut suum denfendant. Duo autem „ ex eis ducentis vel trecentis annis „ post mortem ejus primò fundata sunt. „ Quomodo ergo fieri potest, ut illius „ cœnobii monachus fuerit, cujus fundationem tot annis præcessit? *stulta est hujus rei decertatio, quæ ex laude pendet aliena*.„ Hæc Trithemius.

Monasteriorum critica certamina de Viris Illust. sibi asserendis.

Atque ut rem exemplo minùs antiquo illustremus, *Joannes Egonius*, antiquissimi Monasterii Augiensis Prior doctissimus, in studium Critices non indiligenter incubuit. Cùm verò *Jodocus Mezlerus*, auctor Operis de Viris Illustribus S. Galli, quosdam Divitis Augiæ Heroës, v. g. *Walafridum Strabonem*, *Hermannum Contractum*, *Waldonem* Abbatem San-Gallensibus præfidentiùs tribuisset, *Grimaldum* verò Archicapellanum non ex Augiæ Divitis modò & Ord. Benedictini albo expunxisset, sed in Canonicum etiam & Clericum secularem transformâsset, ille rem haudquaquam dissimulandâ ratus, eosdem Augiæ suæ veluti postliminiò restituere, ac vindicare aggressus est. Et quidem quod ad *Grimaldum* attmet, fuit is *Ludovici* Germaniæ Regis *Archicapellanus*; quæ magna erat dignitas & auctoritas, imò apex omnium dignitatum palatinarum. *Pro jure enim sui muneris*, ut MARCA scribit in Lib. VIII. de Concordia Sacerdotii & Imp., *Ecclesiasticas causas in Palatio distringebat Archicapellanus*; eas nimirum, quæ communes erant, ut scribit *Lupus* Abbas Ferrariensis epist. 37. id est, graves. *Præter eam auctoritatem, quæ propria erat Archicapellani, omnibus consultationibus, quæ de re publica aut privata in Palatio à Consiliariis (qui partim Clerici erant, & partim Laici) haberentur, Capellanus semper interesat*, ut in libro IV. ejusdem Operis *Marca* docuit. Quam dignitatem qui Episcopus habuit, cæterorum Episcoporum quasi caput constituebatur, ita ut in Synodis & Conciliis etiam Metropolitanis præsideret. *Grimaldus* verò noster ex Monacho Augiensi Abbas S. Galli & Archicapellanus Ludovici Germaniæ Regis præfertur *Salomoni* & *Theoderico* Episcopis in volumine Capitulorum Karoli Calvi Tit. xxiv. Tantæ verò támque excelsæ dignitatis Virum non Augiæ modò Diviti, sed toti adeò Familiæ Benedictinæ à Scriptore Benedictino surripi, indignè ferens *Joannes Egonius* prò Grimaldi Monachatû Benedictino Augiensi strenuè decertavit *, sed quibus argumentis audire juvat.

Jo. Egonius Critícus modestus.

Archicapellani magna dignitas.

Grimaldus Archicapellanus prius Monachus Augiensis.

„ In Antiquissimo codice nostro ante octingentos annos adhuc, antequam Grimaldus S. Galli Abbatiam esset nactus, conscripto, quo sub *Erlebaldo* viventium Augiensium Fratrum nomina inscripta visuntur, expresse Grimaldi etiam Capellani nomen inter alia reperitur. Et ne venerandæ antiquitati aliquid derogâsse videar, palámque constet, me bona fide codicem illum citare, & pro nobis exponere, placuit titulum ipsum, & nomina ordine suo posita, brevitatis tamen causâ pluribus huc non pertinentibus omissis, adjungere. Titulus autem iste est: *Nomina Vivorum Fratrum Insulanensium*. Sequuntur verò statim hoc ordine:

> *Erlebaldus* Abbas,
> *Heito* Episcopus,
> *Thegamnar* Presbyter,
> *Walvini* Presbyter,
> *Sigebertus* Presbyter,
> GRIMALDUS *Capellanus*,
> *Sigifrid* Monachus.

Et plures alii Presbyteri, Diaconi, & Monachi &c. En oculatum, & planè incorruptum testem, qui nullos alios huic Catalogô inseruit, quàm Monachos Augiæ, quos omnes novit sub *Erlebaldo* viventes. Non existimo potuisse inveniri aliquem ita impudentem, qui auderet viventem, & adhuc in floridâ ætate existentem *Grimaldum* (quem etiam expressè nominat *Capellanum*) Monachis Augiæ immiscere, si talis ille nunquam fuisset. Videtur præterea *Grimaldi* in Augia Professio & Magisterium optimè probari ex *Wa*„*lafridi* poëmate, quo mortem Wetti-

quod valitruitur argumentis.

Rrr 3 ni,

* Lib. de Vir. Ill. Aug. Div. cap. xiv. extat in Thes. Pez. Anecd. Tom. I. p. 674.

„ni, sui in Augia Magistri & Præceptoris, *Grimaldi* verò germani fratris, aut certè cognati deplorat, & *Grimaldum*, de quo sermo est, adhortatur, ut loco fratris sui *Wettini* Præceptor esse velit, Augiensémque juventutem edocere his versibus:

--Sæpe quod adjungo ploratibus, unum est,
Quòd nullus magni profertur dogmatis hæres;
Prædia tanta vacant, nullo vireta colente;
Deperit absconsæ sapientia mentis ab usu,
Dicitur: heu misero! qui dum cadit, ipse levantem
Non habet, ille jacet cuncto miserabilis orbi.
Tu Fratris deserta tui jam semina profer.
Non torpere vacat, sanctâ quod lege jubetur:
Est, sed fructiferum, si quis sub lege potitur.
Decidit ille mihi, vicibus nemo illius adstat &c.
Innumerisq; bonis meritum superaverat omne.
Quis mihi nunc misero verbum demonstrat adhortans?
Annales memorare dies, mortémque notare
Quis cogit, nisi solicita sub mente retractet
Proximus ille sibi jussum de nomine Christi,
Ne Fraterna suo tollatur ab ordine proles.
Hæc jam dicta legas, Pater optime, corde receptans,
Ex hinc esse mihi dignare affabilis, atque
Rebus in occultis nostrum solare dolorem &c:

In Magistrum expetitur.

„Ex versibus proinde istis liquidò patet, *Grimaldum* Augiæ fuisse Monachum, & Walafrido octodecim tunc añorum adolescenti valde notum, imò etiam familiarem, quod ipsemet iterum in prologo visionum Wettini ad eundem Grimaldum his verbis testatur: *Ex quo, Pater Beatissime, familiari quadam pietate exiguitatem meam dignati estis agnoscere, sedulò tenaci memoria amplexabar, cujus præsentiam summo ardore sitiebam, sicut & hactenus ago* &c.

„Quomodo verò *Grimaldus*, si Canonicus & Magister secularis fuisset, *Walafrido* tam notus esse potuit & familiaris? Quomodo etiam *Walafridus* ejusdem in Augia præsentiam summo semper ardore potuisset sitire, illúmque Magistrum suum exoptare, & ejus absentiam molestè ferre? Sciebat sine dubio, aut scire debebat, Clericos seculares Monachis tum non fuisse datos Magistros, imo etiam in claustra Monasterii vix hospitandi causâ, ne dicam habitandi intromissos. Augiensis ergo *Grimaldus* fuit Monachus, quod insuper etiam inde constare debet, quòd is, ut primùm S. Galli Monasterium gubernandum assumpsit, cum Augiensibus suis Fratribus antiquum fraternæ charitatis & amicitiæ vinculum inviolabiliter conservandum re„novavit, & velut ex duorum Monasteriorum hominibus unam communitatem vel congregationem efformavit.

Abbas factus San-Gallensis sacrum fœdus inter Augiense & San-Gallense monasteriū sanxit.

Hìc porro vel obiter admonuisse sufficiat, *Grimaldum*, quamvis ex Augiæ Monacho *Archi-Capellanus Ludovici*, & postea etiam S. Galli Abbas fuerit factus, nunquam tamen fuisse Abbatem Augiæ; quod quidam perperàm scribunt. Nam ab anno Christi 841. quo S. Galli monasterio præsidere cœpit, usque ad annum 872. quo ex hac vita migravit, Augiam nunquam interruptâ serie rexerunt Walafridus, Folcwinus, Waltherus, & Haito Abbates, prout Annales Augienses Germanicè conscripti habent, Hermannúsque in Chronico apertè testatur. His & aliis de rebus opportuniori loco forsan fusiùs agemus. Tamen etiam hîc, cùm de Augiæ Doctoribus, omitti Grimaldus non debuit, cùm celebris Magister, & in Aula Regis etiam Archi-Capellanus maximâ cum dignitate, honoréque fuerit.„

Atque hæc sunt rationum momenta, quibus Joannes Egonius *Grimaldum Archicapellanum* cùm Ordini Benedictino, tum Augiæ Diviti eruditè asseruit; nec in aliis Viris Illustribus Monasterio suo vindicandis contra *Jodocum Mezglerum** infaustis avibus depugnavit. Nam eo rationis & auctoritatis pondere, judicio, ac eruditione Augiæ suæ causam in doctissima sua lucubratione *De Vir. Illustr. Augiæ Divitis* egit EGONIUS, ut nemo non à partium studiis alienus illicò videat, longè certius jus in quosdã magnos viros Augiensium, quàm San-Gallensium esse.

Egonius æquanimiter pugnat pro aliis illustribus viris Augiæ suæ asserendis.

Prius verò quàm in arenam criticam descenderet „pugnabimus amicè, dicebat, scribemúsque sine felle & „odio, quia scimus eos, quibuscum „nobis certandum erit, hos non ex „malevolentiâ nobis subtrahere, neque ullo modo Augiensium antiquæ „gloriæ derogare velle, sed aliquando potiùs plus æquo amore suorum „Monasteriorum captos sibi aliquid „indulsisse, & inde gloriam suam præ „cæteris promovere voluisse.„ Hæc Egonius. Nec liberaliùs promisit, quàm promissis stetit. Erat enim non minùs modestus, quàm apprimè doctus.

Criticis Religiosis modestia observanda.

Contrà multi faciunt, qui cùm vi ac robore, argumentorum minùs pollent, convitus indulgent, acsi victoria in iis consistat, ísque torphæum reportâsse existimandus sit, qui liberaliùs, ac

Falluntur qui convitiis indulgent.

* Vid. Pez. Dissert. Isagog. in Tom. I. Thes. Nov. Anecdot.

ac *toto horreo*, ut ajunt, convitia sparserit. *Fallitur*, inquit C. V. * Marcus Hansizius Soc. Jesu, *qui vim & nucleum criticæ consistere putat in dicacitate & cavillis, quos profectò nihil est artis, in res etiam optimas intorquere: erit ubilibet, cui lappam si lævus sis, appingas. Sic habeo: in ferenda præcipuè censura elucere debere bonam mentem, non illud sannarum, & ciconiæ pinsendæ studium, illas ad traducendum insidias.* Atque ut ipse observaret, quod alios commonuit, in critica disputatione, quam cum uno alteróve Sodalium nostrorum in Germania instituit, eo scribendi genere usus est, ex quo non minor modestia ac candor, quàm doctrina & eruditio elucent.

Marci Hansizii modesta Critica. Argumento est amica ** disceptatio de rebus inclyti monasterii ad S. Petrum Salisburgi, quæ cùm multam in Historia Archiepiscopatûs Salisburgensis paginam faciant, *Hansizio* occasionem scribendi dederunt nonnulla fors à receptis traditionibus devia: quæ tamen quàm rectâ mente ab ipso sint scripta, vel hinc intelligas liceat, quòd potiorem Operis partem jam prælo subductam Salisburgum ultrò, & injussus transmisit, & ad alios, & ad ipsum monasterii Petrensis Abbatem PLACIDUM (*virum cujus laus est in Ecclesia, verissimæ bonitatis vivam effigiem*) eo consilio, ut si quâ parte aberrâsset acus, vimque fecisset aut juribus aut veritati, edoceretur argumentis idoneis, ac reduceretur in viam. Quo viri candore, & delectatus amantissimus Præsul, & usus est, negotio dato cuidam de suis eruditissimo viro, qui aliquos asteriscos adposuit.

Convictum se fatetur de Ruperti Monachatu. Quos cùm legisset *Hansizius*, alicubi victas dedit manus, alicubi in pristina perstitit sententia. Convictum se fassus est de Benedictino Monachatu cùm S. Ruperti, Primi Salisburgensis Episcopi, atque Bojorum Apostoli, tum primorum ejusdem sociorum; quem priùs multis argumentis in dubium vocaverat. Neque hoc gratiæ cujusquam se dare, sed studio libero veritatis, protestatus est. A sententia verò, quam statuerat anteà de *S. Ruperti ætate*, ad seculi septimi finem promota, nec quidquam sibi deflectendum existimavit, sed novis potiùs argumentis stabilivit.

Ut verò è nostris etiam aliquos in exemplum *modesti Critici* proponam, duos ob oculos constituam, unum antiquioris, alterum recentioris & hodierni ævi. JONAS Episcopus Aurelianensis adversùs Claudii Episcopi Taurinensis opus *cultui imaginum* oppositum Libros III. conscripserat. Priùs verò quàm eos Carolo Regi *Ludovici F.* offerret, eos *Lupi Ferrariensis* Abbatis censuræ submisit, adjectis precibus, ut ea, quæ corrigenda viderentur, obelisco non parcè notaret. Hic quâ erat non tantùm singulari eruditione, sed etiam modestiâ, nihil in illo mutandum duxit, hac ad Jonam rescriptâ epistolâ: „ *Reverentissimo Præsuli* JONÆ „ *Lupus & VV. in Domino salutem.* „ Librum vestrum, sicut rogâstis, ex„ currimus; sed, ut parcissimè dica„ mus, in eo mutare nihil voluimus, „ ut operis vestri sitis ipsi correctores, „ cujus estis auctores. Siquidem ex„ pendenda nobis fuit teneritudinis & „ tenuitatis nostræ ratio, & ætatis ac „ ordinis vestri consideratio. Nec fa„ cilitatem ac *delectationem* quandam „ *reprehendendi*, quam in quibusdam „ notare solemus, debuimus imitari.„

Jonas Aurelianensis Episcopus sua scripta subjicit censuræ Lupi Abbatis Ferrar.

Stephanus Baluzius, qui Notas eruditissimas ad Lupi Ferrariensis epistolas edidit, in duo hæc verba: *Delectationem reprehendendi* ita doctissimè, ut solet, animadvertit: Lupus, inquit, notat eos, qui ceu Momi, semper aliquid reprehendunt in lucubrationibus eorum, qui studia sua in usum publicum convertunt. Horum stultitiam fugiendam esse. Quòd si vir sapiens cavere debet, ne cujusquam lucubrationes obtrectet; quantò magis id cavendum in libris viri & senis & Episcopi? Itaque *Lupus & Vv.* ob eam causam abstinent à censura libri, quem ad ipsos *Jonas* miserat, additis etiam precibus. *Hodie nullus tam exiguus est magistellus, qui non sibi plus licere putet.* Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas. Ac plerumque fit, ut ii liberiùs & impotentiùs obtrectent doctorum hominum lucubrationes, qui nihil edunt, securi videlicet adversùs legem talionis. Ea de causa *Arnulphus* Lexoviensis ægrè adducebatur ad editionem suarum epistolarum.

Stephani Baluzii ea de re animadversio.

Ab animi moderatione laudatur Mabillonius. JOANNES MABILLONIUS in doctissimis suis libris non semel Criticum agit. Si quem verò interdum refellit [*plures certè, nec infimi nominis viros, ferit ejus censura*] tam modestè, tam civiliter, ac urbanè confutat, ut confutantem vel invitus amet, qui confutatur. Cùm

* in Reflex. ad Tom. II. Germ. Sac. de Archiep. Salisburg. n. CXLII. pag. 984.
** l. c. pag. 985.

Cùm *Buthilierius de Rancè*, Abbas Trappensis in Critico suo de Officiis Monachorum Tractatu iis scientias universas, & omnem fermè lectionem, si facras Scripturas, & quosdam libros asceticos excipias, interdixisset, *Mabillonius* in arenam contra eum descendit, sed quâ lenitate, humanitate, ac modestia? Ea certè, quam D. *Pussorius* à publicis consiliis summoperè demiratus, totâ præsente regiâ Familiâ & coram Cancellario, Regi quâdam die dixit, *se æquo animo ferre non posse P. Abbatis acerbitatem, qui lapides in D. Mabillonium conjecerat, à quo ipse rosis conspersus fuerat*; quâ datâ occasione Rex *Ludovicus XIV.* D. MABILLONIUM *omnium Monachorum in suo Regno doctissimum, atque animi maximè demissi videri sibi pronuntiavit.*

Quid de eo purpurati Patres.

Eandem *Mabillonii* modestiam eximiis laudibus Eminentissimi Cardinales ornârunt. Romæ enim cùm esset, ad Congregationem Indicis inter Consultores vocatus, sententiam pronuntiare, suffragiúmque suum promere jussus de *Isaaci Vossii* quibusdam literis, nempe de septuaginta Interpretum Chronologia, de Dissertatione de ætate mundi, de Diluvio non universali, tanta cum eruditione & modestia protulit, ut mirati Purpurati Patres secundùm eum sententiam dixerint.

Criticorum morsus æquo animo ferendi.

Non exemplo minùs esse nobis potest *Mabillonius*, ut, si quando malè feriati Critici inofficiosis censuris nos vel nostra feriant, æquo eas animo perferamus. Etsi enim doctrinam maximam cum pari modestia, ac humilitate conjunctam possideret, acerrimo tamen Criticorum, duorum maximè *Thiersii* & *Simonii* morsus subterfugere non potuit, quos quantâ quámque invictâ patientia perpessus fuerit, vitam ejus evolventi facilè perspicuum fiet. Et quidem *Simonius* non in MABILLONIUM duntaxat, sed in omnes ejus doctissimos Sodales dentes exacuit, quibus eos mordere, lacerare, ac penitus discerpere incredibili ira ac furore molitus est. Si homini fides *, *falsarii sunt, chartarum, diplomatum, & manuscriptorum corruptores, prædones, fœneratores, impostores ex suppositis Sanctorum reliquiis quæstum facientes, Calvinianorum fautores, omnis eruditionis expertes, atque ignari, quorum editiones, quibus à tot annis incumbunt, inutiles prorsus, nec aliud exhibent, quàm malè congestas codicum MSs. lectiones, absque judicio, & eruditione; quorum claustra discordiæ sedes, & ut verbo dicam, dæmones sunt.* Nihil hîc verbis exaggeratur. Iis enim coloribus passim in tota Bibliotheca criticâ delineantur monachi Congregationis S. Mauri. Et tamen sacerdos fuit, ísque ferè octogenarius, qui hæc proferre, scribere, in vulgus efferre, & ad nauseam repetere non erubuit, quæ horresceret quivis ethnicus. Non mirum proinde, si tantam habuerit apud omnes offensionem, ut querelis ad illustrissimum Cancellarium delatis, Regii Concilii decreto suppressum fuerit opus, sub gravissimis pœnis prohibitum, & ad chartariorum pistillum damnatum.

Simonii acerbior crisis in Patres Congreg. S. Mauri.

Critici Parisienses de Bibliothecâ Alphabeticâ.

Ecce verò alios, eósque ferè recentes Criticos. Anno 1734. quinque Doctores Sorbonæ, maximè D. *Salmonius* ejusdem Bibliothecarius literas ad Illustrissimum *Masséjum* dederunt, in quibus, promissione facta de *Indice Generali*, seu *Bibliothecâ Alphabeticâ*, Mabillonium, Montfauconium, Marthenium, aliósque Congregationis San-Maurianæ doctissimos Sodales errorum bene multorum insimulârunt. Hi verò, ne quis modestiam in conscientiam duceret, sui suorúmque vindicias ediderunt, quos eodem adhuc anno universæ Sorbonæ inscriptas publici juris fecerunt. Cæteris autem Sorbonicis Doctoribus multùm displicuit, quòd *Salmonius* talem suscepisset operam; à cujus obitû, qui anno post contigit, ejus in Bibliothecæ præfecturâ successor, ad Cl. *Montfauconium* adiit, atque, quô erat candore, se sodalésque suos bene multos hanc à *Salmonio* susceptam contentionem ægrè tulisse edixit. *Conspectum* verò *Bibliothecæ Alphabeticæ, quem quinque Sorbonæ Doctores in lucem publicam dederant, Dominus* ** JACOBUS MARTINUS Congregationis San-Maurianæ doctissimus Monachus critico examini subjecit; in quo quantum ipse solus præ quinis illis Sorbonæ Criticis artis criticæ ac rei literariæ peritia præstaret, adeò manifestum fecit, ut planè Adversarios apud omnes omnium ordinum homines inscitiæ damnatos, ac deinceps nullatenus obgannire vel mutire ausos, susceptæ operæ pœnitere possit, ac debeat.

De veterum

Circa veterum Authoritatem scriptorum, quæ primum est Critices funda-

* Vid. vit. Mabillon. Auth. Ruinart.

** Vid. *Eclairciſſemens Litteraires ſur un Proiet de Bibliotheque Alphabetique Pariſ. an. 1736.*

Scriptorum authoritate. damentum, miro quoque modo variant recentes Critici. Sunt enim nonnulli, qui illam, quoties sibi adversatur, passim deprimunt. Neque verò dubitant affirmare, *Patres rem non satis examinâsse; non satis exactâ usos esse criticâ; assertum ab aliis factum facilè credidisse; in pluribus deceptos fuisse; sua absque sufficienti delectu ex apocryphis & lutulentis fontibus hausisse; scripta in illâ parte esse corrupta*, & his similia, sæpè etiam asperiora alia, quibus admissis Ss.Patrum, aliorúmque gravium Scriptorum authoritas certissimè extenuatur, enervatúrque. Verùm incautissimè hac in re versari Criticos, obvio cuique ratiocinio demonstratur: Cùm enim ipsi exactam, firmam, omnibúsque numeris absolutam Critices Artem construere diligentissimè procurent, non satis consulunt firmitudini præintenti operis, cui nutans supponunt *Authoritatis* fundamentum. Vacillabunt ergo ferè cuncta Ecclesiarum vetustissima monumenta; vacillabunt etiamsi à nostris Criticis toto nixu propugnata: quippe eorum nobis ad fidem faciendam testimonia adducent, quorum Authoritatem ipsi infirmârunt, ac sæpè flocci fecerunt. Ut rem per se claram exemplo luculentiùs declaremus, loquamur de celeberrima quæstione acerrimè inter famosiores Gallarum Criticos nuper agitatâ, *circa epocham prædicationis Evangelicæ in illis provinciis.*

Circa epocham prædicationis Evangelii in Galliis. Utraque controversiæ pars habet defensores numero elogióque fermè pares. Omnes habentur Critices laude insignes. Propugnantes fidem in illis partibus disseminatam ab Apostolicis viris *Dionysio Areopagita* & Sociis, Authorem *Actorum S. Saturnini* prorsus contemnunt; *Sulpitium Severum* & *Gregorium Turonensem* ajunt fuisse nimis credulos, parúmque in Historia exactos. Qui verò vetustiorem hujusmodi Epocham impugnant, tenéntque *Areopagitam* minimè in Galliâ prædicâsse, antiquiores contrariæ Epochæ assertores, *Lisbium* seu *Visbium*, & *Hilduinum* omni prorsùs authoritate vacuos dimittunt. Libellus enim *Lisbio* attributus passim à *Dupinio*, *Launoyo*, *Tillemontio*, *Bailleto*, *Sirmondo* velut opus confictum exploditur. *Hilduini* verò famæ mirum est, quantum isti detrahant. Quem alii *Ecclesiarum Magistrum*, & *Magnum Aaronem* dixerunt, isti vocare non dubitant *Aulicum hominem*; *Status Ministrum ignorantiæ plenum*; *Audacem Impostorem*, ac *Inventorem fabularum*. Ecce qualem Magistrum Gallicanæ Ecclesiæ habuerunt, qualisque Aaronis sacerdotio fuère insignitæ, si fas est audaculis istis Critices Magistris credere!

De RENATO MASSUET sæpiùs à nobis laudato istud quoque notandum, quòd *in suis ad Irenæum Notis*, tanti fecerit *Severi Sulpitii* authoritatem, ut *Testem* dixerit *omni exceptione majorem*. & in Hispaniis, ac Germaniis. Si autem penitiùs explorare volueris, cur iste Criticus noster tantopere *Sulpitium* extulerit, ut ejus testimonium contra perspicuam *Irenæi* & aliorum authoritatem prævalere contenderit? In promptu causa est: RENATO insidebat opinio nullos Martyres in Galliis ante Lugdunenses, nullos ante *Fructuosum*, qui anno 259. passus est, in Hispaniis, nullos in Germaniis admittendos esse. Hinc inter extrema sententiarum, quibus alii æram fidei Christianæ in Gallias introductæ in *primo*, alii in *tertio* seculo designt, medium elegit, ut Religionem Christianam lentos in Gallias progressus fecisse assereret, nixus *Sulpitii* testimonio *Lib. II. Hist.* scribentis, *Serius trans Alpes Dei Religionem susceptam.* Huic verò *Sulpitii* testimonio repugnare videntur *Irenæi*, quin & *Tertulliani*, *Eusebii*, *Cypriani*, *Flavii Dextri*, atque aliorum authoritates; *Irenæus* namque libro contra Hæreses cap. x. circa annum 150. ita discurrit: *Etsi in mundo loquelæ dissimiles sint, sed tamen virtus traditionis una & eadem est. Et neque hæ, quæ in Germaniis fundatæ sunt Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hæ, quæ in Iberis; neque hæ, quæ in Celtis; neque hæ, quæ in Oriente; neque hæ, quæ in Ægypto; neque hæ, quæ in Lybia; neque hæ, quæ in medio mundi sunt constitutæ.* Tertullianus verò Libro contra Judæos, *in Christum jam credere* asserit, *Hispaniarum terminos omnes, Galliarum diversas nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca Christo jam subdita; Sarmatum item Dacorum & Germanorum.* Quibus Patrum testimoniis, num prævalere debeat relatio *Sulpitii*, qui altero post seculo vixit, in medium relinquo. Certè ipsimet Critici in suas peccare regulas videntur, qui facta adeò antiqua infirmare nituntur authoritate Scriptoris longè posterioris, præsertim ubi plura concurrunt, quæ illi adversentur: *Quod enim à recentiori Auctore de rebus antiquioribus contra alicujus vetustioris auctoritatem profertur, ab ipsismet Criticis*

ticis facilè contemnitur. Ut quid ergo illi eundem regularum artis Criticæ usum non adhibent, quem aliis præscripserunt? Sed de his plura *Pagius*, *Natalis Alexander*, *Baronius &c.*

De argumento negativo. Suprà nobis sermo fuit de *argumento inficiante*, quô Critici hâc & superiori jam ætate non pauci nituntur, ut receptissimas piorum suffragiis opiniones inficias eant; at enim quàm illud argumentum non parùm sæpe infirmi sit roboris, memorabili exemplo ad calcem hujus Capitis demonstrare juvat. Suppeditant verò illud binæ Epistolæ, quas Eminentissimus Cardinalis noster QUIRINUS, omni virtutis ac doctrinæ laude ornatissimus, ad Rev.mum P. *Cyprianum Benaglia*, Abbatem & Præsidem Generalem Congregationis Casinensis scripsit. Utramque in gratiam Sodalium nostrorum, quibus omnibus haud in promptu esse non nescimus, huc transcribere non gravabor. Prima anno MDCCXLII. die XIV. Julii exarata sic habet:

Cardinal. Quirini epistola. „Post conscriptam à me paucis abhinc mensibus ad Præpositum Generalem Gallicæ Congregationis S. Mauri Latino idiomate Epistolam, quam elicuit luctuosissimus obitus Viri Clarissimi Bernardi Montfauconii, gaudeo magnopere, exoriri mihi hisce diebus occasionem quoque, alteram hanc ad Te conscribendi, REVERENDISSIME PATER! qui supremam Casinensium Monachorum Præfecturam & geris, & eximiis animi dotibus exornas. Utque de his statim dicam, an non Patavina Cathedra, ex quâ Canonici Juris Sanctiones Te ab annis jam triginta sex interpretantem exteri etiam homines ad Lyceum illud confluentes suspiciunt, doctrinæ tuæ famam longè, latèque ex Italicæ provinciæ finibus ad valde dissitas regiones propagavit? Præterea an non prudentiam tuam, ad Ecclesiasticarum rerum consilia maximè idoneam, certam omnibus efficiunt Veneti Proceres, quibus in more est eandem haud rarò consulere? An non tandem delatum Tibi nuper universæ Casinensis Familiæ regimen, concordibus Comitiorum ejusdem suffragiis, ea Te morum sanctimonia præfulgere demonstrat, quæ adeò gravis Magistratus fastigio conveniat?„

De apparitione SS. Faustini & Jovitæ. „ Quam eximiæ verò sunt dotes istæ, quæ magnam Tibi undique venerationem conciliant, tam justa offertur mihi modò causa, Te potiùs quàm alium compellandi literis hisce, „ quibus argumentum præstat Appari„ tio SS. *Faustini* & *Jovitæ*, Brixianæ hujus Urbis Patronorum, in armis aureis ad ejusdem tutamen adversùs *Nicolaum Picininum*, Mediolanensium copiarum Præfectum, ipsam obsidentem, ac maxima vi oppugnantem. Siquidem in hac Civitate & ortum duxisti, & post nomen Monasticæ militiæ datum, in eo ipso Faustiniano Cœnobio, ubi sancta eorundem Patronorum Corpora requiescunt, aliquot annis moram traxisti, Philosophica, & Theologica disciplina imbuens Cives tuos incredibili frequentia ad Te audiendum convenientes; idque tanta cum nominis tui laude præstitisti, ut ex eo munere egregiè gesto, & ex libris præterea, quos in publicam lucem viridi illa ætate eduxisti, argumentum ceperit Senatus Venetus, Te triginta annos nondum natum ad Patavinam Cathedram adsciscendi, ut tuæ illius doctrinæ fructus latiùs protenderetur.

„Insignis autem Apparitionis illius miraculum non ita certis fundamentis innixum deprehendi, ut primum hujus Urbis Episcopatum cepi, ac proinde nihil miratus sum, multorum de eo fidem fluctuare. Silentium Brixianorum Historicorum, quotquot obsidionis illius temporibus vixerunt, haud ita levem suspicionem ingerebat. Hanc insuper augebat, quod *Helias Capreolus*, qui primus omnium de miraculo illo suis in Commentariis verba fecisse ferebatur, & octoginta integris annis post solutam obsidionem illam decesserit, & fabulosa aliquando iisdem Commentariis inserere negari nequeat, & tandem quòd de ostento illo parùm confidenter loqui comperiatur, rem ita narrans: *Ferunt hic quidam in Picinini castris famam exiisse, duo Numina super murum ad Apollonianum in pugnantium speciem ab ipsis hostibus visa, quæ Divos* FAUSTINUM, *&* JOVITAM *fuisse, postea est existimatum.* Miraculum illius apparicionis dubium.

„ Accipe nunc REVERENDISSIME PATER! præclarissimum quod Tibi hisce literis exhibeo, *Apparitionis illius documentum*, & studiis meis gratulare, quòd iis obtigerit, eandem ab omni, quæ non ætatis tantùm nostræ, sed superioris etiam hominum mentes pervaserat, suspicione vindicatam, firmissimo testimonio communire. Ipse judicabis, an hujusmodi sit, quod binæ *Ludovici Fuscareni* literæ, nunquam antea editæ, suppeditant. Summam fuisse ejusdem Viri, rem quamlibet „ affirmantis, auctoritatem, jam nôsti„ Insigne illius documentum Fuscareni Literæ suppeditant.

„ex

„ ex Epistola, quam duobus abhinc mensibus evulgavi, inscripsique Marco Fuscareno, Equiti, & D. Marci Procuratori. At nihil ille certius dixisse censendus est, quàm quum eidem *Apparitioni* testimonium perhibuit. Quatuordecim tantùm annis post Brixiam ab obsidione Piciniana liberatam, hujus Civitatis administrationem susceperat sibi à Veneto Senatu demandatam; dúmque illam obtineret, tantum abfuit, ut ibidem alto pressum silentio miraculum illud reperiret, quin omnium ore Civium *cujusque facultatis, dignitatis, artis, ætatis, officii* usurpari, atque ita pro certo haberi deprehendit ut nihil magis. Biduo siquidem post aditam ab ipso provinciam gravissimæ in ea ortæ sunt turbæ, quòd suspicio foret, Viros illos Religiosos, quibus nuperrimè traditum fuerat incolendum Monasterium S. Petri in Monte Oliveto, consilium iniisse Brixiâ Venetias asportandi SS. FAUSTINI, & JOVITÆ Corpora; illásque ut reprimeret suprema Prætoris auctoritas, nihil intentatum omisit, præsertim cavens, ne universæ Civitatis Concilium cogeretur, quòd ejus edictis certo statuendum foret eorundem Religiosorum excidium. Unde autem pius iste furor Brixianorum mentes incenderit, disertis bis verbis explicat Fuscarenus: *Memores sunt, cùm circumvallati, inclusi fame laborarent, ultima experirentur pericula,* VISOS AB HOSTIBUS TUTORES SANCTISSIMOS AUREIS ARMIS BRIXIAM TUERI; *quo miraculo attonitus Nicolaus Picininus Dux fortissimus, potiundæ Urbis spem perdidit, supplicii petendi, auríque habendi cupiditatem remisit. Quas ob res difficilius his Corporibus carerent.*

Quirini in eas reflexio.

Quodnam, amabo! disertius, quodnam efficacius, quodnam luculentius documentum ad rem, de quâ agitur, comprobandam afferri unquam potuisset? Brixianæ Civitatis tumultum testatur *Ludovicus Fuscarenus*, dum illi imperaret, exortum; ejúsque causam fuisse, Civium erga Sanctos FAUSTINUM & JOVITAM, quorum Corpora furto Venetias asportatum iri verebantur, religiosissimam venerationem, quum ipsos inermis aureis adversus Picinini exercitum militâsse, non quidem recens in vulgus, à quibusdam jactaretur, sed omnes memoriâ retinerent, quotquot obsidionem, quæ ante quatuordecim tantùm annos contigerat, spectâssent, acceptolerâssent. *Fusc.* Ziegelbauer *Hist. P. II.*

careni maximè interesat ejus miraculi fidem elevare, ut Civitatis motum compesceret; ejus erat, Brixianorum credulitati altum Historicorum, qui obsidionem descripserant, silentium opponere. At nihil hujuscemodi præstitit, quòd nullum sibi aditum patere putaret, rem immensæ multitudinis, quæ oculatus obsidionis testis fuisset, vocibus comprobatam in dubium revocandi. Unicè ipse pugnavit contra famam, quæ manaverat, Cœnobitas Sancti Petri de surripiendis Sanctorum Fratrum Corporibus cogitare. Hanc nisi restingueret posset, actum ei erat de Cœnobitis illis, actum de Civitatis quiete, actum de sua potestate; eáque omnia detrimenta subire paratus erat, potiùs quàm de re compertissima suspicionem moveret. Eam si movisset, haud defesset, qui diceret, id ab ipso factum, ut causæ suæ inserviret. Quid autem dicere oportet, si maluit causam suam eo præsidio spoliare?

Unde apparet argumenti negativi infirmitas.

„ Superest tandem, ut unà mecum fatearis, argumentum, quod *Negativum* Criticæ Artis magistri vocant, quóque aliqui ex ipsis haud ita rarò abutuntur ad convellendam Monumentorum Ecclesiasticorum auctoritatem, facilè accidere posse, ut omni ipsum auctoritate destitutum comperiatur. Certè triumphare quàm maximè illud videbatur in subjecta huic Epistolæ materia; nam veterum Scriptorum silentium eò vehementiùs in eandem torqueri poterat, quòd plures modò suppetant Commentarii Brixianæ obsidionis tempore de obsidionis illius rebus conscripti. At quàm vanus foret ille triumphus, detectæ à me Fuscareni literæ ostenderunt. Undenam, per Deum immortalem! certò divinare se posse confidet Criticorum illorum natio, priscis illis Monumentis, quibus ipsi prætcipiti ausu bellum indicunt, testimonia hujusmodi olim defuisse, quum tot sæculorum lapsu, fortè malo fato aut omnino interierint, aut in tenebris adhuc delitescant? Temerè itaque exclamant: *Auctoritatem Breviarii Romani efficere non posse, ut fabulæ in Historias evadant, nec censeri debere exploratæ, & inconcussæ veritatis, quæcunque Breviario sunt inserta.* Multò minùs ipsi (ajo ego) efficere possunt, ut argumentum Negativum ejus sit auctoritatis, quam eidem adjudicant, ut exploratæ, & inconcussæ veritatis censeantur, quæcunque Regulis Criticis à se statutis superstruere consueverunt. „

Ejusdem Apparitionis meminit Benedictus XIV. P. M.

Meminit hujus *Apparitionis* novo veritatis documento ab Eminent. Card. QUIRINO firmatæ SS.mus Dn. Noster BENEDICTUS XIV. in nova editione præstantissimi sui Operis *de Servorum Dei Beatificatione ac Beatorum Canonizatione Lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 5. ubi vis argumēti negantis expenditur, & plura ejusdem argumenti exempla in medium adducuntur: nec meminit solùm, sed ad ejusdem Purpurati Patris pias enixásque preces indulsit, prodigium illud in Officio Brixianæ Ecclesiæ ritè, & disertè in posterum comemorari. Sedenim quia exploratissimum fermè habemus, vix non esse magis vel minùs familiaria *abnutiva*, ut vocant, *argumenta* iis ipsis, qui disertis verbis eadem contempsisse inveniuntur; operæ pretium fuerit hic accuratiùs examinare, *an aliqua, & quæ argumenta negativa vim probationis apud prudentes rerum æstimatores habere debeant?* Hoc ut pro modulo nostro præstemus, sequentes Regulas à moderatioribus Criticis statutas in medium adducimus.

Regulæ argumenti negativi.

I. Cùm Scriptores, & vel ipsi severiores Critici communiter affirmant argumenta negativa flocci esse facienda, nullúmque pondus habere idoneæ ac prudentis probationis, intelligendi sunt *de argumentis purè negativis*, hoc est, de pura testimoniorum omissione, seu de pura carentia documentorum facti alicujus existentiam contestantium. Etenim ex pura monumentorum non apparentiâ rectè quidem colligitur deficere motiva ad credendum hoc vel illud factum, quatenus silentio involutum; inde tamen minimè resultat probabile falsitatis argumentum, quo scilicet ipsa facti insubsistentia suasibilis efficiatur.

II. Argumentis in speciem quidam negativis, sed quæ positivam involvunt probationem, & in argumentationem positivam resolvi queunt, vim inesse probationis idoneæ, apud saniores Criticos propè omnes in confesso est; nec infrequens est ejusmodi argumentorum usus in Conciliis, Patribus ac Theologis, ut videre est apud Launoyum, Papebrochium, Rayerum, Mabillonium, Natalem Alexandrum, Baronium, Pagium &c.

III. Unius vel alterius silentium contra aliorum testimonia rem expressè affirmantium, nullam suppeditat probabilem dubitandi conjecturam, tametsi qui siluit, Scriptor gravis atque integræ sit fidei, opportunitatémque habuerit rem commemorandi. Nam affirmantium authoritas, nisi aliunde suspecta aut infirma probetur, silentio nihil eà de re dicentis minimè elevatur aut minuitur.

IV. Silentium Scriptoris, qui videtur tem, de qua controvertitur, ignorare non potuisse, tum ineptiùs allegatur adversus idonea aliorum Scriptorum testimonia, cùm suppetit probabilis causa silentii.

V. Gravis cujusdam Scriptoris testimonium minimè deseri contemníve debet propter illorum silentium, qui ob diversas haud inverisimiles causas, vel factum ignorârunt, vel cùm scirent, omittere potuerunt aut voluerunt.

VI. Qui scriptum aliquod eò solùm rejiceret, & ad supposititia amandaret, quòd contineret phrases, voces, aut notitias, quæ in coætaneorum vel vetustiorum scriptis non leguntur; is nec legitimè, nec rationabiliter se gereret, silentióque Authorum abuteretur, perperàm supponens, ea, quæ modò recepta & usitata sunt, aut non fuisse ab aliquo Veterum inventa, aut non potuisse ab uno aliquo noviter inveniri, quin vel contempotanei, vel antiquiores eadem similiter usurpâssent, & scripto posteris transmisissent.

VII. Rationi consonum veræque prudentiæ indoli consentaneum non est, ut ejus Scriptoris silentium ad probandum usurpemus, cujus positivum de re aliquâ minimè repugnante suffragium rejicimus.

VIII. Argumentum ex silentio Authorum petitum circa res, quas eloqui aut scribere periculosum fuit, inefficax, vel etiam nullum est. Hanc Regulam utì prudentiæ consonam expressè tradit P. Eusebius Amort *de Arte Critica P.* II. §. 4. n. 3.

IX. Licèt ordinariè validum desumatur argumentum ex silentio Authorum, qui de re scribere non solùm potuerunt, sed etiam debuerunt; cùm tamen facilè non sit determinare, quando & in quibus circumstantiis Authores loqui debuerint, & an cogitaverint, aut crediderint, se ad eam rem posteritati consignandam obligatos esse; sæpiùs continget, ut & ejusmodi argumentum sit penitus infirmum.

X. Denique ut alicujus Authoris silentium vim habeat ad negandum, opus est 1. Quòd, qui allegat silentium alicujus Scriptoris, omnia ejus scripta evolverit, ídque diligentissimè ac plenissimè. 2. Quòd supersint omnia illius Authoris scripta, nec aliqua perierint, aut alterata corruptáve fuerint. 3. Quòd factum, de quo lis est, nullo

modo

modo potuerit esse ignotum illi Scriptori. 4. Quòd idem Author opportunitatem & obligationem habuerit tale factum narrandi, nec tunc illud memoriâ exciderit. 5. Quòd non potiùs ad prætermittendum ultrò tale factum, gravia ipse motiva habuerit, qualia moderni maximè Historici frequentissimè habent ad multa facta prudenter omittenda. Has aliásque regulas & conditiones sanè prudentissimas diductiùs insinuat *Mabillonius* in aureo suo Tractatu *de Studiis Monasticis*, ad quem Lectores studiosos remittimus, atque interim ad alteram hujus Capitis pericopen evolvendam pergimus.

SECTIO III.

Historia Studii Antiquarii.

Studium rei antiquariæ apud Benedictinos est quadruplex.

ANTIQUARII quinam, ac quàm utiles sint Ecclesiæ, bonisque artibus solidè suo more edisserit *Mabillonius* in sua ad Seculum I. Benedictinum Præfatione n. xciv. Est autem *Antiquitatis studium* in Ordine Benedict. ferè quadruplex. *Primum* non indigenti saniorum MSs. Codicum cùm custodiâ tum transcriptione occupatur, ut quidquid est sacrarum atque profanarum antiquitatum, & integritati suæ conservet, & ad posteros transmittat. *Alterum* in veterum Scriptorum monumentis, quæ Rempublicam hactenùs latuerunt, publicam in lucem proferendis desudat. *Tertium* novis Editionibus ad veteres manuscriptos codices castigandis industriam suam addicit. *Quartum* in veterum Inscriptionum, Numismatum, atque aliorum prisci ævi monumentorum scientia versatur. Quibus denique appendicis loco adjici possunt vindiciæ, queis vetera manuscripta contra inofficiosas neotericorum censuras defenduntur.

Primum in describendis codicibus usitatum exordia sua debet D. P. Benedicto.

Atque ut de Benedictinorum studio in sanioribus codicibus quà asservandis, quà transcribendis primùm loquar, auctor est *Antonius Possevinus*, percelebris è Soc. Jesu Bibliographus *, *Divum Benedictum sui Ordinis primum Institutorem, & penè Parentem omnium Monachorum in Occidente, cavisse, ut successores sui Scriptorum illustrium monumenta custodirent, quibus Ecclesia carere non posset.* Felix profectò, pium, ac laudabile studium, cujus auspicia tanto támque sancto Legislatore consecrantur. Unde illud jure optimo

Quod fuisset iam Cassiodorus commendat.

M. Cassiodorus D. Benedicti adhuc viventis exemplo Vivariensis sui cœnobii monachis majorem in modum commendavit. Sic enim cap. xxx. Instit. Divin. scribit: *Ego tamen fateor votum meum, quæcunque possunt inter vos corporeo labore compleri, Antiquariorum mihi studia* (si tamen veraciter scribunt) *non immeritò forsitan plus placere, quòd & mentem suam relegendo Scripturas divinas scribendo longè latéque dissеminent. Felix intentio, laudanda sedulitas, manu hominibus prædicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitam dare, & contra Diaboli surreptiones illicitas calamo atramentóque pugnare. Tot enim vulnera satanas accipit, quot Antiquarius verba describit. Uno itaque loco situs, operis sui disseminatione per diversas provincias vadit. In locis sanctis legitur labor ipsius, audiunt populi, unde se à prava voluntate convertant, & Domino pura mente deserviant.* Hæc ille.

Nec in Vivariensi solùm, sed in aliis etiam Ordinis nostri monasteriis multi aderant Antiquarii, qui volumina vel transcriberent, vel si quid vitii unde unde accepissent, emendarent. Cùm *S. Adelhardus* veteris Corbeiæ Abbas Epistolas Gregor. M. ad fidem Codicum MSs.torum emendatas in optatis haberet, Casinum ad *Paulum Diaconum* eâ causâ literas dedit: hic ut ejus votis obsequeretur, suâ manu eas corrigere cœpit, omnes tamen non perfecit, ut ex ejus epistola ad S. Abbatem data ** intelligitur, cujus quidem hæc forma: „ *Carissimo Fratri & domino* „ ADALARDO *Viro Dei Paulus supplex.* „ Cupieram dilecte mi, æstate præterita videre faciem tuam, quando illis „ in partibus fui: sed præpeditus lassitudine sonipedum ad te venire non „ potui. Interioribus tamen oculis, „ quibus solis valeo, tuæ fraternitatis „ dulcedinem frequenter aspicio. Vo„ lueram equidem tuis imperiis jam „ antè parére: sed utpote pauper & „ cui desunt librarii, priùs hoc facere „ nequivi; maximè cùm me tam pro„ lixa

Pauli Diaconi literæ ad S. Adelhardum.

* in proloq. ad Appar. Sac. pag. 2.
** extat apud Mabill. Act. Sanct. O. S. B. Tom. I. pag. 597.

„ lixa valetudo contriverit, ut à men„ se Septembri pænè usque ad diem „ Nativitatis Domini lectulo detentus „ sim: neque licuerit Clericulo illi, qui „ hæc eadem utcunque scripsit, ma„ num ad atramentarium mittere. Sus„ cipe tamen quamvis serò Epistolas, „ quas desiderâsti, & quia mihi eas an„ tè relegere præ occupatione totas „ non licuit, xxxiv. ex eis scito rele„ ctas, & prout potui, emendatas esse, „ præter pauca loca, in quibus minus „ inveni, & tamen meo ea sensu sup„ plere nolui, ne viderer tanti Doctoris „ verba immutare. Quibus in locis „ forinsecus ad aurem (*fortè* ORAM) „ zetam, quod est vitii signum, appo„ sui. Tua itaque fraternitas, si se fa„ cultas dederit, reliquas epistolas ad „ emendatiorem relegere studeat codi„ cem, sed & loca, in quibus minùs „ habetur, nihilominùs supplere. Hoc „ tamen sanctitati tuæ suadeo, ne pas„ sim propter aliqua, quæ in eis mi„ nùs idoneos latere magis, quàm sci„ re convenit, publicentur. Vale Fra„ ter amabilis semper in bonis glis cens: „ & cùm mentem ad superna tetende„ ris, memento mei. „ Ita *Paulus Diaconus* ad S. Adalhardum in Gallias ex monasterio Casinensi scripsit, in quo solo Codices quanto numero transcripti fuerint, difficile est dictu. Et cùm multò plures sint, quàm quos Sciagraphiæ brevitas enumerari omnes patiatur, eos saltem commemorare liceat, quos *Desiderius* Abbas, posteà *Victor* hujus nominis Tertius Romanus Pontifex, à monachis suis describi curavit, quorum nomina, recensente Petro Diacono, hæc sunt: *Augustinum contra Faustum*. De Opere Monachorum. De Sermone Domini in Monte. Omelias quinquaginta. Super Epistolam ad Romanos, Sermones. Epistolas Pauli. De Genesi ad literam. Epistolas ejus. Pastorale ejus. De Baptismo Parvulorum. Ambrosium de rebus gestis in Ecclesia Mediolanensi. De Patriarchis. De fide ad Gratianum Imperatorem. Sermones ejus. Registrum Leonis Papæ. Registrum Felicis Papæ. Regulam Basilii. Jeronimum super Ezechielem. Super Epistolas Pauli. Super duodecim Prophetas. Eugipium. Sermones Severiani. Historiam Anastasii. Historiam Langobardorum, Gothorum, & Wandalorum. Historiam Jordanis Episcopi de Romanis & Gothis. Historiam Gregorii Turonensis. Josephum de Bello Judaico. Historiam Cornelii cum Omero. Historiam Erckemperti. Bedam super Tobiam. De locis sanctis. Evangelium majorem auro & lapidibus pretiosis ornatum, in quo has reliquias posuit: De Ligno Domini, & de Vestimentis S. Johannis Evangelistæ. Sermones Leonis Papæ. Sermones Gregorii Nazianzeni. Doctrinam Patrum. Sacramentarium cum Martyrologio. Sacramentarium aliud. Ordinem Episcopal. Gualfridum de Officiis. Super Regulam. Passionaria totius anni libros quatuor. Antiphonaria de die duo in choro semper habenda. Antiphonarium de Nocte. Vitas Patrum. Instituta Patrum. Actus Apostolorum cum Epistolis Canonicis, & Apocalypsin. Epistolas Pauli. Paralipomenon. Super Canticum Canticorum Origenis, Gregorii, & Berengarii. Joannem Chrysostomum de reparatione lapsi. Dialogum, quem ipse cum Alberico Diacono edidit, de Miraculis Monachorum loci istius. Dialogum alium. Dialogum de vita S. Benedicti. Hilarium mysteriorum & ymnorum. Sedulium de Evangeliis. Juvencum de Evangeliis. Medicinalis Psalterium. Cresconium de Bellis Libicis. Versus Arichis, Pauli, & Caroli. Versus Paulini. Ciceronem de natura Deorum. Instituta Justiniani. Novellam ejus. Terentium. Oratium cum Geometria. Ovidium Fastorum. Senecam. Virgilium cum Ecloga Theodori. Donatum. „ Atque omnes hi codices sub unius *Desiderii* haud diuturno regimine transcripti fuerunt. Joannes Baptista Marus, S. Angeli in Foro Piscium Canonicus, in sua perdocta præfatione ad Opusculum Petri Diaconi de Viris Illustribus Casinensibus, magnoperè inclyti hujus Asceterii monachos à studio antiquitatis commendans, inter cætera hæc habet:

Desiderius Abb. Casin. multos Codices describi curat.

„ Præterea operæ pretium est nôs„ se, non solùm innumerabiles ferè „ monachos ex hac nobilissima Aca„ demia Casinensi prodiisse, cujusvis „ doctrinæ genere refertos; verùm „ etiam assiduâ fuisse diligentiâ, pie„ tate, ac intentione sanctorum Pa„ trum, aliorúmque virorum docto„ rum volumina exscribendi; ut post„ eà in rebus dubiis ad MSs. Codices „ & antiquos impressos, ex quibus „ veræ lectiones restituuntur, tanquam „ ad oracula quædam tutissimè viri „ docti ac eruditi confugere valerent; „ quod lege caverunt prudentissimi „ Imperatores *Theodosius* & *Valenti*„ *nianus* lib. 1. Cod. Theodos. de re„ sponsis Prudentûm: cùm non modò „ aucto-

Laus Casinensium à studio Antiquitatis.

„ auctoribus plerisque deficimur, sed „ etiam hi, qui ad manus, non æquè „ omnes emendati sunt.

Scriptorii quid sit. Locum verò *, ubi olim monachi scriptioni operam dabant, *Scriptorium* solere nuncupari, prætet innumera antiquorum testimonia, perhibet vetustissimus liber Sacramentorum Corbeiensis in Gallia monasterii, Tit. *Oratio in Scriptorio*, quæ sic exprimitur: *Benedicere digneris Domine hoc Scriptorium famulorum tuorum, & omnes habitantes in eo, ut quidquid divinarum Scripturarum ab eis lectum, vel scriptum fuerit, sensu capiant, opere perficiant. Per Dominum &c.*

Fuldæ priscis temporibus Antiquariorum & Amanuensium erat celebre Musæum, quod nomen etiam *Scriptorii* ferebat. Erat is locus à frequentia omníque strepitu remotus, & à studio taciturnitatis singularis, quem his inscriptum fuisse versiculis compertum habemus:

Hic sedeant sacra scribentes famina Legis,
Nec non sanctorum Dicta sacrata Patrum.
Hic interserere caveant sua frivola verbis,
Frivola nec propter erret & ipsa manus.
Correctósque sibi quærant studiose libellos
Tramite quo recto penna volantis eat.
Est labor egregius sacros jam scribere libros,
Nec mercede sua scriptor & ipse caret.

Fuldensium Antiquariorum labores. *Si Trithemio credimus*, inquit Christophorus Browerus **, *seculo Christi octavo, in Fuldensi monasterio vixêre supra ducentos septuaginta Monachi, viri religione eximii, &*, ut ipse loquitur, *pro magna parte in sacris Scripturis doctissimi.* Jam verò si cui prima sequenti vel natura vel ingenium hæc artium ac divinarum rerum altiora fastigia negâsset, huic in secundis, tertiísque consistere, & locum inibi honestum occupare, difficile non erat. Adminicula igitur sufficiebant hi primis, alii spargendis in membranas paginas apicum, & diversi generis characterum notis; alii nobilibus operimentis involvendo vel claudendo codices; alii minio & rubrica, ut quodque in sententiis aut capite versuum emineret, signando & enodando illustrabant. Nonnulli quod temerè conjectum in schedas vel dictando elapsum ad purum exscribendo mundabant, & ordine quæque suo venustè digerebant. Picturâ quoque & multiplici colorum fuco & imaginum exprimendarum usu haud pauci Fuldæ excellentes monachi floruêre.

Pictoris arrogantia reprimitur. Cùm verò HATTO, alio nomine *Bonosus*, tempore Rabani Mauri *** ob picturæ artem immoderatiùs præ Scriptoribus librorum, imò etiam præ viris doctis se efferret, is carmine vigesimo nono hominem repressit, certis probans argumentis, scriptoriam artem pictoriæ longè præcellere, & ad commodum & salutem animæ conducibiliorem esse. Hujus rei occasione quærit *Browerus*, an prisci nostri cœnobitæ librarii, qui pellibus & membranis tot scrinia Bibliothecarum impleverunt, pennis, ut jam vulgò Scriptores, ex Anserum, Gruum, Cygnorúmque alis usi sint? an juncis potiùs & arundinibus, ex quibus calamos aptabant prisci? Utriusque usum viguisse certior sententia est: ita ut apices majusculi & literæ unciales calamis, minutiores pennis expeditæ videantur. De quibus legendus Mabillonius Analium Tom. I. p. 525. ubi ex codice Elnonensi imaginem exhibet sancti Amandi & Baudemundi presbyteri & monachi ejus testamentum scribentis cum penna vulgari ex avibus. Consimilem etiam pennam habet Amandus.

Lupi Ferrariensis de libris Fuldensibus. Nondum verò Fuldâ discedere licet; calamum enim *Lupus Ferrariensis* retinet. Is cùm studiorum causâ ex Gallia in Germaniâ ad *Rabanum Maurum* Abbatem Fuldensem missus fuisset, admodùm sollicitus fuit, ut quibus libris uteretur, eos à mendis repurgatos haberet. Hinc ad B. *Eginhardum* Abbatem Seligenstadiensem literas dedit, quibus, ut sibi nonnulla Ciceronis Opera commodaret, enixè rogavit; *Lupi* verba sunt in epistola 1. pag. 4. „ *Semel pudoris transgressus limitem, etiam hoc postulo, ut quosdam librorum vestrorum mihi hîc posito commodetis. Sunt autem hi*: Tullii de Rhe„ torica liber; quem quidem habeo, „ sed in plerisque mendosum. Quare „ cum codice istic reperto illum con„ tuli; & quem certiorem putabam, „ mendosiorem inveni. Item ejusdem „ auctoris de Rhetorica tres libri in „ disputatione ac dialogo de Oratore. „ Quos vos habere arbitrot, propterea „ quòd in brevi voluminum vestrorum, „ post commemorationem libri ad He„ rennium, interpositis quibusdam „ aliis, scriptum reperi; *Ciceronis de* „ *Rhetorica.* Item, *Explanatio in li*„ *bros Ciceronis.* Præterea *A. Gellii no*„ *ctium Atticarum.* Sed & alii plures „ in

* Luc. Acher. in not. ad Opp. V. Guiberti Abb. pag. 614.
** Brovver. Fuld. Antiq. lib. 1. pag. 46.
*** Mabill. Annal. tom. 2. l. 32. n. 44. pag. 633.

„ in prædicto Brevi: quos, si Deus „ apud vos mihi gratiam dederit, istis „ remissis accipiens describendos mihi, „ dum hîc sum, avidissimè curare cupio. „

In monasterio Augiensi præclari Antiquarii.

Augiæ Divitis monasterio unde tanta tàmque pretiosa manuscriptorum Codicum copia obvenit, nisi indefesso monachorum labore & industria? Vel solus *Reginbertus* tot suis laboribus immortale nomen, posteritati verò ingentes peperit fructus. Nam cùm sub quatuor Abbatibus Waldone scilicet, Heitone, Erlebaldo, & Radhelmo in Augia Bibliothecarius, & scriba peritissimus esset, simulque sacrarum Literarum studiosissimus cultor, plurima veterum Patrum, aliorúmque Scriptorum volumina partim manu suâ descripsit, partim per alios describi curavit, ut ex ejus solius fermè fama in libris adhuc extantibus meritò perennaret. Libris autem suis hoc plerumque epigramma præposuit:

Magno in honore Dei, Domini Genitricis & Almæ,
Sanctorum quoq; multorum, quibus Auua fovetur,
Condidit hoc corpus permissu adjuta Priorum
Cura Reginberti Scriptoris, in usibus optans
Hoc fratrum durare diu, salvúmque manere.
Et ne fortè labor pereat confectus ab ipso,
Adjurat cunctos Domini per amabile nomen,
Hoc ut nullus opus cuiquam concesserit extra,
Ni priùs ille fidem dederit, vel denique pignus,
Donec ad has ædes, quæ accepit, salva remittat.
Dulcis amice gravem scribendi attende laborem,
Tolle, aperi, recita, ne lædas, claude, repone.

Hoc totum, inquit vir doctus * *Joannes Egonius*, Prior Augiensis, *hoc totum venerandæ antiquitatis monumentum ideò exscripsi, ut majorem nostrorum diligentiam nobis imitandam ostenderem, nostrorúmque monachorum inertem desidiam detestandam. Tot enim* Reginbertus *noster non solùm libros magna diligentia descripsit, sed etiam ex sanctorum Patrum commentationibus compendia & flosculos excerpsit, & in pulchros ordines digessit, ut mirum sit, hominem choro, aliisque spiritualibus addictum hoc potuisse præstare.* Vixit autem *Reginbertus* sub medium seculi noni.

Lunælacense monasterium habuit diligentes Antiquarios.

Lunælacense in superiore Austria monasterium, quemadmodùm cum Augiensi ejusdem ferè antiquissimi ævi est, ejusdem S. Pirminii, ad quem Augia sua refert exordia, opera & studio seculo octavo fundatum, ita Antiquarios maximæ diligentiæ & indefessæ industriæ habuit; è quorum numero solum Hieronymum de Werdea hîc nominâsse sufficiat. Hic in Chronico Lunælacensi nuper admodùm typis excuso, ex fide veteris chartæ Cremifanensis Asceterii, tot codices scripsisse perhibetur, quibus currus onustus vix à fenis traheretur equis.

Similiter San-Gallense.

San-Gallensi monasterio uti priscis temporibus nunquam viri doctrina & eruditione insignes, ita nec strenui, & nunquam à scribendis & exarandis Codicibus cessantes defuerunt Antiquarii. Sub annum nongentesimum duodecimum Sintrammi peritia scribendi clarissima, & ad posteros insignis habebatur. Is enim Salomonis Abbatis & Episcopi jussu, Evangelium uncialibus literis ea scripsit elegantia, ut ejus scripturæ Ekkehardi tempore nulla alia comparabilis videretur. In hac enim Sintramus se ipse superavit, & licèt ejus digitos totus orbis cisalpinus miretur, ait Ekkehardus, in hoc uno triumphat. Cæterùm mirari licet, hominem unum tanta scripsisse, cujus industriæ ac laboris obsides libri, ejus manu & characteribus scripti, in variis ejus regni partibus tunc habebantur. In eo porrò Sintrammus excellebat, quòd cùm scriptura ejus delicata & perelegans esset, atque ad miraculum directa, raræ in eo lituræ occurrebant, adeóque rara errata. Post Sintrammum Notkerus scriptor peritissimus in eodem S. Gallo vixit sub annum 973. de quo legatur Mabillonius in Annalibus Benedictinis **, & Mezlerus libro de Viris Illustr. San-Gall.

& monasteria Ratisbonensia.

Ratisbonæ, Imperiali urbe, duo Virorum monasteria O. S. B. habentur; alterum antiquissimum & Principale sancti Emmerami, alterum Scotorum celebre & inclytum ad S. Jacobum. In *priori* vixisse omni ævo diligentissimos Antiquarios, Codices ingenti numero ab iisdem manuscripti testantur. In *altero*, seculo XI. vixit B. *Marianus*, Scotus, seu Hibernus, alius à *Mariano* Fuldensi, quîcum confundendus non est. Quis porrò librarius fuerit, quomodò otium occupârit, quàm multa aliena volumina & sacra potissimùm transcripserit, Mathæus Raderus in Bavaria sancta Vol. 2. p. 218. ex antiquis chartis & monumentis, paucis vel emendatis, vel detractis, quæ temporum rationem perturbant, in hæc verba refert: (*Circa*) *tempora pii Imperatoris Henrici* [quartum intelligit, non semper pium] *Majoris, de finibus Hiberniæ, fraternitatis dictæ quidam Vir sanctus, simplex, nomine* MARIANUS *decoro*

B. Marianus Scotus insignis antiquarius.

* pag. 244. ** Tom. 3. pag. 340.

decoro vultu, crine nitenti, & ultra communem hominum valentiam formâ erat speciosus, divinis ac humanis literis, talique eloquentia erat praeditus, ut Spiritum sanctum per inhabitantem gratiam in eo esse nemo eum videns dubitaret. Duósque comites sibi per omnia similes viros sanctos JOANNEM *&* CANDIDUM *secum habens Ratisponam prospero itinere venerunt, ibidémque opitulante divina misericordia tanquam veri Christi peregrini à veneranda matre peregrinorum Abbatissa* HEMMA *nomine, filialiter sunt recepti. Sed cùm postea ibidem ultimum diem exspectare decreverat, tantam scribendi gratiam* B. MARIANO *divina providentia contulit, quòd multa ac prolixa volumina tum in superiori, quàm inferiori monasterio ad honorem reverentiámque primae & summae Virginis & sanctarum Virginum ibidem commorantium rogatu, & intuitu aeternae retributionis veloci calamo perscripserit. Nam ut veraciter dicam sinè omni fuco verum, inter omnia gesta, quae divina misericordia per eundem virum operari dignata est, illud magis laude & admiratione dignum judico, & admirans admiror, quòd iste homo sanctus, vetus & novum testamentum cum commentariis & expositoriis suis codicibus eorundem librorum, nec semel nec bis, sed saepenumero, aeterna pro mercede, in tenui habitu & subtili victu, tunc propriis fratribus cùm in superiori tum in inferiori monasterio, qui pergamenam parabant ad intus, propria manu perscripsit. Eodem quoque tempore multos libellos, multáque manualia psalteria viduis indigentibus, & clericis pauperibus ejusdem civitatis pro remedio animae suae sine ulla propè mercede ibidem scriptitaverat.*

Signa sanctitatis. *Praeterea alio modo propalatur Dei misericordia, quia multae congregationes monastici Ordinis, quae fide ac imitatione* B. MARIANI *sunt derivatae de finibus antelatae Hiberniae, Wauuariam & Franconiam peregrinando habitantes ex majori parte scriptis* B. MARIANI *fulciuntur. Aliud in eodem sancto patre commendans commendo, quod ultra modernorum hominum tempora, prout mihi post* ISAAC, *qui centum & viginti annis vixerat, ejus contemporaneus, & qui sua sub ditione & obedientia degebat, non sine lacrymis mihi saepe referebat. Quia sicut S. Moyses, mitissimus hominum, qui terram inhabitaverant, eidem per omnia simillimus erat* S. MARIANUS. *Deinde quid attinet dicere, quot hominum species, quot variis languoribus oppressos, & praecipuè febribus audivi à veris relationibus, propriísque oculis ad sepulchrum ejus sanitati restitutos viderim? juxta cujus sepulchrum cùm quodam die verba jocosa plus ineptae laetitiae quàm religioni attinentia inter se fratres alternarent, odor suavissimus, quasi de floribus paradisi de sepulchro exhalans, nares & aures loquentium inutilia perflavit, eò quòd solummodò seria & aedificatoria verba resonantia divinas laudes ibidem iterari deberent.*

Ejusdem temporibus in inferiori monasterio ad revelationem & honorem hujus viri felicis quoddam miraculum dignissimum accidit. Nam quadam nocte, cùm idem ipse vir B. MARIANUS *quoddam nescio quale divinum volumen in inferiori monasterio cum luminibus, sicut erat solitus, scriberet, contigit negligente custode ejusdem Ecclesiae lumina sibi non praebente, ipse tamen sine omni luce materiali scribere non haesitavit. Quoniam divina misericordia tres digitos manûs sinistrae ad instar trium lampadum accensos habebat, & ipse inceptum opus vitali lumine coelesti, incessanter peragebat. Cùmque Ecclesiae ejusdem Sacrista ad mentem revocaret, quòd luminaria sancto viro de more non detulisset, surgens de lecto assumens sibi alias virgines ad cellulam viri Dei accedentes per rimas ostioli cellulae, in qua B. Marianus sedebat, digitos ejusdem ardere, candelámque eandem coelesti luce quasi radiis meridiani solis lucere respiciunt. Quo miraculo virgines perterritae ac tali prodigio tremefactae dominae abbatissae ac caeteris Virginibus sacris rem ordine pandunt, ac res talis támque miranda clero ac populo Ratisponensi mirificè praedicatur, ac circumstantibus ejusdem urbis, fidelibus, variis praeconibus tanquam laetissimus rumor passim enunciatur.* Aliud prodigium.

In S. MARTINI *Majoris* Coloniae asceterio sub *Adamo Villico* Abbate, exquisito laudum symmate à *Tritemio* in Chron. Hirsaugiensi ad A. 1499. ornato, complures floruêre coenobitae, non solùm pietate & doctrinâ, sed & bonae artis famâ, & *Antiquariorum* elogio celebres; quos inter eminuêre *Henricus Zonsbeck*, *Arnoldus Reesius*, *Leonardus de Ruremunda*, *Benedictus*, aliàs, *Chrysanthus de Monasterio Eifliae*, *Theodoricus* Coloniensis, *Conradus Barscerier*, aliis de *Rodenberg*, *Adamus de Hertzenrode*, & caeteri, quos longum foret recensere, omnes sanè consortes operum per quae servata vetustas. Ita verò Cl. *P. Oliverius Legipont* in Fastis Antiquarii in Sancti Martini Coloniae coenobio.

P. Ziegelbauer Hist. P. II. Ttt

ſtis ejuſdem Monaſterii labores eorum laudéſque celebrat:

Quin hic dixiſſes doctas habitâſſe ſorores;
Usque vigent artes, ſtudiis ſic quilibet inſtat,
Ut prope nec lampas habeat, nec clepſidra tempus,
Nec quæ ſecuras enervant otia mentes,
Hic habeant partes: Etenim ſtimulante Magiſtro,
Quisque ſuum feſtinat opus, pars una libellos
Evolvit veteres, alius monumenta Virorum
Diſcutit, ille notat, Rapſodia colligit alter,
Vermiculant alii chartam, pars altera pingit,
Caſtigántque moras, opere omnis ſemita fervet;
Nullus amat ludos, nullus ſectatur inanes
Quisquilias, nemo vacuas pertranſigit horas;
Unus præ reliquis operum ſpeculator Apollo
ADAMUS *ſacri dux, lux & gloria Pindi,*
Acriùs inſiſtit, venturis tradere ſæclis,
Quæ meliora videt, rerúmque ſuprema coronans,
Attica Romana complura volumina lingua
Condidit, æternâ victurus laude perennis.

In Uticenſi Monaſterio. Uticenſe Monaſterium à ſancto *Ebrulfo* Abbate in Neuſtriâ ſeculo ſexto conſtructum, ob religioſæ diſciplinæ obſervantiam multis annis celebratiſſima nominis gloria exiſtimatum fuit; ſeculo autem XI. (an. 1050.) ab artis antiquariæ ſtudio novum claritatis nomen obtinuit. Abbas enim THEODERICUS exteriores curas, quatenus poterat, devitare ſtudebat, ſeséque divinis obſequiis ſedulò mancipabat, in precibus aſſiduus, & in opere manuum, quod ipſi competebat, præſertim in ſcriptoriâ arte, in quâ excellebat. Hinc antiquariæ artis præclara monumenta, cùm per ſe, tum per diſcipulos ſuos Uticenſibus reliquit*. Collectaneum enim ipſe, nec non graduale & antiphonarium propriâ manu deſcripſit, ejúsque generis codices à ſociis, qui ſecum Gemetico venerant, exarari curavit. *Rodulphus* enim ejus nepos heptaticum & miſſale deſcripſit; *Hugo* expoſitionem ſuper Ezechielem, & decalogum, primámque partem Moralium; *Rag[illegible]ius* verò presbyter tertiam partem ac libros Paralipomenon Salomonis. Denique per octo annos, quibus Uticenſibus præfuit, omnes libros veteris ac novi Teſtamenti cum libris Gregorii Magnii exarari curavit. Hinc ex ejus ſcholâ prodiêre inſignes Antiquarii; in his *Berengarius*, qui poſtmodùm ad epiſcopatum Venuſiæ promotus eſt; *Goſcelinus*, *Rodulphus*, *Bernardus*, *Turchetillus*, *Richardus*, aliíque, qui ſanctorum Patrum Operibus Uticenſem Bibliothecam locupletârunt. Ad hunc laborem pius Abbas identidem diſcipulos ſuos hortabatur, propoſito inter alia exemplo cujusdam Monachi defuncti, quem ad Dei tribunal multorum delictorum à dœmonibus accuſatum ſancti Angeli vindicâſſe dicuntur, objecto enormis molis codice ab eo ſcripto, ſingulis peccatis opponentes ſingulas ſcripti codicis literas, cujus una ſola litera numerum peccatorum excuſſit. Ad hunc modum *Theodericus* Abbas diſcipulos ſuos ad vitandam otioſitatem hortabatur, monebátque, ut orarent, legerent, pſallerent, ſcriberent, manuúmque ſuarum opera Deo jugiter ſacrificarent.

Theodericus Abbas.

In Monaſterio Tornacenſi. In Monaſterio Tornacenſi S. Martini ** præter *Godefridum* & *Giſlebertum* peritiſſimos ſcriptores, alii quoque ſub ſeculi undecimi finem ſcriptores ibidem erant, non minùs quàm duodecim, qui in clauſtro ſedentes in cathedris, *ſuper tabulas diligenter*, & *artificiosè cum ſilentio ſcribentes* cernebantur: qui ſancti Martini Bibliothecam ſacris & ſanctorum Patrum libris locupletârunt. Hinc magni nominis tunc erat ſancti Martini cœnobium.

Montis Angelorum. Mons Angelorum ***, quod eſt Helvetiæ Monaſterium, Abbatem habuit B. FROWINUM, anno 1146. electum. Vir erat *doctiſſimus*, *ſapientiſſimus*, *religioſiſſimus*, *qui permultos libros ſcribi à ſuis Conventualibus fecit*, & *ipſe ſua doctrina & ingenio non paucos edidit*, ut loquuntur annales domeſtici. B. Frowinum excepit Bertholdus, de quo ſic memorant annales prædicti: *Vir erat converſatione, ſcientia, & pietate valde venerabilis, qui nullo unquam die presbyteratûs ſui, imò nec die mortis ſuæ placidiſſimum Deo ſacrificium miſſæ offerre omiſit.* Complures etiam libros deſcripſit, & à ſuis monachis deſcribi ſollicitus fuit.

Thegernſeenſi. Ampliſſimum, olim Regium ****, & nunc totius Bajoariæ princeps Monaſterium *Tegernſeenſe* indefeſſi laboris ac induſtriæ Antiquarios longè plurimos habuiſſe, immenſa veteris literaturæ ſupellex, quæ poſt mille annos hodie paſſim conſpicua eſt, nullum dubitandi locum relinquit. Quî enim mille codices manû exarati, iíque præſtantes hodiedum ſupereſſent, niſi à monachis ſcripti fuiſſent? Nec monachi ſolùm, ſed Abbates etiam in deſcribendis Codicibus deſudârunt. Unum præ cunctis fama loquatur opus, Burchardi Epiſcopi Wormatienſis Decre-

* Mabill. l. c. Tom. IV. p. 599.
** Mabill. l. c. Tom. V. p. 535.
*** Gall. Chriſt. Tom. V. col. 1066.
**** Pez. Diſſert. Iſag. in Tom. I. Anecd. Noviſſ. n. 23. pag. XIV.

cretum manû B. Ellingeri Abbatis Tegernseensis exquisitè in folio descriptum.

In Sueviæ Monasteriis

Ex Sueviæ monasteriis tria præ cæteris memoratu digna mihi videntur. Primum *Hirsaugiense*, alterum *Wiblingense*, tertium *San-Udalricanum* Augustæ Vindelicorum. De singulis nonnihil dicamus. B. WILHELMUS Hirsaugiæ * Abbas & Ordinis Benedictini per Germaniam seculo XI. insignis Reformator, centum quinquaginta monachos in cœnobio Hirsaugiensi semper habuit, & quoties pro reformatione quoslibet ad alia monasteria hinc inde rogatus miserat, alios in eorum locum de seculo noviter conversos statim colligebat. Ita quòd ex eo tempore, quô semel quinquaginta & centum in cœnobio suo habere monachos cœperat, numerum eorum quotidie instaurando pauciores non habebat. Hi semper erant divinis laudibus dediti, & orationi, meditationi, ac lectioni sanctarum Scripturarum jugiter intenti. Illi, qui ad contemplationem cœlestium minùs videbantur idonei, necessariis deputabantur laboribus manuûm, ut nullum tempus inter eos transiret otiosum. Sciens autem S. Pater experientiâ laudabiliter doctus, necessarium mentis pabulum divinarum esse lectionem Scripturarum, duodecim è monachis suis Scriptores optimos instituit, quibus ut divinæ auctoritatis libros, & SS. Patrum tractatus rescriberent, demandavit. Erant præter hos & alii scriptores sine numero, qui pari diligentia scribendis voluminibus operam impendebant. Et his omnibus præerat Monachus unus in omni genere scientiarum doctissimus, qui unicuique rescribendum opus aliquod bonum injungeret, mendáque negligentiùs transcribentium emendaret. Multa Fratres per temporis cursum rescripsère volumina, quorum tamen pars minima in Hirsaugiensi monasterio remansit. Sanctus etenim Pater, qui lucrum & utilitatem animarum cunctis mundi rebus semper præposuit, quoties Fratres pro reformatione ad alia monasteria destinavit, libros, & quæcunque eis videbantur necessaria, libens, & spontaneâ voluntate dedit. Quia verò numerus Monasteriorum ab eo reformatorum magnus extitit, ex copiosa multitudine librorum, quos rescribi fecerat, pars minor in Hirsaugiâ remanserat. *O virum per omnia laudabilem! qui animas Christi sanguine redemptas commodis transeuntis lucri præposuit, & aliorum utilitati consulens, mundi perituras divitias minimè quæsivit!* profectò ista virtus paucorum est, ut Abbates propria monasteria suis denudent vel ornatibus vel codicibus, & inopiæ subveniant aliorum.

Scriptores duodecim

habebant summum Magistrum.

In Monasterio Wiblingensi

Wiblingensis in Suevia celebris ** Monasterii Ascetæ seculo XIII. in hoc scribendi labore à superioribus suis strenuè exerceri consueverant; à quibus Monachis & certus codex describendus, & terminus præfigebatur. Colligitur ex Manuscripto num. 130. ubi pag. 1. ad marginem adnotatum est: *Feria VI. ante Judica portavit Prior hunc librum ad rescribendum, & dedit mihi terminum ad annum*: *Incepi scribere feria II. post Judica.* Non erat illis in pretio, nisi laus Dei, utilitas lectoris, & preces posterorum. Inde passim posuêre loco nominis hæc, vel similia: 1. *Pax scribenti, salus legenti, Laus Deo omnipotenti.* 2. *Adsit principio Virgo Maria meo.* 3. *Scriptor mente pia petit unum Ave Maria.* 4. *Orate pro Scriptore in Christi Jesu amore.* 5. *Explicit iste liber sit scriptor crimine liber.* 6. *Laus tibi sit Christe, per quem liber explicit iste.* 7. *Dextram scribentis regat virtus Omnipotentis.* 8. *Me Deus abstergat, & ab omni crimine tergat.* Atque ita factum est, ut Wiblingenses Antiquarii tam proprio Marte, quàm alieno Codicum numerum & utilitate materiæ, & copiâ maximè commendabilem reliquerint; unde indubiè labores manuûm suarum manducabunt, beati erunt, & bene ipsis erit.

Scribere verba Dei plus est, quàm dicere; verbum Dictum evanescit, litera scripta manet.

Dominicus Vischer insignis Antiquarius.

Catalogum verò Manuscriptorum Wiblingensium contexuit *P. Dominicus Vischer*, insignis Antiquarius, ex oppido *Altorf* oriundus. Is à puero pius ac devotus Wiblingam pervenit anno 1611. Dilingæ sacris Theologicis post Philosophica instructus studiis, Presbyter factus, curam animarum cum singulari zelo habuit, juventutem diligenter erudivit, Cellarius Conventûs, & Oeconomus constitutus officio diligentissimè præfuit. Interea verò à studio laudatissimo eruendi ex latebris antiquitatum & viros, & scripta, minimè

* Vid. Trithem. in Chron. Hirsaug.
** Ex Annal Wibling. pag. 22.

mè cessavit, cujus plurima lectu dignissima extant, præsertim autem liber (Bibliotheca vetus Manuscripta) multo sanè labore conscriptus. Ubi Catalogo primo, quid in singulis contineatur, ostendit. Secundò vitas authorum exhibuit. Tertiò Authores cognitos recensuit ordine Alphabetico. Quartò Auctores incognitos complexus est. Quintò Descriptores librorum ex ordine posuit. Sextò significavit, quo anno quisque scriptus sit. Addidit præterea appendices, prima Fragmenta Historica, secunda Poësin antiquorum, tertia notabilia alia, quæ periere, puto studio compactoris, in fuga sibi retinentis. Græcæ item linguæ peritus, tum epistolam, tum orationem quandam in festo S. Benedicti Dilingæ in Templo Academico, coram coronâ fratrum, & gravissimis ac spectatissimis Auditoribus recitatam reliquit. Cùm anno 1632. Suecicus miles Monasterium occupâsset, is multo mœrore, curis, & sollicitudinibus confectus in morbum incidit, & ad superos, quibuscum in hoc mortalis vitæ stadio consistens conversabatur, evolavit. Religiosus certè *Antiquarius*, disciplinæ regularis zelosissimus. Sunt verò, ni fallor, inquit Annalium* Wiblingensium scriptor, 524. Manuscripta, quos in suo Catalogo recensuit.

In Monasterio SS. Udalrici & Afræ

Monasterio SS. Udalrici & Afræ Augustæ Vindelicorum undecim annis, ab anno 1355. ad annum 1366. præfuit *Johannes de Visßbach*, librorum ante & in Abbatiali dignitate scriptor diligentissimus. Eodem loci ætatem egit sequenti seculo, LEONARDUS WAGNER, cujus illustre monumentum est Codex membraneus in 8. maj. ubi omnium ab undecimo seculo scripturarum formas & modos, centum speciminibus, sua unius manu ita imitatus est, ut quisque Lector pereat, ni suis quæque seculis exarata esse putet. In primo folio *Leonardus* Maximiliano Imperatori his verbis suum Opus, quod Probam centum Scripturarum diversarum unâ manu exaratarum inscripsit, dicat: *Romanorum Imperatori Invictissimo, Cæsari Augustissimo, Gloriosissimo Serenissimóque Christianæ Reipublicæ Tutori faustissimo Maximiliano, Divæ beatissimi Præsulis Udalrici propaginis Germini nobilissimo, forte infimus Leonardus Wagner prænominati Antistitis Monasterii Augustæ mancipium scripturarum centum manu una exaratarum continentiam emendandam, corrigendámque humillimè offert.*

Leonardus Wagner inter alios peritissimus scriba.

Cæsaris invicti sedes accedere cura,
atque thronum superis nunc liber ipse sacrum.
Det veniam, rogites cunctis erroribus, atque
lassatis manibus partat amore Dei.

In tertio folio hæc *Leonardus* de se commemorat elegantissima manu. *Rotunda omnium scripturarum est nobilissima. Vocatur etiam mater & regina aliarum: quia ratione, auctoritate & excellentia omnes scripturas excellit. Ratione, quia legibilior: auctoritate, quia nobilior: excellentia, quia præstantior & antiquior: & ideo tanquam nobilissima regina omnibus scriptoribus est veneranda. Et ego frater Leonhardus Wirstlin aliàs Wagner de Schwab-Menchingen, Presbyter & Conventualis Monasterii SS. Udalrici & Afræ in Augusta Vindelicorum incepi hanc Probam, & scripsi manu propria cum sequentibus scripturis numero centum anno Domini millesimo, quingentesimo septimo.* Porrò in hoc Opere præcipuè stupuimus [*sunt verba Cl.* ** *Bernardi Pezii*] Auctori suppetiisse nomina, quibus singulas scripturarum formas propriè adpellaret. Eas hîc recensere juvat: *Rotunda. Rotundalis alta media. Poëtica vera. Antiqua major. Imperatoricalis. Antiqua crassana. Textus Italicus. Eversalicana. Antiqua prisca. Rotalis minor. Globata rotalis. Compostorialis major. Papalicana. Alta poëticalis. Media rotalis. Notula formata. Cursiva rotundalis. Tenuissana. Poëticalis medicana. Clipalicana major. Regia pullicalis. Gippalicana. Literalis simplex. Altana semis major. Clipalicana galeata. Aversalicana media. Italicana formata. Fractura Germanica. Prisca caudalis lata. Notula curtana. Neutralicana. Antiqua curtana brevis. Saltana postericalis. Abscissa. Bullicalis minor. Notula formata simplex. Antiqua durana. Cespalicana. Notula semifracta. Dilatana media. Rotalis cursiva. Mediana serrata. Notula poëticalis media. Altana. Rotalis globata. Palliata tensa. Notula semis formata. Literalis Cursalica. Antiqua formata media. Antiqua Simpliciana. Antiqua polita. Cardinalicana. Textus Italicus Altus. Vagalicana extensiva. Eversalica minor. Antiqua serrata. Extensiva inæquata. Mediana utralis. Antiqua curvalis. Notula codicalis. Abscissa postericalis. Composteriatis*

Proba centum scripturarum.

* Pag. 22.

** Differt. Isag. in Tom. I. Thes. Anecdot. pag. 34. vide etiam Bruschium in Mon. Germ. Chronol. pag. 140. qui magnoperè tamen fallitur, dum scribit, *Leonardum* Opus suum Divo Maximiliano anno 1522. dedicasse, & obtulisse, cùm ille an. 1519. e vivis jam excesserit.

rialis minor. Flacana antiqua. Neutralicalis. Prisca pilicalis. Poëticana ferrata. Semifractura. Curvalica simplex. Notula submissa. Curtana prævissalica. Polita media. Poëticalis cursiva. Italicana notalis. Curvana inæqualis. Cursiva Italicana. Antiqua falicana. Rotalis globata. Inæqualicalis variana media. Macrana alta. Bifaricalis. Grossana. Literalis Italicana. Rotulana curvalica. Antiqua formata media. Codicalis simplex. Inæqualicana. Pictoricalis major. Pillicana. Altana minor. Spissalica postericalis. Pictoricalis minor. Postericalis serrata. Textus Italicus bifractus. Extensiva inæqualis. Notula codicalis polita. Antiqua realicana. Cursiva litteralis. Curtana Flacca. Notula poëticalis pressa. Rotundalis inæquata. Hactenus de Leonardi Wagner Udalricani Cœnobitæ Opere, quod cùm Maximiliano Imperatori Udalricanum Monasterium invisenti offerretur, ferunt modestissimum Principem munus recusâsse, ac dixisse, se neutiquam eo animo huc accessisse, ut cimeliis suis Monasterium spoliaret. De eo Necrologium B. Mariæ Virg. Scotorum Wieonæ à Cl. Hieronymo Pezio Tom. I. Script. Rerum Austriac. evulgatum hæc habet: *Cal. Janu. Leonardi Monachi Ultricensis in Augusta, qui scivit 70. scripturas formare, & plures.* Et Anonymus quidam in primo Wagneriani autographi folio notat *eundem devotum & religiosum Patrem, Leonardum Wagner scriptorem hujus libri Anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo secundo, kalendis Januarii obiisse.* Ejus lapis sepulchralis ita habet: *Anno D.ni 1522. obiit Pater Leonardus Wirstlin Monachus & Senior hujus monasterii kal. Januarii.*

In Monasterio Mellicensi. Cùm ineunte seculo XV. Regularis disciplina in monasterio Mellicensi instauraretur, utiliter multáque cum laude institutum est*, ut ad antiquorum exemplum Cœnobitæ certas horas veterum librorum exscriptioni tribuerent, ne occasio eis esset, neglecto agrorum cultu, otio, quo nihil pejus, marcendi & diffluendi: Quâ in arte *Johannis de Spira, Johannis de Weglheim, Johannis de Carniola, Antonii de Catalonia, Martini de Senging, Wolfgangi Frischmanni de Emerstorff, Christophori Lieb de Ysni*, aliorúmque plurium industria incredibilis extitit: Sanè iis temporibus tribuendom est, quòd nunc Bibliotheca Mellicensis multitudine MS.torum librorum monasticas omnes totius ferè Germaniæ superet.

In Monasterio Tinecensi. Quantoperè in Regno Poloniæ veteres apud Tinecenses Benedictinos tum studium literarum, tum manualis in describendis libris labor quondam viguerit, præclarè nos docet in Historia sua Tinecensi *Stanislaus Sczygielski*, vir doctus, ejusdem monasterii Religiosus ac Bibliothecarius. Quæ Historia cùm sit typis Cracoviensibus impressa, paucisque adeò Sodalium nostrorum in Germania nedum lecta, sed ne oculis usurpata quidem, Authoris verba, tametsi prolixiora, in eorum gratiam, huc transcribere non gravabor. Sic verò infit:

Transacti temporis Historiam Tinecensem prosequenti mihi occurrit speciosa narratio, de Antiquorum Monachorum laudatissimo studio, quod in describendis variorum Authorum libris, passim impendebant. Cujus rei supersunt documenta non pauca, quæ insignem laborem commonstrant, præclara scilicet & antiquissima exemplaria, tomique grandes, egregia subtilitate Monachorum conscripti, qui in Bibliotheca ejusdem cœnobii diligentissimè conservantur. Atque ut libros chorales vastissimæ figuræ & modi, nec non ponderis ab uno viro valido, vix unius exemplaris ferendi suppare in spatiosis & latis membranis, literis trabealibus Lombardicis olim descriptos, & jucunda initialium literarum ad modum lati palmi vel potius sesquipedalium deauratione venustos, prætercam; quos verè libros elephantinos, à magnitudine operum, eleganti scriptione & auri pictura admirandos, & vix reperiundos alibi existimaverim similes, qui etiam à frequentibus domi nostræ hospitibus, videndæ antiquitatis percupidis, dum revereoter volvuntur, laudantur copiosè; hoc addito, non facilè in aliis librariis similia opera repertum iri, quæ vetustas temporum ætati nostræ transmisisset. Hæc volumina, quamquàm præsenti tempore apud nos jam non habeantur ad usum, cùm aliorum librorum modernæ necessitati, & sacris ritibus servientium in promptu copiam habeamus, nihilominùs solius honestæ oblectationis ergò asservanda cuncti judicant, ex quorum inspectione, antiquorum Monachorum memoranda studia, & honestissimorum laborum occupationes claustrales facilè perspiciuntur.

Libri chorales vastæ molis.

Centeni alii tomi. Habentur verò exceptis choralibus centeni alii tomi in Bibliotheca Tinecensi

Ttt 3

* Bern. Pez. Dissert. Isag. in Tom. II. Thes. Noviss. Anecdot. pag. xxxvi. & Martin. Kropff in Bibl. Mellic. passim.

tissimè scripti. censi, manibus piorum ejus loci Monachorum, partim in solida charta pergamena, partim in regali & augusta papyro, ornatissimè exarati, in quibus magna diligentiæ antiquorum vestigia, plurima devotionis priscæ, & eruditionis majorum nostrorum argumenta, leguntur, agnoscuntúrque. Extant Missalia, Breviaria, Martyrologia, rubro & minio affabrè depicta, & coloribus variis distincta, picturata auro figurísque cultissimis & iconibus exornata: extant commentaria in libros sacræ Scripturæ, cum glossis & interpretationibus confecta, & manu descripta, extant libri fastorum & historici seculi anterioris, eodem artificio scripti, & eleganti colorum tinctura ad gratiam legentis vel inspicientis facilè aucupandam, comptissimè variegati: quos dum attentiùs omnes intuemur, sedulam curam veterum in scribendis libris impensam demiramur. Quo tam pio & sancto labore, geminam utilitatem consecutos eos agnoscimus, dum & sibi ad cumulandam solidam gloriam egregiè profecissent, & nobis in præsenti ad vitæ honestatem & morum formam apprimè deserviant: quorum exemplo, utinam ad amorem literarum pariter accendi possimus? qui operas quidem eorum impensè collaudamus, sed ipsi prorsùs duritiem laboris perosi, ad similia facienda manus apponere reformidamus.

Erat verò Abbatibus & Monachis nostri Ordinis ad libros incredibile olim studium, quippe qui noverant, Ordinis decorem, & infirmarum animarum in eis haberi remedium. *Librorũ utilitas.* Libri enim sunt, qui nobis futuræ felicitatis desiderium faciunt, præsentis exilii miserias minuunt, vitia pellunt, virtutes inserunt, constantiam in tribulatione tribuunt, fructum indulti temporis producunt. Quid enim, nisi terrena sapere possemus, si non haberemus consolationem scripturarum? Denique à mentibus hominum fides Catholica citò deficeret, si non haberentur instrumenta scripturarum. Nihil ergò meliùs, quàm Divinis Scripturis, cum desiderio amoris incumbere, quibus instruimur, quomodò in via Dei sollicitè debemus ambulare.

Labor scribendi libros Monachis maximè Cùm autem scripturæ legi non possint, nisi scribantur priùs, utile & necessarium est, ut Monachi ad scribendum eas in cœnobiis diligentissimè exerceantur. Inter omnia siquidem exercitia manualia, nullum adeò convenit Monachus, neque videtur magis *conveniens.* proprium aliud illorum esse artificium, sicut legendis & scribendis voluminibus studium omne impendere. Nam divinis mancipati officiis, fodere non valemus, duros gravésque agrorum labores ferre non possumus, quia si foris in operibus rusticis per diem nos fatigari contingeret, divinum à choro servitium periret. Sed cùm Dei famulatus, omnibus sit præponendus laboribus, valdè inconveniens esset, ut interioribus omissis, exterioribus se Monachi immergerent. Labor autem scribendi non impedit horas divino mancipatas officio, quia dum cursus Horarum per intervalla temporum distinguitur, spatium unicuique conveniens deputatur. Sicut legimus de S. Beda venerabili Monacho, quòd licèt multa volumina scripserit, tamen à divino servitio se rarò propter studium consueverit absentare, sed intervallo horarum contentus, libros, quos edidit pænè innumerabiles, scripsit. *Quem doctissimi quique olim subierunt.* Pariter fecisse & alios nostri qnoque Instituti viros, in omni scientiarum genere præstantissimos, Alcuinum Caroli Magni præceptorem, Claudium & Joannem Scotum, præfati Bedæ Doctoris discipulos, qui & ipsi ab infantia propè in claustro educati, domestico studio in tantum profecerant, ut insignes Ecclesiæ Doctores ab omnibus ad hæc usque tempora iidem habeantur. Sic Rabanus Fuldensis Abbas & Moguntinus postmodùm Archipræsul, Strabúsque ejusdem Rabani monachus & scriba, statis horis chorum accedentes, reliquum temporis studio consecrando, insignes in Ecclesia Dei Doctores effulsêre. Sic Haymo, sic Notgerus, sic Hermannus Contractus, sic alii pænè innumerabiles Monachi Doctores excellentes sunt habiti, qui sub Regula S. Benedicti humiliter conversantes, cœnobia pro gymnasiis habuerunt. Hoc autem pacto in doctrinis altissimis scribuntur profecisse, quod totum quicquid post peracta sacra devotionis religiosæ exercitia temporis habere poterant, legendis, scribendis, vel describendis libris impenderint, dedicarintque. Quorum ætas cùm artem typographicam & impressoriam in usu necdum haberet, multum sanè laboris operæque in describendis libris impendisse eos oportuit. Sed & nunc, multis typis & officinis impressoriis constitutis, unicuique aventi & scire desideranti homini, scribendum es- *Etiã post inventam typographiã Mo-*

se

nachis scribendum. se pro certo suademus, ne propter impressuram, à scribendis voluminibus unquam desistat: quia *legere, & nihil scribere est tempus perdere*; cùm fragilis humanæ memoriæ hoc unicum inveniatur subsidium, quæ lecta sunt per longum, inter excerptorum breve, & adversaria conjiciantur.

S. Pamphilus & S. Ambrosius diligentissimi antiquarii. De sancto *Pamphilo* Presbytero id literis proditum habemus, quòd tanto amore librorum tentus fuerit, ut maximam partem voluminum Origenis, propria manu descripserit. Fertur quoque de S. Ambrosio Mediolanensi Episcopo, quòd omnes à se editos libros descripserit propriâ manu, de quibus Trithemius Abbas (ne paucos æstimet quis) ultra centum se reperisse scribit. Hic, jam quæso, quis Monachorum nostri seculi, in hoc audeat gloriari, quòd centum libros, ab aliis editos, in otio monasterii descripserit, cùm hic Beatissimus Pontifex in cura Ecclesiastica positus, & in multis occupatus plures etiam rescripserit, quos ipse antè composuit. Amor Scripturarum cultores suos non sinebat otiosos esse. Sed quia hunc in nobis habere negligimus, otio inerti torpemus, ita ut quæ facillima sunt studiosis, nobis ad operandum difficilia reddantur. O quàm felix esset Ordo noster, si exemplis horum sanctorum Patrum, illorúmque veterum Monachorum nostrorum, studio incumberemus Scripturarum? quàm læta tempora redirent Tineciæ, suúsque honor haberetur cœnobio, si deposito ignaviæ veterno ad sacrarum literarum lectionem & scriptionem subinde provocaremur? Sed nos, ô vanitas! veterum diligentias, & apices literarum, in voluminibus per eos rescriptis, aliis conspiciendos, ex jactantia libenter obtrudimus, æstimantes non parùm inde nobis, nostróque cœnobio laudis & melioris opinionis accedere posse, quòd olim Tineciæ ejusmodi scriptores inventi fuerint, qui grandes exarârunt libros, in quorum contemplatione posteri detinerentur. Verùm timendum esse potiùs, ne iidem Parentes & Principes nostri, Ordinísque lumina, graviùs in judicio exurgant contra nos, accuséntque desidiam & pigritiam nostram ob hoc, quòd eos in operibus bonis & sanctis imitari despexerimus, tempus pretiosissimum inaniter contriverimus, studium honestissimum salutarésque literas damnabiliter neglexerimus, per quos honor Dei & proximi salus aptissimè promovetur, & animarum non difficulter æterna beatitudo comparatur.

Exemplo eorum insistendū.

Porrò, ut hoc insuper addam, occasione Monachorum nostrorum, qui olim in literis sacris, & scribendis libris diligentes fuere; Monachus in scribendo devotus quatuor utilitates præcipuas consequitur; tempus, quod pretiosissimum est, fructuosè expenditur; ejus intellectus, dum scribit, illuminatur; ad devotionem interior affectus accenditur: & post hanc vitam singulari mercede præmiatur. Neque enim potest monachus concessum sibi tempus fructuosiùs expendere, quàm scribendis voluminibus cum amore Dei insistendo. Nam huic officio Deus favet, Angeli congaudentes adsistunt, omnium devotio fidelium sincera famulatur. Interim etiam, quòd bonas devotásque rescribit materias, cogitationes inanes, vel turpes non patitur molestas, verba otiosa non loquitur, fœdis rumoribus non maculatur; sed quietus & solitarius sedens cum gaudio epulatur in scripturis & bonis exercitiis ad glorificandum Deum provocat intuentes. Etenim dum bonas scribit materias, scribendo in agnitionem mysteriorum paulatim introducitur, & interiùs animo magnificè illustratur. Fortiùs enim, quæ scribimus, menti imprimimus, quia scribentes & legentes ea cum morula tractamus. Mens quoque scribentis ad devotionem feliciùs plerumque accenditur, dum scripturas ruminans sæpè per eas inflammatur.

Est labor utilissimus & meritorius.

Quale autem devoto scriptori præmium in cœlo debeatur, *Joannes Trithemius* Abbas doctissimus, & spiritu Benedictino plenus, in sua Parænesi ad Monachos de laude sanctarum Scripturarum, hoc exemplo declarat. *Fuit,* inquit, *in quodam cœnobio nostri Ordinis mihi non incognito frater quidam devotus, qui in scribendis ad ornatum Bibliothecæ voluminibus magnum habebat studium, ita ut quotiescunque à divino potuisset vacare officio, ad secreta Cellæ se conferens, huic sacrato labori insisteret. Unde & multa Sanctorum opuscula cum ingenti devotione excogitavit. Hujus mortui ossa, cùm post multos annos levarentur de terra, tres digiti dexteræ manus, quibus tot volumina scripserat, tam integri & incorrupti inventi sunt, ac si eodem tempore sepulchro fuissent impositi; reliquum autem corpus, ut moris est, consumptum ad ossa fuit.* hæc Trithemius. Cujus miraculi testi-

Cujus rei exemplū affertur.

testimonio colligitur, quàm sanctum hoc officium apud omnipotentem Deum judicetur, cujus meritum ut ostenderet, etiam in mortuis cadaveribus membra scriptorum honoravit. Hoc etiam à quibusdam Asceticis Doctoribus traditur, quòd scriptor devotus & sincerus, in illa retributione justorum Prædicatoris aureolâ non privabitur, qui tam multos manu docere in fide & bonis moribus est adinventus; nam quod prædicator loquendo, hic scribendi officio docet. Hinc Petrus Damiani, Monastici Ordinis decus, & Ecclesiæ disertissimus Doctor Cardinalis, in libro Carminum, de laude Scriptorum manualium sic cecinit:

Prædicat, atque studet scriptor, largitur, & orat,
Affligitur, sal dat, fontémque lucémque futuris,
Ecclesiam ditans, armat, custodit, honorat.

Hæc ex Historia Tinecensis monasterii primariæ inter Regni Poloniæ cœnobia venerationis.

Exhortatio Mabillonii ad studium antiquitatis. Atque ita videre licet, quàm strenuè scribendi laborem exceperint S. P. Benedicti discipuli, eúmque posteris suis quasi testamento reliquerint. Adeò ut quidquid apud antiquos eruditum ac scitu dignum, quidquid apud Patres pium, & sapientiæ plenum, quidquid in Conciliis sanctum, quidquid in libris sacris divinum est, totum id (procul jactantiâ dictum velim ex ore Joañis Mabillonii *) per monachorum nostrorum manus ad hæc usque tempora pervenerit. Ista fusiùs persecutus sum, tum ut hominibus ætatis nostræ nonnullis, quibus adeò invisum est nomen Monachorum, hortator sim, quò his paullulò se præbeant æquiores: tum ut fratres ac Sodales meos admoneam, homo tenuis consilii, ut Majores imitari pergant, non jam libros exscribendo, quamquàm eos ad id etiam post typorum inventionem speciali tractatu invitat Trithemius noster; sed quà libros editos emendando, quà veteres Scriptores eruendo, quà Codices MSs. studiosè asservando, & postliminiò sibi asserendo, quà monasteriorum nostrorum historias describendo: ut pro suo quisque modulo Ecclesiam juvent, & Monastici Ordinis decus interire non patiantur.

Corbeiæ Saxonicæ *Henricus Meibomius*, Scriptor Acatholicus in præfatione ad tertiam Witichindi nostri editionem celebrat inprimis monasterium Corbeiense in Saxonià, quòd nobis non tantùm Witichindum Historicum, verùm multos Archiepiscopos, Archimandritas, & viros insigniter doctos dedit, adeóque primaria utriusque Saxoniæ Schola aliquot seculis fuit: imò rempublicam literariam insigni omníque prædicatione digno beneficio affecit, conservatis quinque priorum Annalium Taciti libris, quos Quæstor quidam pontificius inde abstulit, detulítque ad Leonem X. donatus ab eo aureis quingentis, ut Lipsius ait. Corbeiæ Saxonicæ si non præferenda, certè conjungenda hac in laude Corbeia Gallica, alterius parens, quæ tot viros illustres protulit, tot monumenta literaria Orbi Christiano servavit, ut quotidie probant homines eruditi. Gallicæ laus ab antiquitatis studio. Meibomii testimonio accedat haud exigui hoc in loco momenti auctoritas *Joachimi Vadiani*, Acatholici scriptoris, in Libro primo de Collegiis, monasteriísque Germaniæ consistentis „ curam aliquam studiorum illis seculis fuisse in „ monasteriis. Id quod testantur Bi„ bliothecæ plures, præcipuè Fulden„ sis, & Laureshеimensis, Hirsaugien„ sis, & Cæsariensis propè Nordlin„ gam, aliæque non paucæ in Ger„ mania: quas inter & ea, quæ S.Gal„ li est, meritò censetur, optimis „ quondam libris & selectis referta.„

Sylvester II. adhuc Abbas Gerbertus à Constantino Floriacensi Monacho Ciceronis librum de Republica sibi afferri petiit; ex quo intelligitur, quod ad illud temporis in Floriacensi Bibliotheca superfuerit, quem subinde excidisse dolent literati omnes. Lactantius de interitu persecutorum editus fuit ex Bibliotheca Abbatiæ Moissacensis. Quid plura? *Sciunt eruditi*, inquit celeberrimus Baluzius **, *monachorum diligentiæ deberi, plurima antiquitatis illustria monumenta, quibus, nisi hæc eorum cura fuisset, careremus.*

At enim Benedictinorum studio in asservandis veterum Scriptorum monumentis multum gloriæ detraxit S. Gregorius Magnus. S. Greg. M. libris Gentilù iniquior fuisse arguitur. Audiamus Hermannum Conringium ***. „ De ipso„ met fanè Gregorio Primo id nominis „ Papa, quem magnum cognominant, „ lib. 2. *de nugis Curialium* ita scribit „ Joannes Saresbariensis non vanus aut „ proletarius auctor: *Doctor sanctissi„ mus ille Gregorius non modò mathesim* „ pepu-

* Præfat. in Sec. I. Act. Ord. S. B. §. ix. n. cxiv.
** in Notis ad libros Capitul. pag. 144.
*** in Bibl. Aug. Opp. Tom. V. pag. 554.

„ *pepulit ab aulâ, sed ut traditur à majoribus, incendio dedit probatæ lectionis*

Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo.

„ Verùm illi quidem famæ fides debeatur, nec ne, incertum arbitror: De eodem enim Gregorio nonnulli quidem memorant, *ejus mandato veterum ædificia diruta esse, ne peregrini & advenæ ad urbem religionis causâ venientes, posthabitis locis sacris, arcus triumphales, & monumenta veterum cum admiratione adspicerent: veterum item statuas Gregorium obtruncasse, & disjecisse, atque hinc natum illud successoris Sabiniani in Gregorium odium.* Negat id tamen omne Platina, quanquàm nullo adducto pro sententia sua firmo testimonio. Post Platinam idem fecit *Ciaconius*, sed non nisi Platinæ verbis, quamvis nomine ejus improbè dissimulato. „ Hæc Conringius. Ejus verò Scholiastes Gœbelius addit de Gregorio: „ Tum quoque omnes Titi Livii libros comburendos curâsse refert *Antoninus*, Archiepiscopus Florentinus P. IV. Sum. tit. c. 4. §. 3. sub fin. Factum id inde creditur, quòd Christiani nonnulli tum temporis Gentilium libros tanquam à Diabolo excogitatos abhorrerent. *Vid. Clem. Rom. lib. 1. Constit. 16. Concil. Carthag. IV. cap. 16.*

quod negant Benedictini è Congr. S. Mauri.

Patres Benedictini * è Congregatione S. Mauri in vitâ S. Gregorii M. quam propria industria, ex ipsius præsertim Operibus eruerunt, atque adornârunt, id omne inficias eunt. Nec credo Antonini testimonium à Cl. Gœbelio adductum eos magnoperè moveret, cùm sæpiùs illud in rebus historicis à viris doctis & eruditis haud immeritò deferatur. Quòd autem Johannes Sarisburiensis perhibeat, eum non solùm Mathesin ab aulâ recedere jussisse, sed Bibliothecæ etiam Palatinæ, in cujus archivis recondebantur omnium disciplinarum libri, zelo intempestivo ignem admovisse, ut major esset sacræ Scripturæ auctoritas, & in ea flagrantius studium, id planè inter nugas & aniles fabulas rejiciunt, nec ulla dignum confutatione existimant. Neque Benedictini solùm, sed alii etiam viri docti id explodunt. Quisquis vel unius *Scipionis Amirati* Dissertationes politicas in C. Cornelium Tacitum legerit, fabulandi aliorum licentiam detestabitur.

Riveti infulsa in Monachos criminatio

Mihi verò depellenda hîc à Monachis videtur infulsa *Andreæ Riveti* criminatio, quâ illos de veterum codicum corruptione & falsificatione impudenter postulavit. *Quid*, ait **, *à multis retrò seculis non ausa est Monachorum audacia, qui cùm ferè soli in cryptis suis sanctorum Patrum labores, typographica arte nondum inventâ, aut possiderent, aut describerent, tantam sibi licentiam usurpârunt, ut vix jam reperiatur Codex aliquis, qui manus eorum impuros effugerit, de quo jure viri docti renascentibus in Europa linguarum & scientiarum studiis sæpe conquesti, lima judicii adhibita, medicam manum deformatis operibus adhibere conati sunt.*

depellitur exemplis.

Ain' Rivete! hæccine monachis improperas? nomina ergo in specie quosdam hujus vitii reos? Forsan *** Alcuinum Flaccum nominabis; qui jussû Caroli M. corpus utriusque Testamenti, seu librariorum vitio, seu temporum injuria valde deformatum, & ab integritate sua longè quidem abductum ad veterum exemplarium fidem revocavit? Forsan nominabis Paulum Diaconum **** Monachum Casinensem, qui rogatû S. Adelhardi Corbeiæ Gallicæ Abbatis epistolas S. Gregorii M. ad fidem MSs. Codicum emendavit? Forsan nominabis sanctum Theogerum Metensem Episcopum, & Haymonem, monachos Hirsaugienses, qui jussi ab Abbate suo ***** B. Wilhelmo *quidquid in omnibus divinæ historiæ libris ac in toto novi, veteris quoque Testamenti corpore, quidquid vitio scriptorum inveniretur, vel corruptum, vel depravatum correxerunt, & ad veritatis regulam per distinctiones, & subdivisiones emendaverunt.* Forsan nominabis sanctos Lanfrancum & Anselmum, Cantuarienses Archiepiscopos, ****** de veteribus rei literariæ monumentis ac codicibus emendatis optimè meritos? Certè *Mathæus Parisiensis* inter laudes Lanfranci etiam hanc posuit: *Libros veteris & novi Testamenti scriptorum vitio corruptos corrigere studuit: cujus emendationis luce tam Anglorum, quàm Gallorum Ecclesia se gaudet illustrari.* Unicum, quod apud S. Martini Sagiensis è San - Mauriana Con-

* Vid. Act. Erud. Lipf. an. 1706. pag. 394.
** Tract. de auctorit. Patrum cap. xii. pag. 18.
*** Brovver Antiq. Fuld. l. 1. p. 47. **** Mabill. in Act. O.S.B. Tom. I. p. 397. ***** Loc. supra cit.
****** Luc. Acher in Notis ad vit. B. Lanfranci p. 41. col. 1. ubi verba non Mathæi Paris. sed Westmonast. affert, sed qui priorem exscripsit.

Congregatione monasterium diligenter asservatur, hujus assertionis superest argumentum; nimirum decem (in editis septemdecim) priores Cassiani collationes propria manu Magni illius Pontificis ad unguem emendatæ, cum hac notula marginali in fine decimæ collationis: *Hucusque ego Lanfrancus correxi.* Quòd si verò Rivete! nec Alcuinum Flaccum, nec Paulum Diaconum, nec Theogerum & Haymonem, nec Lanfrancum & Anselmum nominare potes, alios nominato. Prudentiùs longè facturus es, si quam fibulam odio Religionis Monachis affixisti, tui simillimis viris, veteribus hæreticis affigas, quos tam codicibus sacris, quàm genuinis Patrum Operibus, aliisque monumentis ecclesiasticis violentas intulisse manus dudum à Constantio nostro, & Bartholomæo Germonio comprobatum fuit.

V. C. Muratorius partes Monachorum contra hæreticorum criminationes tuetur.

„Sæpe recentiorum temporum Novatores, inquit vir summo ingenio, ac doctrina * *Lud. Ant. Muratorius*, conquesti sunt, adulteratos fuisse à Catholicis, & à Monachis præsertim, MSs. Codices Patrum, ne quid sententiis, quæ inter nos obtinent, quidquam illis adversi appareret. Hinc in ipsos Monachos mille injuriarum plaustra exonerata fuere: sed iniquè planè & ingratis. Undenam enim & ipsi hæretici habent tot aut edita, aut calamo exarata SS. Patrum scripta, nisi à Catholicis, præcipuè Monachorum studio? Propè est, ut dicam; pleraque antiquitatis monumenta jam periissent, nisi Monachos Græcos atque Latinos habuissemus, eorum custodes, amanuenses, atque librarios. Ac proinde Monachis ferè solis debemus, quæcunque veterum Patrum scripta, integra, atque à tot mendis expurgata cunctis plaudentibus evulgantur in dies. Si quis inter illos (hoc autem nunc perpendere non vacat) adeò delicatus, imprudénsque fuit, ut Catholicæ Ecclesiæ opportunum duceret, aliquid sine dolo malo immutare in Patrum Codicibus, sive quicquam illinc demere: cur omnibus Monachis vitio & crimini vertitur paucorum inconsulta temeritas? Per alios Codices à Catholicis, & iis plerumque Monachis descriptos vitiati Codices adhuc emendantur.' Gratiæ ergo potiùs habeantur Monachismo pro tot „tantísque diligentissimè servatis, quàm „maledicta rependantur, pro tam paucis, si quæ sunt, deditâ operâ atque imprudenter corruptis. Nam & nos vituperandum parati sumus, si qui fuerunt, quibus malè sanus zelus suaserit inferendas esse violentas manus scriptis Patrum, cùm contrà æquè laudandos judicemus innumeros alios, qui ab hujusmodi facinore abstinuerunt, noverúntque non solùm hisce artibus non indigere Catholicam Religionem, sed per illas etiam non parùm incommodi & dedecoris eidem afferri.„ Hactenus V. C. *Lud. Ant. Muratorius.*

Quod idem facit Jac. Gretserus.

Haud dissimiles effundit laudes in Monachos *Jacobus Gretserus* è Soc. Jesu doctissimus Theologus. „ *Illud palàm assero*, inquit, *multos nos hodie tam sacris quàm profanis frui ingenti cum utilitate libris, qui exitium non evasissent, nisi cura Monachorum eos nobis conservâsset*; „ nec Critici hujus ætatis, saltem plerique inficiari possunt, „ se in illustrandis vel emendandis bonis authoribus plurimùm sæpe à libris „ Monasticarum Bibliothecarum adjutos esse, ex quibus hodiéque varii „ Scriptores à viris doctis non rarò de„ promuntur; Et si quid bonæ frugis „ calamo exaratum reperitur in eorum „ Bibliothecis, qui ab orthodoxa fide „ recesserunt, id fermè spolium est ex „ Religiosorum collegiis, quibus nun„ quam defuêre, qui studia excitatum „ irent.„ Hæc ille.

Jo. Cler. depravationem MSs. Codicum immeritò Monachis adscribit.

En verò alium tibi hæreticum, qui diem Monachis dicit! *Joannes Clericus* is est, qui se perspicacissimam aquilam, monachos autem meras esse noctuas credit. Ex ejus sententia corruptio MSs. Codicum non tam fraudi, ac pravæ voluntati, quàm imperitiæ, atque inscitiæ Monachorum tribuenda est **. *Nimirum humaniorum literarum indocti, & in legendis liturgiis potissimùm occupati in manuscriptos codices menda innumera admiserunt.* Esto *Clerice!* quòd veteres inter monachos, scriptores nonnulli manuales disciplinis humanioribus parùm eruditi fuerint, alii tamen iis exculti adfuerunt, qui, quæ illi transcripserunt, attento reviderunt oculo, unde illæ in fine complurium veterum codicum clausulæ: *recognovi, relegi, emendavi* &c. Certè in monasterio Hirsaugiensi, ut suprà dictum, Monachus unus in omni genere scientiarum doctissimus præerat, qui unicuique rescribendum opus ali-

* De Ingen. Moderat. l. 2. p. 274.

** Artis criticæ Part. III. Sect. I. cap. 1. §. 14.

aliquod bonum injungeret, mendáque negligentiùs scribentium emendaret. Id quod etiam in Fuldensi, Augiensi, Corbejensi, San - Gallensi, Emmeramensi, Tegernseensi, Lunælacensi, cæterísque Ordinis nostri monasteriis, nbi plures aderant Transcriptores, fieri consuevit. Multùm deinde à vero remotum est, quòd rudes duntaxat literarum in Monasteriis, non autem doctrina, atque eruditione instructi transcribendis codicibus operam impenderint. Quæso enim, ut *Alcuini Flacci*, *Pauli Diaconi*, *Theogeri*, *Haymonis*, *Lanfranci* & *Anselmi* nomina non denuò repetam, quæso, quis *Othlonus*, ut vel hunc solum memorem, seculo undecimo fuit? Is puer artem scribendi per se didicit absque magistro, quam perfectiùs excoluit in Cœnobio Tegernseensi: ubi multos libros transcripsit. In Franciam, & quidem, ut Mabillonius putat, Orientalem translatus adhuc puer, tam multa scripsit, ut pene videndi facultatem amiserit. Reversus è Francia sancti Emmerami Cœnobium adiit conversionis gratia, ibique tanto scribendi studio occupatus est, ut scripserit libros missales novendecim, tres libros evangeliorum, duos lectionarios cum epistolis & evangeliis, & quatuor matutinales, præter alios plures, quos variis monasteriis & personis distribuit. Monasteria illa sunt præter S. Emmerami, Herveldense, Amerbacense, Laureshamense, Ebersbergense, Tegernseense, & Preylense virorum, nec non virginum monasteria duo Ratisbonæ, Superius & Inferius. Jam verò mirum quantum fallitur, qui *Othlonum* eâ causâ, quòd tantam librorum, maximam partem liturgicorum, vim ac multitudinem descripserit, illiteratis atque ineruditis accenset monachis: quàm eniminsignis Theologus, quámque rerum divinarum eximiè peritus fuerit, fidem faciunt opera Theologica, ab ipso elucubrata, quæ partim *Oudinus* recenset, partim in lucem noviter protulit *Bern. Pezius* Thes. Anecd. Tom. III. ubi præter *Dialogum de tribus Quæstionibus*, id est, *de divina pietate*, *agnitione*, *judiciorúmque divinorum diversitate*, *& de varia bene agendi facultate*, plura ejusdem Autoris reperire licet. Quàm iniquè igitur faciunt, qui si in prisci ævi manuscriptis Codicibus quædam deprehendunt menda, continuò culpam in monachos, eósque solos rejiciunt? *Iliacos intra muros peccatur & extra.* Non in monasteriis solùm, sed extra etiam illa, & forsan multò magis ab antiquis librariis peccatum fuit.

Othlonus doctissimus antiquarius.

Aliam heterodoxorum calumniam refellit Eminent. Cardinalis QUIRINUS * initio Epistolæ ad V. Cl. Josephum Antonium Saxium Mediolanensis Ambrosianæ Bibliothecæ Præfectum datæ IV. Cal. Aug. an. 1745. „Insectantur „nempe admodùm frequenter Catho„licos, maximè Monachos, perinde, „ac si isti supprimendis, sanctorum „præsertim Patrum, & Theologorum „exemplaribus magno studio incum„bant, quò locum faciant recentiori„bus in *Papatu*, ut illi blaterant, post „*tempus reformationis* editis. *Nostri enim* (author heterodoxus de suis Sodalibus loquitur) *per incogitantiam fastidierunt ea* (exemplaria primarum Editionum Scripturæ, Patrum, Conciliorum, aliorúmque Authorum) *illectì nitidioribus editionibus*, *& characteribus elegantioribus*, *& adversarii Pontificii ea*, *quantum in se est*, *abolitum iverunt*, *postbac multa dicta*, *facta*, *scripta*, *edita negaturi*, *& primos post inchoatam reformationem Doctores nostros*, *qui multa ex libris illis indicarunt ad evincendam reformationis necessitatem*, *mendacii & calumniæ condemnaturi*: tandem concluditur, in primas ac antiquissimas editiones, ante omnia inquirendum esse, ut cum posterioribus conferri possint. Labem ac calumniam istam à Catholicis removet Cardinalis Quirinus, ipsósque heterodoxos hanc mendacii ac calumniæ labem sibi accersere demonstrat. Dum ipse binis libris à se exaratis, uno de Brixiana literatura renascentium literarum Ætate, altero *de Pauli II. Pont. Max. Gestis vindicatis & illustratis* obscuriores illas priores editiones ad omnium notitiam deduxit, veterum Ecclesiæ Patrum antiquiores ac plerumque omnium primas editiones, quas antea obscura fama recondebat, ad omnium notitiam in medium protulit: quod & ipse Clarissimus Saxius Mediolanensis Ambrosianæ Bibliothecæ Præfectus in suo Opere præstantissimo: de *Mediolanensi Typographia præstitit*. En mendacium! calumniam heterodoxorum! Pontificios, Catholicos, antiquiores editiones *abolitum ire*, ut recentioribus in *Papatu post tempus reformationis* editis locum faciant.

Alia heterodoxorum calumnia,

quam Card. Quirinus abstergit.

Venio

* Vid. Præfat. ad Tom. I. Bibl. San - Emmeramens.

Alterum Studii antiquarii genus in edendis Anecdotis.

Venio ad alterum studii antiquarii genus. Enimverò inter plurima * studiorum genera, quibus in communem Reipublicæ Christianæ utilitatem incumbunt viri literati, illud sanè non inferiorem locum tenere debet, quò nonnulli varias perlustrant Bibliothecas, delitescentes in eis veteres codices manuscriptos cum blattis & tineis decertantes diligenter exquirunt, inventósque sedulò percurrunt, ut ea auctorum priscorum scripta, quæ excidisse credebantur, aliáque antiquitatis monumenta, è tenebris tandem eruta, publicam in lucem emittant. Quis enim dignis exprimat verbis, quantum inde rei literariæ splendoris, quantum universæ Ecclesiæ commodi accedere possit? cùm viros sua ætate insignes, non minùs pietate, quàm doctrina conspicuos, sed heu! temporum injuria, quasi oblivione sepultos derepente videas è pulvere excitatos, nova hominibus vitæ rectè instituendæ dare præcepta, mores corrigere, aut in melius informare, verum à falso, secernendo aniles recentiorum quorundam fabulas expellere, antiquam Ecclesiæ disciplinam ob oculos ponere, denique Christianæ fidei sancita stabilire, atque omnia ipsius dogmata adversùs hæreticos propugnare. An verò hujusmodi studio hæc omnia cum fructu præstari quisquam dubitet? Quapropter non immeritò summus Pontifex Alexander VII., testante, & scribente ad Lucam Acherium, quod propriis auribus exceperat, Cardinali Bona, asseruit: *eos utiliorem præstare operam reipublicæ literariæ, qui eruendis è situ bibliothecarum veterum lucubrationibus incumbunt, quàm qui novos cudunt libros: Libri enim novi siquid boni continent, ab antiquis mutuari solent.* „ Hoc studiorum genus cùm plurimi hoc seculo sectati fuerint, tum maximè Religiosiss. Patres Galli è Congr. S. Mauri Hugo Menardus, Lucas Acherius, Joannes Mabillonius, Michael Germanus, Theodericus Ruinartus, Jacobus Lopinus, Claudius Chantelovius, Joannes Garetius, Claudius Stephanotius, Bernardus Montfalconius, Edmundus Marthene, Ursinus Durand, Jacobus Martinus, aliique plurimi; ex quorum labore prodière Spicilegium Veterum Scriptorum, Analecta Latina & Græca, Musæum Italicum, aureus liber de re Diplomatica, Palæographia Græca, Diarium & Musæum Italicum, Libri de antiquis Ecclesiæ & Monachorum Ritibus, Veterum Scriptorum Collectio Nova, Thesaurus Anecdotorum, cum variis accessionibus, quibus novissimæ veterum & sanctorum Patrum Origenis, Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Gregorii, Hilarii, Anselmi, Bernardi, Athanasii editiones, mirum in modum auctæ & ornatæ fuerunt: adeò ut non tam spicas aut reliquias aliquas, quàm messem amplissimam, viris literatis eò jucundiorem, quò magis feracem aut minùs speratam collegisse videantur.

Benedictini San-Mauriani ad illud strenuè incumbunt.

Catalogum MSs. Cod. Bibl. regiæ Parisiensis condunt.

Cùm verò Parisiis in Gallia studium veterum Manuscriptorum Codicum ita floreat, ut nullibi magis, etiam Benedictini nostri ** in partem laboris evocati fuerunt. Quo tempore igitur *Ducangius* & *Cotelerius*, viri doctissimi, hoc est, anno 1686. incumbebant catalogo MSs. Græcorum omnium Regiæ Bibliothecæ instituendo, eodem quoque desudare jussi sunt insignes duo viri, Monachi Sancti Germani de Pratis, ut Bibliothecæ ejusdem divitis MSs. Codices omnes Latinos excuterent, atque in Catalogum recenserent: *Michael Germanus* Joannis Mabillonii ob eruditionem notissimi socius, & Placidus Porcheron Bibliothecæ S. Germani de Pratis Præfectus, Vir modestiæ insignis, nec pietatis inferioris. Quantum autem solidæ doctrinæ, ac reconditæ eruditionis ad id genus catalogum conficiendum requiratur, nemo nisi rei antiquariæ peritissimus crediderit. *Erat Catalogus iste*, inquit magni nominis Criticus *** Casimirus Oudinus, *ita comparatus, ut Manuscriptorum omnium Latinorum veterum in membrana vel papyro compactorum seriem & numerum referret, ac quidquid in Codicibus MSs. singulis continebatur, per ordinem recenseret.* Cùm autem uterque *Michael* & *Placidus* in Codicibus excutiendis & examinandis versatissimi essent, non tantùm in hoc Catalogo observabant ad MSs. Codices singulos, quæ in illis Opuscula vel pauciora vel plura continerentur, sed juxtà peritiæ suæ his in rebus opinionem in Codicibus quibusque, quantæ antiquitatis sibi viderentur, collatione inter se habita taxabant. 200. 300. vel 400. annorom vel circiter. Idem doctissimi duo viri *Michael Germanus*, & *Placidus Porcheron* unà cum *Theoderico Ruinarto* in alio id genus Catalogo conficien-

* Edm. Martene Præfat. Collect. Nov. vet. Scriptor.
** Vid. Oudin. de S. E. Tom. 2. pag. 915.
*** De Script. Eccles.

ficiendo operam collocare jussi fuerunt. Cùm enim P. *Philippi Labbei* viri doctissimi è Soc. Jesu Catalogus Manuscriptorum, quem sub titulo *Nova Bibliotheca Manuscriptorum librorum* edidit Parisiis an. 1653. 4. mancus adhuc atque mutilus videretur, anno 1685. de novo concinnando fuit actum. Et quidem Græca Manuscripta recensuerunt *Joannes Baptista Cotelerius*, & *Carolus du Fresne*: Latina verò præfati tres Benedictini. Aliquot post annis *Bibliothecæ Coislianæ catalogum* pari labore nec minori laude confecit Bernardus Montfauconius, cujus Bibliotheca Bibliothecarum Manuscriptorum nova non multis ante annis prælo liberata fuit.

Crisis seculorum circa MS.tos Codices. Posuerat quidem olim intet desideria literaria Morhoffius crisin quandam seculorum circa Manuscripta antiquiora; sed hoc desiderium eruditè expleverunt in Latinis Joannes Mabillonius, & Godefridus Beselius, Abbas Gottwicensis; in Græcis verò Bernardus Montfauconius. Prior in libro de re Diplomaticâ, ubi optimas legendi veteres MS.tos codices tradit regulas: exempli loco potest esse monumentum ex Archivo Ecclesiæ Ravennensis depromptum, eo charactere in cortice scriptum, qui cùm esset lectû difficillimus, *Scriptura incognita* dictitari solebat, multisque etiamnum foret, nisi ejusdem legendi methodum ostendisset Mabillonius. Alter in libro primo Tomi Prodromi Chronici Gottwicensis Codicum antiquorum in Germaniæ Bibliothecis extantium, lustrum criticum instituit, quod ad penitiùs intelligenda Diplomata viam muniat, adjectis ordine seculorum vetustarum scripturarum speciminibus æri incisis. Quem postremo loco nominavi, Cl. Montfauconius præclarum Opus, *Palæographiam Græcam*, sive de Ortu & Progressu Literarum Græcarum, exemplo Mabillonii incitatus, eo potissimùm consilio, diuturnâ observatione elaboravit, ut adritè dignoscendam MSs. codicum ætatem, facilémque illarum lectionem manuducturus, & veterem Græcorum scripturam, variásque mutationes, quibus cujusvis seculi consuetudo eam flexit, explicaret.

Antiquarii eximii laudem promeretur Card. In Hispania, ut de *Prudentio de Sandoval*, *Josepho Perezio*, aliisque doctis Antiquariis nihil dicam, vel solus JOSEPHUS SAENZ DE AGUIRRE S. R. E. Cardinalis utramque facere paginam potest. *Is*, ut verbis utar Hyacinthi Amat de Graveson*, *in exquirendis ac illustrandis veteribus Hispaniæ monumentis, præsertim illis, quæ manuscripta in antiquissimis Bibliothecis per multa secula latuerunt, maximam adhibuit diligentiam, eáque, post maturum ac diuturnum criterium, summo Reipublicæ tam Ecclesiasticæ quàm Literariæ emolumento publici juris fecit, cujusmodi sunt Concilia Hispaniæ, vastum, eruditum, & ab universo literato Orbe diu exspectatum opus.* de Aguirre.

Itali Benedictini antiquarii. Nec nostrâ hâc ætate hoc studii antiquarii genus apud Italos Benedictinos prætermissum fuit, è quibos verò brevitatis causâ duos tantùm nomino, *Benedictum Bacchinum*, & *Anselmum Bandurium*. Prior S. Mariæ de la Croma Abbas Congregationis Casinensis ex Bibliothecâ Estensi librum Pontificalem, seu Vitas Pontificum Ravennatum ab Agnello Abbate S. Mariæ ad Blachernas, & sancti Bartholomæi Ravennate seculo IX. conscriptum eruit, doctissimísque dissertationibus & observationibus, nec non Appendice monumentorum illustratum, & auctum primus omnium edidit Mutinæ anno 1708. typis Antonii Caponii, simúlque dicavit Serenissimo Raynaldo Estensi Mutinæ &c. Duci. Hoc antiquitatis venerandæ monumentum Cl. V. Ludovico Antonio Muratorio non indignum est visum, quod Tomo II. Rerum Italicarum Scriptorum primo loco legendum exhiberet. *Anselmus Bandurius*, Ragusinus, Congregationis Melitensis, cùm Parisiis, quò à Cosmo Tertio Magno Tusciæ Duce, tei literariæ promovendæ causâ missus fuerat, Regiæ Bibliothecæ Codices manû exaratos evolveret, in Codicem Græcum *Patria seu Origines Urbis Constantinopolitanæ* inscriptum incidit. Quâ occasione consilium suscepit multa convasandi, ac dispersa hinc inde colligendi, quæ Historiæ Byzantinæ deesse arbitratus est. Nec res viro infeliciter cecidit. Cura enim ac studio indefesso tantam vim scriptorum, partim jam vulgatorum, partim adhuc ineditorum congessit, ut Collectionem sub hoc titulo Græco-Latinam Orbi Literario sisteret: *Imperium Orientis, seu Antiquitates Constantinopolitanæ.*

Mellicii studium edendorum veterum. Mellicensis in Austria Inferiori Ascesterii longè celeberrimi non infima laus est, quòd ejus doctissimi Alumni cùm literas artésque liberales omnes incredibili

Uuu 3

* Hist. Eccl. Sec. XII. Colloq. IV. p. 235.

codicum excolitur. dibili studio & amore complectantur, tum verò sacræ & profanæ antiquitatis studium ita excolant, & augeant, ut non alibi apud Benedictinos in Germania magis floreat. Id quod veteres Scriptores non exiguo numero è pulvere & situ Fratrum Peziorum diligentiâ eruti, & in pristinum nitorem restituti abundè testantur, & futuris seculis testabuntur. Neque verò Clarissimi hi duo germani Fratres solùm priscis codicibus in lucem protrahendis manum admoverunt, sed plures alii Mellicenses fuerunt, hodiéque sunt, qui tum quotidianis Peziorum declamationibus, tum suopte, quo pulcherrimo prædíti erant, ingenio incitati, in laboris, ab omnium gentium eruditis & prudentissimis viris tantoperè dilaudati partem venerunt. Nec ea æmulatio intra Austriæ monasteria constitit, sed incessit etiam non paucos præstantes in Bavaria, Suevia, universáque Germania Benedictinos, qui omne à sacrorum pensis otium ad describendos veteres libros conferentes, multa insignia, observatúque dignissima, antiquorum monumenta Fratribus Peziis transmiserunt. (præcipuè à Peziis.)

Illud etiam memoratu non indignum, quòd cùm Clarissimi hi Fratres * in itinere suo literario, quod seculi hujus anno decimo septimo in Bavariam & Sueviam susceperunt, in monasterio San-Emmeramensi manuscriptos Codices lustrarent, non sine quodam Numine, ut ipsis quidem visum est, in vitam S. Alberti Prioris monasterii Superioris Altachæ, antiquarii solertissimi, inciderunt. Dum verò eam pervolutant, ad eum locum perveniunt, *Nihil terrenarum rerum habuit nisi pennas, & incbaustum propter correctionem librorum, & glossationem, in quibus subtilissimus erat, ut in pluribus patet Ecclesiæ nostræ libris. Interrogatus autem, cur abjectos, quos nemo curaret, libros tam diligenter, tam curiosè emendaret, & glossaret, respondit: veniet tempus, quo & hæc & alia Ecclesiæ nostræ opuscula cum diligentia amplectentur. En quamvis*, pergit vitæ auctor, *contrarium in nobis juvenibus desidiosis videatur; sperare tamen debemus idem verbum in nobis, vel nostro tempore adimpleri ejus meritis & precibus, cujus omnia verba credenda sunt, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quæ dum clarâ voce Bernardus in Fratris Hieronymi aures recitat: en, inquit, vaticinii post tantum temporis intervallū fidem! Quid enim aliud nobis nunc propositum est, quàm ut tum aliorum Bajoariæ monasteriorum libros veteres, tum proximè antiqua Superioris Altahæ monumenta perverstigemus? Percussit ea res tam fortiter utriusque animum, ut, siquod ad aliud Bavariæ cœnobium, ad Altaham Superiorem inflamato desiderio ambo ferrentur. (Qui exemplo & vaticinio S. Alberti ad novos id genus subeundos labores animantur.)

Non igitur de nihilo *Christianus Gottlieb Buderus* ** Ducalis & Academicæ Bibliothecæ Jenensis non ita pridem Præfectus, hodie verò Historiarum Professor Ordinarius, ac celeberrimi *Struvii* successor. Fratres Pezios vocat *Monumentorum veterum in Germaniæ monasteriis Investigatores & Restitutores Eruditissimos.* Viri doctrinâ & eruditione clarissimi verba hæc sunt. „ VOBIS inprimis, qui plaudente Germania literis cultiori, bonisque omnibus æterno apud seram posteritatem præconio, in vetustissimis Germaniæ monasteriorum Bibliothecis, & Archivis fuistis, & adhuc estis veterum Monumentorum, & in his Diplomatum Investigatores diligentissimi & Restitutores. Quas enim in eruendis bonæ notæ antiquis mediæque ætatis scriptoribus & chartis, iisdémque egregiè illustrandis dotes, in eruditissimis vestri Ordinis è Congr. S. Mauri in Galiis Sodalibus, *Luca Acherio, Joanne Mabillonio, Theoderico Ruinarto, Michaële Felibinio, Guidone Alexio Lobineau, Bernardo Montefalconio, Edmundo Martene, ac Ursino Durand, Petro Coustantio*, aliísque miratur orbis literatus, id in *Vobis Fratribus* exquisitissimis laudibus commemorat. *Tu enim Bernarde*, rerum conditioris literaturæ vindex doctissime, commemorabili ad posteros exemplo, non solùm antiquissimi Tui Ordinis in Germania nostra Sodales, exemplo & voce ad capessenda solidiora studia, sed & institutis, Fratre *Hieronymo* comite, cum præsentissimo quandoque vitæ periculo Itineribus Literariis ad laudabilem proferendorum è diuturnis tenebris, pulveréque & situ veterum monimentorum, non in Austriæ solùm omnis, sed Bavariæ etiam, Sueviæ, Helvetiæque, Benedictini cumprimis Ordinis monasteriis, contentionem quandam, & honestam æmulationem excitâsti, consortésque laborum doctissimos per omnem Germaniam monachos Tibi adjunxisti. Loquitur (laudibus ornantur. Bernardus Pezius,)

* Dissertat. Isag. in Tom. I. Thes. Anecd. n. 66. p. XLIV.
** in Dissert. epistolari de Bibl. Diplom. pag. 23. & seq.

„quitur insignem tuam mirabilémque prorsùs in tractandis, legendis, judicandísque Codicibus, manu quandoque flagitiosissimè scriptis, & carie, putredine, antiquitate ferè exesis peritiam *Novissimus ille Tuus Anecdotorum Thesaurus*, tribus majoris formæ & molis voluminibus excusus, quibus inter alia bonæ notæ Opuscula Ecclesiastica, nobis Codicem *Diplomaticum* Ratisbonensem, Codicem Traditionum Sanct-Emeramensium, *Anamodi* Traditionum Emeramensium, seculo IX. factarum, Libros II. aliáque plura Diplomatica cimelia donâsti, & cuncta eruditissimis Præfationibus illustrâsti; Testantur egregiam Tuam eruditionem præclara illa *Bibliotheca Benedictino-Mauriana* duobus Libris exposita; cultissima *Dissertatio Apologetico-Literaria ad Perillustrem & Excellentissimum DD. Joannem Benedictum Gentillotum ab Engelsbrunn Sac. Cæs. Maj. à Consiliis, & Bibliotheca, pro editione integri Syntagmatis Diplomatico-Historico-Epistolaris Udalrici Babenbergensis à V. Cl. Angelo Fonteio Veronensi impugnata*; Testabitur ampliùs magna illa *Bibliotheca Benedictina Generalis*, quam tanto labore apparatúque adornas, & instruis, ac communibus votis desideratur, quámque jam Te prælo paratam habere scribis. *Codex Diplomatico-Historico-Epistolaris*. Tu verò Domine *Hieronyme!* Historiarum & elegantiorum doctrinarum ornamentis condecorate, fraternorum itinerum & laborum consors, Nominis Tui & meritorum laudatores ipse Tibi excitâsti. *Scriptores Rerum Austriacarum* veteres, sinceros, egregios, plurimam partem aut primùm in lucem vindicatos, aut ex Manuscriptis Codicibus auctiores, & emendatiores editos, quos solidè cultissiméque scriptis sex Procemialibus Dissertationibus egregiè illustrâsti, perpetuos de Tuis in rem historicam meritis testes, quorum comites, cumprimis autem *Austriam* illam *Diplomaticam* magnoperè desideramus, qua *Marchionum, Ducum, Archi-Ducum*, & *Imperatorum* è familiis Austriacis oriundorum, *Diplomatum* ingentem vim, ex diversis tabulariis collectam, Orbi erudito promisisti. *Vos* ergò, *Fratres* eruditissimi Bernarde & Hieronyme Pezii in Ornamentum Ordinis vestri antiquissimi, & decus Germaniæ nostræ literatæ nati, *Restitutores Diplomatum* & omnis generis monimento-„rum veterum diligentissimi, & in his „rebus maximè versati &c. - - - Immortalis Deus Vos servet RR. Patres Orbi Erudito, cujus commodis estis nati, labores Vestros fortunatos esse jubeat, plurésque *Vobis* in Germaniæ monasteriis socios adjungat fidos, integros, eruditos, Antiquitatum, veterum Monimentorum Diplomatúmque Vindices & Renovatores. „ Hæc Eruditissimus Buderus.

Ejus Thesaurus Anecdotorum.

Hieron. Pezius.

Aliud non minùs illustre judicium est Eruditissimorum Auctorum, qui Acta * Eruditorum Lipsiæ publicant de studio antiquario *Cl. PP. Peziorum* Fratrum. Sic verò loquuntur. „ Fratrum Peziorum nomina viris doctis commendâsse, & eorundem in patriæ antiquitates merita multis verbis prædicâsse, illius est, qui otio se abundare existimat, cum suis illi factis egregiis, & rei literariæ causâ susceptis itineribus, odiis, laboribus, monumenta ære omni magis perennia exegerint. Quantum Austria, & omnis Germania doctissimo Hieronymo debeat, nuper indicavimus, cùm in Scriptoribus Austriacis pro more & instituto nostro versaremur; nunc postquàm Reverendi Bernardi *Thesaurus Anecdotorum*, post *Martenii* puta & *Durandi* incredibilem diligentiam, *novissimus* in nostras pervenit manus, de eo etiam nonnulla proferemus in medium, cùm, si de eximio opere in nostris Annalibus taceremus, dici omninò possit, id à nobis fieri injuriâ.

Lipsiensium de eorum operibus judicium.

„ Posteaquàm *Bernardus* in Dissertationis Isagogicæ Parte I.ma Iter suum Literarium Bajoaricum exposuit; in altera Parte de Scriptorum Tomi I. ætate, meritis, operibus, codicibúsque variis doctè & copiosè disseritur, quali Isagoge reliqui etiam Tomi in fronte ornati sunt, ornabuntúrque. Sex enim minimùm Tomi diligentissimo Patri edendi restant. Cæterùm uniuscujusque Tomi Scriptores in tres veluti cohortes dispertiti sunt: in prima censentur divinarum Literarum interpretes, in secunda Theologi, Patres, Philosophi, Ascetæ, in tertia Chronica, Codices Diplomatici, Monasteriorum Historiæ, Sanctorum Vitæ, Itineraria, alia Monumenta Historica. - - - Utinam & brevì prodeant reliqui Thesauri hujus Tomi! quibus si Theologici argumenti paulò minùs, historici verò plurimùm inseruerit Rev. Autor, haud ampliùs Gallis *D'acherios* suos, vel *Baluzios*, ac *Martenios* invidebimus. „

Thesaurus Anecdotorum cum laude recensetur.

* Calend. Jan. anno 1722.

Fuit

Nimius rei antiquariæ cultus in Bernardo reprehenditur.

Fuit igitur *Bernardus Pezius* studio antiquario apprimè deditus, sibique illud Petavii verè arrogare potuit: *Nova quærant alii, nil nisi prisca peto*. Neque quisquam reipsâ, non verò nomine tantùm, Modestus aliquando fuit, qui ei hoc laudis ademerit. Qui tamen nimium antiquitatis cultum in eo reprehenderent, neque pauci neque indocti fuerunt: nempe

Qui redit ad fastos, & virtutem æstimat annis,
Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit.
Quisquis item, nisi quæ terris semota, suisque
Temporibus defuncta videt, fastidit & odit.

Rursùs alii in eo majorem in evulgandis Manuscriptis prudentiam desiderârunt. Sunt namque, (quis enim diffiteatur?) hac ætate nostrâ Antiquarii quidam, qui, quidquid de veteribus libris ac codicibus in manus eorum pervenit, foras statim in publicam lucem protrudendum anhelant, nullo fatis habito delectu, ac criterio: quare etiam ut plurimùm haud plus referunt laudis, quàm qui calceos quoscunque veteres, ac ova vetera venum exponunt. Atque hoc morbo laborâsse *Bernardus Pezius* dicitur. An. MDCCXXXI. duo opuscula in lucem protraxit, quorum editio non minimum molestiæ ei subinde exhibuit. In vita Venerabilis Agnetis Blannbeckin illa præprimis displicuit narratiuncula de pellicula præputii Domini, cujus dulcedinem in linguâ gustâsse sibi visa est præfata Virgo. In Historia verò V. *Pothonis de Miraculis sanctæ Dei Genitricis Mariæ* displicuit, c. 36. narratio de quadam Abbatissa impraegnata, quam verò duo Angeli à Beata Virgine Maria missi, obstetricis munus in se recipiendo, ab onere gravitatis liberârunt, puerúmque Eremicolæ, ut eum per septem annos educaret, tradiderunt. Quare liber uterque, idiomate Latino conscriptus, censura confixus ac suppressus est, ne viris secularibus ac politicis (quamquàm isti id genus libros rarissimâ terunt manu) offendiculo, atque occasioni ad sermones minùs honestos in congressu mulierum ferendos esse posset. Neque ego hujus editionis patrocinium unquam suscepero; illud tamen ab æmulis immeritò atque imprudenter factum esse contendo, quòd eapropter Bernardo Pezio boni ac periti Antiquarii laudem continuò detraxerint. Id, inquam, solum immeritò ac imprudenter factum esse contendo.

Protrahit in lucem duo opuscula,

quæ confixa fuerunt.

Laus boni Antiquarii propterea ei non est detrahenda.

Apud Persas olìm lege humanitatis plenâ erat ita constitutum, ut cùm quis in judicio argueretur, aliquid fecisse contra leges, etiamsi liquidò constaret, eum culpæ affinem esse, non tamen statim condemnaretur, sed priùs inquireretur diligentissimè in omnem illius vitam, iniretúrque ratio, pluráne turpiter & flagitiosè, an benè laudabiliterque gessisset; tum si vincebat turpium numerus, condemnabatur: sin præponderabant honestis turpia, absolvebatur. Cogitabant enim, humanarum virium non esse, rectum cursum perpetuò tenere: habendos pro bonis viros eos, non qui nunquam peccarent, sed qui sæpiùs honestè agerent. Hanc ipsam legem erga Cl. Pezium æmuli observare, neque eum confestim inter imperitos, ac judicii minùs limati Antiquarios referre, sed anteà rationem fideliter inire debuissent, an non numerus bonæ notæ veterum manuscriptorum, quæ in lucem exire fecit, multùm superaret; nam id si constitisset, haud satis argumenti habuissent, cur eum syllabo insignium Antiquariorum exemptum vellent. Et verò quis inficias eat, quin Pezius multos bonos authores publicè anteà nunquam visos, candore non minore, quàm industria & labore ediderit, & ita ediderit, ut additis præfationibus, notis, & emendationibus obscuros illustraret, vitio ævi corruptos corrigeret, suúmque nativum decus singulis restitueret. Quàm multi in scriptis suis eruditissimi ac doctissimi quique viri allegant *Pezium*? quantas in eum ob Antiquitatis studium conferunt laudes? quantùm communi nomine eum obtestati fuerunt, ut in accurata ejusdem investigatione desudare persisteret? Cùm Pezius Guelfonis *, vulgò Senioris, duodecim epistolas è Bibliotheca Tegernseensi erutas per V. C. Georgium Eccardum Serenissimo Britanniarum Regi Georgio I. transmisisset, à Sapientissimo & Munificentissimo Principe aureo magni pretii mnemosyno honorari meruit. *Augustinus Calmet* **, quantum ætatis hujus decus ac lumen! eo nomine Rempublicam literariam Bernardo Pezio teneri pronuntiavit, quòd duos Commentarios in Genesin, Angelomi Luxoviensis, & Honorii Augustodunensis, dudum desideratos, in Thesauro suo Novissimo juris publici fecerit. *A Johanne Alberto Fabricio* ***, cujus nomen

Pezius à viris doctissimis laudibus ornatur.

* vid. ejus Differt. Isag. in Tom. I. Thes. Anecd. n. 35. p. xix
** Supplem. in B.S. par. I. p. 312. col. 2.
*** Bibl. med. & inf. Lat. lib. 2. p. 545. & alibi.

men apud omnes Germaniæ, Galliæ, Italiæ, atque adeò totius Europæ eruditos in magna existimatione est, *Pezius* summo loco fuit habitus: nunquam enim eum aliàs novum quendam Germaniæ *Mabillonium* jure merito appellandum affirmâsset: nunquam ejus diligentiam in lustrandis tum sui monasterii, tum aliorum, Austriæ, Sueviæ, ac Bavariæ Bibliothecis prædicâsset: nunquam ejus industriam in præclaris, densis hactenùs occultatis & circumfusis tenebris monumentis eruendis celebrâsset: nunquam pronuntiâsset, talem illum esse virum, cui nihil neque à natura denegatum, neque à doctrina non delatum esse videatur: nunquam eum propterea publicè laudâsset, quòd primus optima studia, literásque inferiores in cœnobium suum invexerit: nunquam denique ejus studiis ab ignorantibus contemptis, tantum ponderis, tantum auctoritatis accessisset, nisi tantus vir palàm declarâsset, quàm sæpè optaverit cum Homerico Agamemnone: ut quales ipse ejúsque frater, tales decem in aliis Benedictinæ Familiæ Germanicis cœnobiis existerent, qui clarorum hominum scripta cum tineis ac blattis luctantia ab interitu & oblivione vindicarent. Quid plura?

Fabricii de eo elogium. PEZIUS vocatur à Fabricio *eximius Auctor, & tot aliis nominibus de Historia Ecclesiastica præclarè promeritus*. Quid verò *Franciscus Buddeus*, quo doctiorem sectæ suæ Theologum Lutherani vix alium ostentare possunt, de Pezii studio antiquario sentit ac scribit? Quo loco de iis differit, qui septimo, sequentibúsque seculis in Scripturam sacram commentati sunt, Nec prætereundum, inquit, *virum doctissimum, diligentissimúmque*, BERNHARDUM PEZIUM *in Thesauro suo Anecdotorum Novissimo*, quædam istorum seculorum in lucem protulisse Scripta, ad huncce locum spectantia, eáque minimè indigna, quorum habeatur ratio. Cujusmodi sunt: NOTKERI BALBULI *San-Gallensis liber de Interpretibus divinarum Scripturarum*; ANGELOMI *Luxoviensis Commentarius in Genesin*; CANDIDI PRESBYTERI *Expositio Passionis Domini nostri Jesu Christi*; HONORII AUGUSTODUNENSIS *Hexaemeron de decem plagis Ægypti*; *in Psalmos selectos*; IRIMBERTI *Abbatis Admontensis Commentarius allegoricus*; THOMÆ *Abbatis Vercellensis Commentarius hierarchicus in Cantica Canticorum*; HERVEI *Monachi Dolensis Commentarius in Genesin*; IRIMBERTI *Abbatis Commentarius in libRum Judicum*; *ejusdem Expositio libri Ruth*; WALAFRIDI STRABONIS *Expositio XX. primorum Psalmorum*. Eat jam nescio quis *Modestus*, perfricet frontem, ac parùm modestè effutiat, non majorem horum Scriptorum, quæ Bernardus Pezius in Thesaurum Anecdotorum Novissimum congessit, rationem esse habendam, quàm ut *inter involucra & cucullos piperis deputentur, cùm in magno corpore parùm sit animæ.* Quæ verba potiùs exulcerati animi satyram, quàm modestam, integram, doctam, & ab omni passionum æstu liberam sapiunt censuram.

Modestus immodestus notatur. Discat hic *immodestus* MODESTUS exemplo Eminentissimi S. R. E. Cardinalis, *Dominici Passionei*, saniora sapere, atque de Catholicorum Patrum & Scriptorum libris à *Bernardo Pezio* magno labore, industria, atque eruditione in *Thesaurum Anecdotorum* congestis & æquiùs & modestiùs deinceps judicare. Quo enim tempore Eminent. Cardinalis munere adhuc Nuntii Apostolici apud Helvetos fungebatur, sequentem epistolam ad *Bernardum Pezium* nihil tale exspectantem ultrò exaravit.

Reverendissimo Patri Bernardo Pezio Bibliothecario Mellicensi

Dominici Passionei ad Pezium epistola.

DOMINICUS PASSIONEUS Archiepiscopus Ephesinus, Nuntius Apostolicus ad Helvetos S. P. D.

„Miraberis fortasse, quòd nullo nomine de te meritus, hasce literas ad te dare decreverim, & nec cognitus tecum amicitiam instituere, & me totum ad illam adjungere festinanter accurram. Duo in causa sunt; studia præsertim, quibus uterque nostrûm devinctus est, & tuus *Anecdotorum Thesaurus Novissimus*, quem cum magna animi voluptate, tum maximè uberiori fructu diligenter evolvi.

„ Quantum enim de Literis, & quod caput est, de Ecclesia mereantur ii omnes, qui SS. Patrum Monumenta, Martyrum Acta, Pontificum Epistolas & Rescripta, cœnobiorum chartas, uno verbo, quidquid Ecclesiasticæ Historiæ prælucet, è Bibliothecis promunt: etsi satis exploratum perspectúmque habeamus, gravissimum Alexandri VII. Pontificis Maximi testimonium rem totam exhaurit, quod Cardinalis Bona, magnum Romanæ Ecclesiæ Decus &

„ præsidium reddidit *Lucæ D' Acherio.* Nomine enim Pontificis epistolam exaravit, in ipsius *Spicilegio* editam, quâ abunde testatum reliquit, illos plus utilitatis Ecclesiæ afferre, qui *veterum Patrum Scripta* ex tenebris vindicant, quàm qui nova producunt. „

Hortatur ut in cœpto opere pergat. „ Gratulor ergo tibi, & ut in incepto maneas, vehementer exopto. Immò ut stimulos addam, scias velim, Pontificem nostrum Innocentium XIII. re & nomine Maximum, dum mihi prorsùs immerenti hoc munus demandaret, jussisse, ut quidquid in literis ageretur, diligentissimè ad Sanctitatem Suam perscriberem. Ne serò autem certiorem factam putes, jam Sanctitati Suæ totam Operis tui rationem aperui, & consilium accuratè explicavi. Nec mihi ea negligenda duxi, quæ ex tuo Thesauro peti possunt ad Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ dignitatem tuendam. Hoc unum igitur maximè urgeo, ut bibliothecas omnes excutias. Quòdsi in cœnobiis Helveto - Benedictinis aliquid latet, quod tuis cœptis faveat, non committam, si id per literas rescivero, ut diutiùs delitescat.

Pontifici probantur Pezii labores. „ Cùm verò Sanctissimus Pontifex ex ingenti, quo fuit semper in literas, amore, magnam struat in privatis ædibus Bibliothecam, cujus curam demandavit Viro insigni & Eruditissimo Præsuli Bortono, amico meo, cætera Operis tui volumina (*edita enim Romam jam pervenerunt*) Pontifici gratissima forè planè confido, si datâ occasione ad Sanctitatem Suam curatum iri studueris.

„ Cæterùm cùm jam ex viginti & ampliùs annis ratione itinerum, quæ ob demandata publica munera sæpiùs suscepi, selectam, & amplam mihi numero ferè sexdecim mille voluminum bibliothecam comparaverim, MSs. etiam Græcis refertam, quorum nonnulla specimina exhibuit *Montfauconius* in Palæographia, de libris, qnos jam in lucem unà cum fratre tuo emisisti, certiorem me facere ne graveris: iis enim potiri gestio.

„ Nuper autem Romæ suis ad me literis, *Justus Fontaninus*, Vir supra omnes laudes, & domi forisque celeberrimus fratrem tuum, tanquam de Historia Austriaca optimè meritum, magno laudum præconio, ut par erat, ornavit.

„ Omnia à te habebo, si in *Caroli Stengeli* Monasteriologia, & quæ de rebus Augustanis, de Basilica S. Udalrici cum Mantissa, separatim edita, conscripsit, quoties per otium licuerit, diligentiam tuam adhibueris. Nullum enim fructum ex laboribus, quos apud nonnullos Bibliopolas mihi sumpsi, hucusque percepi. Prodüt nuper Ratisponæ, ni fallor, nova editio Metropolis Salisburgensis *Wigulæi Hundii* & *Gewoldi?* Sed hæc satis multa. Plura de rebus literariis scripturus sum, cùm tibi me in amicitia adjunctum esse patieris, quam omnibus officiis colendam propono. Vale & me ama. Dabam Lucernæ prid. Id. Januarias MDCCXXII. „

Hucusque Epistola Excellentissimi Archiepiscopi, hodie Eminentissimi S. R. E. Cardinalis, cujus à consummata doctrina, eruditione, ac prudentia toto orbe literario celeberrimi Purpurati Patris judicium de Thesauro Anecdotorum Novissimo Bernardi Pezii utique pluris faciendum est, quàm nescio cujus *Modesti* immodesta, ne dicam, puerilis, impudens, ac scurrilis censura.

Hieronymi Pezii Opera commendantur. Quid verò dicam de *Hieronymo* Bernardi fratre doctissimo? Qui res Austriacas ex obscuris erutas latebris, atque pereruditis illustratas Dissertationibus suô pretiô nôrunt æstimare, Virum magni utique facturi sunt. Edidit ille non ita pridem (anno 1745.) Tomum III. Scriptorum Rerum Austriacarum, quo Ottocari Horneckii Chronicon Austriacum Rythmis conscriptum Germanicis continetur; cui peculiare Lexicon, labore sanè operoso, diuturno, & molesto confectum prudentissimè subjecit. Quotusquisque enim est (si nonnullos linguæ nostræ antiqno - Germanicæ peritiores excipias) qui phrases atque vocabula Majoribus nostris olim usitata, nostro verò ævo penitùs exoleta, desitáque, quæ passim apud Authorem occurrunt, absque necessariis explicationibus intelligat? quin illi quoque, qui multo jam tempore in illustrando veteri patrio sermone non sine laude, magnáque sui nominis celebritate versati sunt, multa hîc reperient, ac condiscent, quæ vel nunquam hactenùs legerunt, vel siquidem legerunt, genuinum eorum significatum minimè fortassis sunt assecuti. Qui verò in cognoscendis vocum notionibus omninò hospites sunt & peregrini, lucem & adjumentum haud exiguum hinc accipient, quo veteres chartas & instrumenta verbis Germanicis concepta, aliáque vetustatis Germanicæ monumenta, quorum

rum vis ingens in Archivis & Bibliothecis hodiéque adservatur, faciliùs noscant & percipiant. Plura non addo, ne Scriptori & Antiquario non vulgaris doctrinæ ac eruditionis, vitam adhuc, utinam longævam, agenti, os sublinere velle videar.

Placidi Ambos elogium.

Cùm verò *Hieronymus Pezius* in Præfatione ad Tertium hunc Rerum Austriacarum Tomum, Sodalem suum, PLACIDUM AMBOS à magna sedulitate, & industria laudat, quâ permulta illustrandæ veteri nostræ linguæ vernaculæ inservientia præclara monumenta collegit, ac Glossis necessariis instruxit, jure ac merito hoc facit; testari namque ego possum, doctissimum hunc Antiquarium, pro sua magna facilitate ac morum elegantia, sex veterum monumentorum tomos oculis meis pluribus abhinc annis subjecisse; quorum recensionem alteri locô reservamus.

Studium novas Editiones ad fidem Mss. Codicum adornandi.

Utilem etiam Reipublicæ Literariæ præstare operam minimè diffitendum est, inquit Eminent. Card. QUIRINUS *, qui licèt non eum investigationum suarum fructum consequantur, ut novos veterum Scriptorum fœtus in Bibliothecarum forulis deprehendant, & primi in lucem educant, attamen in prioribus Editionibus Manuscriptorum Codicum ope exputgandis egregiè desudant. Palàm est, complura Veterum Scripta primorum Editorum seu incuriâ, seu ignorantiâ, sive etiam fraude ita manca, corrupta, sordida, hiulca, atque interpolata quandoque prodiisse, ut nobis quidvis aliud, quàm sinceros Authores repræsentent. Si qui sunt igitur, qui magnam antiquorum, ac melioris notæ exemplarium copiam colligentes, eáque cum excusis Herculeo prorsùs labore conferentes, veteres Scriptores emendant, reficiunt, atque restituunt, procul dubio de literaria Republica maximè benè mereri sunt existimandi. Quam ob rem vehementer mirari contingit, non deesse Viros quosdam cætera doctos, qui hujusmodi studium veterum Manuscriptorum consulendorum contemnunt, atque reprehendunt, excusásque editiones minimè sollicitandas deprædicant, haudquaquam advertentes has ipsas non è cœlo lapsas, sed ex veteribus Manuscriptis propagatas, ac proinde quas jactant in hodiernas Editiones minas atque convitia, eadem & in Veteres recidere. Equidem si autographa exemplaria ante nos habuissent sinceri & diligentes Editores, operam profectò luderet, qui novas Editiones curaret, ut illis pretium à copia Manuscriptorum, quos ipse consuluit, accerseret. At non est, quòd de hujusmodi Autographis seu priores, seu posteriores Editiones sibi admodùm plaudant, antiquioribus contenti esse debemus exemplis, horúmque copiam, atque delectum ad eruditionem," & ad antiquorum Authorum restitutionem maximè conducere, quicunque rem sapienter adverterit, constanter affirmabit. Quàm varia quámque eximia nobis aliquando suggerant *Variantes* (ut dicere solemus) *lectiones*, eáque quæ nemo anteà divinare potuit, aut explicate, in promptu esset pluribus exemplis edocere. Abscedant itaque malè sani Critici Veterum Manuscriptorum osores. „ Hactenùs Eminent. Quirinus, qui præclarè dicta suo deinde exemplo confirmavit.

Quirinus à Clemente XI. PP. Congregationi veterum Codicum motus.

Cùm enim CLEMENS XI. doctissimus æquè ac sanctissimus Pontifex novam Congregationem veterum Codicû Orientalium Ecclesiasticorum emendationi & correctioni præponendam institueret (imò verò restitueret; nam *Urbanus VIII.* illam olim erexerat, & *Lucæ Holstenio*, *Leoni Allatio*, *Joanni Morino*, aliísque viris eruditissimis eam provinciam administrandam tradiderat)** *Angelus Maria Quirinus*, id temporis sacræ Congregationis Casinensis Monachus & Historiographus, nunc verò Eminentissimus S. R. E. Cardinalis ad tanti muneris negotium, unà cum *Antonio de Simeonibus*, *Carolo Maiella*, *Petro de Benedictis*, cæterísque ab eodem *Clemente* delectus fuit. Uti verò in defungendo hoc munere nemo majores subiit labores, ita nemo alius majori molestia (unius ob æmulationem) divexatus est. Quæ indefessæ suæ industriæ, diligentiæ, atque eruditionis insigua fata Purpuratus Princeps in Historico vitæ suæ Commentario his verbis exponit. ***

„ Capto à Sanctitate sua consilio de instituenda sacra Congregatione, in qua ad examen revocarentur libri, quibus Græci, aliæque Orientales nationes in propriis Ecclesiis rem divinam peragentes utuntur, ei Cœtui benignissimè me adlegit, affirmavítque nihil se

* Differt. de Monast. Ital. Histor. pag. 71.
** Armel. Bibl. part. 1. pag. 44.
*** Part. II. Lib. I. cap. 9. p. 136.

„se dubitare novo hujuscemodi munere æquè utilem operam me præstiturum, ac præstare conabar reliquis sacris Congregationibus, quibus eram adscriptus, imoverò utiliorem, quòd illud Græcanicæ linguæ peritiam magnoperè desideraset. Congregationis hujusce Præfectum instituit Cardinalē *Franciscum Barberinum*, eique Collegas dedit Cardinales *Laurentium Casonum, Carolum Augustinum Fabronum, Joannem Baptistam Ptolomæum, Joannem Baptistam Salernum*, Consultores verò renunciavit, *Carolum Maiellam, Franc. Antonium de Simeonibus*, quem insuper Secretarium instituit, *Josephum Simonium Assemanum*, P. Abbatem *Gallianum*, *P. Petrum Benedetti*, ac prætersea totidem circiter Græcos eruditos. Junctim itaque cum omnibus hîsce vacare cœpi expendendis librorum, quos dixi, locis illis, qui orthodoxæ veritati haud omnino consentire viderentur. At paulò pòst in mentem mihi venit, unà simul privatam meam operam collocare in cusanda eorundem librorum ad fidem veterum Codicum manuscriptorum editione. Placuit verò hoc consilium meum ejusdem Congregationis judicio subjicere, Observationibus quibusdam adjunctum, quas statim recito.

Consilium de curanda ad veterum MSs. fidem editione proponit.

„I. Commendaret profectò haud parum penes omnes initam à sacra Congregatione in expurgandis Ecclesiasticis Græcorum libris methodum cura, quæ susciperetur, palàm faciendi, expurgationem illam eorum veterum Codicum adjumento perfici, qui divinorum eorum Officiorum candidam, ac primævam imaginem repræsentant.

„II. Græcis innotesceret, adeò longè Latinos abesse à proscribendis Græcorum Rituum observantiis, ut non alias iisdem injungere in animo habeant, quàm fontibus illis consentaneas, quorum summa erat apud Græcos in decantandis divinis laudibus auctoritas, antequam Veneti, & Valachienses typi eisdem evulgandis insudâssent.

„III. Consultorum in dubiis locis perpendendis haud parùm labor minueretur, certiórque evaderet eorundem de illis deliberatio, quandoquidem in deliberando ob oculos habeant veterum Codicum, de quorum fide suspicio nulla subsit, lectiones.

„IV. Eò velociùs in suscepto examine Consultorum industria progrederetur, quò apertiùs iidem Codices cum impressis Exemplaribus comparati invectos in ista à schismaticis errores patefacient.

„V. Gratum insuper erit Sacræ Congregationi eorundem Codicum ope dignoscere, quibusnam additamentis inserta sint ea impressa Exemplaria, nam quoties eidem consultum videretur ad breviorem molem sacros eos libros redigere, obvia illicò fiesent, quæ retinenda, quæ resecanda forent.

„VI. Methodus de qua hîc agitur, consonat omninò Leonis Allatii sensibus; nam iste Dissert. I. de libris Eccles. Græcos. p. 12. optimum factum declarat, *Ex primis illis fontibus tanquam purioribus, & integrioribus divino Christi servitia incumbere. Ne illis superseminata ab homine nequam zizania dignasceremus.* Et in Dissert. II. pag. 114. ita loquitur: *Antiqua ferè omnia plana sunt, nihil in se continent, quod pias aures offendat: recentia multis scatent erroribus, & subdolè sæpiùs in Romanam Ecclesiam garriunt, multas etiam hæreseon labes lectionibus inspergunt; quibus abscissis liber nitori suo pristino restitutus nulla expurgatione indigebit.* Et p. 229. *Pentecostiarii, quemadmodum de Triadio supra diximus, varii fuere Auctores, antiqui & recentiores. Antiqui sua vetustate, & modestia venerandi; recentiores ex schismate, audacia, atque omnia attentandi libidine, contemnendi .... Nicolaus Malaxus, Archipresbyter Nauplii, multa Traparia de sua addidit .... veteráque antiquorum Patrum monumenta novis suis deliramentis inspersit.* Et pag. proximè subsequenti recentes Editores, & Correctores carpens idem Allatius, qui initio Pentecostarii impressi Venetiis an. 1574. fassi fuerant inibi contineri Synaxaria, Canones, Idiomela atque Tsoparia, *quæ nunc collecta sunt ex multis, ac bonis libris, & aliis Pentecostariis antè editis non inerant*, hæc postea addit: *A Correctoribus ipsis, & similium librarum Editoribus petere possumus, quanam auctoritate tantum facinus audent, & temeratos manus in intemeratas Ecclesiæ ritus imponunt? Homines vilissimi sunt, nulla scientiarum laude, nulla auctoritate, nulla dignitate conspicui, qui ex arbitrio Officia Ecclesiæ moderantur, addunt, subtrahunt, mutant, de novo consarcinant, quidquid illis videtur.* Et p. 234. concludit. *Cessent simplicibus imponere, cessent innocuis fidelibus fucum facere, cessent propria, & spuria inter vera, & tot jam annis comprobata Sanctorum Scripta, & preces Ecclesia-*

Quod Leonis Allatii methodo consonat.

clesiasticas inserere. Servent sibi dicta Patrum à maculis innoxia, fervent posteris, nihil detrahant, nihil addant, nihil immutent in rebus Ecclesiasticis, sine ipsius Ecclesiæ consensu.

Suadet ut latina Officia nitidiùs edantur,

„ Tandem propositis exemplis præstantissimorum Catdinalium *Bonæ* & *Thomasii*, qui egregio studio veteres Latinos Codices consuluerunt, ut *Latina Officia* nitidiùs comparerent, ad parem nitorem Græcis Officiis conciliandum omnino decere affirmavi, ne Græcorum veterum Codicum authoritas negligeretur.

eique labori se totum impendit,

„ Meo hujuscemodi consilio à Sacra Congregatione collaudato, nulla interposita mora Codicum perscrutandorum laboribus me dedi, quantùmque brevì profecerim, fas mihi sit, Censorum, quos mihi eadem Congregatio designavit, verbis declarare. Ex iisdem Pater *Petrus Benedetti*, suffragium suum in hunc modum exorditur: *Editio divinorum Officiorum Ecclesiæ Græcæ est opus magni & prolixi laboris, à paucis tentata, à nemine hactenus perfecta, quam tamen omnes Viri docti, quotquot hanc materiam attingunt, summoperè exoptant, & meritò; ea enim Officia habent ineluctabile n vim ad redarguendos Novatores, cùm contineant omnes ferè Articulos Catholicæ Fidei, & Universalis Ecclesiæ circa illorum veritatem consensum invictissimè probent.* Deinde postquam plura alia subdidisset, suffragium illud suum ita concludit: *Quæ cum ita se habeant, equidem non dubito, quin Editio Græci textus cum Latina versione, cujus primum hunc Tomum jussu &c. diligenter & inoffenso pede perlegi, tum Græcis, tum Latinis gravissima perinde, atque utilissima futura sit, sed & maximam ajo habendam esse gratiam doctissimo & eruditissimo Authori R.mo Patri &c. qui opus salebris, spinisque impeditissimum, maximo labore, summa fide, in nostros usus expediendum susceperit.* Censot alter Samuel Rodota, Scriptor Vaticanus linguæ Græcæ, paucis verbis hæc habet: *Amplum & præclarum opus, cui titulus &c. vota Eruditorum exoptant, ut faustum ad exitum provehatur; ex eo quippe testimonia omni exceptione majora de Fidei dogmatibus luculenter promuntur.* Æquè honorifica mihi fuerunt Censorum, quos Casinensis Congregatio delegit, nimirum *Bonaventuræ Finardi*, postea ejusdem Congregationis Præsidis Generalis, & *Fortunati Tamburini*, nunc S. R. E. Cardinalis, testimonia. At non vacat iis recitandis im-

non sine insigni censorum plausu.

morari. Adeò honorificis Censorum suffragiis, duúmque summorum Pontificum [*Clementis XI. & Innocentii XIII.*] pattociniis, ac demum Congregationis, de qua hìc agitur, non assensu tantùm, sed plausu communitum meum illud Volumen adversantium cavillationibus patere potuisse, vix erit, qui verosimile esse arbitretur. Attamen quo pacto id teapse acciderit, statim Lectorem edocebo. Subortus fuit vehemens timor in *Secretario* ejusdem Congtegationis, ne istius suppressio novi Pontificatûs consilium foret, postquam ille comperisset à *Scalionio* Præsule, cætera haud bene erga se animato, labores meos ita ipsi Pontifici fuisse commendatos, ut Sanctitas Sua facilè adduci posset ad credendum nihil obstate, quò minùs recens instituta Congregatio illa desineret. Quoniam verò idem *Secretarius* suo in ea muneri novit Deus quales spes superstruxisset, mecum primùm egit, ut à laboribus illis inposterum absisterem; at quòd in irritum cadere suos istos conatus intelligeret, conversus ad Card. *Barberinum*, ceu Præfectum ejusdem Congregationis, nihil intentatum reliquit, ut ipsi suaderet in magnum Eminentiæ Suæ dedecus cessuram ejusCongregationis abrogationem. Qua novitate à me comperta, ut clypeum eidem opponerem, meos labores ab omni injuria vindicare statim conatus sum eorundem scopo, in Præfatione alteri illi Voluminis Parti apposita, hisce verbis explicato: *Eo tautùm animo vetera Græcorum Officia publici juris facio, quo Isaacius Habertus, Jacobus Goaurus, Joannes Morinus, aliique plures Viri eruditi, & novissimè Cardinalis Thomasius Sacramentaria, & Liturgica cum antiquis Codicibus collata ediderunt, à quorum doctrina licet longissimo absim intervallo, nihil tamen vetat, quo minus positis à giganteo pede vestigiis parvulus etiam infans insistam. Eo demum animo in hanc Editionem incumbo, quo de gravioribus Apostolicæ Sedis negotiis, puta de librorum doctrina, de Propositionum sensu, & aliis hujusmodi, dum etiam ejusdem Sedis judicium expectatur, privatis Authoribus licet absque ullo supremæ authoritatis detrimento privatam ferre sententiam, nec non edita de illis Romanorum Pontificum Decreta pro captu quisque suo interpretari, vadum (ut dici solet) tentantes, dummodo nihil pronuntient, quod à Catholico dogmate abludat.*

& honorifico Summor. Pontificum suffragio.

Suos tamen patitur obtrectatores,

quos retundit,

„ At parum, imo nihil sensibus in ea Præfatione enuntiatis, quósque viva voce

sed frustra.

„voce magis, magisque declarandi occasionem nullam omittebam, profeci. Omnes enim machinas adhibuerunt Cardinalis *Barberinus*, seu *Franc. Antonius de Simeonibus*, illius (*absit verbo invidia*) insufflator, ut Congregatio ipsa suam interponeret authoritatem, ne mihi susceptum opus prosequi liceret, donec ipsa in decernendis emendationibus, quibus vacaverat, & vacatura foret, suo prorsus munere functa fuisset. Ut machinis illis cederent Cardinales, *Ptolomæus*, *Salernus*, *Fabronus*, (*Casonus* jam obierat) eorundem mansuetudo effecit. Quare prodiit post varias discussiones à Congregatione Edictum, cujuscemodi emanare *Barbarinus*, & *de Simeonibus* ceu pto aris & focis contenderant. Adactus itaque fui à tabula manum removere, imperfectúmque opus relinquere, ut statim indicavi, usque ad *Græcas Calendas*.

Benedicti XIII. Papæ in Quirini labores favor.

„ Evolutis aliquot annis, cùm BENEDICTUS XIII. P. M. colloquio me dignaretur, præcepit mihi*, ut ad narranda etiam digrederer, quæcunque expertus fueram contraria laboribus à me impensis in Ecclesiasticos Græcorum libros. Sanctitatem Suam tamen exoravi, ut narrationi isti tunc parcendo, eandem in scripta potiùs tedigere mihi liceret, quod me facturum promisi per otium Sublacense. Arrisit Pontifici meum hoc consilium, monuítque, ut non alteram hanc tantùm, sed priorem etiam, Monastici nimirum Italici, Historiam literis mandarem, easque supplici libello insererem, quo exposcerem, novo examini subjici causam illam utramque. Pariturum me Sanctitati Suæ affirmavi, & revera parui. „ *Hactenus Eminent. Cardinalis.*

Aliorum Monachorum Casin. curæ circa editiones Patrum.

Neque tamen dixerim, Purpuratum hunc Patrem primum ex Italis Monachis extitisse, qui novis editionibus ad veteres MS.tos Codices castigandis, atque emendandis manum admoverit. Jam enim seculo decimosexto ad finem vergente Superiores Congregationis Casinensis ** negotium aliquot selectis Monachis dederunt, quos inter cæteros liberalibus disciplinis, ac sacrarum literarum cognitione instructissimos, egregiè item Hebraicè, Græcè, ac Latinè eruditos animadvertebant, ut primò D. *Hieronymum*, deinde *Chrysostomum*, & Theophylactum, jam antea ab ejus temporis hæreticis, atque aliis id genus nefariis hominibus passim corruptos, ac depravatos, vel etiam pluribus in locis imperitè, aut malitiosè interpretatos restituerent; quam rem pluribus hinc inde vetustissimis, hisque tum Græcis, tum Latinis, ut res ferebat, exemplaribus adjuti pro virili parte præstiterunt. Inter hos verò Antiquarios præcipuus fuit *Prosper Martinengus*, per eam causam à sacro Cardinalium Collegio sub PIO IV. Pontifice Romam accersitus. Paucis deinde interjectis annis jussu GREGORII XIII. Pontificis Maximi Græcos veteris & novi Testamenti libros ab iis erroribus ac mendis, quorum maxima pars ob ejus linguæ imperitiam, typographiæ vitio inoleverat, expurgârunt, ut potuerunt. Eos verò ita expurgatos Romam ad *Antonium* Cardinalem *Caraffam* transmiserunt, ut ejus operâ collatis aliorum castigationibus in lucem exire juberentur. Post hæc prælaudatus *Gregorius XIII.* in emendatione à se curata Sacræ Scripturæ olim scriptæ juxtà editionem Septuaginta, operâ atque industriâ eorundem Monachorum usus est.

Quas inter excellit Prosper Martinengus.

Studium novarum editionum SS. Patrum maximè viget in Congreg. S. Mauri.

Non in aliâ tamen, sive Casinensis, seu quæ demum cunque illa fit, Congregatione, studium novarum Editionum, maximè Operum Sanctorum Patrum cùm Græcorum, tum Latinorum hactenus majori contentione viguit, magísque excultum fuit, atque in celeberrimo S. Mauri Sodalitio. Nam cùm primùm illius Præpositi *** Fratres suos ad studia literarum applicare consuetunt, ea potissimùm ab eis delecta sunt studia, quæ plus utilitatis præ se ferrent, quàm ostentationis, & quæ religiosæ solitudini, & conversationi magis convenirent. In eo genere nihil aptius aut opportunius eis visum est, quàm recognitio & editio nova sanctorum Patrum, cùm Latinorum, tum Græcorum: propterea quòd & exercitatio ipsa per sese maximè conduceret ad lectitanda & meditanda eorum Scripta, in quibus vera & sincera Ecclesiæ doctrina ac pietas consistit, & non panca monachis adjumenta suppeterent ad id operis suscipiendum & exsequendum. Atque ut quibusdam veluti gradibus ad hunc laborem,

* Pag. 225.

** Armell. Part. 2. p. 26. ex Epist. Nuncupat. Alexandro Farnesio à Præside & Diffinitoribus Congr. Casin. præfixa Romanæ Editioni an. 1585. Commentariorum Jo. Bapt. Folengii in Psalmos Davidicos.

*** Mabill. in Præfat. Generali ad Operum S. Augustini novam editionem.

borem, magis arduum certè ac difficilem, quàm splendidum, Sodales San-Mauriani idonei & parati sensim redderentur, à quibusdam veluti rudimentis initium ductum est, scilicet ab editione selectorum opusculorum sanctorum Patrum, deinde ab integris scriptis aliorum; donec tandem ad Opera sanctissimi Doctoris Augustini ventum est: quibus emendandis & recognoscendis ut operam impenderent, multi Ecclesiæ illustrissimi Præsules, nec non etiam togæ principes viri auctores ipsis & instigatores fuere. E primis fuit Illustrissimus *Franciscus Harlæus* Parisiorum nuper Archipræsul, qui hujus operis patronum, & fautorem semper se præstitit: è secundis *Guillelmus Lamonius* Senatûs Parisiensis quondam Princeps, qui pro sua in literas, literatósque benevolentia typographicam Sodalibus San-Maurianis domesticam officinam à Rege impetrare & procurare voluit, ut hæc editio in privatis ædibus comodiùs & faciliùs procuraretur. Verùm hac conditione, quantumvis in speciem opportunâ, ob varias causas, quas commemorare nihil juvat, minimè admissâ, institit nihilominùs Præses illustrissimus, institère & alii quàm plures diversorum Ordinum spectatissimi Viri, ut tantæ molis opus subire non refugerent.

Provincia procurandæ operum S. Augustini editionis Delfavio, Blampino, & aliis demandata.

Provincia adornandæ novæ editionis *Francisco Delfavio*, non minùs laborum patienti, quàm præstantis ingenii, ac singularis doctrinæ viro imposita fuit. At cùm hic Landveneco Brestum trajiceret, eversa per inopinam procellam navi, fluctibus haustus interiit. In locum defuncti *Thomas Blampinus* subrogatus fuit. Is* ad singularem modestiam, quæ homini velut innata videbatur, omnigenarum literarum præcipuè veteris Theologiæ, quam Patres posteris reliquerunt, studium & scientiam sic adjunxit, ut ad summum eo in genere fastigium pervenisse judicatus sit. Maxima illius gloria est splendidissima, emendatissimáque Operum S. Augustini, Hipponensis Episcopi editio, quam suis nemo meritis æstimaverit, quin affirmet, eo labore effectum esse, *ut tantum* BLAMPINO *debeat Augustinus, quantum Augustino Ecclesia.* Opus hoc viginti annorum, & plurium è Congregatione S. Mauri Sodalium, non solùm in S. Germani Parisiensi, sed & in aliis aliarum provinciarum Congregationis ejusdem monasteriis, sudor & labor fuit, quem tamen maximum *Blampinus*, ejus chori ab ipsa suscepta sparta usque ad felicissimum finem princeps, exantlavit. Idem Notarum, summo judicio selectarum, observationum, & elegantissimarum, eruditissimarúmque præfationum, inter quas ea excellit, quæ de Pelagianæ hæresis origine Tomo decimo præfigitur, Auctor est. *Augustinum* suum doctissima Congregatio inscripsit *Ludovico XIV.* Francicorum Regum facilè maximo, cujus, uti & Romanæ Sedis auctoritate fœdissimæ nubes, quas aut hæresis, aut invidia, aut denique immensum partium studium in solertissimos editores conflaverant, dissipatæ sunt. Tametsi nec ex ipsa Congregatione ** *Francisci Lamii*, *Dionysii Sammarthani*, *Bernardi Montfauconii*, *Renati Massueti*, aliíque desuerint, qui frementium, & de Benedictinorum fide malè suspicientium impetum stylo fortiter repellerent. Poëmation à P. *Nageon* in Jesuitarum Scripta vulgatum pares laudes apud peritos rerum æstimatores promeruit.

Nubes in solertissimos editores conflatæ, & dissipatæ.

Quid? quòd Eminent. Cardinalis *Cantelmus*, Archiepiscopus Neapolitanus, literas Latinas vehementis styli, atque adversùs illos, qui existimationem editionis San-Maurianæ elevare sunt ausi, irarum plenas ad P. *Montfauconium* exarârit. Tantùm verò absfuit, ut pugna remiserit, ut animi etiam concertantium in dies fuerint magis exulcerati. Unde P. *Lamius* vulgavit novum Scriptum, quo perturbatæ pacis Authores ad Parisiensis Archiepiscopi tribunal vocati fuerunt. Hac querimonia Criticæ arma detracta fuerunt. Quin etiam Regis authoritas implorata fuit, qui haud gravatim Majestatis suæ nomen interposuit, quòd ignis, cujus flammæ majus excitare incendium possent, tempestivè sopiretur. Si concertatio igitur acris & vehemens fuit; sique fines Religiosæ charitati præstitutos egressa est, reconciliatio sinceræ & christianæ pacis præ se speciem tulit. In omnibus æquè Benedictinorum Monasteriis, atque in cunctis Jesuitarum Collegiis Mandata Regia, quibus silentium utrique imponebatur parti, promulgata fuerunt. P. *Charlier* celebris Encomiastes à Patribus Societatis invitatus fuit, ut S. Ignatium Familiæ Fundatorem pro concione laudaret; neque omissum quidpiam est, quòd è re futurum existimabatur, ut priores dissen-

* Pez Bibl. Bened - Maur. l. 1. c. 39. p. 249.
** Le Cerf. Bibl. Hist. Criz. pag. 23. & seq.

dissensiones voluntaria quadam oblivione contererentur.

Bernardo Montfauconus edit opera SS. Athanasii & Chrysostomi. Post peractam S. Augustini inter Doctores Latinos principis editionem, Cl. BERNARDUS MONTFAUCONIUS * Operibus *Chrysostomi*, qui parem in Ecclesia Græca occupat dignitatem, manum admovere à Præfectis Sodalitii sui jussus est. Priscum consilium intercepit ad aliquot annos *Athanasii* editio, quæ ab ipso accurata anno 1698. lucem vidit. Deinde verò nervos omnes industriæ contendit, ut *Chrysostomi Opera* demum in publicum prodirent. Apparatû maximo erat opus: lustrandæ Bibliothecæ, omnis denique lapis movendus. Iter Italicum anno 1698. suscepit, unde multa ex Romanis aliisque Italicis Bibliothecis corrasit, ad hoc institutum pertinentia. Tribus exactis in hoc itinere annis, post reditum id à Præfectis suis impetravit, ut ex Sodalibus quatuor vel quinque conferendis Bibliothecarum Regiæ, Colbertinæ, & Coislinianæ codicibus perpetuò incumberent, & sic ope Manuscriptorum prisco nitori restitui Chrysostomus posset. Annis igitur plusquàm tredecim id egerunt, id promoverunt, ut Manuscriptorum varias lectiones colligerent. Ne verò rem longiùs, quàm par fuerit, extractam putes, Codices plusquàm trecentos Chrysostomi Operum in hisce Bibliothecis extare certum habeas, quos de verbo ad verbum conferre non sine diuturno & multorum annorum sudore potuerunt, qui ad id muneris delecti erant. Interim verò Montfauconius id per literas egit, ut siqua in Angliæ & Germaniæ Bibliothecis ad eam rem oportuna essent, ea ipsi transmitterentur: quod à viris doctis amicisque cumulatissimè præstitum est. His autem peractis novam editionem aggressus est, quam suo recensendam loco reservamus.

Opera S. Hieronymi vulgat Martianay. Novam Operum S. Hieronymi editionem Ecclesiæ Catholicæ dedit, JOHANNES MARTIANAY, ejusdem San-Maurianæ Congregationis alumnus, Græcè ac Hebraicè doctissimus. Etsi verò illam incredibili studio ac labore accurârit, evitare tamen non potuit, quin non ea telis impeteretur, illorum scilicet, qui veteres manu exaratos codices nullo loco habent, in suspicionem fraudis ac corruptionis vocant, denique novas Pyrrhonismo affines substituere regulas moliuntur. Hos Martianæus gravi hac oratione ** insectatus est: *Tertio*, inquit, *loco copiam exemplorum manuscriptorum suscepi: laudandam, ac defendendam adversus nuperos quosdam Scholasticos Theologos, pessimósque Scriptores Criticos, qui futilibus distinctionibus, & improbis conjecturis fidem veterum librorum elevare gestiunt.* „ Nam quòd sæpiùs in „ turba imperitorum perspicuitas veritatis argumentatione elevatur, totos „ intentos videas sciolos nostros in „ aucupium verborum, & in novæ „ alicujus opinationis dogma perversum, quo cana Poëtarum præcepta & experimenta contemnant. „ Et si fuerint in disputationibus publicis puerorum applausu & cachinno delectati, ita temerè effutiunt de „ monumentis venerandæ antiquitatis, ut eos putes non docere, sed „ debacchari voluisse. Neque his meliores Critici simul & Chronologi: „ qui vix sui compotes rem omnem „ literariam cùm sacram, tum profanam evertere moliuntur, dum syntagmatibus bellum parant inferendum comprobatissimis Paternis omnium seculorum traditionibus. Quæ „ pestis librorum veterum inimica, nisi „ extruderetur è republica Christiana, „ brevi nullum genuinum haberemus „ Auctorem antiquum superstitem; „ non *Josephum*, non *Thucydidem*, non „ *Hieronymum*, non *Augustinum*; „ quin nec *Maronem*, nec *Flaccum*, nec „ cæteros Poëtas aut Historicos, quos „ omnes confictos, in regno Francorum asserere volebat satis peritus „ Scriptor nuperus. Sed quàm longè „ à veracium rerum scientia positi sint „ Novatores illi effusè imperiti, pulchrè docuit *Philippus Labbeus* hac „ peculiari observatione, quam subtexuit ad expositionem fidei Patrum „ Mediolanensis Synodi Tomo 6. Conciliorum col. 606. „

Quantum rem literariam juvent veteres MSs. Codices. *Atque hinc Lector animadvertat velim, quantum rem literariam omnem sive sacram, sive profanam adjuvent veteres Membranæ in obscuris plerumque Bibliothecarum angulis delitescentes, quidve conferant ad eruditionem, aut qui eas magno studio conquisitas, & magno nonnumquam ære sibi comparatas viris diligentibus communicant, ut iis utantur, aut qui eas sua aliorúmve opera nacti cum excusis codicibus Herculeo labore conferre non abnuunt. Ecce quàm varia, quámque eximia in collatione præceden-*

* Vid. ejus Præfat. in Opera S. Jo. Chrysost. §. 3. p. 10.
** Operum S. Hier. Tom. 2. prolegom. I.

cedentis epistolæ suggesserunt nobis duo, triáve folia in nostram Bibliothecam, unde unde comportata, atque illud inprimis, quod nemo hactenus divinare potuerat aut explicare: Nos autem omnes, qui sub feliciſſimos, & Christianiſſimos à Deo custodiendos Principes Dominos nostros perexcellentiſſimos Reges Christianæ religionis amatores unà cùm &c. *Quod veteres illæ membranæ omnibus deinceps manifestiſſimum efficient hisce verbis, quæ ad marginem adscripsimus supra pag.* 601. *&c.* Nos autem omnes, qui sub feliciſſimis & Christianiſſimis, & à Deo custodiendis Principibus nostris Dominis *Peretharit* & *Chunibert*, præexcellentiſſimis Regibus Christianæ religionis amatoribus sumus, unà cùm &c. *Qui verò fuerint* Pertharitus & Chunibertus, *ejus filius à patre in consortium regni Longobardici adscitus, si nescias, consule sis Pauli Diaconi Aquilegiensis Historiam Longobardorum.*

Theologorum in veteres Chartas intemperies. „Multùm ergò ex doctiſſimo LABBE S. J. adjuvant rem omnem Literariam veteres membranæ, sive manuscripti libri veteres; multum conferunt ad eruditionem, id est, ad restitutionem antiquorum Auctorum, qui cum excusis manu exarata conferunt exemplaria; vel qui diligentibus communicant id genus codices vetustiſſimos. Si ita res se habet optima, quid causæ est nostri temporis hominibus imperitis, ut fidem detrahant, & auctoritatem codicibus manuscriptis, quos iniqua odii præsumptione curruptos clamitant apud vulgus nostrorum? *Editis ante nos*, inquiunt, *credimus libris, & his adhærendum docemus, quia manuscripta exemplaria falsata suspicamur.* Ergò sola hac imprudenti divinatione, aut periniquo potiùs animo fidem Tabularum antiquatam volunt; & quotquot habentur in bibliothecis ecclesiarum veteres membranæ, vel in sterquilinium projiciendæ, aut flammis devorandæ traderentur, si nonnullorum Theologorum, & Scholasticorum ingenio acquiesceret mater Ecclesia. At vos, ut interim alloquar, dicite Pædagogi, dicite malè sani Critici, unde habetis editiones omnium librorum ante nos typis evulgatas? nunquid è cœlo lapsas creditis? aut ex veteribus codicibus manuscriptis propagatas? si divinitùs ad nos delatas defenditis editiones Patrum, & aliorum Scriptorum; recedite à nobis ad Mahumedum, qui talia stultis suadere potuit de pestifero suo Alcorano. Sin autem de exemplaribus manuscriptis edita Autorum volumina conceditis, frustrà jactatis minas in hodiernas editiones, & quæ in veteres recidunt convicia. Neque verò autographa exemplaria habebant ante nos Editores *Hilarii*, *Ambrosii*, *Augustini*, & *Hieronymi*, vel cæterorum, sed eisdem usi sunt codicibus manuscriptis, qui hodiéque aſſervantur in Bibliothecis Francorum, Italorum, & Germanorum.

In quibus Erasmus & Marianus Operum D. Hieronymi editores defecerint. „ Totus igitur (*si sapienter advertitis*) nostrarum ac veterum editionum cardo vertitur in usu & copia manuscriptorum exemplarium. Habuit equidem *Erasmus* exemplar unum infimæ notæ ad editionem v. g. libri Hebraicorum Nominum, sicut antea monui lectorem, sed tantâ negligentiâ volumen illud edendum procuravit, ut typographis corruptiſſimum tradiderit, nec lectum exemplar, quod in manus ejus venerat. Nihilo diligentior *Marianus*, quàm *Erasmus*, novis tantùm typis expressit plerumque, quod apud eum invenerat, editum ac depravatum, idque præsertim in libro Nominum, & in Epistola ad Sun. & Fretel. quàm minimè castigavit ad manuscriptos codices Vaticanos; etsi eorum usum sibi concessum fateatur alicubi. Nam quum variantes lectiones Epistolarum Hieronymi ex Vaticana Bibliotheca ad me pervenissent, consentientes reperi codices Romanos cum Gallicanis, id est, cum nostro Hieronymo, prorsus autem discrepantes ab editione Marianæa æquè atque ab Erasmiana. Hanc ergo negligentiam vitare percupiens, quam potui, maximam comparavi copiam exemplarium manuscriptorum, & singula propriis oculis lustrare, Herculeóque labore cum excusis conferre non abnui. Sciebam enim, nullam esse corruptam lectionem, nullum locum tenebrosum, aut implicatum, nullum contextum hiulcum, interpolatúmve, qui emendari, explicari, refici ac restitui non queat, si præstò sit editori diligenti vetustiſſimorum copia librorum diversis in locis, & temporibus exscriptorum. Tali supellectili locuples factus editionem perficere potui integerrimam, & copiosiſſimam, quæ sincerum Hieronymum repræsentet, stipatum eruditione sua Hebraica, Græca atque Latina, orthodoxorum dogmatum agminibus circumdatum, Ecclesiæ sanctæ Dei strenuiſſimum pugilem, Hæreticis infensiſſimum, & Catholicis amantiſſimum „ Hæc *Martianæus*, ut novarum Editionū ad veteres Manu-

Manuscriptos Codices castigatarum utilitatem ostenderet, eósque scholasticos revinceret, qui non sine supercilio hujusmodi studium aspernantur, novásque Editiones minimè sollicitandas deblaterant.

Studii Antiquarii quartum genus. Est & aliud, ídque quartum studii Antiquarii genus, quod

-- *Argentum, & Marmor vetus, Ærâque & Artes Suspicit*,

quódque in explicandis priscis Inscriptionibus, illustrandis antiquioris ævi Monumentis, evolvendis veteribus Nummis, aliísque antiquorum operum reliquiis, & quasi naufragii tabulis scitè occupatur. Etsi verò neminem nostrorum Sodalium hoc studii genus, quod sua utilitate non caret, amplecti oportet, referre tamen complures licet, qui in eodem magna cum doctrinæ ac eruditionis laude sint versati. (quod præ ceteris excolunt) Quis enim ignorat *Du Breulii* Antiquitates Parisienses, *Montfauconii* Romanas & Francicas, *Calmeti* Judaicas insigni eruditione elucidatas? Ut verò, *Constantino Cajetano*, *Benedicto Bacchinio*, *Joan. Antonio Orsati*, aliísque compluribus è Congregatione Casinensi silentio prætermissis, eos tantùm referam, qui Regiæ Inscriptionum, & bonarum literarum Academiæ in Galliis adscribi meruerunt. In eandem è Congregatione S. Mauri *Joannes Mabillonius*, * innuente, quæ summa laus est, Ludovico XIV. Rege Christianissimo, titulo honoris Anno MDCCI. cooptatus fuit, literásque eâ de re ad illum scribere dignatus est Illustriss. Comes de Pontchartrain; cùm verò vir modestissimus delatum honorem refugeret, eum non nisi suadente undequaque conspicuo Abbate Bignonio, ac jubentibus Majoribus Congregationis San-Maurianæ invitus accepit; atque huic pro viribus respondere conatus meritorum haud immemor Mabillonius reconditam Inscriptionū, ac Numismatum scientiam ornavit, promovítque. Vix fuerat prædictæ Academiæ cooptatus, cùm honoris causâ, gratulandi Scientiarum Academiæ de mutua, quæ inter utramque viget, atque imposterùm vigere debet, animorum consensione, præ aliis deputatur: quo in munere obeundo totam, quam concitaverat, sui expectationem egregiè sustinuit, nec minori haud ita post Academicorum laude ac plausu excepta, atque in publico consessu perlecta est, quam in Regum Franciæ sepulchra adornaverat, erudita disquisitio. Quo demum loco Mabillonium haberet laudata modò Academia, quóve illum amore dignaretur, testatum inprimis fecit, cùm gravi morbo correptum, per duos, eósque conspicuos Academicos, qui communem dolorem significarent, invisum suo nomine voluit; vel cùm eidem demortuo, præsentibus cunctis Academicis parentavit: quin etiam in publicum suæ de illius virtute opinionis monumentum, in primo post obitum cœtu per eruditissimum Virum Dominicum Bozium, perpetuum Academiæ Secretarium, singulari planè elogio comendari eum jussit. Quàm dignè, atque ex omnium voto de Mabillonio dixerit præstantissimus Orator, facilè quivis intellexit, tum ex omnium Academicorum, aliorúmque applausu, tum maximè ex præclaris celeberrimi Academiæ Præsidis Abbatis Bignonii laudibus: *Grande, inquit, parasti tibi elogium, dum tanti viri egregia merita tam eximiè feliciterq; prædicâsti.* Percrebuit mox præclari rumor elogii, eámque in omnium movit eruditorum animis ejus legendi cupiditatem, ut studiosis, nec semel iteratis precibus adducta tandem Academia id ipsum in Diario Parisiensi jam jam licèt inserendum, publici juris fieri curaverit: atque inde nata, quæ tum vulgata est prædicti elogii editio, summa omnium gratulatione excepta.

Post Mabillonium ut nemo in Congregatione S. Mauri antiquitatis cùm sacræ tum profanæ peritia, atque cognitione celebrior habitus est, atque (Bernardus de Montfaucon.) BERNARDUS MONTFAUCONIUS, ita eodem honore nemo dignior existimatus fuit, qui licèt anno ** 1738. jam octogesimum quintum ætatis annum ageret, viribus tamen adhuc valebat, & bis in singulis hebdomadibus ad Academiam Regiam literariam se conferebat, in cujus societatem ab annis viginti cooptatus fuerat. De cujus Viri Clarissimi *Studio Antiquario*, ut olim de Carthagine enunciavit Sallustius, *silere potiùs puto, quàm parùm dicere.* Dixisse sufficiat, quòd Augustissimus Imperator Carolus VI. non aureo eum torque tantùm donaverit, sed moneri etiam jusserit, pergratum sibi fore, si Opus suum *de Antiquitate* prosequeretur.

(Anselmus Bandurius.) ANSELMUS BANDURIUS non equidem è Congregatione S. Mauri fuit, sed apud eosdem doctissimos Patres literis

* Ruinart in vit. n. 78. pag. 177.
** ex literis Cl. Montfauconii ad Auctorem datis an. 1738. die 23. Martii

teris operam dedit, tantósque in ftudio antiquario progreffus fecit, ut *Numifmata Imperatorum Romanorum à Trajano Decio ad Palæologos, Latina, Græca, Ægyptiaca, omnis metalli ac moduli, diftincta per claffes, & quàm diligentiffimè defcripta, ac notis brevioribus illuftrata, ad quindecim fermè millia, & in iis quàm plurima inedita, ex quibus rariora ad tria millia, in ære incifa repræfentantur, Chriftianiffimo Francorum Regi Ludovico XIV.* nuncupârit, in gratum nempe animi teftimonium, quòd Magnus ille Galliarum Rex ad opus feliciter abfolvendum non modò fuos ipfi rei nummariæ thefauros aperiri, fed etiam certâ ex facro ærario ad id conftituta pecunia, Auctorem in regia Infcriptionum & bonarum literarum Academia titulo Socii Honorarii ornari jufferit.

Quo honore etiam dubio procul ab eodem Potentiffimo Rege JOANNES BAPTISTA FERRETUS * mactatus fuiffet, nifi morte inopinâ è vivis fublatus ad plures abiiffet. Is enim Congregationis Cafinenfis alumnus ftrenuam Philofophiæ comparandæ navavit operam, ut fapientis Antiquitatis celebrioribus monumentis illuftrandis illam impenderet, atque Poëticos omnes flores (quotquot legere licuit) ab eadem antiquitate pofteris relictos, marmoribúsque, ut perennarent, confignatos, eruditis notis exornans in priftinum virorem, venuftatémque pro virili reftitueret. Opus verò fuum *Mufas Lapidarias* infcriptum libris V. in fol. diftinctum Sereniffimo Ludovico Borbonio, Galliarum Delphino, Ludovici XIV. filio dicavit. Hoc in Opere *Ferretus* diffufis ac eruditis notis Lapidarias omnes Infcriptiones carminibus fignatas enucleat, quas non folùm Grutterus & Appianus, aliique collegerunt, fed quàm plurimas etiam alias, nec hactenùs vifas. Rex autem Chriftianiffimus unà cum libro acceptâ famâ ejus eruditionis per Victorium Syrum Congr. Cafinenfis monachum, illius Potentiffimi Regis Hiftoricum Ordinarium, haud exigua pecuniæ vi Ferretum donavit, fuum Hiftoriographum renuntiavit, atque in Gallias invitavit. Nec ille munus adeò honorificum detrectavit; fed cùm iter ingreffus lethali morbo correptus fuiffet, pro Francia æternitatem adiit.

Jo. Bapt. Ferretus.

Sequens Infcriptio non paucis ex Antiquariorum choro crucem fixerat.

CEPHNE. Φ ΔωPI
EYΨYXI. ωNEΨY
L̄ᵉ M̂MH≪. XILᴴM̂Ē

apud Dominos de Monciattis

Serena	F. Dori-
bene tibi fit	on bene tibi
ann. XLV. dier. XXV.	fit an. VIII. men. V.

Obfcura & fenfu carens vifa fuit hæc infcriptio, donec eruditiffimus *P. D. Joannes Baptifta de Miro* * Abbas Congreg. Cafin. Vaticanæ Bibliothecæ Cuftos, rem in rifum vertit, feparans utramque infcriptionem, & binas effe, punctis folùm diftinctas, agnofcens.

Quia verò rei Nummariæ ftudiofo non fufficit ad artem Numiphylacium habere inftructiffimum, nifi ejus rirè difponendi methodo imbutus fuerit; hanc in rem laudanda cumprimis occurrit elegans & erudita Cl. V. P. OLIVERII LEGIPONTII Differtatio *de Rei Nummariæ & Antiquitatum veterum, ac Lithologiæ ftudio...* inter editas Norimbergæ anno 1745. *quarta*: ùbi primò tractat de utilitate, præftantia, & jucunditate ftudii Numifmatici, ejúsque Cultoribus. II. De rei Nummariæ origine & hujus apud Veteres cultu. III. Succinctam ad rei Nummariæ ftudium fubtexit Introductionem. IV. Brevem Romanarum Familiarum notitiam ordine alphabetico exhibet. V. Romanorum Imperatorum feriem *à Julio Cæfare* usque ad *Heraclium* repræfentat, addito Numorum raritatis indiclo, VI. Agit de aliarum Antiquitatum cultu, præftantia, Studio, & Cultoribus. Denique VII. differit de Lithologia & Scriptoribus, qui naturæ curiofa fuis lucubrationibus illuftrârunt. Eâdem de re extat vernacula altera ejus Differtatio Wirtzeburgi A. 1747. in 8.vo edita fub tit: *Kurtze Einleitung zur Erkanntnus des edlen Studii Numifmatum...*

Oliverii Legipontii de rei Nummariæ & Antiquitatum ftudio.

Sed maximè hoc in genere eminet R.mi D.ni ALBERTI MAZZOLENI *Abbatis Benedictini Cafinatis* Opus non minùs chartæ typorúmque magnificentiâ, quàm eruditione doctrinâque nummariâ confpicuum, *Venetiis*, & in monafterio S. Jacobi Pontidæ agri Bergomatis fumptibus *Joan. Bapt. Albritii Hier.*

Alberti Mazzoleni Numifmata.

* Armell. Bibl. Cafin. part. 2. pag. 25.
** Raphaël Fabretus Infcript. Antiq. cap. X. n. 414. p. 755.

Hier. Filii, Tomis IV. in fol. maj. editum anno 1744. hoc rubro: *Numismata ærea selectiora maximi moduli è Museo Pisano, olim Corrario æneis ex tabulis expressa, commentariisque & animadversionibus illustrata.* Eo in Opere sanè tam docto, quàm magnifico *Mazzolenus* post aliquot Romanæ Reipublicæ monetas, Numismata ærea maximi moduli, italicè *Medaglioni*, Imperatorum, aliorúmque Augustæ Domûs Principum, Virorum atque Feminarum ab *Augusto* ad *Gratianum* & ultrà politissimè exhibet. Tomus verò secundus Commentarios continet Serenissimo Venetiarum Duci *Aloysio* Pisano dicatos: Tertius & quartus Eminentissimis S. R. E. Cardinalibus *Quirino* & *Tamburino* nuncupati Animadversiones exhibent. In Comentariis singula quæque Musei Pisani Numismata breviter quidem, sed multa complexus Author explicat, Historiam præsertim Chronologiámque persecutus. Quia verò gravioribus rei Nummariæ difficultatibus de industria occurrere statuit, Quæstiones in Animadversiones congerit. Sunt porrò hi Comentarii omnium, qui eos perlegerunt, judicio undequaque perfecti.

Quæ in ejus animadversionibus præcipua. In ipsis Animadversionibus subliminores difficilioresque Quæstiones, & quidem planâ & facili pertractat methodo; ac quod majoris immò maximi est momenti, novam pænè in omnibus, quæ viginti & una sunt, statuit sententiam. Nec verò conjecturis aut levibus fundamentis, multóque minùs commentis nititur; sed melioribus rationibus, selectisque documentis rem agit. Ita etiam sua firmat, ut infirmet aliena. Promit námque & examinat præcipuas præcipuorum Virorum sententias, easque censuræ subdit; nec priùs ab eisdem se removet, quàm ad id adactum se quoque ostenderit. Tali autem tantáque moderatione ac modestiâ tum hac in parte, tum ubique utitur, ut & suum unicuique Auctori decus servet, & aliorum judicium lubens ipse volénsque subeat. Lectorem quoque admonet, cur Numariis aliisque profanæ eruditionis studiis incubuerit. Hinc pro grati animi officio iis, per quos profecit, commendatis, rationem sui reddit instituti. Nonnulla ex plurimis, quæ docet, hic adtingere operæ pretium erit.

Singularia Tomi I. argumenta. In prima itaque primi Tomi Animadversione, quæ *de Imperatore* est, observat & probat Imperatorium ob victorias nomen, non prout hucusque creditum est, *Loydio* præcipuè, *Norisio*, *Pagio*que Magistris, sed aliâ, quam Auctor noster tradit ratione, iteratum multiplicatúmque ab Augustæ Domûs Principibus fuisse. Quod quantum ad Historiam & Chronologiam conferat, doctos non latet. Aliam præterea heic instituit Quæstionem apud alios haud obviam, quo honoris ac potestatis gradu ii potirentur Augusti, qui simul ac semel creabantur Imperatores; tum illi, qui tamquam Fratres acciti ad Imperium erant; ac demùm ii, qui tamquam Filii sociabantur Imperio. Quæ quæstio non tam novitate, quàm utilitate præstat, Augusteámque dignitatem ac Pontificatum maximum similiter inlustrat. Secunda Animadversio *de Cæsare* est; ac *de Pontifice Maximo* Tertia; atque in hac novo examini subjicitur celebris illa nedum apud Antiquarios, sed etiam apud Theologos & Historicos difficultas, *utrùm Christiani Imperatores à Constantino Magno ad Gratianum*, Pontificis Maximi *titulum admiserint*? Quarta *de Augusto* inscribitur, déque *Principe juventutis* Quinta; cui titulo explicando nova multa proponuntur. Sexta succedit *de Consule*, Historiæ perutilis atque necessaria: ibi enim & plurima docentur, & censuræ exponuntur, quidquid alii, præsertim *Pagius*, de Regulis Consularibus tradiderunt. Docta sanè & pererudita Animadversio. Huic subnectitur Septima *de Proconsule*. In Octava contra sententiam multorum ostenditur, in Nummis M. Antonii III. Viri, ab *Oppio Capitone*, tum etiam ab *Atratino*, *Fontejo*, *Bibulóque* cusis, non quidem Cleopatram & Antyllum, sed *Cæsarem* ejúsque sororem *Octaviam* Marci conjugem, exhiberi. Quæ sequuntur Animadversiones numero sex, Græcam respiciunt eruditionem: Nona nempè in ordine *de Urbibus*, *Populisque Neocoris* tractat; *de Primatu Urbium* Decima; déque *Asiarchis* Undecima; atque in his etiam aliorum producuntur opiniones, eisque examinatis novæ adferuntur. Titulum præfert Duodecima *de Pontificibus*, *Græcorum & Archontibus*; In Tertiadecima *de Perperenorum Epochâ* quæritur. Literas A. M. K. in nummis *Tarsi & Anazarbi* Quartadecima inlustrat. Demùm Quintadecima *de Nummis Monetáque Romanorum* agit, ac nummos omnes, etiam maximi moduli locum in commercio inter monetas obtinuisse defendit. His omnibus aliqua adjun-

duntur occasione Notarum illustr. *Bimardi* in Scientiam nummariam *P. Joberti*, eáque spectant ad Animadversiones VI. VIII. XIV. & XV. Sequitur index, clauditúrque primus hic Animadversionum Tomus.

Tomi II. Animadversiones. Alter Tomus minor est Animadversionum numero, quippe qui sex tantùm continet, non tamen utilitate minor, quin major fortassis est: Duæ etenim, quas principio exhibet, Animadversiones, una *de Tribunitia Potestate Augustorum, Cæsarúmque Romanorum*, Altera *de Votis decennalibus*, nulli alii, imò nec pluribus simul cedere videntur. Maxima ingenia maxima & ipsa *de Tribunitia Potestate* quæstio nedum exercuit, sed & hucusque torsit. Potior Chronologiæ regula *Tribunitia ipsa Potestas*; Verùm nec ulla alia majoribus exposita difficultatibus. Conveniunt quidem ferè omnes Antiquarii in ea ita numeranda, ut eodem die, quo primùm accepta est, singulo quoque anno ipsam renovent, atque multiplicent; plurimas tamen maximásque offendunt difficultates; quibus superandis, qui se impares senserunt, eas præterire satiùs duxerunt; qui verò eisdem occurrere voluerunt, minùs feliciter sese ab ipsis expediisse visi sunt. Quapropter, ubi aliqua *Addenda & corrigenda in præcedenti Volumine* de Principe juventutis, *déque* Consule, *ac de literis* A. M. K. in Nummis *Tarsi* & *Anazarbi* adnotavit Præsul noster Reverendissimus, ad principem ipsam in re nummaria quæstionem accedens,

De Tribunicia Potestate. altiùs rem petit, ac *de ipsa Tribunitia Potestate* ab eo tempore, quo in Romanam invecta est Rempublicam, disserere exorsus, qualis primùm fuerit, quantúmque creverit, servato temporis ordine describit, delatámque, sublatâ Republicâ, Imperatoribus ostendit. Inde *Norisii*, *Pagii*, *Spanhemii*, & *Harduini* circa ejusdem potestatis terminos sententias examinat; tum illas *Panvinii*, *Pagii*, & *Harduini* de tempore, quo conferri ipsa Potestas consuevit. Ad maximam verò illam, maximéque difficilem, de tempore, quo renovari Tribunitia Potestas soleret, progressus quæstionem, aliorum opiniones in medium adfert, *Petavii* primùm, *Sigonii*, & *Harduini*; ac rationes, quibus illæ impetuntur, edicit: hinc illam, quæ *Toinardo* adscribitur, impugnatúrque à Pagio, repræsentat. Communissimam postea receptissimámque sententiam exhibet, quæ ipso, quo primùm delata est, die Tribunitiam Potestatem quotannis renovat; & in hac quoque difficultates plurimas reperiri adnotat. Quocirca non levi examine sententiarum omnium repetito, quum omnes difficultatibus laborare rursum intellexerit, minores tamen in ea sententia deprehendisse se scribit, quæ Tribunitiam Pot. bifariam dinumerat, à die scilicet anniversario & à x. Decembris, quod & ostendit. Inter opiniones verò, quæ unicum renovandæ Tribunitiæ Pot. principium admittunt, ea probabilior ab Auctore nostro *Mazzoleno* creditur, quæ x. Decembris, quocumque infra annum tempore accepta primum sit, Tribunitiam Pot. renovat, ac singulo quoque in posterum anno multiplicat. Hoc autem multis rationibus atque documentis, tum exemplis, usúque ipso comprobat.

Nonnulla dehinc inprimis *de Consulibus* déque *Consulatu* huc facientia producit; ac postcaquam observavit, Tribuniciam Pot. annósque Principatûs eodem ordine paríque gradu processisse, probandum sumit, ipsos principatûs annos juxta Tribuniciam Pot. dinumerari sive ad normam Magistratûs Tribunorum plebis renovari consuevisse. Quod ut perficiat, id ipsum de annis Imperatorum in nummis Ægyptiis monstrat. Epochas quoque Græcorum in gratiam Augustorum institutas, pari cum Tribunicia Pot. ordine cœpisse paríque processisse docet. Quâ occasione Norisii & aliorum in statuendo aliquot Epocharum initio opiniones examinat. Et quia res eò redit, ut omnes hujusmodi anni prima vice incompleti extiterint, nummis accenset quoque Scriptores, utpote apud quos haud infrequens est annorum incompletorum usurpatio, & quidem in designandis Imperatorum annis. Demùm adserit Tribuniciam Pot. eo, quem ipse tradit, modo renovatam multiplicatámque, Chronologiæ & Historiæ meliùs congruere, tum etiam difficultatibus feliciùs occurri. Quod ut probet, tempus omne percurrit, quo Tribunicia Pot. in nummis & inscriptionibus habetur. Facto propterea à *Cæsare Augusto* initio ad Gratianum usque procedit, consideratísque Tribuniciæ Pot. aliisq; simul chronologiæ characteribus, statuit cujusque Principis ad Imperium accessum, atque ex eo decessum, tum etiam gesta eorum plurima. De Consulibus, & Imperatoribus.

In hanc rem ejúsque confirmationem alteram *de Votis X.* subtexit Animadversionem, ubi implicatissimum cetero- De Votis X. Animadversio.

ceteroquin, omninóque incertum hucusque argumentum ita pertractat, ut nedum ipsum explicet atque stabiliat, verùm etiam priori de Tribunicia Pot. argumento illud adstipulari, & pondus addere demonstret. Videre porrò heic etiam est, aliorum, *Norisii* maximè & *Pagii* expensas de Decennalibus & Quinquennalibus sententias, novúmque in re tanti momenti prolatum, probatúmque systema. Quantum studii ac laboris insumpserit hac ipsâ in re unus *Pagius*, produnt ejus Opera; quæ quidem Votis hujusmodi referta, plurimorum oculos animósque adeò allexerunt, ut pedibus manibúsque ierint in ejusdem sententiam. At contradicit, & in diversa *Mazzolenus* noster abit. Qui tertiam inde exhibet *de nomine Navarchidis* Animadversionem, in eáque novam pariter de ipso nomine firmat intelligentiam. In Quarta non eam, quam *Plinius* & *Festus* persuaserunt, diminutionem una eadémque vice passum apud Romanos Assem, sed paullatim imminutum docet. In Quinta literas COL. A. A. P. in nummis conspicuas inlustrat. Ac demum in Sexta inscriptionem L. GAVIO. CAS. PERMIS. P. DOLABELLAE. PROCOS. CC. ... in nummo Tiberii exponit. Atque ita Animadversiones suas concludit. Post indicem *Addenda & Corrigenda* in Animadversione *de Tribunicia Potestate* subdit: quæ eo tendunt, ut abjecto, quod alibi fuisse videri poterat, duplici renovandæ Tribuniciæ Pot. principio, illud tantùm retineat & stabiliat, quod die x. Decembris nititur. Demum *de Sulpicio Antonino* Haymii rursum inquirit, nonnullisque de eo additis conjecturis, opus perficit.

Animadversio Mabillon. in quartum hoc Antiquitatis studium.

Hæc nos idcirco fusius retulimus, ut præstantissimi Operis aliqualem ideam Sodalibus nostris suppeditaremus. *Ceterùm*, ut verba Mabillonii * usurpem, *cùm universim loquendo, istbæc tùm rei Nummariæ, tum reliquiarum antiquitatis Musæa, rarò in Monachorum cœnobiis reperiantur; immunes ideo ab hisce studiorum generibus erunt; quæ rursum nimium curiositatis sæpissimè excitant, unde facilè possent ab utilioribus distrahi, proprio instituto apprimè consentaneis. Hinc tamen non est, quòd hujusmodi studium parùm prodesse autumem, quamquàm seculares magis quàm cænobitas, decere mihi videatur.* Quemadmodum verò *Mabillonius* nihil à viri Religiosi ratione alienum se fecisse existimavit, quòd eruditam in Franciæ Regum sepulchra elaborârit Disquisitionem, ita V. C. *Marquardus Hergott*, Cæsareus Historiographus, post Genealogiam Diplomaticam Augustæ Gentis Habsburgicæ publici juris factam, aliud nunc de Cenotaphiis ejusdem Augustæ Domûs eruditum opus auspicatus, illud Tomis pluribus comprehensum, atque Iconismis magnæ elegantiæ in æs incisis brevì, ut sperare fas est, publico sistet. *Nummophylacium* verò *Gottwicense*, cujus in lucem emittendi R.mus Abbas *Beselius* spem fecit, & in quo Nummos à Carolo Magno, ac sequentibus Regibus & Imperatoribus nostris usque ad Carolum VI. Imperatorem cusos, typis se commissurum pollicitus est, dudum & avidè literatus Orbis exspectat.

Bellum antiquarium de MS.tis Codd.

Superest appendix, *Bellum* scilicet *antiquarium de MS.tis Codicibus*. Joannes Mabillonius in illustri suo Opere de Re Diplomatica certas quasdam regulas proposuerat, vi quarum Codices manuscripti genuini & finceri à spuriis & falsis discerni possint. Contra has regulas *Bartholomæus Germonius* Jesuita multa objecit, ut si veterum manuscriptorum codicum fidem non omnem everteret, certè quidem dubiam ac nutantem redderet. Sed quo fine, aut mysterio? Non ego, sed Reverendissimus Abbas Beselius ** dicat: *Non alius simulans objectionum scopus est, quàm ut nobilissima manuscriptorum omnium cimelia, queis antiqua meritò Cœnobia gloriantur, invisa redderentur, & contemptui exponerentur reliquis tanquam inutilia.* Ignoscendum tamen fuisset, pergit Gottwicensis Præsul, si immites hujusmodi antiquitatum hostes, ac osores suum in nonnulla monumenta aculeum tantum direxissent, nisi surrexisset alius adhuc, qui novello quodam dogmate, scepsi verè ridiculâ, & argumentis planè ficulneis indicere ausus est bellum toti rei antiquariæ, antiquitatem & vetustatem omnem Codicum explodendo; *Harduinum* intelligimus, virum de cætero doctum, & eruditum, cujus magnam, quam & in editione Conciliorum, maximè verò Plinii, & elaboratis aliis operibus exhibuit, eruditionem, quemadmodum suspexit meritò orbis eruditus, ita quoque insolitam hanc opinionem publicis ac privatis rebus, & universæ rei literariæ maximè noxiam detestati sunt illicò Viri omnes, queîs sacra omnia Vetustatis rude-

* Tract. de Stud. Mon. part. 2. cap. 12. pag. mihi 193.
** Tom. Prod. Chron. Gottwic. lib. 1. pag. 7.

rudera cordi fuêre, & literariæ Reipublicæ utilitas fundamento huic innitens recenti nimiùm auctoritati præponderabat. Temeraria hæc paradoxa præter exteros è nostris confixit, & quæ *Bartholomæus Germonius* contra veterum codicum fidem molitus est, nullo negotio difflavit PETRUS COUSTANTIUS è Congr. S. Mauri, editis Vindiciis manuscriptorum Codicum Parisiis an. 1706. Cùm verò Germonius ad hasce Vindicias responsum edidisset, alterum scriptum vulgavit *Coustantius* sub titulo *Vindiciæ veterum Codicum confirmatæ.* In sex partes librum dispescuit, in quarum quinta manuscripta Corbejæ veteris ab injuriosa *Germonii* suspicione vindicavit, in sexta demonstrare conatus est, quòd ejusdem doctrina ad stabiliendum Pyrohonismum apprimè serviat. Uti verò ad hoc *Coustantii* scriptum nullum responsum redditum fuit, ita facilè existimare est, quòd *Germonius*, quàm rationum suarum momenta sint infirma, agnoscens, palmam cesserit *Coustantio*, quam dubiam reddere Mabillonio attentârat.

Vindiciæ manuscript.

Harduini cum Benedictinis lites & amicitia.

Illud verò minimè tacendum, quòd Inclyta Societas Jesu *Harduini* novos, temerarios, nec antea unquam auditos ausus contra veterum MSs. Codicum fidem & authentiam nullatenus & necquidquam approbârit. Enimverò *Harduinus* magnum erat ingenium, sed quod non sine mixturâ dementiæ ab aliis deprædicatur. V. C. *Anselmus Bandurius* noster, si Authori Anonymo in Itineris sui Literarii, quod anno 1733. in Galliam instituit *, descriptione fidem habemus, Harduinum *le Pere eternel des Petites Maison*, id est, *Patrem æternum morotrophii* vocare consueverat. *Pater Tellier verò*, ad quem Bandurius isthæc dicebat, *Harduinum stultis annumeravit. Et licèt Bandurius contra Harduinum calamum strinxerit, illum tamen virum bonum juxtà ac pium, etsi emoti nonnihil cerebri, deprædicabat, maximè ejusdem elegantiam Latinè scribendi laudibus ornare nunquam prætermittebat.* Hæc ego Gallicè scripta cùm legissem, videbatur mihi Author Anonymus esse quidem vir doctus juxtà ac eruditus, sed æquo festivior, qui dicterii sui invidiam in *Anselmum Bandurium* rejicere voluerit: unde de ejus veritate addubitare cœpi. Ratio suspicandi falsum duplex erat. Prima, quòd non ignorarem, *Anselmum Bandurium* magnâ quidem esse doctrinâ, & singulari eruditione, sed quæ cum pari modestiâ, atque erga omnes humanitate, morúmque elegantiâ, à convitiandi libidine prorsus alienâ, conjuncta esset. Altera, quòd *Bandurius* in Bibliotheca sua Nummaria de *Joanne Harduino* agens disertis testetur verbis; *ejus viri eruditionem & subtilitatem plurimi à se fieri.* „ *Complura*, inquit, *extant Opera, in quibus singularem eruditionem cum miro quodam ingenii acumine conjunctam deprehendi....* & paulò pòst: *juvabat eximium singularis Harduini subtilitatis & judicii specimen præbere in eâ re, ad quam velut ad scopulum doctissimi viri adhæserunt.* „ Hæc cùm me legere meminissem, ad amicum Parisios literas dedi, qui his verbis inter alia mihi respondit: D. BANDURIUS, *de cujus valetudine & vitâ sollicitus es, bene se haberet, nisi leviori podagra laboraret. Cùm autem jubente te ab eo sciscitatus sum, an vera essent, quæ Itineris Literarii Auctor de eo venditat, respondit, Scriptorem Germanum esse totum ex fraude & mendacio compositum.* Quæ ideo commemoranda duxi, ne Benedictini *Harduino* pro bene meritis referre convitia existimentur. Quâ enim Vir ille doctissimus singulari fuit humanitate, *Anselmo Bandurio*, aliísque è Congregatione S. Mauri eruditis Monachis, in re literaria, quibuscunque rebus potuit, semper præsto fuit. Ingratissimi autem animi vitium est, eum onerare probris, à quo beneficiis es cumulatus.

Quirini de Patre Harduino nod[illegible]ta relatio.

Singularem etiam Harduini erga se comitatem *Angelus Maria Quirinus* (hodie Eminent. Cardinalis S. R. E.) Parisios ex Italia anno 1711. profectus, his verbis ** testatam facit: „ *Joannes Harduinus*, altero die postquam Parisios adventâssem, à me aditus facilem, & expeditum mihi se præbuit ad fundenda absque fuco paradoxa sua, etsi ad eadem ejuranda haud multò antea adactus fuisset. Liberis igitur verbis affirmare mihi non dubitavit, veterum Numismatum authoritatem maximi faciendam, insuper Vulgatam Divinorum Bibliorum Editionem, & Concilii Tridentini Canones, quandoquidem alia sacræ Antiquitatis monumenta, pleraque omnia, justa sublestæ fidei suspicione laborarent. Somniaverat ille, quemadmodum antiquis„ simos prophanos Scriptores seu Orato-

* Voyage Literaire en France an. 1733. Confer *Memoires de Trevoux* Maij 1733. Art. 37. ubi *Le Pere Hardouin, ce Jesuite, qui a passé pour un des plus Savans de toute l'Europe...*

** Comment. Histor. de rebus ad se pertinent. Part. I. pag. 103.

„tores, seu Poëtas, seu Historicos, seu Philosophos, ita Ecclesiæ Patres, Synodos Episcopales, Decretales Pontificum, atque alia hujusmodi Scripta, nil aliud quàm suppositiones esse doctorum Cœnobitarum, qui, unà simul seculo X. conjuratione inita, tantis fallaciis struendis, & concinnandis animum, calamúmque appulissent; uno verbo, Vulgatæ Versionis, Concilii Tridentini, & priscorum Numismatum fide Christianam Religionem initi, labantibus, ac nutantibus ex ea suspicione cæteris omnibus ejusdem fundamentis, quæ hucusque locata fuerunt. Portenta ista dum audirem, spatiando intereà in Bibliotheca conjunctis cum Harduino passibus, accidit, ut oculos converterem ad librum quendam ex ligno confectum, fictitióque titulo ornatum, pro implenda, ut alibi etiam fieri observavi, plutei extremitate, tunc statim libro illi manum injeci, ipsúmque Harduini oculis objiciens, *En*, dixi, *bocce figmenti*, *de quo agitur*, *genus esse nemo profectò negaverit*, *in Jesuitarum tamen*, *non in Monachorum officina fabrefacti*. San-Germanenses solitum dicere Mabillonium mihi narrabant, *suæ ipsos gloriæ ducere debere*, *quod olim Ciceronem*, *Livium*, *Virgilium*, *parésque alios Scriptores Monastici cuculli apti fuerint procudere*. „ Hæc Eminent. *Quirinus*, cujus alia narratione huic Historiæ coronidem imponere juvat. Est verò hæc. „ * *Amplissimus San - Gallensis Præsul & Princeps literis suis an.* 1747. *die* 3. *Februarii ad me datis humanissimè pollicitus est*, in Generali, qui instat, Congregationis Helveto - Benedictinæ Conventu nihil à se omissum iri, ut Collegas suos Reverendissimos exstimulet, atque permoveat ad vetera Monumenta ex Bibliothecis locorum, quibus præsunt, eruenda, sibíque communicanda, unde ampla eruditæ illius supellectilis copia in publicam lucem, quod ipse vehementer postulaveram, ad magnum literariæ Reip. bonum, Monasticique Ordinis decus San - Gallensibus typis efferenda coacervetur. Jámque ipse adeò seriò rem perpendit, ut qua ratione ea supellex in plura Volumina partitionem admittere possit, animo suo constituerit, optimo, ut ego censeo consilio. En ordo, quem mihi suæ literæ designârunt: 1. *Biblica*, *seu sacræ Scripturæ*. 2. *Sanctorum Patrum & aliorum celebrium Virorum in Scripturam sacram Expositiones*. 3. *Liturgica*. 4. *Historia Ecclesiastica*. 5. *Historia Profana*. 6. *Miscellanea*.

Sangallensium de edendis veteribus monumentis consiliũ.

* Dec. 5. Epistolarum, Epist X. pag. 9.

CAPUT VI.

HISTORIA POLITIORIS LITERATURÆ, ET PHILOLOGIÆ.

Cùm à Familiæ Benedictinæ primordiis monachorum studia ad sacræ paginæ intelligentiam, sanctorum Patrum ac Conciliorum lectionem præcipuè collimarent, idcircò ii tota animi contentione in materiis istis pertractandis desudârunt, uti Opera ab ipsis elucubrata demonstrant. At enim cùm in adyta superiorum id genus disciplinarum non continuò accessus pateat, nisi inferiorum priùs artium limina salutentur, per eam causam ista etiam à se terenda esse existimârunt. Atque ne longiùs ab ipso Legislatore D. BENEDICTO abeamus, Ordo ab illo institutus, in eam Latini sermonis ætatem incidit, quæ à Grammaticis non *ferrea* modò, sed *lutea* etiam appellatur, Gothis primùm in Italia, tum Longobardis rerum potientibus. Quo tempore novum loquendi genus ex plebeia Romana & Germana conflatum, ut eruditi advertunt, invectum est. Nihilominùs dictionis cultum, ornatum, & copiam, quibus D. BENEDICTUS suam exaravit Regulam, dudum *S. Gregorius M.* celebravit. *Scripsit Regulam sermone luculentam.* Atque ne gratis hoc Gregorius dixisse videatur; quis quæso, ut exemplum è multis unum proferamus, vel verborum ornatum, vel sententiarum dignitatem desiderat, cùm sub medicinæ allegoria peccati ceu morbi persanandi rationem docet? Abbatem instituit, ut sapientem medicum

Medii ævi latinitas barbara.

S. Benedictus sermone luculentus.

cum; sacram Scripturam aperit, ut saluberrimam pharmacopeiam; pias exhortationes vocat *unguenta*, monasticas diras, *ustionem*, extrema remedia, *ferrum abscissionis*. Quid limatiùs ad eruditionem dixeris? Aliud exemplum ab ipsis iterùm Benedictini instituti incunabulis petitum Petrus Diaconus suppeditans, MARCUS, inquit, * *Patris Benedicti discipulus, & Casinensis monachus, vir egregius, & in scripturis apprimè eruditus, de adventu sanctissimi Benedicti ad Casinum; de situ loci constructionéque cœnobii elegantissimos versus composuit.* Sed quot annorum erat *Marcus*, cùm in Casinense monasterium se ingessit? haud ampliùs septem. Primùm igitur humanioribus, tum sacris ac superioribus literis eruditus fuit. Et quod ad priores attinet, iis fuisse non leviter tinctum, argumento sunt præter carmina, quæ sanè non iratis Mosis lusit, *insignes Gnomæ* An. MDXXI. Hagenoæ typis expressæ, nec non alia quædam Opuscula per *Joannem Vicum* collecta, Parisiis autem an. MDLXIII. in 8. prælo subjecta. Quis jam verò ita rudis ac hebes est, ut vel ex hoc unico non intelligat exemplo, literarum humaniorum studia ævo *S. Benedicti* nequicquam fuisse neglecta, cùm non soluta tantùm, sed numeris etiam vincta oratio, & lepos omnis poëticus tradi cœperit. Certè cùm Cistercienses initio Ordinis sui Cluniacenses in reprehensionem vocarent, quòd poëtis legendis operam darent, hi responderunt: *Libros gentium legere solemus, ut per eorum lectionem, majorem sacræ Scripturæ intelligentiam nobis comparemus, quia sicut tibi notum est, sacra lectio & oratio in nostro Ordine sibi invicem succedunt.*

Marcus S. Benedicti discipulus Poëta insignis.

Ex lege etiam M. CASSIODORI nostri ** divinis Literis ita vacare debebant monasticæ disciplinæ alumni, ut liberales artes, literásque humaniores non negligerent. Tertulliani & Basilii secutus est exemplum, qui quantum commodi, quantúmque utilitatis literarum humaniorum studia divinarum literarum cultoribus afferrent, & abundè intellexerunt ipsimet, & sæpiùs quoque docuerunt. *Cassiodorus* itaque viam suis monstravit, Grammaticamque artem, Rhetoricam, Dialecticam, Orthographiam, Arithmeticam, Cosmographiam, Geometriam, & mathematicas disciplinas, in libris *de artibus liberalibus & disciplinis*, quibus olim præcipua Encyclopediæ pars absolvebatur, breviter complexus est, auctorésque præstantissimos, ex quibus hæc omnia commodè haurire possint, indicavit. Avidè hinc à viris doctis eâ ætate lectus & commendatus est *Cassiodorus*, idque peramplius quòd postquàm mentem quis hisce artibus probè excoluit, tum demùm sacrarum Literarum studiis ritè operabitur, ut exemplo *Pauli Diaconi*, & aliorum constat.

Cassiodorus de septem disciplinis.

Divus GREGORIUS ***, seu author Commentariorum in Libros Regum, quæ pro Monachis speciatim elucubrata videntur, egregiè ostendit, dæmonem prævidentem fructum, qui etiam ex humaniorum literarum studiis potest in spiritualibus obtineri, omnem industriam adhibere, ut nos ab iisdem retrahat, quatenùs impedimento nobis sit perveniendi faciliùs ad rerum spiritualium intelligentiam: *Ut & secularia nesciant, & ad sublimitatem spiritualium non pertingant.* Non quia, ut S. Doctor subdit, humaniores literæ penès se tantùm inspectæ multùm conferant ad spirituale ædificium, sed quòd in ordine ad sacram paginam (*cujus studium animabus iis maximè congruit, quæ ad Deum se attollere cupiunt*) potissimùm juvant. Accedit Divi *Basilii* authoritas, qui in libello *de legendis Gentilium libris* ait, disciplinas seculares instar habere foliorum, quibus ornantur arbores, inumbrantur fructus, & muniuntur.

D. Gregorius humaniores literas laudat.

Erat ergo, inquit Mabillonius ****, *in scholis nostris, ut virtutis studium, ita & humaniorum literarum frequens usus: quibus addiscendis etiam profanorum Auctorum, eorum, qui ab omni obscœnitate abhorrent, lectio adhibebatur.* Hinc *Anselmus* in libri primi epistolâ LV. *Mauritio* monacho, suo quondam, tum *Arnulfi* auditori, præcipit, ut quantùm possit, legere satagat *de Virgilio & aliis auctoribus, exceptis his, in quibus aliqua turpitudo sonat.* Scio quid Paulinus in carmine ad Ausonium scribat, *Camœnis* scilicet, *nec Apollini patere debere dicata Christo pectora.* Scio & *Gregorii* M. effatum ad Desiderium Cadur-

In scholis Benedictinis virtus & eruditio tradita.

* Jo. Bapt. Marus in annot. ad cap. 3. Pet. Diac. de Vir. Illust. Cas. pag. mihi 14.
** vid. vitam à Jo. Geretio ejus Operibus præmissam.
*** apud Mabill. de Stud. Mon. Tr. 1. p. 1. c. 2. p. 10.
**** Præfat. I. in Sec. 3. O. S. B. §. 3. n. 42. & 43. pag. 111.

Cadurcorum Antistitem, *quia in uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes non capiunt.* Nec ignoro, quòd Petrus Damiani in Opusculo tertiodecimo reprehendit Monachos, *qui Grammaticorum vulgus adeunt, qui relictis spiritualibus studiis addiscere terrenæ artis ineptias concupiscunt, parvipendentes scilicet Regulam Benedicti, regulis gaudentes vacare Donati.* Verùm aliud est, quod instituendæ juventutis gratiâ ex necessitate à pueris discitur; aliud quod ab Episcopis, à Viris ad sanctiora tendentibus exigitur; aliud quod ad usum discitur; aliud quod ad voluptatem & officium. *Omnes enim artes*, inquit *Orator*, *aliter ab iis tractantur, qui eas ad usum transferunt; aliter ab iis, qui ipsarum artium tractatu delectati nihil in vita sunt acturi.* „ *Hi scilicet id unum meditantur, id unum agunt; illi iis utuntur, quum est comodum, quum postulat tempus, & ratio honesta.* Rectè hanc in rem LANFRANCUS, cùm de quibusdam profanis quæstionibus pulsaretur, ita scribit ad Damnoaldum epistola trigesima tertia: *Quæstiones secularium literarum nobis solvendas misistis. Sed Episcopale propositum non decet operam dare ejusmodi studiis. Olim quidem juvenilem ætatem in his detrivimus: sed accedentes ad pastoralem curam abrenuntiandum eis decrevimus.* Certè à primis temporibus, „ tanquam ex insolita quadam consue- „ tudine, Ecclesiarum Doctores Græ- „ corum disciplinis sese exercuerunt, „ ut disertè probat *Socrates* in Histo- „ riæ libro tertio, capite sexto deci- „ mo: idque constat de *Gregorio* Na- „ zianzeno, de *Basilio*, aliisque viris „ religiosissimis, quos gentilium li- „ bros lectitâsse & commendâsse novi- „ mus. Hæc dixerim occasione eo- „ rum, qui humaniorum literarum ex- „ pertes in aliis ejuscemodi studia plus „ æquo reprehendunt, quæ, si debi- „ to modo ac tempore adsumantur, „ judicium informant, animum per- „ poliunt, & exornant, atque ad virtu- „ tis studium docilem aptúmque effi- „ ciunt. Lege *Filsaci* Tractatum hac „ de re singularem.

Lanfranci sententia.

Lectio librorum gentilium non decet Monachos.

Atqui ut consentaneum est, pueros, seu adolescentes humanioribus studiis occupare animum; ita ex adverso indecorum est, Monachos jam adultæ ætatis, nisi exigat alios docendi necessitas, libris gentilium lectitandis meliorem dare operam. Hinc Patres Concilii Cloveshoviensis in Anglia seculo VIII. celebrati decreverunt capite vigesimo, *ut provideant vigilanti perspectione Episcopi, ut sint monasteria juxtà vocabulum nominis sui, id est, honesta silentium, quietorum, atque pro Deo laborantium habitacula: & non sint artium ludicrarum receptacula, hoc est, poëtarum, citharistarum, musicorum, scurrarum; sed orantium, legentium, Deúmque laudantium habitationes.* Appositè quidem: Non enim congruit, eos, qui omnia Deo adhærendi gratiâ reliquerunt, fabulis & inanibus ludicris detineri; cùm possent, deberéntque animos lectione Scripturæ sacræ, Patrum, Conciliorum, & Historiæ Ecclesiasticæ imbuere, more Majorum, alias verò artes non nisi per speciem relaxandi animi paululùm attingere. *Nam dictû dolendum est*, inquiunt Patres ejusdem Concilii cap. VII. *quòd his temporibus perpauci inveniantur, qui ex intimo corde sacræ scientiæ rapiantur amore, & vix aliquid elaborare in discendo voluerint; quin potiùs à juvenili ætate vanitatibus diversis, & inanis gloriæ cupiditatibus occupantur, atque præsentis vitæ instabilitatem plusquàm sacrarum scripturarum assiduitatem vagabundâ mente sequuntur.*

Quid Episcopis & Abbatibus congruum.

Quæ verba eò spectant, non ut profanorum auctorum universim studium damnetur, sed ut intelligant Episcopi, Abbates, & rebus sacris mancipati, nequaquàm eos decere, ut se se ejusmodi studiis immergant, quæ pueris quidem & adolescentibus ad expoliendos animos conceduntur, at nequaquam ab iis repetenda, qui sacris rebus ac literis semel sese addixerint. Inest enim profanis ejusmodi libellis blandiens quidam sapor, quô passim infectus animus ad repetenda sacrarum literarum studia inhabilis & malè affectus redditur. Unde Augustinus magni beneficii loco duxit, quòd ante lectionem sacrorum librorum profanis auctoribus nuntium remisisset. *Nam si primò*, inquit Deum alloquens, *sanctis tuis libris informatus essem, & in earum familiaritate obdulcuisses mihi, & postea in illa volumina incidissem; fortasse aut abripuissent me à solidamento pietatis, aut si in affectu, quem salubrem imbiberam, perstitissem, putarem etiam ex illis libris eum posse concipi, si eos solos quisquam didicisset.* Quæ ideò in medium à me allata fuerunt, ut ex iis lector intelligat, quâ ratione impulsi Ordinis nostri quidam rectores, profanorum auctorum, præprimis Poëtarum lectione monachis suis interdixerint, quámque immeritò eâ causâ in reprehensionem à Novatoribus vocentur.

Seculo

Literarũ cultus in Anglia Seculo VII.

Seculo septimo non Latinæ modò, sed Græcæ etiam literæ in Anglia doceri cœperunt ab *Hadriano* Cantuarïensis Monasterii Abbate; quas præter alios non mediocriter didicisse laudatur *Albinus*, Hadriani in Abbatiali munere successor. Ejusdem Hadriani discipulus fuit S. *Aldhelmus* artium liberalium eruditione visus Venerabili *Bedæ* admirandus. Willelmus verò Malmesburiensis, itidem ejus præco & admirator, id laudis ei tribuit, quòd primus Anglorum Latina carmina condiderit; qua de re *Aldhelmus* ipse gloriari videtur, dum in carmine de Virginitate hos versus adhibet Virgilianos:

Adelmi ea de re testimonium.

Primus ego in patriam mecum, modò vita supersit,
Aonio rediens deducam vertice Musas.

Extat Aldhelmi epistola * ad *Eadfridum* Monachum, postea Lindisfarnensis Ecclesiæ Antistitem, in qua boni non omnino consulere videtur, quòd *Eadfridus* ex Anglia in Hiberniam trajecerit, quò ad artium studia optimarum peregrè incumberet, cùm domi excellentes magistri, *Theodorus* & *Adrianus*, in promptû essent, in quorum institutione acquiescere potuisset: „ *Sed hæc misellus homencio*, inquit, *dictando volvens*, *scrupulo ancipiti extemplò quatiens angebar* (cur inquam) HIBERNIA, *quò catervatim istinc lectores classibus advecti confluunt*, *ineffabili quodam privilegio efferatur*: *ac si istic*, *fœcundo* BRITANNIÆ *in cespite*, *didascali Argivi Romanique Quirites reperiri minimè queant*, *qui cœlestis tetrica enodantes Bibliothecæ problemata sciolis reserare se sciscitantibus valeant*. Quamvis enim præ„ dictum *Hiberniæ* rus, discentium opu„ lans vernánsque (ut ita dixerim) pa„ scuosa numerositate lectorum, quem„ admodum poli cardines astriferis mi„ cantium ornentur vibraminibus side„ rum: ast tamen climatis Britannia oc„ cidui in extremo fermè orbis margine „ sita (verbi gratia) ceu *Solis* flammi„ geri & luculento *Lunæ* specimine po„ tiatur, id est, *Theodoro* infulâ Pon„ tificatûs fungenti, ab ipso tyrocinio „ rudimentorum in flore philosophicæ „ artis adulto; nec non & ejusdem so„ dalitatis cliente *Adriano* duntaxat ur„ banitate enucleata ineffabiliter præ„ dito. „ Hæc & plura alia *Aldhelmus*, quibus ut Lectoris fastidio prospiciam, recitandis supersedeo. Est

& de hujus stylo judicium.

enim hæc epistola, (quid enim diffiteamur?) stylo ita impedito & implicato scripta, ut non admodum mirari subeat, etiam Guilielmi Malmesburiensis temporibus repertos fuisse, quibus hujusmodi Aldhelmi scripta *nauseam peperint*: non *attendentibus*, *quòd juxtà mores gentium varientur modi dictaminum*. Ita ille, de Gestis Regum Anglorum lib. .cap. 2. ad dicti confirmationem porrò subjiciens: *Græcos involutè*, *Romanos circumspectè*, *Gallos splendidè*, *Anglos pompaticè dictare solere*. Mihi *Aldhelmus* in hac epistola turgidum & inflatum scribendi genus deditâ operâ consectatus fuisse, merásque ampullas scribere voluisse videtur, ut cum amico ex Hibernicis scholis in Angliam, ubi *Theodoro*, & *Adriano*, præstantis doctrinæ præceptoribus operam dare potuisset, reverso luderet, & vix non illuderet. Sanè tale quid in extremâ suâ epistolâ insinuare videtur. Sed ex loco illo, cùm corruptus sit, certi quid statui non potest. Etsi verò *auceps antiquarum vocum*, & quidem egregius fuerit, teste Salmasio, *maximi* tamen etiam *ingenii* scriptor à Barthio vocatur.

Aldhelmo adjungendus est *Venerabilis* BEDA, qui, uti scribit *Cuthbertus* ejus discipulus in illius vitâ, in Girwensi monasterio, *infantulus bonæ spei & divinâ & seculari literaturâ diligenter imbuitur*..... *Et cùm in Latinâ eruditretur lingua*, *Græcæ quoque peritiam non mediocriter percepit*. Neque verò in sola Latinæ, Græcæ, & ut aliqui putant, Hebraicæ linguæ scientiâ profecit, sed in omni etiam artium liberalium disciplinâ; id quod testantur varia, quæ post se reliquit, & hactenus perseverant, omnigenæ doctrinæ monumenta. Porrò quam infantulus acceperat doctrinam, eandem factus in eodem monasterio magister fratribus suis postea reddidit. Verùm enimverò quamvis ** Confratribus & discipulis suis cùm humaniores literas, tum varias scientias explicaret, nihil aliud sibi præfigebat, nisi ut per has cognitiones aditum illis ad sacrarum literarum studium patefaceret. Ejus præfatio in librum *de Arte Poëtica*, quem *Cuthberto* discipulo inscripsit, argumentum de hoc satis egregium suppeditat: ait enim, quòd postquàm illi principia ad librorum sacrorum peritiam conducentia tradidisset, opportunum putaverat, *de Arte quoque Poëtica ad illum verba facere*, *cùm scriptura aliquando ligata oratione*

V. Bedæ literatura

* apud Usserium *in Veterum Epistolarum Hibernicarum Sylloge* pag. 26.
** Mabill. de Stud. Mon. vol. 2. art. 21. p. mihi 58.

tione usa sit: eundem tamen inibi etiam atque etiam rogat, ut quibuslibet studiis hujus libri vitæ, id est, sacræ paginæ studium jugiter præferat. Similia legimus in eo opere, in quô agit *de tropis*, qui in divinis illis Codicibus occurrunt.

Ejus ævi Scriptores turgidum scribendi genus sectantur.

Hoc ævo igitur nostri non Latinas tantùm literas, sed & Græcas amplexi fuerunt, & ad magnam si non scribendi, intelligendi certè facultatem pervenerunt. Cùm verò seculo huic suum esset scribendi genus, quod meritò *ampullosum*, *turgidum*, & *inflatum* dixeris, nostri etiam plerique Hagiographi, si *Bedam* excipias, sermonis nitore, elegantia, & nativa venustate minimè contenti, vitas Sanctorum, quas memoriæ prodiderunt, immodico excoluerunt artificio, variísque colorârunt pigmentis: dum enim *tumidum scribendi genus* sectarentur, nativam illam neglexerunt elegantiam. Dicebam, si *Bedam* excipias, qui, judice Sixto Senensi, stylum habet nec omnino inelegantem, nec affectatæ elegantiæ curiosum, sed temperatum, qui nec verborum multitudine fastidium, neque paucitate obscuritatem pariat, sed brevi facilitate currat gratissimè. Nec ignobilis Rhetor & Poëta iisdem temporibus habitus fuit *Felix* Croilandensis in Anglia monachus. *Heddius* verò *Stephanus* cognominatus, ortu etiam Anglus, Cœnobita Cantuariensis à teneris annis ita in bonarum literarum studiis enutritus fuerat, ut jam vir factus omnium scientiarum genere evaserit instructissimus. *Multa quidem, quantum invenire potui*, inquit Oudinus, *non scripsit, sed illa tamen pauca puro, terso, & eleganti stylo exarata.*

Seculi VIII. Philologi &c.

Floruit seculo VIII. *in arte Grammatica* (sunt verba Herkemperti in fusiore Historia Longobardorum) *diaconus Paulus, qui fuit ortus ex Forojuliensi civitate; quoad familiæ originem parentibus secundùm seculi dignitatem non infirmis; carus etiam Regi Desiderio in tantum, ut ipse Rex in omni arcano verbo consiliarium eum haberet.* Postquàm verò in Casinense monasterium se recepit monachus factus, literas, quibus humanitatis nomen tribuunus, eò loci confratres suos docuit. *Vocabularium* ex Festo Pompejo excerpsit, quod Carolo Magno Imperatori præmissa * hâc epistolâ nuncupavit: „*Largitatis munere, sapientia, potentiáque præfulgido domino Regi Karolo, Regum sublimissimo, Paulus ultimus servulus.* Cupiens aliquid vestris Bibliothecis addere, quia ex proprio perparùm valeo, necessariò ex alieno mutuavi. *Festus* denique *Pompejus*, Romanis studiis affatim eruditus, tam sermonum abditorum, quàm etiam quarundam causarum origines aperiens, opus suum ad viginti prolixa volumina extendit. Ex quo ego prolixitate superflua quæque & minùs necessaria prætergrediens, & quædam abstrusa penitus stylo proprio enucleans, ita ut erant posita relinquens, hoc vestræ celsitudini legendum compendio obtuli, in cujus serie, si tamen lectum ire non dedignabimini, quædam secundùm artem, quædam juxta etymologiam posita non inconvenienter invenietis, & præcipuè civitatis vestræ Romuleæ, portarum, viarum, montium, locorum, tribuúmque vocabula diserta reperietis: ritus prætereа gentilium, & consuetudines varias. Dictiones quoque poëtis & historiographis familiares, quas in suis opusculis frequentiùs posuêre. Quod exiguitatis meæ munusculum, si sagax & subtilissimum ingenium vestrum non usquequaque repulerit, tenuitatem meam vita comite ad potiora excitabit.„

Caroli M. in Musas studium,

CAROLUS M. qui mitiores Musas in deliciis habebat, *Paulum* ea propter magno amore ac familiaritate complexus est. Is ipsus sapientissimus Monarcha, cùm ex variis epistolis parùm concinnè compositis, quæ ipsi ex plerisque Galliæ monasteriis redditæ fuerunt, animadverteret, studia literarum humaniorum in iisdem fuisse neglectui propemodùm habita, animum ad ea instauranda adjecit, ne unà cum earum interitu sacrarum quoque literarum studia in perniciem traherentur. Digna planè sunt tanti, támque potentissimi Imperatoris verba, quæ ex epistola ad imperii sui Abbates exarata hîc referantur: „Cùm nobis in his annis à nonnullis monasteriis sæpiùs scripta dirigerentur, in quibus, quòd pro nobis fratres ibidem commorantes in sacris & piis orationibus decertarent, significaretur: cognovimus in plerisque præfatis conscriptionibus eorundem & sensus rectos, & sermones incultos: quia quod pia devotio interiùs fideliter dictabat, hoc exteriùs, propter negligentiam discendi, lingua inerudita exprimere sine re-

& ad Abbates epistola.

„pre-

* Extat apud Mabill. in append. Tom. II. Annal. Ord. S. B. n. 36. p. 707.

„ prehensione non valebat. Unde factum est, ut timere inciperemus, ne „ fortè, sicut minor erat in scribendo „ prudentia, ita quoque & multò minor esset, quàm rectè esse debuisset, „ in eis sanctarum Scripturarum ad intelligendum sapientia. Et bene novimus omnes, quia quamvis periculosi sint errores verborum, multò periculosiores sunt errores sensuum. „ Quamobrem hortamur vos, literarum studia non solùm non negligere, „ verùm etiam humillima, & Deo placita intentione ad hoc certatim discere, ut faciliùs & rectiùs divinarum „ scripturarum NB. mysteria valeatis „ penetrare. Cùm autem in sacris paginis schemata, tropi, & cætera his „ similia inserta inveniantur, nulli dubium est, quòd ea unusquisque legens tanto citiùs spiritualiter intelligit, quanto priùs in literarum magisterio pleniùs instructus fuerit. Tales verò ad hoc opus viri eligantur, „ qui & voluntatem & possibilitatem „ discendi, & desiderium habeant alios „ instruendi. Et hoc tantùm ea intentione agatur, quâ devotione à „ nobis præcipitur. Optamus enim „ vos, sicut decet, ecclesiæ milites, *& interiùs devotos, & exteriùs doctos*, „ castósque bene vivendo, & scholasticos bene loquendo; ut quicunque vos, propter nomen Domini & „ sanctæ conversationis nobilitatem ad „ videndum expetierit, sicut de aspectû vestrô ædificatur visus, ita quoque de sapientia vestra, quam in legendo seu cantando perceperit, instructus, omnipotenti Domino gratias agendo, gaudens redeat. „ Ex quibus Caroli verbis satis elucet, quanam potissimùm ex ratione *Abbates Benedictinos* exhortatus fuerit, ut ne humaniorum literarum studia in postremis haberent curis; nempe, ut ii, queis præesse contigerit, ad exactam sacræ paginæ notitiam hac ratione pertingere valeant; Quod examussim assequi absque isto adminiculo, nemini datur, tum propter troporum, figurarúmve varietatem, tum etiam ob peculiares quasdam exprimendi methodos, quarum captus ex Rhetoricis pendet, ut fortassis ex Divi Augustini Libris de Doctrina Christiana ipse didicerat.

Carolus M. monachos eruditione præcipuos undique accersit,

CAROLUS verò has scripsisse literas non contentus, monachos eruditione præstantes undique evocavit, qui literas humaniores in monasteriis docerent. Ex quibus *Waldonem* Augiæ Majoris Magistrum ad D. Dionysii monasterium in agrum Parisiorum è Suevia docendi ergo translatum scribit Aventinus. Sed fallitur vir bonus. Non enim *Waldo* ad docendas literas, sed ad instaurandam disciplinam monasticam id temporis in Regia isthac Abbatia collapsam, accitus fuit. Minùs adhuc ferenda sunt, quæ *Christophorus Heumannus* in Via ad Historiam Literariam chartis illevit: *Illud etiam*, inquiens, *cognitu dignum, tantùm aliquam Latinarum literarum instaurationem Carolo M. deberi. Nam ipse, vel potiùs interpres ejus Alcuinus lib. II. de imaginibus cap. 7. ostendit suo ævo linguam Græcam ignotam fuisse Latinæ Ecclesiæ.* Hæc ille, nescio an ex imperitia historiæ, vel malevolentia erga Romanam Ecclesiam. Utra causa sit, pudendus error est, qui helluonem librorum, qualis *Heumannus* videri vult, meritò in ruborem dare possit. Neque enim ipsum fugere debuisset, quòd *Hadrianus* I. Rom. Pont. Carolo M. coævus Synodum Nicænam II. seu Septimam Generalem è Græco Latinè vertendam curaverit; quanquàm fatendum sit, interpretem provincia sua non usquequaque fuisse bene functum. Ejus enim inscitiâ factum, quòd Patres Francofurtensi in Synodo congregati cum CAROLO M. præsenti persuasum haberent, imaginum adorationem in Synodo Nicæna fuisse statutam, quod à vero longè remotum erat. Hæc si nescivit *Heumannus*, nescire certè non debuit, quæ *Eginhardus*, omnium præcipuus vitæ Carolinæ scriptor in literas retulit. Is igitur de *Carolo* fidem facit, quòd Latinam non minùs habuerit familiarem, quàm vernaculam, *Græcam quoque didicerit, & eloquentissimus evaserit. Erat eloquentia copiosus, & exuberans, poteratque quidquid vellet apertissimè exprimere: nec patrio tantùm sermone contentus, etiam peregrinis linguis ediscendis operam impendit: in quibus Latinam ita didicit, ut æquè illa ac patria lingua orare esset solitus. Græcam verò meliùs intelligere, quàm pronuntiare poterat.* Eginhardi verbis *Hedionis & Crantzii* accedunt testimonia. Prior enim * doctos viros è Græcia in Franciam venisse, atque à *Carolo M.* in Monasteria missos esse, ut *Græcam linguam* docerent Monachos: atque ita *Ægidium* in Galliis, *Apollonium* Ratisbonæ in Cœnobio S. Emmerami, *Virgilium* apud Salzburgenses

& Græcas quoque literas in Monasteriis doceri jubet;

* Hist. Eccl. Lib. vi. cap. IX.

ses sancti Petri Cœnobitas inclaruisse. Alter verò ex Privilegio Caroli M. * evincit, in Schola Osnabrugensi non Latinas solùm, sed Græcas etiam literas doctas fuisse. En Caroli verba! *Et ea de causa statuimus, quod in eodem loco Græcas & Latinas scholas in perpetuum manere ordinavimus, nec unquam Clericos utriusque linguæ gnaros deesse confidimus. Datum* XIII. *Calendas Januarii anno* IV. *Imperii nostri*, XXXVI. *regni nostri in Francia, atque* XXXVI. *in Italia. Actum Aquisgrani in Palatio.* Sed quidquid sit de hoc Privilegio, de cujus authentia inter eruditos disceptari non sum nescius, quâ veritatis specie asseritur, ævo Caroli M. linguam Græcam Romanæ Ecclesiæ fuisse ignotam, cùm is Imperator *Heitonem*, Augiæ Divitis Scholasticum & Abbatem, Græci sermonis apprimè peritum, à se verò Basileensi Ecclesiæ Episcopum datum, Constantinopolim ad Orientis Augustum gravibus de causis ablegârit? Româ in Angliam Pont. Maximus jam pridem *Theodorum* & *Adrianum*, illum Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopum, hunc Monasterii Cantuariensis Abbatem miserat, à quibus Pelasgæ linguæ cognitionem Monachi Benedictini perceperunt. Ex eorum discipulis sua ætate superfuisse scribit Venerabilis Beda **, *qui Latinam*, GRÆCAMQUE *linguam æquè ut propriam, in qua nati sunt, norunt.* Quid? quòd sub Familiæ Benedictinæ initia *Gordianus quidam, natione Romanus, literis Græcis apprimè eruditus ad Venerabilem Benedictum pervenit, séque ejus magisterio subdidit.* Sed ut res de *Gordiano* se habeat, quem ab eruditioribus pro larvato haberi scriptore non ignoro, complures alios *Petrus Diaconus* libro de Viris Illustribus Monasterii Casinensis enumerat, qui literas Græcas apprimè calluerunt, hodiéque callent. Cùm enim trium linguarum, Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ cognitio maximam utilitatem ad sacrarum literarum intelligentiam afferat, in antiquissimis Benedictinorum scholis præceptores & magistri fuerunt, qui in earum studio & exercitio adolescentes monachos instituerunt. *Heumanno* Opera *Dionysii Exigui*, *Martini Dumiensis*, seu Braccarensis, & *Flacci Albini* ob oculos constituamus. Primus rogatû Stephani, Salonitani Episcopi, *priscæ translationis confusione offensi*, Canones, qui dicuntur Apostolorum, de Græco transtulit. Alter ita se Græcis addixit, ait Gregorius Turonensis, *ut nulli secundus suis temporibus haberetur.* In postremi verò Operibus Græcæ linguæ vestigia haud infrequenter deprehenduntur. *Huic*, inquit Cl. *Gœbelius* Operum Hermanni Conringii scholiastes, *Gallia & Germania omnem suam eruditionem debet.*

Gordianus D. Benedicti discipulus literis Græcis eruditus.

Tametsi verò ALCUINUS fuerit Caroli M. præceptor, quem inter alia Rhetoricam docuit, virósque maximæ dignitatis in superioribus disciplinis habuerit discipulos, non dedignatus tamen est, quâ erat animi demissione, pueros Grammaticæ leges docere. Id quod in epistola ad Carolum M. de se ipse fatetur. „Ego, inquit, Flaccus „vester secundùm exhortationem, & „bonam voluntatem nostram aliis per „tecta S. Martini in ollâ Scripturarum „ministrare satago; alios vetere anti„quarum disciplinarum mero inebria„re studeo; alios Grammaticæ sub„tilitatis enutrire pomis incipiam; „quosdam stellarum ordine, ceu picto „cujuslibet magnæ domûs culmine il„luminare gestio, plurima plurimis „factus, ut plurimos ad profectum „sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad decorem „Imperialis regni vestri erudiam, ne „sit vana Dei omnipotentis in me gra„tia, nec vestræ bonitatis largitio in„anis. Sed ex parte desunt mihi ser„vulo vestro eruditionis scholasticæ „libelli, quos habui in patria per bo„nam & devotissimam magistri mei in„dustriam, vel etiam mei ipsius qua„lemcunque sudorem. Ideo hæc ve„stræ excellentiæ dico, ánne vestro „fortè placeat totius sapientiæ desi„derantissimo consilio, ut aliquos ex „pueris vestris remittam, qui excipi„ant inde nobis necessaria quæque, „& revehant in Franciam flores Bri„tanniæ, ut non tantùm sit in Eubo„rica hortus conclusus, sed in Turoni„ca emissus paradisi cum pomorum „fructibus.

Alcuinus Caroli M. præceptor

A minimis autem ad majora ut *Alcuinus* progrederetur, *Carolum* imprimis monuit, ut scribendi ratio, quæ per librariorum socordiam corruptissima erat, ad meliorem formam reduceretur, curaréntque scriptores amanuenses, ut commatum distinctiones antea neglectas observarent. Hortatoria eâ de re habetur Alcuini epistola XV. ad Carolum in hæc verba: *Punctorum*

à minimis ad majora progressus.

* Lib. I. Metrop. VII.
** Hist. Eccl. Gentis Angl. lib. 4. c. 2.

ctorum distinctiones & subdistinctiones, licèt ornatum faciant pulcherrimum in sententiis, tamen usus illarum propter rusticitatem pæne recessit à scriptoribus. Sed sicut totius sapientiæ decus & salutaris eruditionis ornatus per vestræ nobilitatis industriam renovari incipit: ita & horum usus in manibus scribentium redintegrandus esse optimè videtur. Deinde librum edidit de *septem liberalibus Artibus*; tum Dialogum *de Grammatica*, aliósque duos, interlocutore CAROLO, *de Rhetorica & Dialectica*: quibus varios tractatus, libros, & epistolas de rebus Moralibus ac Theologicis adjecit. Adeò ut duo tantùm restent studiorum genera, Legum scilicet, Jurisque scientiæ, ac Medicinæ, de quibus nulla extant ejus Autoris commenta.

Literarum studia instaurat.

Ut verò de politiori tantùm ejus literaturâ loquamur, non ipsius duntaxat instinctû *Carolus M.* ad instauranda in monasteriis literarum humaniorum studia excitatus fuit, sed ipsus etiam præter libros *de Grammaticâ & Rhetoricâ* editos varia condidit epigtammata *, Monachósque Eboracenses similiter ad pangendos versus animavit:

Talia námque placent vestro quia munera patri,
Qui nunc egregias regalibus insonat artes
Auribus, & patrum ducit per prata sequentem
Præpulcro Sophiæ regnantem stemmate celsæ.

Monachos à profanorum poetarum lectione cohibet.

Etsi verò *Alcuinus* sollicitè quæsierit, ut monachi non solutâ tantùm, sed vinctâ etiam ac ligatâ oratione uterentur, ab Authorum tamen profanorum maximè poetarum lectione illos abstinere voluit. Memotabile hujus rei exemplum ** in ejus vita habetur. Cùm enim à *Sigulfo*, qui Alcuini vice disciplinæ regulari in Monasterio Ferrariensi præerat, *Aldrico* nobilissimo juveni, non ita pridem monasticen professo, copia *Virgilii* clàm legendi facta fuisset, *Alcuinus* rem divinitùs agnovit, ac severè castigavit.

Quid de Virgilio sentiat.

Nasum hîc fortè *Virgilii* Encomiastes suspendent, quòd illius Poëtæ lectione juventuti interdicatur, qui deditâ tamen operâ hoc solum agit, ut ÆNEAM, *insignem pietate virum*, non tam laudibus celebret, quàm in omnigenæ exemplum virtutis proponat? Itane verò? Sed dicant, amabò! qui ita sentiunt, quod castimoniæ exemplum *Æneas* in antro cum Didone? quod pietatis exemplum *Æneas* mortuis humanas immolans victimas, ignémque cruore hominum, ceu oleo pascens? quod mansuetudinis exemplum *Æneas* Turnum, quô *justior alter nec pietate fuit, nec bello major & armis*, licèt supplices tendentem manus, licèt herbam victori porrigentem, imani sævitie ac crudelitate obtruncans? Hoc erat Ascanium exhortari: *Disce puer virtutem ex me, verúmque laborem?* Scilicet his exemplis mores corriguntur, virtus docetur, pietásque insinuatur? Et miretur quis, B. *Alcuinum* suum in monasterio Vicarium severis corripuisse verbis, quòd juveni monacho legendi Virgilii copiam fecerit? Omnino Superioribus opera est impendenda, ne juvenes monachi cum succo poëtico quidpiam obscœni, certissimam morum & animorum pestem imbibant. Cujus rei recens admodùm, sed injucundum habemus exemplum. Fuit, qui in Ordinis nostri cœnobio ab exactâ monasticæ disciplinæ observantia satis celebri vitæ religiosæ tyrocinium poneret. Nescio, quo casu factum, ut in ejus manus Romanensis fabula incideret: Aperuit, legit, ejúsque dulcedine suavitatéque captus, tanquam in infesto Sireni mari, in quô etiam Ulysses erravit, vitæ asceticæ naufragium fecit. Ex monasterio enim brevi pòst discessit. Quem suum verò discessum in literis ad ejusdem Ascetrii Abbatem datis postea deflevit, carmina & scripta amatoria execrando. Unde cura Superioribus habenda, ut ejuscemodi libri, vetetes præsertim Poëtæ lascivi nondum expurgati, ex Bibliothecis, si qui in eisdem habentur, non secùs ac carbones ignin ex veste quantocyùs excutiantur.

Exemplū de Romanensium lectione.

Libri obscœni à Bibliothecis removendi.

Quis æquo ferat animo in Bibliothecis monasticis asservari libros, quorum lectione juvenum animi corrumpi, atque eo nefario igne, quem faciliùs accendas, quàm extinguas, inflamari possunt? Cui bono id genus libri asservantur? an ut adolescentes in eo genere sermonis fiant eloquentes, in quo pisce pontico magis mutis per omnem esse vitam longè ipsis est præstabilius? Quid animi gratia legat, quod non tantùm non loqui, sed ne animo quidem cogitare ipsis concessum est? Sed redeo ad Alcuinum. Is in epistola ad Richbodum, qui ante Episcopatum Trevirensem monachus & discipulus ejus fuerat, illud obliquè castigavit, quòd se neglecto, totus sit in Virgilio: *Flaccus recessit, Virgilius accessit, & in locū magistri nidi-*

* Epigram. 99.
** Apud Mabill. Annal. Tom. 2. l. 27. p. 256.

nidificat Maro: & in fine. *Utinam Evangelia quatuor, non Æneidos duodecim libri pectus compleant tuum, & te avebat quadriga ad cæleste palatium.* Quô quid sapientius dici, aut inculcari potuit Episcopo, cujus præcipuum munus non prædicare Virgilium, sed JESUM & hunc Crucifixum.

Alcuini celebriores discipuli Haiminius, Milo,

Habuit *Alcuinus* complures alios discipulos, politioribus excultos literis; quos inter nominandus hoc loco venit *Haiminius*, Vedastinus Cœnobita; cui operam iterùm dedit *Milo* Elnonensis monachus; qui scholis pariter suo in monasterio apertis elegantiores docuit literas. Cùm verò non ignobilis, ut ea ferebant tempora, Poëta esset, librum primò *de sobrietate* composuit; tum *vitam S. Amandi*, Episcopi Trajectensis, carmine complexus fuit. Hanc magistro suo *Haiminio* nuncupavit. Is poëmate lecto, atque à styli suavitate commendato Monachos cohortatus est, ut satiùs velint ad simile studium provocari, quàm invidiæ facibus concremari. „*Novimus siquidem* (erant scribentis ad Milonem verba) *semper cives civibus invidere, & secundùm Salvatoris dictum*, neminem Prophetam, *sive, ut tu solitus es dicere*, nullum Poëtam acceptum esse in patria sua. *Sed quia parvulum occidit invidia, minor esse cognoscitur, qui invidet, quàm ille, cui invidetur.* „ Quæ Haiminii præclarè monita ad ipsum *Milonem* pertinuisse, videri possunt. Nec enim ab æmulatione & invidia, *quæ*, teste Ambrosio, *etiam Sanctos amburit*, penitus intactus fuisse videtur. Habebat nepotem,

Hucbaldus Elnonensis

Hucbaldum nomine, qui primùm Bertinianus, tum Elnonensis monachus fuisse dicitur. *Is sub patrui magisterio non pœnitendos in arte poëtica progressus fecit*: atque *ut ingenii* * *sui caperet experimentum, composuit de S. Andrea modulamen Antiphonarum*: sed & quarundam Laudum, habentium, *Quæ verè pia laus*, initium: *Quod ubi didascaleus vix tandem agnovit, graviter tulit, atque ei scholarum aditum denegavit, conquerens, eum velle super se nomen usurpare philosophi.* „ Hoc quid erat aliud, quàm indignè ferre, quòd discipulus doctrina singulari ac mentis acie in sublime se efferens, magistri officeret fenestris, ac si ipsi magistro propterea altiùs adhuc tollendi jus à discipulo ademptum fuisset? „Et „ quia locus tunc temporis carebat „ Abbate: accedens ad Priorem, ni„ miæ discipulum insimulat arrogantiæ: „ protestatusque est, se & illum ne„ quaquam posse in eodem habitacu„ lo degere. Ille accersens *Hucbaldum*, „ rogavit majori cedere, donec miti„ gata ejus animositate, quæ tunc re„ ceos servebat, ad locum repedaret „ proprium cum pace. Cujus acqui„ escens consilio, urbem expetiit Ni„ vernensem. „ Ubi rogatu *Hermanni* Episcopi *vitam S. Cilinæ* matris S. Remigii Episcopi Remensis literis mandavit. Præmii loco corpus S. Cyrici Martyris à Præsule petiit, atque eo connivente, ad Elnonense traostulit monasterium. Quâ re à S. Martyre gratiam iniisse ex eo intelligi potest, quòd eum aspectabilem habens Officium S. Petri Apostolorum Principis componere jussus fuit. Quo ad finem perducto, ab eodem S. Martyre brevi se moriturum intellexit; id quod anno 930. factum est; cùm *Milo* ejus præceptor jam anno 871. vitam cum morte commutâsset. Atque hæc erant fata duorum Poëtarum, quos una capere haud potuit religiosa domus, quanquàm post illud dissidium brevi in gratiam redierint.

varia conscribit opuscula.

Non parùm etiam SMARAGDUS, Abbas monasterii S. Michaëlis in Diocesi Virdunensi ad reparandas literas humaniores sub hæc ferè tempora contulit, *commentariis in Donatum & Rhetoricorum libros conscriptis*, quos scholaribus, qui ejus monasterium magna celebrabant frequentia, indubiè prælegit. Sunt verò, qui Abbatem *Smaragdum* distinguendum negent ab alio *Smaragdo* cognomento *Ardone*, discipulo S. Benedicti Anianæ Abbatis, cujus temporibus in Galliæ monasteria adeò crassa irrepsisse dicitur ignorantia, ut Monachi vix prima Latinæ linguæ elementa callerent. Cui malo ut mederetur S. Abbas, *Librorum multitudinem* congessit, magistros constituit, humaniorum literarum studia instauravit; *docuit lectores, habuit Grammaticos, & scientia scripturarum peritos* Smaragdus verò ejus discipulus κατ' ἐξοχὴν appellatus fuit, quòd apprimè esset eruditus, & alios doctrinâ instrueret.

Smaragdus Abbas S. Michaelis Virdunensis literas provehit.

Mos erat, ut Trithemius in Chronico Hirsaugiensi nos docet, in Fuldensi cœnobio his temporibus seculo *nonno, monachos non solùm in Scripturis* *Jan-*

Sec. IX. usus docendi in monasteriis.

* Philipp. Abbas Bonæ Spei in Historia Translationis S. Cyrici M. ad Elnonense Monasterium.

sanctis instituere, sed etiam in omni secularis scientiæ literatura ad plenum erudire; probè enim judicabant sapientissimi viri, divinas Scripturas neminem posse intelligere, quem literas secularis doctrinæ contigisset ignorare. Hinc *Rabanus*, mox ut anno XXV. ætatis suæ scholæ Fuldensi præfectus fuit, docendique munus subivit, per omnia curavit *Albinum* sequi & imitari magistrum, ut juniores videlicet monachos primùm doceret in Grammaticis, & cùm apti viderentur ad majora, gravioribus etiam informarentur institutis. - - - Omnes verò, quos in auditorium suum docendos admisit, non solùm prosâ, sed etiam carmine, quidquid occurrisset, scribere informavit. Eundem Trithemium in vita *S. Rabani* ulteriùs audire si placet, primus is fuit, qui ex indigenis Germanos suos populares linguas Græcam & Latinam docuit. „ *Meritò*, inquit, *Germanorum posteritas omnis* HRABANI *laudes in perpetuum personabit, qui primus omnium veteri barbarie pulsa, suam fecit nationem sermone Latinam.* Primus enim „ omnium sub fide Christi Germanos & „ Græcam resonare linguam docuit & „ Latinam. Nullus ante illum apud „ Germanos vel natus vel institutus „ Græci sermonis notitiam habens, „ tot volumina tam eleganter, tam „ propriè, támque concinnè atque „ Latinè uspiam conscripsit. Si qui „ verò apud Germanos in regno Fran„ corum ante ipsum docti fuerunt, non „ indigenæ, sed Græci, Romani, Gal„ li, Scoti, Britanni, seu advenæ ali„ unde venientes extiterunt. Beatis„ simus autem Christianæ fidei Doctor „ insignis *HRabanus* unicus & primus „ Germanorum institutionum Princeps „ & Magister disciplinæ, qui nullum „ ante se in sua habuit natione præce„ dentem scientiæ consummatæ docto„ rem, divino, haud dubium, succen„ sus instinctu, quod domi habere non „ potuit, apud *Alcuinum* in Gallia lau„ dabiliter quæsivit, invenit, didicit, „ & Germanis sine invidia reportavit, „ priscámque de patria barbariem fu„ gavit. *Gentem suam gemino decoravit ornatu, quâ & moribus ad sanctitatem politiorem reddidit, & infusâ sermonis Romani elegantiâ in omnem scientiæ plenitudinem introduxit.* Ex ejus discipulis, qui & multi & insignes fuerunt, tres tantùm literarum elegantiorum cultu conspicuos nominabo, *Walafridum Strabonem*, *Otfridum* Weissenburgensem, & *Lupum* Ferrariensem.

Rabani in Germanos merita.

Ejus discipuli

Strabo, Otfridus &c.

Prior viros ejus temporis primarios sibi conciliavit, atque adeò à Regibus, quos versibus celebravit, non postremam iniit gratiam. Ejus poëmata Henricus Canisius publicam in lucem emisit, in quibus quô amore mansuetiores Musas complectatur, non obscurè prodit, ita ad Agobardum scribens:

> *Nam fateor, si certa mihi nunc optio detur,*
> *Ut capiam mundi dona, vel ingenium,*
> *Otia liberiùs verum secura sciendi*
> *Aurea quàm facta, sed peritura sequar.*

Walafridi discipulus fuit *Ermenricus*, Augiensis scholæ Magister, à copia & facultate dicendi minimè destitutus, ut ex fragmentis libri *de Grammatica* docemur, quem in gratiam scholarium Augiensium ita composuit, ut in Opere scholastico nulla desit humanitas. Aliud Opus scholasticum, *Synonima*, iisdem ferè temporibus, ad usum suorum scholarium improbo labore ac studio composuit *Kerardus*, scholæ itidem Augiensis magister. Et verò vix aliam Familiæ Benedictinæ scholam priscis temporibus invenio, in qua major opera in condendis scribendisque carminibus fuerit collocata. Tanti res Poëtica, maximè sacra, apud Augienses olim fiebat.

Ermenricus Augiensis &c.

OTFRIDUS Weissenburgensis monachus imortali beneficio Germaniam sibi devinxit *inventione Germanicæ Orthographiæ.* Eum Marcus Velserus in Boicis * attestatur, Germaniæ sermonem eâ ætate perdifficilem, omnium primum literis tractare aggressum. Unde à Joanne Bollando ** *Germanicæ Orthographiæ præcipuus inventor* vocatur.

Othfridus.

Posteriorem verò, LUPUM nempe, Abbatem Ferrariensem politiori literaturæ maxime addictum fuisse, testes sunt variæ ejus epistolæ, in quibus ad quæstiones grammaticales respondet, ac libros ejus argumenti sibi commodari petit, vel exscribendos, vel cum aliis conferendos. Id quod ei nemo unquam vitio vertit, nisi sub finem seculi proximè elapsi *** *Abbas de la Trappe.* „ Hunc Abbatem, LUPUM „ *Ferrariensem*, inquit ille, literarum „ amor, fateor, summoperè commen„ dabat, ejúsque epistolæ adhuc te„ stantur, quàm impensè acquirendis „ pro-

Lupus Ferrariensis, ab Abbate de Trappa notatus

* Boic. rer. lib. 2. apud Browver. Fuld. Antiq. lib. 1. c. 58.
** in vit. B. Rabani Mauri 4. Febr. p. 505.
*** in Responf. ad Mabill. Tract. de Stud. Monast. cap. xi. pag. mihi 60.

„ prophanis scientiis studuerit. Rogat alicubi Pontificem *Benedictum III.* „ ut *Tullium de Oratore* ad se mittat: „ nempe istâ à Pontifice monachus petit! An ita se ille exercere cupiebat, „ ut Declamator fieret? Sed ab eo etiam petit duodecim Quintiliani libros, & Donati Commentarium in „ Terentium. Quantàvis iste monachus celebritate inclaruerit, magno „ sanè otio abundabat, ut tempus in „ hisce studiis insumeret. Nónne verò satiùs facturus fuisset, si in claustri „ recessu propria & mundi peccata flevisset, ac suos ferreo illo seculo consolidâsset, & indita cordis confidentia opportunè solatus esset? A Reginberto Sallustii de Bello Catilinario, & „ de Jugurthino Historias; ab Abbate „ Marcuardo Suetonii de vita Cæsarum Commentarios postulat. Colligitur ex Epistola 69. missas ad illum „ fuisse Epistolas Ciceronis, quas cum „ quodam exemplari, quod habebat „ præ manibus, conferre statuerat. „ Epistola 34. nihil aliud ferè continet præter dissertationem grammaticam circa quasdam difficultates, quas „ misselli quique humanarum literarum tyrones facillimè extricare valeant; Quintæ quoque ac sextæ simile est argumentum. Alibi ab Osmaro Turonensi Archiepiscopo Boëtii Comentarium in Ciceronis Topica enixè flagitat. Adalgardo gratias „ agit, quòd uni suorum Fratrum Macrobii correctioni operam dare permiserit; cum eo disputat de Ciceronis „ Tusculanis, ac de nonnullis literularum quæstionibus. In epistola quinta Eginardo se excusat, quòd Aulum „ Gellium illi non miserit. „ Hæc Abbas de Trappa.

à Mabillonio vindicatur. Quàm longè autem à veritate abludat species, sub qua *Lupum* ob oculos ponit, pluribus ostendit Mabillonius *, in cujus sententiam viri quique doctissimi concesserunt. Neque enim *Lupus* ita humanioribus literis se totum tradiderat, ut vel negligens, vel expers esset Theologicæ doctrinæ. Sanè quantùm in illa exercitatus esset, satis superq; Opuscula demonstrant, quæ de prædestinatione in causa Gothescalci scripsit, eò sanè modo, ut nullus Scriptorum ejus temporis hoc de argumento vel solidiùs vel elegantiùs egerit. Si verò de colligendis prophanis auctoribus, qui in sua Bibliotheca desiderabantur, adeò fuit sollicitus, déque hac re ad Pontificem, ad Episcopos, & alios spectabiles viros scripsit; id quidem argumento est, studiorum usum in ejus monasterio viguisse, quem neque Pontifices, neque civiles Potestates improbârint; minimè verò illum otio abundâsse, ut tempus in hisce studiis impenderet. Sed reverà hinc apparet, quàm illi curæ esset, ut Monachi erudiendis juvenibus occupati, puros & melioris notæ Scriptores illis traderent; id verò non impediebat, quò minùs pro *religione sanctitatis* ipse tanquam excellens Præsul haberetur, ac ejus cœnobium ex duobus & septuaginta Monachis conflatum maximâ celebritate & veneratione apud omnes, teste *Hildegario* Meldensi Episcopo ejus contemporaneo: *Pastor modò pro religione sanctitatis in Monasterio famosissimo Ferrariensi, ubi cœtus monachorum in Christo cum illo toto orbe est venerandus.*

De bonæ vitæ studio inculcando sollicitus. De inculcando tum bonæ vitæ, tum scientiæ studio quàm sollicitus fuerit *Lupus*, testatur ipse in epistola 35. ad Ebrardum monachum propinquum suum: *Reviviscentem in his nostris regionibus sapientiam quosdam studiosè colere pergratum habeo: sed hinc haudquaquam mediocriter moveor, quòd quidam nostrûm partem illius appetentes insolenter partem repudiant. - - - Etenim plerique ex ea cultum sermonis quærimus, & paucos admodùm reperias, qui ex ea morum probitatem (quod longè conducibilius est) proponant addiscere. Sic linguæ vitia reformamus, & purgare contendimus: vitæ verò delicta parvipendimus & augemus.*

Ejus discipulus Hericus. *Lupi* discipulus inter alios fuit HERICUS, Monachus Antissiodorensis, qui monasterii sui scholæ præfectus, Lotharii, Caroli Calvi Regis Galliarum filii præceptor esse meruit. Hunc literas Græcas perinde ac Latinas calluisse ac tradidisse docent ejus Opera, quæ supersunt; ea enim Græcis hinc vocabulis, inde locutionibus non rarò inspergit, ut Launoius ** advertit.

Probus Sant-Albanensis. Iisdem temporibus PROBUS S. Albani apud Moguntiam monachus docendis literis humanioribus non infimam sibi gloriam ac decus comparaverat; cujus eruditio à *Lupo* Ferrariensi tanti fiebat, ut epistola 34. admirationi sibi esse dicat, *non tam eum aliquid edidisse, quàm non omnibus jam scribendi materiam abstulisse.* Aliâ in epistola

* Tract. de Stud. Mon. vol. 2. art. XIV. p. mihi 68.
** de Schol. celebr. c. XIV.

epistola (scilicet 20.) ad *Altuinum* monachum scripta, pænè eidem succensset, quòd certiorem se non reddidisset, *quid Probus noster exerceat? scilicet utrùm in sylva Germaniæ disciplinas liberales, ut seriò dicere solitus erat, ordine currat: an certè inchoatam satyram struens, Ciceronem & Virgilium, cæterósque opinione ejus probatissimos viros in electorum collegium admittat: ne frustrà Dominus sanguinem fuderit, & inferno otium triverit.* Ita Lupus Probo delicias facit, vel potiùs per jocum illudit, quòd eam de Cicerone, Virgilio, Seneca, aliísque profani ordinis authoribus sententiam imbiberit, ac si quantum ingenio & doctrina, tantum etiam vitæ probitate præstiterint; digni profectò, quos ipse in cœlitum referret album.

Non cuilibet Monacho fas erat legere libros Gentiliū. Neque tamen omnibus promiscuè monachis licitum erat, libros legere Gentilium Poëtarum, aut Philosophorum, sed iis tantùm, quibus id ab Abbate præcipiebatur, sicut doctissimus noster *Martene* in Commentario in caput IV. Regulæ S. Benedicti observat, ubi hæc scribit: *Procul ergo à nostris Gentilium libri, procul Poëtarum, aut Philosophorum fallaciæ ---- nisi fortè ad eorum ineptias confutandas, & ad mysteria nostræ fidei confirmanda. Sed hæc omnium non sunt, sed Doctorum duntaxat, & eorum quidem non etiam omnium, sed quibus id ab Abbate præcipitur.* Quapropter ex mente ac sententia doctissimi Gravesonii facilè componi ac conciliari potest literaria illa concertatio, quam circa *Studia Monastica* seculo proximè elapso habuerunt duo præstantissimi Viri, vel potiùs duo magna Monastici Ordinis luminaria, regularísque culmina disciplinæ, Domi-

Ea de re concertatio Abbatis Trappensis cum Mabillonio. nus *de Rancè*, Abbas Trappensis, & *Joannes Mabillonius* Benedictinus Congregationis S. Mauri. Nec enim clarissimus juxtà ac religiosissimus Abbas eo fine studia Monastica impugnat, ut lectionem Scripturæ sacræ, sanctorum Patrum, & Scriptorum Asceticorum monachis omninò interdictam esse velit, sed id duntaxat ostendendum sibi proponit, non omnes monachos prophanarum literarum, peregrinarum linguarum, mathematicarum disciplinarum, Numismatum, Inscriptionum, aliarum id genus humanarum Artium atque scientiarum notitiâ indiscriminatim imbui debere. Quod sanè verissimum est, quia ut plurimùm hujusmodi prophanæ disciplinæ sanctiorem disciplinam cum pietate enervant, superbiam ingenerant, neglectum vitæ monasticæ officiorum, & nimium affectum rerum mundanarum, quibus monachi nuntium penitus remittere debent. *Mabillonius* verò dum *Studia Monastica* vindicat, non omnes disciplinas monachis necessarias esse contendit, longè minùs asserit, monachos omnes neglectis monasticæ vitæ officiis, majoribus, altioribúsque studiis vacare debere, sed solùm studia literarum, ea maximè, quæ Viros Ecclesiasticos decent, monachis permittit, ita tamen, ut majora aut minora pro cujusque captu & judicio Superiorum modestè & cum charitate suscipiant. *Si igitur* (verba sunt Mabillonii in ea, quam Operi de Studiis Monasticis præfixit, & junioribus Benedictinis Congregationis S. Mauri inscripsit epistolâ) *quas studio ac labore comparatis divinarum humanarúmque rerum notitiæ hunc in vobis fructum* (videlicet divinarum perfectionum notitiam, & mundanæ gloriæ contemptum) *non referant; studiis nuntium penitus remittere, quàm mortifero scientiarum veneno infici, aut quem incautis plerumque pariunt, superbiæ tumore inflari longè satius est.* In eundem igitur scopum circa studia monastica collimârunt duo illi præstantissimi Viri, quamvis, necdum satis benè perspecto quæstionis statu, discrepare videantur in libris, quos ultrò citróque ediderunt, non verborum asperitate (*certè quidem ex parte Mabillonii*) non dicteriis, non felle, jocísque, ut plurimùm fieri solet, respersos, sed mirâ eruditione, nec minori modestia, insolenti animi moderatione, & humanitate ubique conditos, eáque charitate perfusos, quæ tantoperè in Evangelio commendatur, virósque decet maximè religiosos.

Seculo X. *Dunstanus* & *Æthelwoldus*, sancti in Anglia Episcopi, monasticam resuscitare disciplinam cupientes, sopitas etiam in monasteriis scientias eâ de causâ resuscitare studuerunt: nam, ut testatur *Ælfricus* apud Spelmannum, *usque adeò literarum studium in Anglia defecerat, ut Sacerdos nullus Anglicus epistolam nosset vel Latinè edere, vel è Latinis interpretari, usque dum Archiepiscopus Cantuariæ Dunstanus, & Episcopus Wintoniæ Æthelwoldus hanc in monasteriis resuscitarent.* Seculo X. Dunstanus & Æthelwoldus Studia excitant. Etsi verò in gurgite vasto pauci nantes apparuerint, non tamen nulli fuerunt. Certè *Fridegodus* Anglus Benedictinus, ordine Diaconus, vir fuit *Græcè doc-* Fridegodus Græcè doctꝰ.

ctus, quod rarum fuit iis temporibus, teste Wilhelmo Malmesburiensi. Hic carmine complexus fuit *vitam S. Wilfridi* Eboracensis Archiepiscopi, idque fecit postulato Odonis Archiepiscopi Cantuariensis: nam cùm ille anno 956. hujus corpus Cantuariam transtulisset, à Fridegodo petiit, ut aliquid de illius laudibus commemoraret. De stylo tamen ejus hæc notat Malmesburiensis * lib. 1. de Gestis Anglorum Pontificum pag. 114. *Scripsit versibus non ita improbandis, nisi quòd Latinitatem perosus, Græcitatem amet, Græcula verba frequentet: ut meritò dictis ejus aptetur illud Plautinum:* HÆC QUIDEM PRÆTER SYBILLAM LEGET NEMO. Idem Wilhelmus Malmesbur. de ÆLFRICO seu *Alfrico*, cognomento *Grammatico*, & quidem Malmesburiensi Abbate fert testimonium, virum fuisse doctrinæ singularis. Ex *Guillielmi* verò *Cavei* sententia: *Vir certè erat Ælfricus noster supra communem seculi sui fortem in Theologicis; præsertim verò in Grammaticis* (GRAMMATICUS inde dictus) *eruditus: tantam exinde apud populares suos famam adeptus; ut sermones ab eo scripti, vel Saxonicè versi in Ecclesia publicè legi juberentur: atque ex ipsius epistolis non pauca in Synodicon Ecclesiæ Anglicanæ vetustum cooptarentur.*

Ælfricus Grammaticus.

RATHERIUS ** ex Laubiensi Monacho Veronensis Episcopus, anno hujus seculi tricesimo tertio solum vertere coactus fuit. Dum autem Cumis exsularet, libellum vitæ S. Ursmari Laubiensis Abbatis primi ibi reperit, sed stylo adeò barbaro & mendoso scriptum ab *Ausone* Abbate, quin imò solœcismis scatentem, ut eum expoliendum, & expolitum suis Laubiensibus pro antiquâ necessitudine inscribendum ac mittendum censuerit. Ex Cumis verò *Ratherius* translatus est in Provinciam Galliæ, ubi filium cujusdam viri ditissimi nomine *Rostagnum*, fortè qui postmodùm Arelatensis Episcopus fuit, literis imbuendum, rogatus accepit: ad quem librum *de Arte Grammaticâ* conscripsit, quem librum gentilitio loquendi more *Spera dorsum* vocavit pro eo, quòd qui scholis assuesceret puerulus, dorsum à flagris servare posset. Hujus eruditionis causâ *Ratherio* episcopatus in ista provincia concessus est.

Ratherius Laubiensis.

Paulò aliter, non infeliciùs tamen *S. Adalbertus*, Pragensis Episcopus, dum à parvo puero literis humanioribus Magdeburgi apud Benedictinos operam navaret, dorsum à flagris servavit. *Si enim fortè magister amoveret pedem, ut est proprium vagis puerorum animis, aliquando pereunte ludo totum consumpserat diem, cùmque perlectâ lectione nec verbum saperet, & bene iratus magister flagellare inchoâsset,* Dimitte me, *inquit*, legam. *Et Dimissus ut rem notam optimè legit. Dicunt etiam tribus linguis* (Bohemica, Germanica & Latina) *pro unâ locutum, Domine mi! magistro clamâsse, cùm scopæ tergum verrunt, & ferventia flagella dolentem carnem frangunt. Auditoribus enim tunc usus erat, Latialiter fari, nec ausus est quisquam eorum magistro linguâ barbarâ loqui.* Quæ Latinè loquendi consuetudo non in Magdeburgensi tantùm, sed Fuldensi, Sangallensi, Augiensi, aliisque antiquis Benedictinorum scholis olim obtinuit, hodiéque in non paucis monasteriis, ubi Latinæ linguæ elementa traduntur, obtinet; cùm comparandi Latini sermonis haud certius compendium sit, atque si ejusdem usus habeatur; modò ille verè Latini, non horridi, impexi ac barbari sermonis usus sit. Videmus enim non parùm sæpe juvenes non difficulter loqui, sed insulsè, barbarè, vitiosè, non Latinè. Unde magistris cura est adhibenda, ut discipuli non Latinâ modò linguâ utantur, sed eâdem peritè ac scienter utantur.

S. Adelbertus Pragensis.

Latinè loquendi usus in Scholis Benedict.

In Vitâ S. Odonis Abbatis Cluniacensis legimus, quòd à primis annis literas, quæ ab humanitate nomen ferunt, studiosè amplexus sit. *Virgilium* verò Poëtam aliquando dum parat legere nondum monachus, somno oppressus, vidit quasi vas insigne, sed serpentibus plenum, sibi sitienti offerri; quô visu perterritus imposterùm sacris literis se totum dedit. Subinde monasterium Balmense ingressus fuit, in quo post nuncupata religiosa vota à S. Bernone Abbate continuò adolescentes humanioribus imbuere literis jussus est, eò quòd illarum præ cæteris haberetur peritus.

Aliud exemplum de cavenda monachis *Virgilii* lectione suppeditat nobis S. Hugonis Abbatis etiam Cluniacensis vita. *Quadam enim nocte, dum ðio fatigatis artubus modico sopore vir Dei consuleret, videre visus est decubantium sub capite suo serpentium multitudinem, cæte-*

Cavenda Monachis lectio Virgilii.

* Hist. Lit. Sec. X. ad an. 971. pag. 586.
** Author vitæ apud Boll. 23. April. pag. 188.

cæteráque diversi generis reptilia, quibus ille perturbatus somnum continuare non poterat. Dehinc amotò pulvinari, librum Maronis reperit, eóque projecto, somnum duxit tranquillum, APTA REI VISIO, subjicit *Hildebertus* vitæ scriptor, non tam dignitate Episcopali, quàm eruditione & doctrinâ conspicuus, CUM NIHIL ALIUD, QUAM QUÆDAM VENENA SINT FABULÆ POETARUM *. Si hoc verò de Poëtarum gentilium castissimo Virgilio (quem *Virgineum* appellant nonnulli, sicut luscus inter cœcos rex dici posset) quid de illis dicturi sumus, qui non nisi furtivos amores, raptus, & adulteria decantant?

Gerberti in bonis artibus eruditio. Quantùm *Sylvester* Papa II. *Gerbertus* antea dictus, ac *Roberti* Gallia-rum Regis, ejúsque filii Hugonis præceptor, bonas artes callnerit, indicio sunt epistolæ ipsius, tum epigramma elegantissimum in *Severini Boëtii* imaginem, quod habetur apud Baronium Appendice Tom. VII. Ecclesiasticorum Annalium pag. 4. Ejus temporibus more receptum erat, ut non veteres modò authores, sed & recentiores quoque, qui opus aliquod edidissent eximium, in scholis prælegerentur **. Inprimis id certum est de Rhetoribus, qui ut & hodie ad majorem explanationem artis compositos ingenio & marte suo de illa arte tractatus tradebant. Id de se fatetur Gerbertus Ep. 92. ad Bernardum Monachum: „Interdum nobilissimis Scholasticis „disciplinarum liberalium suaves fru-„ctus ad vescendum offero: quorum „ob amorem etiam exacto autumno „quandam figuram edidi artis Rhe-„toricæ depositam in sex & viginti „membranis sibi invicem connexis & „concatenatis: opus sanè expertibus „mirabile, studiosis utile, ad res Rhe-„torū fugaces & caliginosissimas com-„prehendendas, atque in animo col-„locandas.

Monachi in Germaniâ liberalibus disciplinis illustriores. In Germania complures monachi in studiis humanitatis tanquam in mercaturâ liberalium artium versati fuerunt. *Helpericus* Grandivallensis in superiori Alsatia monachus adolescentes monachos in arte Gramatica cum laude instituit. Coloniæ Agrippinæ in monasterio S. Pantaleonis *Rogerus* Monachus Vitâ S. Brunonis Coloniensis Archiepiscopi, ac fratris Ottonis M. Imperatoris in literas retulit, scribendi genere usus, quod oppidò nitidum, eloquens ac disertum est. Nec etiam *Notkero* ex San-Gallensi monacho Leodiensi Episcopo humaniores literæ defuerunt, quibus & ipse pueros instituit, & vitam S. Remacli concinnavit. In Boica apud Tegernseenses extitisse seculo X. circa annum 983. scholam, in qua juventus etiam secularis literarum politiorum studia capesseret, ex *Gozperti* Abbatis, qui per ea tempora incly-to illi Cœnobio præfuit, epistola docemur. Is enim pueros, quos discendi causâ Comes *Arnoldus* eò ablegârat, ad eum eruditionis ac doctrinæ suæ specimina daturos remisit. Epistola cùm brevis sit, sine fastidio Lectoris hîc commodùm afferri posse videtur: *Dignissimo Comiti Arnoldo, gloria multimodarum virtutum ubique diffamato, Abbas Gozpertus fratrúmque sibi subjectorum Conventus, sedulitatem precaminum & salutem in Domino. Vestræ deliberationi dimittimus illos pueros probandos, si illud opus adhuc ita sint edocti, uti vobis est honorificum, nobísque necessarium; vel si aliquid eis deesse inveniam, liceat eos remittere vobis causa meliorationis. Valete.* Quem verò magistrum hi pueri habuerint, me oppidò fugit. Forsan magistri provincia *Froumondo* monacho imposita fuerat. Hunc enim politioris literaturæ studiosum extitisse, ejus epistolæ produnt, in quibus *Statium, Juvenalem, Persium, Ciceronem*, aliósque auctores ligata & soluta Latinitate insignes, ab amicis petit describendos. *Loquendi enim ac scribendi elegantia*, ut Marcus Tullius ait, *legendis Oratoribus & Poëtis summoperè augetur.* *Gozberti Abbatis Tegernseensis epistola.*

Seculo XI. Lambertus Schaffnaburgensis Scriptor perelegans. Ad facultatem tamen Latinè scribendi longè majorem pervenit seculo XI. Lambertus Schaffnaburgensis; *nemo enim politiùs res Germanas*, teste Barthio, *** *literis commisit*; miratúrque Scaliger, in seculo tam squallido tantam in Monacho latinitatis puritatem, elegantiæ florem, dictionis ubertatem & venustatem fuisse. Christophorus Heumannus **** non tantùm *Lambertum* Schaffnaburgensem (quod meritò facit) sed ROSWITHAM etiam Gandersheimensem hujus seculi Monialem (quo jure viderit) *miræ scriptores elegantiæ* vocat, neque ipsi videtur seculum undecimum procreare eos potuisse *Roswitha Gandershelmensis.*

 tuisse

* Confer Ant. Possevin. Bibl. Select. Tom. 2. lib. 17. c. 23. ubi quàm nociva res sit, Æneidos libros nullo discrimine à juvenibus legi, pluribus ostendit.
** Bulæus in Hist. Univers. Paris. pag 915.
*** Adveriar. 49. c. 4.
**** Hist. Lit. cap. 4. §. 32. pag. 99.

tuisse, nisi fuissent alii, quorum vel institutione vel æmulatione, vel hortatu tam longè fuissent provecti in literarum curriculo. Et verò non desunt, quos in scenam producere possumus. In Monasterio Hirsaugiensi

Peregrinus, PEREGRINUS beati *Wilhelmi* discipulus, Rhetor & Poëta nulli priscorum inferior, si Trithemio * fidem non denegamus, scripsit metro & prosa clarissima quædam Opuscula.

Rainaldus, RAINALDUS, seu *Raynaudus* ** monasterii S. Cypriani in Diœcesi Pictaviensi Abbas, à B. Lanfranco & S. Anselmo ob doctrinæ & eruditionis præstantiam magni habitus, non superioribus tantùm, sed politioribus etiam literis erat apprimè eruditus, tantâ sapientiâ præditus, ut in Conciliis publicis causarum perorator esset elegantissimus. Cujus rei gratiâ in Romana etiam Curia bene notus & exceptus erat, & in Aquitania famosus habebatur.

Constantinus. Apud Luxovienses CONSTANTINUS monachus, disertus Rhetor, disciplinas tradidit humanitatis.

Angelramus, Quod idem ANGELRAMNUS in Centulensi præstitit Monasterio, cui multi nobiles se bonis artibus erudiendos commiserunt; ex quibus duo fuêre præcipui, GUIDO scilicet Ambianensis Ecclesiæ tum Archidiaconus, postea Præsul, & *Drogo*

Guido, Tarvensis. *Guidonem* in Poësi magnos fecisse progressus, inde liquet, quod de expeditione Guillelmi Conquestoris in Angliam, librum nondum editum composuisse Willelmus Gemmeticensis, & Ordericus Vitalis testentur.

Anastasius, ANASTASIUM Monachum Cluniacensem, Latinè & Græcè doctum laudat Robertus de Tumbalenia, Monasterii S. Victoris juxta muros urbis Bajocensis Abbas, in prologo ad Comentarium super Cantica Canticorum, cui manum ejus potissimùm rogatû se admovisse dicit. Florentiæ in Monasterio S. Mariæ floruisse cùm Græcas tum Latinas disciplinas, argumento sunt copiosi hoc seculo manuscripti in utraque lingua codices, quos magno ibi numero asservari *Montfauconius* in Catalogo ostendit.

Guibertus Flaviacensis. Jam medium effluxerat feculum undecimum, cùm in lucem editus est apud Clarum montem, Bellovacorum oppidum GUIBERTUS, *** Flaviaci futurus Monachus, & præcipuum ornamentum, ac demum Abbas Novigenti in diœcesi Laudunensi. Cùm aliquot annos natus esset, ad prima literarum elementa discenda scholæ traditus fuit ipso die festo sancti Gregorii Papæ, quem singulari devotione colebat mater. Vix primos apices attigerat, cùm Grammaticæ addiscendæ adhibitus est sub disciplinâ unius ex illis Clericis, qui matri sub *capellanorum nomine* divina celebrare consueverant. Puerum optimis moribus imbuit magister aliquanto severior, erga eum aliàs optimè affectus, qui illum à puerilibus nugis & ludis adeò revocare curabat, ut dominicis etiam festisq; sanctorum diebus ab scholari exercitio vacare non sineret, sic uni erudiendo addictus, ut aliû, qoem doceret, admittere non permitteretur. Quod malè ad literarum studia successisse, ait *Guibertus*, tum propter magistri imperitiam, qui scriptionis ac poëseos expers erat; tum maximè ob nimiam illam ejus severitatem. *Quò enim præter modum*, inquit ille, *non dico puerorum, verùm omnis hominum natura meditationis assiduitate distenditur, eò ampliùs hebetatur, & tepescit.* Erat igitur magistro illi erga Guibertum *sævus amor*: quem cùm aliquando atrociùs virgis cecidisset in schola, quæ domûs paternæ triclinium erat, percontata vesperi mater de more, an eo die vapulâsset; neganti *Guiberto* subuculam, quam camisiam vocamus, detraxit, & *liventes ulnulas* (quod notandum) *& ex viminum illisione cutem ubique prominulam deprehendit.* Quæ res ita eam offendit, ut *Guibertum* à scholis retrahere, & *Equitem* facere tunc decreverit. Verùm hanc conditionem respuit ingenuus puer, quod genitrici non minùs, quàm magistrò placuit.

Grammaticorum apud Gallos inopia. Paulò ante verò id temporis, quo Guibertus nondum ephebis excesserat, in Gallia *tanta Grammaticorum caritas erat, ut in oppidis pene nullus, in urbibus vix aliquis reperiri potuisset, & quos inveniri contigerat, eorum scientia tenuis erat, nec etiam moderni temporis Clericulis vagantibus comparari poterat.* Multùm igitur præstitit B. *Lanfrancus* noster, cujus operâ factum, ut ea infrequentia, seu potiùs penuria fuerit sublata. *Fuit vir magnus Italiâ ortus*, inquit Milo Crispinus in ejus vita cap. 1. *quem Latinitas in antiquum scientiæ statum ab eo restituta supremum debito cum amore & honore agnoscit magistrum, nomine Lanfrancum &c. Et pertransiens Franciam plures magni nominis Scholares secum habens,*

* Lib. 2. de Vir. Illustr. O. S. B. cap 93.
** Dion. Sammarth. Gall. Chr. Tom. 2. p. 1235
*** Ex Mabill. Annal. Ben. Tom IV. p. 540.

bens, *in Normanniam pervenit*, *& in Abrincatensi civitate demoratus per aliquod tempus docuit.* Itémque cap. IV. *Lanfrancus quoque licentiâ Abbatis sui iterum scholas tenuit.* In Beccensi videlicet monasterio cœnobita factus. Ex quâ Beccensi schola, velut è limpidissimo fonte scientias Galli, Angli, Itali, & alii hausere quàm plurimi haud vulgaris doctrinæ pietatísque viri. Post hæc in Gallia restitutam esse Grammaticæ disciplinam, floruisséque humaniores literas idem Guibertus his verbis testatum facit: *Cùm passim videamus fervere Grammaticam*, *& quibusque vilissimis præ numerositate scholarum hanc patere noverimus disciplinam.*

Guiberti ardor in literas. Cùm subinde *Guibertus* monachus factus fuisset, tanto discendi affectû repente se animatum fuisse ipse dicit, ut huic uni rei inhiaret, & incassum se vivere æstimaret, si vel unum diem absque ullo fructû transegisset. *O quoties*, inquit ille, *dormire putabar*, *& corpus*, *sub pannulo fovere tenellulum*, *& spiritus meus aut dictaturiens artabatur*, *aut quidpiam*, *objectâ lodice*, *dum judicia vereor aliena*, *legebam.* Verùm quâ intentione id faceret, ingemiscit, *conquirendæ utique gratiâ laudis*, *& ut præsentis seculi honorificentia major occurreret.* Ad id ipsum accendebant eum amici parùm commodi, qui etsi bona ei suadebant, crebrò tamen laudes & opes ex literis ei proventuras ingerebant. Spes igitur omni aspidum ovo deteriores cordi improvido afferebant, eique gratulabantur crescentem in dies scientiam, & bonos ad seculum natales, & corporis formam. *Sed non recordabantur*, inquit, *quia per hos gradus vetuisti ascendi ad altare tuum, quod sic soleat turpitudo revelari.*

eum ad profana abripit. Majus adhuc pietatis damnum subiit, cùm Poëseos studio se abripi, & in Poëtarum immergi lectionem passus est: quippe oblitus pristini fervoris, & *professionis monasticæ pudore rejecto*, eorum lenociniis ac lasciviis delectari cœpit; nequaquam pensitans, *quantoperè sacri Ordinis propositum* ejusmodi profana lectione *læderetur.* Inde factum est, ut ex frequenti inhonestorum carminum lectione ad *obscœnula verba* sensim devolveretur, & quasdam literulas minùs pudicas scribere eum non puderet. Hæc cùm ad magistri sui notitiam venissent, ille ægerrimè tulit, & præ tristitia in soporem incidit, in quo seniorem quendam sibi videre visus est, qui factum discipuli sibi imputabat; quod cùm ille ad *Guibertum* retulisset, nec sic tamen discipulus correctus est, sed furtim carmina scurrilia cudere pergebat: quæ cùm vix sodalibus suis prodere non auderet, ea tamen nonnunquam, mentito authore, quibus poterat, recitabat, ut ab eis sub ficto nomine laudaretur. Verùm dum ejusmodi studiis insisteret incautus adolescens, lascivientem corporis infirmitate repressit pia Dei miserentis manus; quæ vexatio ad resipiscendum eum adduxit. Tunc enim demum inutilis, imò & lethiferi studii marcescente amore, cùm tamen otii impatiens esset, quasi ex necessitate, rejectis spurcis imaginibus, ad spiritualia denuò se convertit, & ad sacrarum Scripturarum studium, cujus amor à multis bonis doctoribus ei sæpè instillatus fuerat, anhelare cœpit, earúmque commentationibus appellare animum maximè Gregorianis, in quibus moralium ac mysticorum sensuum claves reperiuntur. In his studiis præcipuum incentorem habuit *Anselmum*, tunc Beccensis cœnobii Præpositum, seu Priorem, *virum incomparabilem*, ut ipse ait, *documentis & vitâ sanctissimum*, qui *Guibertum* in suam familiaritatem admisit, ejúsque causâ identidem & Prior & Abbas Flaviacum ventitabat. rursus ad spiritualia redit.

Ex amicis etiam D. Anselmi erat AVESGOTUS *, cœnobii S. Petri de Culturâ, apud Cenomanos monachus, qui literis ad eum datis, habere se scripsit nepotem quendam juvenem, sibi maximè carum, quem in humanioribus literis ab eo potiùs, quàm à quopiam alio, erudiri cupiat. Cæterùm se omnino securum fore, si cum illo Becci demoraretur. Non dubitare, quin ipse facilè annuat voluntati suæ; at rogare, sibi significari, quo pacto id ab ipsius Abbate ac Congregatione Beccensi impetrare possit. Ad hanc epistolam *Anselmus* respondit, se quidem cupere *Avesgoti*, seu *Avesgaudi* voluntati respondere, sed dolere, quòd eam exsequi non possit. *Non enim*, inquit, *ejusmodi studii*, *in quo possit proficere dilectus ille vester*, *de quo scripsistis*, *est mihi nunc licentia*, *nec intentio*, *nec opportunitas*, *sicut fuit olim*, ante scilicet quàm monachum induisset: post monasticen enim susceptam superioribus ac Theologicis studiis occupatus erat. Avesgotus S. Anselmo nequi potem commendat suum.

Extat

* Mabill. Tract. de Stud. Mon. part. 2. p. 73.

Anselmi epistola de literarum Studio.

Extat alia *Anselmi* * epistola de literarum humaniorum studio ad *Mauritium* discipulum suum & monachum scripta. Erat hic *Mauritius* magnæ spei adolescens, quem S. Anselmus linguæ Latinæ prima rudimenta docuerat, & ad quem præcipua quædam operum suorum inscripsit. Post Grammaticæ tyrocinium *Mauritius* docti cujusdam Rhetoris *Arnulphi* disciplinæ sese tradiderat. Suadet illi D. *Anselmus* in hac epistola, ne ex schola exeat hujus Grammatici, donec *Virgilium & alios prophanos auctores, quorum lectio nihil indecori habeat, explicare didicerit.* En quantum utilitatis præclarissimus hic Doctor ex humaniorum literarum studiis monachis obvenire posse persuasum sibi habuerit. In alia epistola *Anselmo*, suo ex sorore nepoti, ut Grammaticæ studeat, & plus in prosâ, quàm in versibus se exerceat, semperque, nisi cùm necessitas eum cogat, Latinè loquatur, præcipit.

Joannes Uticensis humaniores literas tradit.

In Schola Uticensi, seu *sancti Ebrulphi* inferiorum præcepta disciplinarum tradidit JOANNES Monachus, de quo Ordericus Vitalis & ipse Uticensis monachus, Libro V. Historiæ Ecclesiasticæ ita scribit: „ RADULPHUS de „ Monte Pincionis, dapifer Guillelmi „ magni Regis Anglorum, se ex toto „ fideliter sancto *Ebrulfo* devovit, & à „ domno *Mainerio* Abbate fideliter „ postulavit, ut aliquis in Uticensi „ cœnobio Clericus ad Dei servitium „ idoneus ad monachatum susciperetur, qui pro salute ipsius conjugisque suæ Deum fideliter deprecaretur. Quod & factum est: Nam Dei „ nutu tunc appetebat Monachatum „ quidam Remensis Scholasticus, nomine *Joannes*, qui ad curiam Regis „ ductus prædicto militi suas concessit orationes, & quos pro Christo „ passurus erat labores. Ille verò super hoc exhilaratus palàm cunctis „ pedes ejus humiliter est osculatus. „ Deinde Monachi prædictum *Joannem* libenter susceperunt, eòque suscepto valdè læti sunt, quia Grammaticæ artis erat peritus, bonisque „ studiis usque ad senium pertinaciter „ intentus. „ *Et post alia.* „ Et quia „ multos versus edidit, *Vitalis* Anglígena, discipulus ejus, super illo versificavit, & inter lacrymas in die dormitionis hujus, tumulatione peracta* „ carmen hujusmodi composuit:

Hebdomadas dum tres complêsset Martius, atra
Ventis & pluviis migravit nocte JOANNES.
Hic Remis natus, de Francis est oriundus,
Ilvertúsque pater fuit illi, Poncia mater
De fabula lucro puerum quem pavit origo,
Extulit ad celebres ars libertatis honores.

Joannes Laudunensis.

Nomen *Grammatici* ** etiam promeritus est S. *Joannes* Laudunensis noster, ob styli scilicet elegantiam & gravitatem, quâ ferè supra ævi illius consuetudinem B. Petri Damiani vitam mox ab ejus obitu expressit.

Alfanus Casinensis.

Hoc etiam ævo ætatem egit *Alfanus* ex Monacho Casinensi Archipræsul Salernitanus, in quo egregia virtutum & scientiarum erant ornamenta. Cùm geminâ dicendi facultate, solutâ scilicet & poëticâ præditus esset, multa metro & prosa lucubravit, in quibus postquàm *Transmundum* juvenem laudibus ornâsset, quod in veterum auctorum scriptis evolvendis assiduus esset, tandem, ut hisce studiis finem imponeret, hac stropha commonuit:

Si Transmunde mihi credis amice,
His uti studiis desine tandem
Fac cures scire monachi professum,
Ut verè sapiens esse puteris.

Baldricus Burguliensis.

Plus justo quoq; Musis addictus fuit BALDRICUS, Abbas Burguliensis. Unde ipse in Poëmate ad *Gerardum* Laudunensem, cui author est, ut quamprimùm Burgulium devolet, secúmque monachus esse velit, haud aliud illicii genus, quàm libros, quietum otium, & maximè commodum ad studia secessum proponit:

Sed libri desunt fortassis, & otia desunt?
Ipse locum novi, qui floridus otia gignit,
Libros & chartas, & cuncta studentibus apta:
Burgulius locus est, & Campo dicitur amnis,
Flumine perpetuo qui vitreus irrigat hortos:
Hócque locô locus est à turbis pœne remotus,
Qui tutat fratres à sollicitudine mundi,
Et fovet in gremio dimissos pacis alumnos.

Aures monenti præbuit *Gerardus*, Burgulium advolavit, atque monasticam induit vestem, in quâ etiam decessit. Mortuo epitaphium *Baldricus* cecinit. Cùm verò non deessent, qui vitio ei darent, quòd unam poëseos spartam adornaret, & huic uni incumberet provinciæ, his ferè verbis in carmine ad *Godefridum*, Remensis Scholæ magistrum, id temporis non incelebrem respondit:

Ecce tibi dixi, mi GODEFRIDE, *quid hoc sit,*
Quod studeo, licèt hoc nil valeat studium.
Carmina confiteor nil in se nostra valere,
Sed valet id, quod me devocat à vitiis.

&

* Vide illud apud Laun. de Schol. celebr. cap. 42.
** Ughell. Tom. I. Ital. Sac. in Episc. Eugub.

& inferiùs :

Non mores nostros infecit carminis usus,
Nec nostros actus, ut reor, inficiet.
Denique si curæ non sunt mea carmina cuique,
Qui vult, rejiciat; cui placet, ipsa legat.
Si nulli noceo, si non exaspero quemquam,
Si nullus quatitur improbitate meâ.
Dúmque laboro studens, mecum quoque nemo laborat,
Cur in me nequam quilibet invehitur?

Cæterùm de hoc Abbate *Baldrico* advertit Mabillonius, quòd sub ejus regimine fuerit luxata disciplina, nec tam de severiori vita, quàm de libris & versibus curam fuisse; quod nemo prudens probat. *Virtus enim in primis, doctrina verò in secundis esse debet curis.* Illâ tamen laude minimè frustrandus est *Baldricus*, quòd cùm ad Archiepiscopi Dolensis dignitatem evectus esset, Musis illicò valefecerit, unique sacrarum literarum studio, quod præcipuè Ecclesiæ Antistites decet, se addixerit.

Seculi XII. Decus Hildebertus. Non postremum seculi XII. decus erat Venerabilis HILDEBERTUS, qui è Cluniaco evocatus, scholísque Cenomanensibus præfectus fuit, in literis humanioribus egregiè eruditus; cujus lucubrationes juvenibus non ad doctrinã modò comparandam, sed etiam ad mores formandos tradebantur. Quod quidem de se testatur *Petrus Blesensis* ep. 102. ad R. Archidiaconum Nañetensem de Puerorum institutione, his verbis: *Profuit mihi, quòd epistolas* HILDEBERTI *Cenomanensis Episcopi stili elegantia & suavi urbanitate præcipuas firmare, & cordetenus reddere adolescentulus compellebar.* Quidni ergo & ejus carmina ad juvandum puerorum memoriam composita, & quæ, teste *Orderico Vitali* Ecclesiasticæ Historiæ lib. 10. pag. 770. *non solùm in Gallias spargebantur, sed etiam Romam transferebantur, & dicacium scholis*, ut ait, & *Didascalis Quiritum admiranda videbantur*, & etiam illis fortasse memoriter discenda imponebantur. Quid mirum? quando inter eloquentissimos Galliæ viros refertur etiam à *Nicolao de Clemangis*, epistola ad *Galiotum de Petrâ malâ* Cardinalem: atque veteres in eum versiculi extant:

Inclytus & prosâ, versúque per omnia primus
HILDEBERTUS *olet prorsus ubique rosam.*

Alii Galli monachi elegantiori literatura insignes. Præter *Hildebertum* plures alii Galli Benedictini hoc ævo elegantioris doctrinæ laudem consequuti sunt. Tres quatuórve more nostro nominare fas sit. *Richardus* Cluniacensis, teste Plati-

na in Adriano IV. sui temporis historiam satis eleganti stylo scripsit; cujus laudes etiam alii Scriptores non tacent. *Marbodus* Andegavensis ad S. Albinum monachus politioribus literis excultissimus fuit: in epistola encyclica de ejus obitû *Oratorum Rex, Gallicanæ eloquentiæ arcem obtinuisse* traditur, atque si Ulgerio, ejus in scholæ magisterio successori credimus, *cessit ei Cicero, cessit Maro junctus Homero. Guilielmus Blesensis*, Abbas Maniacensis in Sicilia, & Comicorum socco & Tragicorum cothurno in theatrum ingressus non paucis admirationi fuit. Ipsius frater *Petrus Blesensis* Comœdias ac Tragœdias literis ab eo consignatas tanti fecit, ut ad illum scribere non dubitârit: *Plus honoris accrevit vobis ex vestris operibus, quàm ex quatuor Abbatiis.* PETRUS *Pictaviensis*, de *sancto Joanne* cognominatus, *Orator & Poëta sui temporis erat non ignobilis.* Fuit ab epistolis Venerabili *Petro*, Abbati Cluniacensi, quem Caspar Barthius, celebris ille Criticus, *Scriptorem ævi sui* vocat, *eloquentiæ & doctrinæ laudibus admirandum.*

In Anglia florent Laurentius Dunelmensis, Vilianus &c. In Anglia cùm non pauci Benedictini elegantioris literaturæ gloria florerent, magnam inde laudem retulerunt. *Laurentius Dunelmensis*, teste Lelando, erat *Orator vehemens, nec aspernandus Poëta. Vilianus* monachus Elyensis ubertate & elegantia disserendi cognomentum *Rhetoris* sibi conciliavit. *Thomas* etiam monachus Elyensis in contexenda monasterii sui historia à copia & facultate scribendi nentiquam desertus erat, ut de fide & gravitate, quâ summâ præstabat, nihil hîc meminerim. *Nigellus Wirekerus* Monachus ac Præcentor Cantuariensis in celebri suo *Speculo Stultorum* non vulgarem aut ineruditam, tametsi lepidissimam orationis attulit rationem.

Guntherus Elnonensis Poëta celebris. Ad famam multò adhuc illustriorem ex Castaliis fontibus profluxit GUNTHERUS Monachus Elnonensis in Belgio, *qui poëta magni ingenii, spiritúsque minimè spernendi*, ut Lipsius jam olim censuit, & nostris temporibus Borichius, *elegans, multísque commendandum nominibus elucubravit opus*, cui titulus *Ligurini*, eò quòd res Friderici I. adversùs *Ligures* gestas potissimùm complectatur. Wibaldus Stabulensis Abbas. WIBALDUS, Abbas Stabulensis & Corbeiensis, vir cùm splendore generis, tum pietate ac rebus gestis præstantissimus li-

teras perpetuò coluit, & certis quotidie horis & temporibus novi semper aliquid addiscebat, *Poëtis fatemur*, inquit Cl. Edmundus Martene *, *cùm Græcis tum Latinis, Philosophisque antiquis & Oratoribus, præcipuè Ciceroni, cujus opera undique conquisita exscribi curavit, plus æquo videtur impendisse*, nisi fortè excusandus sit ille vir, qui fatigatum gravioribus curis animum blandissimis Scriptorum hujusmodi amœnitatibus magis remitteret, quàm alio quovis minùs utili laxamento. Tum dicebat satis apposité, *transire se in castra aliena, non tanquam desertorem & transfugam, sed sicut exploratorem & spoliorum cupidum; si fortè Madianitem rapere posset, quàm pilis erasis, & unguibus defectis legitimè valeret sibi copulare matrimonio*: sed procedente ætate se ad sacrarum Literarum studium convertit. Et judicium illud gravissimum, quod epistola 197. de summis Ecclesiæ Patribus tulit, *de Cypriano, de Lactantio, de Hilario Pictaviensi, de Ambrosio, de Hieronymo, de Augustino, de Leone Magno*, hos demonstrat fuisse sibi valde familiares & notos. Sed & *Bedam, Haymonem, Ambrosium, Ratpertum, Rabanum Maurum, Joannem Scotum*, multósque alios mediæ ætatis scriptores pios legisse se testatur eâdem epistolâ. Tantam verò sacri juris peritiam comparavit, ut interdum consuleretur. Legenda est epistola 357. quâ *Arnoldo* Coloniensi Archiepiscopo, à quo fuerat interrogatus, utrùm velari in Pentecoste Sanctimoniales possent, respondit: Hinc præposito Hildesheimensi, à quo Philippicas, & epistolas Ciceronis cum ejusdem orationibus de lege Agrariâ postulaverat, duriùs fortè admonenti, recordaretur, se Christianum esse non Ciceronianum, ita blandè suo more scribit: *Rectè meministi frater, quòd quamvis libros Ciceronis habeamus, nos tamen Christianos esse recordemur. - - - fercula Ciceronis nec inter præcipua, nec in prima mensa jam habemus: sed si aliquando meliori cibo satiatis aliquid libet, sic ea sumimus, sicut secundis mensis apponi solent bellaria &c.*

Seriis se addicit Studiis.

In monte Casino quòd literæ humaniores suos habuerint cultores, fidem faciunt Oratores, Poëtæ, Grammatici; quorum lucubrationes ex Petro Diacono recenset *Erasmus Gattola* in Historia Casinensi.

De Casinensium literatura.

Seculo XIII. cùm superiorum scientiarum disciplinæ non jam in Benedictinis monasteriis, sed in Academiis passim erectis tradi cœpissent, magnúsque ad eas fieret concursus, monachi nostri à pueris literas inferiores edocendis fatietate quasi ac fastidio abalienari cœperunt. Quæ tamen docendi nausea parùm è re atque incremento Benedictinæ doctrinæ fuit. Monachi enim occlusis scholis languere otio, ac literas politiores etiam ipsi dediscere cœperunt. Qui ex eorum numero ad Academias missi fuerunt, ut Philosophiæ & Theologiæ, vel etiam Juri Canonico operam navarent, non Latinitatem, sed barbariem inde retulerunt. Tunc enim temporis in vulgus spargebatur, orationis elegantiam in infimas Gramaticorum classes deturbandam esse, ne juventus in superioribus scholis ejusdem suavitate capta, Aristotelis, Lombardi, Gratiani, & talium doctrinam repudiaret: Latinitatem ad res philosophicas, theologicas, juridicas explicandas prorsus ineptam esse: Philosophis, Theologis, Canonistis, quid dicant, non quomodo dicant, curam habendam esse; res, quas in cathedra exponunt, vel discipulis calamo excipiendas dictant, in examen adduci, ipsam tamen sermonis rationem minimè attendi, nec si professori vox minùs Latina excidat, esse, ut propterea angatur, aut per scalas cadere velit, &c. Quâ re factum, ut Monachi ex Academiis non tersum, purum, Latinum, sed agreste, obsoletum, & barbarum cùm scribendi tum dicendi genus secum in monasteria reportarent. Certè in eorum scriptis, quæ pauca tamen hoc seculo in lucem emiserunt, exigua Latinæ linguæ aut copia aut integritas reperitur. Musas tamen mitiores *Mathæus* Vindocinensis Monachus, non verò Abbas S. Dionysii ** in Francia, *Custos Regni*, & S. Ludovici Regis in Terra sancta bellum gerentis *locum tenens*, ut plures falsò scribunt, in deliciis habuisse videtur. Quàm concinnè enim, quámque eleganti carmine Tobiæ historiam descripsit! *Joannes Heroldus*, magnus olim Erasmi amicus, qui illud Basileæ anno 1563. edidit, vocat *libellum verè aureum, cujus non solùm versus singuli, verùm etiam unumquodque verbum sententia selectior, & testimonium aliquod singulare æstimandum est.* Apud Anglos principem inter Poëtas locum tenuit *Joannes Hantivellensis* monachus Joannes in

Seculo XIII. literæ politiores è claustris migrant.

Non defuêre tamen qui eas impensiùs colerent.

* In Observat. præv. ad Willibaldi epist. Tom. II. Collect. ampl. pag. 151.
** Felibien Histor. Abbat. S. Dion. lib. 5. p. 256.

Hantivellensis Poëta elegans.

in percelebri S. Albani Abbatia. Præstantis, quò valebat, ingenii fœtus erat oratio, tum numeris adstricta, tum iisdem soluta, quam libris novem comprehensam *Architrenium*, nomine à Græcis mutuato, appositè vocavit,

Hoc est flebilium quasi summè flebile carmen.

ita tamen, ut & in lacrymis rideret. In hoc carmine viri doctissimi, ab utroque dicendi genere, soluto scilicet & Poëtico celebres, nec sententiarum pondus, nec acuminum vim, nec Latinitatis florem desiderârunt, sed ab hisce dotibus majorem in modum commendârunt. Cujusmodi inter alios fuerunt *Ludovicus Vives* Hispanus, *Lilius Giraldus* Italus, *Joannes Textor* Gallus, *Conradus Gesnerus* Germanus, *Hector Boëtius* Scotus: ita ut penè omnium testimonio nationum hujus viri elegans ingenium, & doctrina commendetur. Multa sunt epigrammata, odæ, elegiæ, poëmata, quibus Musas donavit. Quemadmodum verò ipse ad Latinas, ita alii Benedictini his ferè temporibus ad Hebraicas & Græcas literas studia sua contulerunt. *Gregorius Huntingtonus* * Monasterii Ramesiensis alumnus ac tandem Prior in linguis erat peritissimus, & in iis Hebraicæ potissimùm studiosissimus, in Græcâ versatissimus. Monimenta doctrinæ illius, quæ posteris reliquit, maximè ad Græcas literas attinent, videlicet *Ars intelligendi Græca*, lib. 1. *Explanationes Græcorum* lib. 1. *Rudimenta Grammatices* lib. 1. *Expositio Donati* lib. 1. *Notulæ in Priscianum.* Utraque etiam lingua, Græca & Hebraica apud Norwicenses Benedictinos tradebatur: in earum cognitione longè antecelluit *Adamus Estonus* ejusdem monasterii cœnobita, postea verò S. R. E. Cardinalis. Præ Græca tamen majorem *Hebraicæ* operam addixit, de quâ non inutilia conscripsit. Fuit etiam præter alias liberales disciplinas *Steganographiâ* apprimè eruditus; ob quam tamen magnâ jactatus est calamitate. Quo tempore enim Romæ Cardinalis degebat, ad Carolum Dyrrachium epistolas literis ac notis secretis scriptas dedit, quæ cùm semel atque iterum interceptæ in manus *Urbani VI.* Pontificis venissent, is, ut erat earum rudis, cumprimis tamen suspiciosus, in malam partem de insidiis vitæ suæ collocatis interpretatus, innocentissimum *Estonum* in carcerem conjecit, ut in ejus vitâ dicturi sumus.

Benedictini hebraicæ & Græcæ linguæ cultores.

Adamus Estonus Steganographiæ peritus.

Cùm igitur Benedictini Angli in Græcâ linguâ tantum posuêre studii, quis prudens in animum inducat, ut cultum linguæ Latinæ, quæ multò familiarior esse debet, neglectui ab ipsis fuisse habitum existimet? *Robertus Veisus* Norwicensis Monachus **, vir erat in artium liberalium studiis optimè educatus, & in Latini sermonis elegantia politissimus. Ad subsidium copiæ verborum ex selectissimis quibusque auctoribus accuratâ diligentia *Dictionarium* collegit. Humanioris etiam literaturæ valde peritus, & elegantiæ Latinæ mirè *** studiosus erat *Robertus Wanthamus*, Monachus Cemeliensis. In pervolvendis cultioribus auctoribus multum operæ posuit, potissimùm ut vocabulorum origines, & nativos sensus exquireret, & cujuscunque dictionis propriam atque genuinam significationem intelligeret. Hunc igitur in finem longo tempore & multo labore ad expertissimorum Grammaticorum incudem vocabula revocavit, germanos eorum sensus exquisitè discussit, & dictiones sic examinatas ordine disposuit, in unum volumen conjecit, ad publicam utilitatem luce donavit, totùmque opus Abbati suo *Symwello* patrono optimo nuncupavit. Venit postea nescio quo casu, volumen ad manus *Hunfredi* Ducis Claudiocestrensis, qui donavit illud Oxoniensis Academiæ Bibliothecæ publicæ, quod procul dubio pereunte illâ Bibliotheca periit.

Robertus Veisus,

Wanthamus vocabularium concinnat.

Quæ cùm ita sint, nihil ad Benedictinos Anglos *Clementis V.* & *Benedicti XII.* ordinationes pertinuisse existimandum est. Hi nempe Pontifices cùm liberalium artium inscitiam in multa immigrâsse monasteria advertissent, pro sua erga rem monasticam Apostolica sollicitudine decreverunt, *ut in quibusvis cœnobiis habeatur magister, qui monachos eorum doceat in scientiis primitivis*, quarum primam ac maximè necessariam esse *Grammaticam* nemo nescit. Quod docendi munus in monasterio Cluniacensi subiit *Petrus Berchorius*, qui quas elegantiores literas probè didicerat, alus etiam discendas tam suo exemplo & studio inculcavit, quàm suis etiam laboribus invitavit. Cùm enim scholæ juniorum monacho-

Clementis V. & Benedicti XII. constitutiones.

Petrus Berchorius elegantiores literas docet.

* Pitseus de Ill. Angl. Script. p. 333.
** Pits. in Append. p. 904.
*** Idem l. c. ex Lelando p. 905.

nachorum cœnobii Cluniacensis & Congregationis præfectus fuisset, omnem suam operam, labores, atque vigilias eò contulit, ut discipulos in studiis adjuvaret humanitatis, redderétque iis faciliorem viam per Commentaria, quæ literis mandavit: *Primum igitur* composuit *Commentarium prolixum & insignem* in opus metricum, inscriptum *Doctrinale Metricum cum Commentario Petri Berchorii*, quo passim in Galliis utebantur Scholastici ante *Joannis Despauterii* Prosodiam. Scripsit & Commentarium Moralem, seu *Allegorias in libros quindecim Metamorphoseon Ovidii*. Allegoriæ autem miro ingenii acumine ab eo expositæ fuerunt. Scribendi genus, quo in *Repertorio*, *Reductorio*, & *Inductorio Morali*, celeberrimis Operibus, usus est, nullis profanæ eloquentiæ flosculis illigavit, non inmemor illius, quod Divus Hieronymus in Epistola ad Pammachium monet: *Ecclesiastica interpretatio etiamsi habet eloquii venustatem, dissimulare eam debet & fugere, ut non otiosis Philosophorum scholis, paucisque discipulis, sed universo loquatur hominum generi.*

Sec. XV. elegantia reflorescit.

Seculo XV. cùm Latinæ linguæ elegantia regerminare inciperet, Anonymus S. Dionysii in Francia monachus, vir magni judicii, nec minùs veritatis ardens amore circa annum 1430. Historiam Regis Caroli VI. Francorum eleganti, nec contemnendo stilo contexuit. Etiamsi verò hæc Historia in deperditis habeatur, excerpta tamen ex ea Lucas Acherius in suo Spicilegio suppeditat.

Joannes de Lydgato vel Lygdato, utroque enim modo passim in MSs. Codicibus scribitur, natione Anglus Sufolciensis, monachus Ordinis nostri in Cœnobio Buriensi, post perlustratas exterarum simul ac patriæ regionum Academias, humaniores literas in cœnobio suo professus est, & edocendis Magnatum liberis operam dedit. *Anglicorum suo tempore Poëtarum princeps* multa patrio idiomate poëmata componendo, multa ex Gallica & Italica Latináque linguis vertendo, maximam famam apud populares suos consecutus est. Ingenium variis metrorum generibus exercuit, & elegantiæ sermonis invigilans Anglicam linguam, inculta quæ olim squallebat barbarie, haud parùm ad incorruptam sermonis integritatem provexit. Claruit sexagenarius anno 1440. & Buriæ tandem defunctus inter Cœnobitas suos sepulchrum obtinuit. Hæc *Henricus Wartbon* in continuatione Historiæ Rei Literariæ *Guillelmi Cavi* ad annum 1440. pag. 118. cujus acatholici scriptoris testimonium nemo prudens respuet.

Joannes de Lydgato Anglicorum Poëtarũ princeps.

In Germania literæ iterùm cultæ.

In Germania Campidonæ*, quod monasterium titulo S. R. I. Principis condecoratur, anno 1451. præfuit *Gerwicus II.* à Semmetingen, sub cujus Abbatis & Principis regimine cœpit Latina Schola Campidonensis.

Mellicii in Austria vixit circa annum 1427. *Petrus de Rosenheim*, quem Sixtus Senensis *Poëtam scholasticum* vocat; an quòd poëticam artem, literarum delicias, in scholis docuerit, vel quod pro comperto habetur, carmina panxerit diversi generis, quorum unum ** *Rosetum memoriale Divinum* Brandæ Castilioni Tituli sancti Clementis Cardinali dedicavit. In aliis verò Germaniæ monasteriis, quòd literarum humaniorum studia minùs viguerint, culpam potissimam *Joannes Trithemius* Abbatibus attribuit. Unde vir gravissimus in Oratione habita in Capitulo Annali in monasterio Reinhartzbornensi in Hercynia Sylva V. kal. Sept. An. D. 1496. in eos his verbis invectus est:

In pleris que tamé monasteriis neglectas queritur Trithemius.

„ Vos autem, qui excelsa ingenia monachorum sub humilitatis umbrâ supprimitis, coarctare vestros ad infima soletis: dum præter quatuor novissima, & his similia nihil monachis legendum existimatis. Enimverò si monachus secularem quempiam auctorem legere cœperit: si carmen, vel quodlibet aliud edere tentaverit, quasi jam fidem Christi abnegaverit, exclamatis: *Quid iste delirus insanit? num & ipse vult esse Poëta?* crimen est apud nos, legisse Poëtam, carmen legisse scelus, sacrilegium novisse Prudentium. Sed dicite mihi, qui hoc nomen, *Poëta*, tantoperè contemnitis, si quid Poëta sit, scitis? scio, quòd ignoratis. Quid autem si *Deum* vocari *Poëtam* etiam apud Christianos monstravero? Ecce sanctissimi Patres, qui Græcis literis fidei symbolum in Nicæna Synodo scripserunt, sic dixisse leguntur: *Credimus in unum Deum, Patrem Omnipotentem, Poëtam cæli & terræ.* Nunc ergo si malum est, esse Poëtam, quare hoc nomen Deo adscribitur? Sed erratis. Poëta honestissimum vocabulum est. Nam ποιητὴς Græcè, *factor* intet-

Poëtæ vocabulum quid significet.

* Gall. Christ. Tom. iv. an. 953.
** extat inter ejus Opera Pia & Spirit. p. 879. & seq.

„terpretatur Latinè. Non ergo omnis Poëta mendax, ficut rudes & imperiti fingitis. Fuerunt enim multi sanctissimi viri Poëtæ, ficut *Prudentius*, qui pro fide nostra carmina varia scripsit. *Sedulius, Arator, Juvencus, Prosper, Avitus, Beda, Rabanus, Adhelmus*, & alii complures, quorum apud nos incertus est numerus. O Patres! Patres! non sic olim fecerunt in Ordine nostro Abbates, qui se monachos in omni facultate gaudebant habere doctissimos. Sic *Marcus* Poëta familiaris discipulus sancti Patris nostri BENEDICTI adhuc in carne viventis heroïco carmine vitam & miracula descripsit. Alios quoque nostri Ordinis monachos, & multos, & sanctos hoc loco possem adducere: qui in omni arte literaria doctissimi claruerunt; Philosophi magni, Oratores præcipui, Astronomi, Poëtæ, Musici, & Mathematici præstantissimi. Hos imitari Patres atque Doctores monachis laudabile est, & omni virtute laborandum. Neque secularium Scriptorum volumina monachis interdicenda sunt: sine quorum ministerio & lectione sacræ Scripturæ, sanctorúmque Patrum Opuscula nemo facilè intelligit. Eos autem Poëtas, qui turpia sectantes libidinem concitant, non monachi tantùm, sed etiam Christiani quique legere prohibentur. Multi enim ad instructionem nostram benè scripsêre Poëtæ. Nam & sanctus Apostolus *Epimenidem, Aratum*, & *Menandrum* Græcorum allegat Poëtas: quod etiam multi sanctorum Patrum sine offensione in exemplum traxerunt. In omnibus tamen, quæ agimus, necessarium est, ut intentionem nostram ad debitum finem dirigamus. Dicit enim de intentione Salvator noster in Evangelio: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit.* Monachis igitur secularium libros rectâ intentione legentibus B. Augustini sententia patrocinium præstat, *quæ benè à Philosophis dicta in nostrum usum, tanquam ab injustis possessoribus vendicanda confirmat.* Sed nostri Abbates, & cæteri claustralium Rectores, qui monachis studium literarum interdicunt, mihi veteres monachos in exemplum proponenti ita objiciunt: *Si*, inquiunt, *monachi nostri veteribus illis essent eruditione & sanctitate similes, si in humilitate regulari æquales, nequaquam eis studia literarum interdiceremus.* Ad quos ego; Ut monachi vestri fiant docti, primum necessarium est, existant discipuli: Nemo enim facilè sine doctore doctus efficitur: *Vos autem potiùs centum auri nummos in balneis & vagis discursibus inutiliter consumitis, quàm ad conducendum eruditum præceptorem Monachis vestris quatuordecim expendatis.* Denique si non placet eis præceptorem conducere: permittite saltem unumquemque in cella seorsim literis vacare. Et si monachus studio deditus carmine vel prosâ cœperit aliquid quamvis pueriliter componere, noli prohibere, si eum vis quandoque doctum & eruditum evadere. *Nemo enim repentè fit summus.* Amor & exercitium studium perficiunt literarium. Neque enim doctissimi nostri Ordinis veteres illi monachi unquam profecissent ad summa, si minora studia eis fuissent interdicta. Multo tempore ingenium legendo & scribendo exercitandum est in secreto, ut tandem in publicum egredi possit sine periculo. Diu volandi usum in nido exercent aviculæ, ut natura consuetudine roborata, nulla temeritatis incurrat pericula. Nemo enim doctus & eruditus nascitur: sed omnis sciencia literarum usu & labore acquiritur. Vos itaque Patres, si Ordinem collapsum ad pristinum decorem optatis resurgere, nolite monachis studium bonarum artium inhibere: sed potiùs eos, qui literas videntur spernere, ad amorem scripturarum verbo & exemplo inducere laborate. „

Secularium Scriptorum volumina monachis non interdicenda.

Abbatum effugia præcluduntur.

Scientia usu & labore paranda.

Hæc *Tritbemius*: nec sine gravi causa; multi enim monachorum ita rudes, atque ignari erant, ut cùm Latinè verba facere eos oporteret, continuò ipsis aqua hæreret. Sic cùm *Nicolaus de Cusa* S. R. E. Cardinalis *Henricum Woldorpium* in Abbatem monasterii S. Michaëlis in Hildesheim electum Latino allocutus fuisset sermone, in piscem Ponticum is obmutuit *. *Jussus enim Latina loqui non potuit, quia inscius fuit & ignarus, & præ confusione recessit.* Apud alios etsi Latina lingua non penitus evanuerat, ita tamen obsoleverat, ut pauci sine vitiis ea scitè ac peritè uterentur. Cæterùm *Tritbemius* à Joanne Capnion, aliàs *Reuchlin*, in altioribus Græcæ linguæ præceptis meruit edoceri: In Hebraicis quendam Judæum sacro fonte ablutum, tenuis fortunæ, sed non postremæ virtutis virum habuit præceptorem, quem posteà Abbas creatus ad se in Spanheimense monasterium evocatum, gratis Dei amore enutrivit. Ipse vero

Rudis Abbatis exemplum.

* vid. Chronicon Monast. S. Mich. apud Meibom. S. R. G. Tom. II. p. 524.

Trithemius populares ad linguarum originalium studia excitat.

verò *Trithemius* ut apud Germanos, populares suos, tergeminæ hujus linguæ studium propagaret, nulli pepercit operæ. Nicolaus Gerbelius in literis * ad Trithemium anno 1507. scriptis: *Gratulor*, inquit, *mihi ipsi sæpiusculè, reverendissime Pater, me felicissimo hoc seculo progenitum, quò tot illustres viri, nec ignobilis famæ, in Germania passim prodière, quos inter tu unus es, qui cum literis Latinis & Hebræas & Græcas apud Germanos fecisti locupletiores, inter quos tantum polles & enitescis, ut an cuiquam te comparem, an præferam cunctis, in trivio sim, fluctuémque Chremetis instar Terentiani.*

Sed in iis modum docet tenendum.

Etsi verò *Trithemius* literis delectaretur politioribus, modum tamen in iis tractandis tenuit, nec in aliis, maximè viris religiosis immodicum earum studium boni consuluit. Inter amicos numeravit *Rogerium Sycambrum*, Canonicum Regularem, quondam discipulum suum, qui cùm diutiùs, quàm par erat, in literarum elegantiorum cultu ætatem contereret, à *Trithemio*, ut iisdem tandem valediceret, per hanc epistolam ** sanè quàm prudentem commonitus est. „ Primâ die mensis Augusti literas tuas ad me datas, sicut apparebat in subscriptione, Calendis Maji per incertum nuntium accepi, in quibus te certa carmina in librum meum de laudibus sanctissimi Joseph nutritii Salvatoris nostri misisse scribis, quæ ad manus meas minimè pervenerant. Post biduum alius quidam comparuit, qui literas mihi exhibuit tuas septima decima die mensis Julii scriptas, quas sibi ab alio nescio quo dicebat esse commissas unà cum duobus opusculis tuis, tua manu scriptis, quorum alterum carmine vario quasdam odas continet familiares: alterum verò prosaicè compositum disputationem quandam complectitur minualem: non displicet materia, neque argumentum adinventionum tuarum abhorreo, sed vellem te potioribus operam navare studiis, quod postulare abs te & tempus videtur & ætas tua. Quinquagesimum ætatis annum supergressus es, qualia te deinceps jam studia deceant, maximè tibi considerandum. Alia nos juventus monuit, alia jubet rimari senectus. Sol vitalis nostri roboris vergit ad occasum, & vires corporis, quas meridies præbuit, hora paulatim vespertina consumit. Animæ jam deinceps assumenda est cura, quæ manet immortalis, satis concessimus carni, pabulo necessario duntaxat nutriatur asellus, procul absit lascivia omnis. Lucubrationes cedant pueriles, & qui virum præfers ætate, synthemata canos decentia non fabulas amplectere. Sex & triginta super centum lucubrasti opuscula, & magnum est judicio meo & laudabile, otium quod regularis permisit institutio, ad studium convertisse literarum, ac libris componendis animum potiùs intendisse quàm voluptatibus carnis. Numero tamen nullius sunt pensiculanda opuscula, sed utilitate, si ad veram sapientiam erudiant animum, mentem legentis si à terrenis sublatam ad cœlestia erigant, & in divino amore veraciter compungant. Orbis jam ubique innumerabiles ebullit Scriptores, & ut Flaccus ait:

Utilitate non numero pensanda sunt opera.

Scribimus indocti doctíque poëmata passim;
Omnibus libet insanire poëtis.

„ Sed minor pars scribentium ædificationem cogitat animarum. Ex cordis abundantia scribimus omnes, easque cogitationes scribendo literis committimus, quibus occupati sumus. Unde scribere spiritualia & divini amoris fervorem inducentia non possumus, quia pleni cogitationum mundanarum carnaliúmque, proh pudor! æstuamus. Nemo enim sine fide & charitate Jesu Christi, qui sapientia est Dei Patris, veram & salutarem poterit assequi sapientiam, ut videlicet spiritualia scribat, qui carnalia & transitoria sapit. Proptereà te hortor, *mi Sycamber!* cùm scias te religioni monasticæ juratum, ut sicut in exteriori conversatione in medio confratrum tuorum sine offensione ambulas, ita contemptis studiis puerilibus, quæ parùm conferunt ad animæ salutem, & mentem & calamum ad spiritualia totis viribus convertas. Talia rogo posthac ede opuscula, quorum lucubratio Dei in te amorem suaviter augeat, mentémque legentis in contemptum mundanorum ducat. Cedant jam nunc ludi pueriles, senem non decent carmina Poëtarum, prosaicè tibi pro senectutis honore pergendum est: tortuosis ludat versiculis immatura juventus, planum nos iter amamus. Quod si versificare lubet, iterùm dico, nulla senem debere confingere carmina, præter penthica, forsitan epitaphia mortuorum, nisi talis sit paraphrastes, qui carminum semper habuerit usum, prosæ verò nunquam, ut cum Prudentio, Sedulio, Juvenco, eorúmque similibus conversus ad pœnitentiam mun-

Senem non decent carmina.

* Epist. famil. lib. 2. pag. 543.
** loc. cit. pag. 551.

„ mundanæ arma sapientiæ ad laudes Scripturæ conferat divinæ. Nulla sanctorum veterum Doctorum Hieronymi, Ambrosii, Augustini, Gregorii, Origenis, Joan. Chrysostomi, Basilii, Cyrilli, aliorúmque complurium carmina legimus præter hymnos ad Dei laudem compositos, & epitaphia paucula mortuorum, quamvis artem illos habuisse non dubitamus. Cupientes enim lucubrationibus suis animarum prodesse saluti, prosa scribere quàm carmine maluerunt, propterea quòd sit difficile in omnibus, quæ scribenda utiliter occurrunt, legem servare metrorum, & hoc genus docendi magis videretur juvenes decere, quàm senes, raróque contingat quempiam in utroque reperiri perfectum. „

Seculo XVI. maximè revirescunt studia in Ordine Benedictino.

Seculo XVI. liberalium artium studia in Ordine S. Benedicti tam floridè revivescere cœperunt, quàm superioribus duobus seculis situ & incuriâ exaruerant. Apud Casinates erant viri in literis Græcis, Latinis, ac Hebraicis doctissimi: ad hæc eximii Oratores, Historici, ac Poëtæ, quos Scriptores illo ævo doctissimi non minimi fecerunt. Atque ut nihil dicam de ANGELO SANGRINO, Poëta sanè excellentis venæ, *Honoratus Fascitellus* Cardinali *Farnesio* ob ingenii atque artis poëticæ elegantiam fuit in deliciis, cujus etiam favore ad Episcopales Infulas promotus fuit. Purissima ejus & dulcissima poëmata magnam partem typis viri doctissimi vulgârunt, quibus orexin ac salivam cum aliis movisset, *M. A. Flaminius* hæc ad illum exaravit:

Casinenses Poëtæ & Philologi.

Fascitelle quid otio in beato
Dictavit tibi roscidis sub antris
Musa candida? nil soles profectò
Unquam scribere laurea corona
Non dignum: ipse miser tumultuosa
Urbe detineor: tibi benignus
Dedit Jupiter in remoto agello
Latentem placida frui quiete,
Inter Socraticos libros, & inter
Nymphas, & Satyros, nihil profani
Curantem populi leves honores.
Verùm sive aliquid Marone dignum
Pangis, sive modis Horatianis
Juvat ludere, quicquid est, sodali
Tuo mitte. Alii sibi atque musis
Scribant. Tu cave carmina occulas, quæ
Digna sunt medio legi theatro.

Nec apud Casinates solùm, sed aliis etiam in monasteriis Congregationis Casinensis cùm Græca & Latina, tum Etrusca Poësis majorem in modum floruit. PROSPER MARTINENGUS * quamvis optimis disciplinis optimè instructus, divinarum præsertim Scripturarū intelligentiâ, SS. Patrum eruditione, linguarúmque tum Græcæ, tum Latinæ, tum etiam Hebraicæ intima notitia excelleret, in Græca tamen Poësi summum gloriæ verticem attigit. Nemini enim suo ævo in ea facultate concedebat, imò nec ullus ei inveniebatur æqualis, authore *Petro Ricordato*; Quamobrem à doctissimis ejus temporis, *Pindarus alter, altérque Homerus* passim audiebat, ob præstantiam scilicet, incredibilémque in pangendis Græcis carminibus facilitatem; quod etiam *Petrus Victorius* variis in locis suorum operum luculenter testatur, & multo etiam clariùs egregia, quæ composuit volumina, hodiéque testantur.

Prosper Martinengus.

ANGELUS GRYLLUS in oratoria ac poëtica facultate cùm Latina tum Etrusca adeò excelluit, ut celeberrimum quemque sui ævi vel vicerit, vel æquaverit. *Piorum affectuum Libri* Poëtæ *Angelici* nomen illi pepererunt; Libri verò Epistolarum, styli suavitate ac elegantia, sententiarum gravitate, Italici sermonis puritate ac nitore prædit, politicisque documentis referti, nemini sui temporis in hoc scribendi genere primas concessisse, satis ostendunt. Denique omnia, quæ scripsit, sacra eadem & divina, vel probè moralia, & ad morum honestatem, & sanctitatem aptissima dubio procul docent, quantò feliciùs Christianus Poëta Davidis potiùs cœlestia carmina, quàm Homeri vel Pindari profanas fabulas æmulari possit. Hinc jucundissima illi familiaritas ex scientiæ nimirum affinitate, cum eruditissimis quibúsque, ac Poëtarum summis, *Urbano* scilicet VIII. *Torquato Tasso*, *Joanne Baptista Marino*, & *Guarino*, à quibus mirificis laudibus commendatur. Imò (*teste Laurentio Crasso*) nemini contigit à tot viris doctrina, dignitate, & natalibus illustribus, amplioribus encomiis honestari, quàm *Gryllo*. Sanè Academiæ omnes per Italiam florentissimæ eruditionis ejus famâ compulsæ, ut refert *Janus Nicius Erythræus*, gloriosum sibi fore putabant, si *Gryllum* sibi possent adjungere, *Romana* præsertim *Humoristarum* (quam ipse *Gryllus* dum esset Abbas S. Pauli unà cum *Paulo Mancino*, aliísque doctissimis viris instituerat) tantum homini tribuit, ut eum Principem sibi delegerit, ac deinde mortuum celeberrimo funere,

Angelus Gryllus.

Societatis Humoristarum institutor.

* Armell. Bibl. Casin. part. 2. pag. 157.
** Armell. l. c. part. 1. pag. 31.

funere, ac lugubri pompa prosequuta sit, ejúsque imaginem manû egregii Pictoris, Equitis nempe *Josephi Arpinatis*, in tabula expressam, aureóque serto redimitam, inter illustrium Academicorum Icones in magnâ aulâ collocaverit.

Theophilus Folengus. Quid verò dicam de THEOPHILO FOLENGO, * qui quamvis esset ingenio acerrimo, & ad quodlibet scientiarum genus propensissimo (quas mira facultate & perfectione discebat) naturali tamen instinctu ad Poësin excolendam impetû quodam ferebatur. Plura igitur poëmata Italico sermone composuit, quæ in publicum prodocta, veluti ejus ætatis gemmæ summo in pretio sunt habita; sed Latino sermone tunc reflorescente ad Latinas Musas conversus, excellens ac ingens Epicum Poëma elucubravit, quò vel ipsum Virgilium superare mens illi fuerat; sed ea spe dejectus, vel invidorum suasione admirabile illud opus, non, ut par erat, ei laudantium, vel Episcopi Mantuani sententia, cui utpote Viro docto ac erudito, Opus suum legendum ac judicandum cùm tradidisset, responsum hoc ab eo tulit: *æquâsti, non superâsti*, illicò opus flammis devovit, rurísque degens, fœcundissimi ingenii inexhausta vena, Opus aliud novo dicendi genere insigne, animíque ingenita festivitate ac lepore jucundissimum condidit, in quo Latinis ac Italicis vocibus, præcipuè *Lombardis*, ut nunc dicimus, undique permixtis, servatâ metri harmoniâ amœnissimo carmine, jocosè, ac facetè multorum sui temporis vitia carpit, occultè tamen, & confictis eorum nominibus. Huic Poëmati placuit *Theophilo* nomen imponere *La Maccaronea*, ducto etymo ex buccellis, farinâ, ovis, & caseo trito compositis, quas Itali vernaculo sermone *Maccarones* appellant. Cui tamen operi *Theophilus*, quòd Monasticæ gravitati minimè consonum videretur, nomen subtraxit suum, fictúmque MERLINI COCAI substituit. Opus utique doctissimum, quod communi omnium plausu exceptum, Auctori nominis immortalitatem peperit. Nihil enim eo festivius, nihil celebrius, hoc in genere hactenus prodiit, quamvis multi præstantes ingenio ac doctrinâ viri in eâdem palæstrâ postmodùm desudaverint. Jure igitur THEOPHILUS *ingeniorum Phœnix, novi stili, novæque Poëseos conditor felicissimus* etiam nunc audit, qui & antiquis haud imparem gloriam sit adeptus, & posteris palmam, imò etiam victoriæ spem eo in argumento eripuerit. Sed tandem ludicræ hujus Scriptionis magna eum cœpit pœnitentia, tempúsque feriis ac sacris deinceps lucubrationibus redimere conatus est.

Joannes Baptista Folengius. *Theophili Folengii* frater erat JOANNES BAPTISTA FOLENGIUS, Abbas S. Mariæ de Pyro in Marchia Tarvisina, sacrarum literarum cognitione instructissimus. Edidit eximia in Psalmos Davidis Commentaria, nec non in Canonicas Apostolorum Epistolas, in quibus tersam, nitidam, ac verè Latinam attulit dictionis rationem, ita ut eum ab humanis etiam literis minimè fuisse desertum nemo non intelligat.

Gregorius Cortesius. Elegans hoc ac verè Romanum dicendi genus GREGORIO CORTESIO, Abbati primùm Congregationis Casinensis, tum S. R. E. Cardinali mirificè placuit. Plura composuit Opera, quæ partim supersunt, partim exciderunt. Mirum verò, quantum hasce lucubrationes Latini sermonis nitor, puritas, ac venustas commendent. Ut moribus & vitæ elegantia, ita styli & scriptoris urbanitate vere erat *Cortesius*, id est, *humanissimus, elegantissimus, politissimus*. Cardinalis *Sadoletus*, cujus ore ipse *Tullius* locutus fuit, Cortesii doctrinam cùm in divinis, tum humanis literis tanti fecit, ut librum suum *de Purgatorio* peculiari epistola ad eum miserit, in qua se ipsius operâ & sapientiâ adjuvari rogans: *primum*, inquit, *ut quæ scribuntur à me, ea sanctè & rectè, & ex integra veráque religione scripta sint; deinde quæ pertinent ad politiores literas, quando utriusque facultatis summum tuum est judicium, de his etiam me admoneas, neque patiaris, quæ aptè & ornatè inprimis oportet scribi, ea me barbarè & inconditè scribere.* Nec cum *Sadoleto* solùm, sed cum aliis etiam ævi sui viris eruditissimis literarum cùm Latinarum tum Græcarum habuit commercium. Ejus Epistolæ ad transcribendum certatim expetebantur. Unde

Benedictus Theocrenus. *Benedictus Theocrenus* apud Fregosos Genuæ Principes longè doctissimos gratiosus, ac postea juventutis filii Regis Galliarum moderator in epistola ad Cortesium: *Nemo*, inquit, *fuit ex his, qui non omninò à Musis sunt alieni, qui non exemplum epistolæ tuæ à nobis impensissimè flagitaverint, ut non sufficiant ei transcribendæ amanuenses mei, éisque tu jam hîc* (Genuæ) *potior, quàm in*

* Armell. l. c. pag. 195.

in urbe Mutina, cui natales tuos acceptos ferimus. Cardinalis *Bembus* in Epistola ad Federicum Fregosium, Archiepiscopum Salernitanum, Cortesii elegans scribendi genus collaudans, eo deletam fuisse dicit *maculam jam per tot secula illi hominum generi inustam; quòd scribendi non calleat elegantiam.* CORTESII *enim epistolæ non Latinæ modò sunt, sed antiquitùs Latinæ, plenæque eruditionis, & candoris, quo meliora nitebant secula.* Nil mirum, inquit Cardinalis Quirinus, Bembum ita scribentem, tanti non æstimâsse Ambrosii Camaldulensis, & Petri Delphini Epistolas Latinas, ut cum illis *Cortesii* comparari possint; etsi quàmplurimæ eorum Cœnobitarum, quæ extant, satis ostendant, nec eruditionem, nec eloquentiam earundem Scriptoribus defuisse, *nil*, inquam, *miror, nam Tullianæ dictionis suavitatem, quam Bembus unicè sectabatur, non ita certè eorundem Scripta referre, æquè ac illa Cortesii, judicet quivis, cui in hoc cupediarum genere sapiat palatum.*

Quid de Georgii Casinensis libro pronunciet Cortesius.

Cùm GEORGIUS Monachus Congregationis Casinensis librum quendam da Syllabis Græcis à se compositum cum *Cortesio* communicâsset, is quidem ad illius dubia & interrogata accuratè respondit, extremam tamen epistolam his verbis conclusit: *Etsi opus hoc tuum de Syllabis iccirco scripsisti, ut simpliciores fratres (sic enim ais) eo potissimùm utantur; nollem tamen scriptum aliquod à nostri Ordinis hominibus prodire, quod non ut minùs eruditis utile, sic etiam eruditissimis esset probatum, quorum ratio inprimis habenda est.* Antehac Philosophi & Theologi libros suos in lucem emissos inconditis, barbaris, ac pessimè Latinis vocibus, dictionibus, ac loquendi modis passim respersferant; quæ barbaries *Cortesio* haud diutiùs ferenda est visa; credebat siquidem, Philosophos & Theologos minùs aptè tueri munus suum, si à copia & facultate disserendi desererentur. Quare quos ipse de hisce argumentis conscripsit libros, ii ut tersam nitidam ac puram Latinitatem præferrent, nihil industriæ prætermisit. Quâ de re in epistola ad *Augustinum Grimaldum*, Episcopum Grassensem, ita loquitur *: *Dies noctésque versabar in gravioribus studiis, ejusmodi diligentia, ut non me pœniteret, quantum proficerem. Tentaveram postremò, ut Theologiæ & Philosophiæ venustas orationis, tanquam duabus matronis debitus cultus & decor restitueretur, quò per injuriam expoliatæ, squallentes, diúque obsoletæ jacuerant.*

Joachimus Perionius barbariem eliminat.

Pari nec minùs felici conatu barbariem & squallorem è Philosophorum & Theologorum scholis depellere apud Gallos aggressus fuit *Joachimus Perionius*, Cormæriacenus Benedictinus, ac celeberrimus SorbonæTheologus. Teste enim Genebrardo ** in Chronico, *Philosophiæ Aristotelicæ curriculum ita Latinè & Ciceronianè primus vertit, ut deinceps Philosophi Latinè loqui cœperint, qui antea erant infantes, & paulatim dediscere barbariem, quâ eorum disciplinæ & libri erant fœdati.* Repudiatis veterum versionibus & formulis hoc divinum beneficium manavit longiùs. Nam & Theologi, Medici, Jurisconsulti certatim sese ad ejus imitationem componentes antiquam Cypriani, Arnobii, Lactantii, Hieronymi, Ambrosii, Augustini, Cornelii, Celsi, Ulpiani, & similium elegantiam revocârunt velut postliminio, impuritatem loquendi è suis scholis & libris depulerunt, suúmque seculum adeò facundum reddiderunt, ut cum quovis de eâ laude facilè possint contendere. E nostris Benedictinis eminuit JACOBUS BILLIUS, Abbas S. Michaelis in Eremo, Latinè, Græcè, & Hebraicè doctissimus. Quæcunque literis mandavit (*plurima autem mandavit*) pura, tersa, nitida sunt, Ignatium, Irenæum, Epiphanium, Origenem, Gregorium Nazianzenum, Gregorium Nissenum, Basilium, Chrysostomum, Eusebium, Theodoritum, Evagrium, Damascenum, & alios Patres Romanè docuit loqui.

Jacobus Billius Patres Græcos latinè loqui docet.

Dionysius Faucherius moniales & juvenes latio sermone instruit.

Illud verò insolens ac peregrinum iisdem temporibus initio visum est, quòd DIONYSIUS FAUCHERIUS Monachus Lerinensis Vestales Benedictinas literis Latinis instituendas susceperit. Quod verò tantum abest, ut viri prudentes boni non consuluerint, ut etiam Christianissimi Reges ac Principes Monialium eruditionem dignam judicaverint, quam Regia benignitate & munificentia prosequerentur. Quâ re factum, ut Virgines etiam, atque Matronæ seculares in Gallia, Monialium exemplo, bonarum artium studiis se addixerint, hodiéque addicant. Fuerunt autem & juvenes, qui se *Faucherio* humanioribus erudiendos literis committerent, uti ipse in epistola ad Gre-

* Epist. famil. pag. 181.
** apud Bulæum in Hist. Univers. Paris. Tom. VI. pag. 976.

Gregorium Cortesium, amicum suum, his verbis testatur: *Molendinariam rursus exerceo, & qui jam exspectabam tanquam rude donatus coronam variatis nominibus ordinibúsque verborum ac rhetorum flosculis*, ut ille apud Pasquillum, *ex parataticis parachimenis & aoristis intextam promereri, eodem iterum ludo inclusus cum casibus & generibus species simul & tempora conterens molam toto quamvis debili pectore quotidie trudo.* Verùm charitas, quæ omnia „ suffert, mecum pariter molens la- „ boris bonam partem sustinet. Præ- „ legimus autem (quoniam tibi studi- „ orum nostrorum rationem postulas „ explicari) carmen Actii Sinceri de „ Partu Virginis, videlicet quòd ea res „ his diebus maximè consentanea vi- „ deatur; præterea Ciceronis librum „ de amicitia. Quibus lectionibus „ multi intersunt, & mirum est, quan- „ to in his amore ac studio sese juven- „ tus exerceat, beneficiis etiam mecum „ certant, & pro suo quisque officio „ nititur, quo mihi laboris hujus tœ- „ dium sublevet. Sed de his hacte- „ nus. „

Ejus de instillandâ pietate cura. Uti verò *Faucherius* vir erat non eximiâ tantùm doctrinâ, sed magnâ etiam virtute, ita præcipuam adhibebat curam, ut qui juvenes liberalibus studiis se tradidère, cum iisdem etiam pietatis studia conjungerent. Insignis in hanc rem est epistola, quam ad *Renatum* & *Nicolaum Grimaldos*, nobilissimæ prosapiæ adolescentes, his verbis exaravit: „ Cùm præteritâ æstate Parisiis essem, supra modum gavisus sum, cùm præclarâ vestrâ indole, etiam præcocis in istâ ætate virtutis significatione conspecta occasionem habuerim, unde patri vestro ac matri mei amantissimis eum de vobis nuntium afferrem, cujus fieri participes maximè exoptabant. Cùm enim gloria patris & matris sit filius sapiens, duplicatam de vobis debetis eandémque non mediocrem æstimare lætitiam percepisse, quando ad vestrarum literarum testimonium mea quoque verba accesserunt, quæ de vestro in bonas literas studio simul & honestis moribus certissimam facerent fidem. Nunc autem ne quid ad lætitiæ cumulum illis deesse videretur, ad confirmandam quam de vobis opinionem conceperunt, allatæ sunt illis à vobis aliæ literæ, quas ipsi (quæ ingens illorum est in me humanitas) ad me miserunt, videlicet ut suum mecum gaudium participarent, „ & de illis meam sententiam dicerem. „ Quæ utique talis est, ut non minùs vos sapientiæ ac virtutis, quàm literarum studiosos esse demonstrent. Cùm etenim ex illis felices, quos in honesta bonarum literarum studia progressus habetis, intelligo, tum prudentiæ vestræ specimen quoddam præseferre mihi videntur, ut non immeritò sperare nobis liceat, vos tales futuros, qui non modò à stirpe vestra nobili non degeneretis, verùm etiam nova eam in dies gloria decoréque augeatis. Quòd si quis fortè sapientiæ aut prudentiæ nomen excelsius putet, quàm ut vestræ adhuc parvæ ætati aptari possit, ampullosius, quàm ut illius capaces esse possitis, ego tamen sapientiam non existimo annis esse metiendam, neque senectutem illam venerabilem, quæ solo annorum numero computatur, cùm canos homines veneratione dignos non longævæ ætati, sed sensibus & vitæ immaculatæ sacræ literæ deputent. Quid verò ad prudentiæ atque virtutis exemplar expressius, quàm videre adolescentulos familiæ nobilitate insignes ita animum induxisse, ut natalium splendore tantisper se conspicuos fieri posse putent, dum derivatam in se atque acceptam à majoribus gloriam doctrina & morum honestate tuentur? Unde longè meâ quidem sententia illi errant, qui solo nobilitatis sterili titulo gloriantes nihil minùs quàm virtutem, unde nobilitas parta est, curant. Sed gulæ atque ventri tanquam belluæ dediti insignem illum illustris familiæ splendorem offusis vitiorum tenebris obscurant. Quamobrem vos hortor atque oro, ne vos incœpti pœniteat, néve ab instituto malorum vos atque intemperantium juvenum consortia, consiliáque depellant. Lubricum est adolescentiæ iter, per quod si ad sapientiæ culmen vultis evadere, non est vobis, nisi cum timore Dei & magna sollicitudine gradiendum. Cavete igitur ab iis, qui cùm vivant ipsi intemperanter, abutentes scilicet ætatis licentia, quâ nullum est servitutis genus miserius, parum sibi esse videtur sua ipsorum perditio, nisi alios ad similem quoque perditionis foveam secum inducant. Cùm his frequentes estote, quorum doctrina & honestæ conversationis exemplum vos potest meliores in dies doctioresque reddere. Sed quid ego improvidus facio? Ita vos hortor, quasi non satis superque sint pia parentum vestrorum hortamenta, & quæ „ his potiora sunt, exempla, aut quasi

Ad eam Nobiles adolescentulos instigat.

„vos

„ vos non satis vestra sponte incitatos considerem. Præterea præceptorem habetis virum doctum gravémque, cujus exemplis pariter & doctrina auctiores in dies majorésque vobis ipsis fieri potestis. Valete. Lerinæ 1540. „

Alia ejus epistola de cultu S. Catharinæ. Scripsit *Faucherius* aliam epistolam versibus comprehensam, seu Elegiam ad Ecclesiasticos ex Gallicâ Juventute de cultû & veneratione diei festi Divæ Catharinæ, Studiosorum Patronæ; quæ cùm obvia non sit, non indignam existimo, quæ locum hîc fortiatur.

Quò ruis ô pubes? quò te malus abstrahit error,
Virginis ut sacrum sic venerère diem?
Desipis ô quantum! non his Catharina choreis,
Nec levibus gaudet virgo beata jocis.
Virgo beata jocos sprevit, lusúsque procaces,
Munda ut servaret corda dicata Deo.
Multiplici radians doctrinâ & moribus almis
Nos docuit quales exhibuisse decet.
Scilicet ut Christum puro amplectamur amore,
Avide bonae avido pectore literulas.
Hoc studio ætatem decet exercere tenellam,
Ornatu hoc mentem nos coluisse decet.
Sed mage contendit vitiis corrupta juventus
Vana puellarum jungere vota sibi.
Inde choros agitant cytharâ resonante lyrâque,
Et saltu quatiunt agmina mixta solum.
Omnia complentur variis clamoribus, atque
De multis fieri vocibus una solet.
Hinc alios videas risu effusóque cachinno
Solvier, & dentes his numerare queas.
Hic salit, & molli tactu blanditur amicæ,
Furtivis animum nutibus illa legat.
Detinet hac alium jucundo scommate, dúmque
Verba volant, pectus blanda loquela ferit.
Dúmque alios alii accendunt, Babylonius ignis
Crescit, & immisso quisque calore furit.
Nec miseri advertunt, quanto in discrimine semper
Versentur, morti & quanta fenestra patet.
Sed Christi immemores fiunt, studii, atque salutis,
Et veluti effrænes in mala sponte ruunt.
Scilicet hinc sanctis stolidi placuisse putentur,
Unde solent summo displicuisse Deo?
Quàm diversa igitur studia & contraria puris
Moribus isthac sunt, quos Catharina docet?
Virgo precare Deum, procul hinc mala tanta repellat,
Artibus instituens corda tenella bonis,
Sic dignè poterunt pueri innuptæque puellæ,
Hunc tibi sacratum concelebrare diem.

Ejusdem monitum de studio politiorum literarum. Alia iterum est epistola, quam FAUCHERIUS ad *Angelum* Monachum Lerinensem dedit; ex qua, cùm longior sit, monitum duntaxat de studio politiorum literarum, ad Monachos attinens, fanè quàm præclarum excerpo.

„ Ex literis tuis præter amorem erga me tuum, quem præ se ferunt, deprehendi etiam tuos in literarum studiis „ progressus tam esse felices, ut conceptam de te jam dudum opinionem non modò æquaveris, verùm etiam longo intervallo superâsse videaris. Ad quam rem diligentia & sollicitudine persequendam te exhortarer, nisi te satis tua sponte incitatum considerem. Hoc autem unum est, quod te admonitum velim, ne videlicet humanioribus studiis tam pertinaci studio hæreas, ut literas sacras oblivioni mandes. Nam hæ sunt, fili charissime, quæ statui nostro ex Ordinis nostri professione, institutionéque propriæ congruunt, reliquæ verò, quæ literales dicuntur, harum ancillæ, & quasi adjutrices sunt. Verùm hæc scribo ad te, non quòd de animi religiositate diffidam, sed ut in te amorem meum significem, qui te omni ex parte & numeris omnibus absolutum perfectúmque esse desiderem. „

Omnino hæc scripsit *Faucherius* ad mentem Antistitum Ecclesiæ Gallicanæ in Comitiis Aurelianensibus & Blesensibus sub hæc ferè tempora celebratis, in quibus cœnobiorum Præfectis negotium datum, ut satagerent, *ut in Monasteriis regularis disciplina instauretur juxtà pristinam institutionem, & regulam, & ideò in quolibet horum Monasteriorum alendum esse probum, atque doctrinâ conspicuum virum, qui literas humaniores, & sacram Scripturam doceat.* Quæ statuta * congruunt Decreto Concilii Tridentini, in cujus gratiam & sequelam inita fuêre Comitia Aurelianensia, à quibus editæ istiusmodi jussiones primùm sub Francisco II. & Carolo IX. quatuor ante Concilii exitum annis deinceps confirmatæ in Comitiis Blesensibus sub Henrico III. Carolus M. ut suprà à nobis commemoratum, olim idem sanxerat, & humaniorum literarum studium injunxerat, prout ad exactam sacræ Paginæ notitiam refertur. Constitutio de studiis monasticis.

Ludovicus Blosius Græcè & latinè doctus. In Belgio Venerabilis BLOSIUS ** post emissam religiosam professionem regulari disciplinâ probè initiatus, bonarum deinde literarum ornamentis perficiendus, ex Lætiensi monasterio ad Lovaniensem Academiam ablegatus fuit. Habebat illis temporibus Lovanium inter illustres Philologiæ ac humanæ literaturæ Professores *Nicolaum Clenardum*, Hebrææ, Græcæ, & Latinæ linguæ peritissimum; quo inprimis Magistro *Blosius* liberalibus artibus sese impendens, non mediocrem Hebraicæ

* Mabill. Tract. de Stud. Mon. vol. II. art. 12. p. 52.
** ex vit. cap. IV.

raicæ, Græcæ ac Latinæ linguæ scientiam est assecutus. Testantur hoc libelli varii, quibus titulos Græcos apposuit, ut videre est in *Cimeliarcho*, *Endologiis*, *Doxologiis*, *Psychagogiâ* & aliis. Idem ostendunt in monasterio & templo Lætiensi sparsim appensæ inscriptiones Græcâ linguâ, ex cognitione rara Græcarum literarum depromptæ. Est etiam perpetuum monumentum progressûs in Græcis literis sub *Clenardo* Magistro, insignis illa translatio Opusculi aurei S. Joannis Chrysostomi, quod inscribitur *Comparatio Regis & Monachi*: quam Lovanii studiis literarum incumbens anno ætatis vigesimo primo ex Græca Latinam reddidit. Quid verò in omni illo Academico elegantiorum literarum cursu *Blosii* adolescentis quæsiverit labor & industria, & quid Religiosis viris in Academia, studiisque doctrinæ maximè spectandum sit, monita illa tantò pòst in Satutis data, *de spiritu inter literarias exercitationes conservando*, satis superque commonstrant, in quibus illud præclarum extat, quô cavendum præcipit, ne scientia inflet, verbis istis memoriâ dignis: *Sic permittimus Fratres pro tempore vel ætate dare operam politioribus literis, ut tamen per illarum studium labem superbiæ & vanæ gloriæ in se non trajiciant, sed omnia ad honorem Dei purè referant. Alioquin præstat Monachos idiotas esse, quàm elegantes: utilis satis est simplicitas, per quam meliùs conservatur humilitas.* Eodem spectat, quod alibi præcipit: *Si quis visus fuerit omninò ad vanitatem dare operam politioribus literis, ac propter earum studium curam pietatis deserere, impediatur, arceatúrque à vana & damnabili occupatione.* Sicut & illud, quô magistrum literarum (si fortè pro junioribus aut rudioribus earum scientia imbuendis morum magistro addatur) his instruxit verbis: *Hujusmodi libros eis prælegat, ex quibus cum literarum peritia vel pietatem discere, vel certè non discere vanitatem aut iniquitatem possint.* Reddens deinde statuti causam; *Nisi*, inquit, *juventus, quæ exercetur in literarum studiis, fræno timoris divini contineatur, facilè amore eloquentiæ correpta illectáque dulcedine, curam pietatis deseret, & effecta veluti ethnica, ac sine Deo, abibit in vitiorum præcipitium.* Quàm autem perfectè, quod aliis præscripsit, & tam sedulò commendatum voluit, assecutus sit ipse Blosius, pia doctáque ejus Opuscula satis superque loquuntur;

Ejus ad Religiosos studentes monita.

Et quidem ex illo Christianæ submissionis spiritu profecta videtur illa styli moderatio, quam in Operibus ejus advertimus, in quibus etsi puram tersámque Latinitatem minimè refugiat, ab elegantibus tamen & mollibus illis verborum quasi lenocinii abhorret. Nihil in ejus lucubrationibus aut tumidum aut insolens, nihil quod seculi vanitatem redoleat; quæ paucorum scriptorum est gloria: ut in Canonis sui spiritualis præfatione de se præclarè non minùs, quàm modestè dixerit, se aliquid *dicere facundè non posse*, *si vellet*, *nec velle*, *si posset*.

Quod ad alios Belgas Benedictinos attinet, soli *Gerardimontenses* in Flandria, quod sciam, literas humaniores in Collegio S. Adriani publicè docent. Qui verò Rhetorum hujus Gymnasii Poësin Anagrammaticam typis vulgavit, erat *Quintus Duretius*, Gerardimontensis Cœnobita, & Rector Collegii. Musis etiam, sed sacris duntaxat vacavit *Antonius Hovæus*, Abbas Epternacensis, qui quòd omnia, quæ de *Arte amandi Deum*, Ovidiano stylo & imitatione eleganter lusit, ad res divinas, pias, & parthenicas transtulerit, *divini præceptor amoris* cognominari meruit. Ejusdem celeberrimi Abbas fuit monasterii *Joannes Bertelius*, qui cum liberalibus disciplinis mythologiam ita copulavit, ut Comentarium de Diis ac Sacrificiis Gentilium eruditè conscripserit. In *Jacobo Cornelio Luminæo à Marca*, Montis Blandinii Cœnobita, tanta Oratoriæ ac Poëticæ præstantia fuit, ut omnis ætas & secula omnia ejus Orationes & Poëmata sint celebratura. Linguæ Græcæ utilitatem, necessitatem, ac dignitatem nemo disertiùs comendavit, atque *Hermannus Hertanius*, Elnonensis Asceta, Latinè & Græcè doctissimus, edita Duaci de laudibus ejusdem linguæ pereleganti Oratione. Quid verò, ut plures alios silentio prætercam, dicam de *Benedicto Hæsteno*, Affligeniensi Præposito, qui eloquentiam solutam cum ligatâ ita habuit conjunctam, ut jure utrovis, imò utroque nomine *eximii Rhetoris & Poëtæ* compellari possit. Et quia mentio Affligeniensis in Brabantia celeberrimæ Abbatiæ facta est, *Andreas Sanderus*, vir ingenio doctrináque elegans, Affligenienses Religiosos à literarum elegantiorum cultu commendans, *non modicâ laude*, inquit, *hic dignus est, antiquus monachorum studiis jam fortè nitidior, non tantùm sacrationis literaturæ, sed liberalium etiam disciplina-*

Gerardimontenses in Flandria humaniores docent literas.

Affligenienses in earum cultura præstantes.

plinarum cultus, & elegantiæ viris Religiosis non indignæ, per quarum scientiam ipsi, ut loquitur Nazianzenus, ambidextri, omnibus numeris absoluti, & jam alterius vitæ beatitudine perfruentes. In quibus uberiora etiam Ægypti spolia, quæ dum in obsequia cœlestium dogmatum præparantur, tabernaculo Domini possunt deservire.

Abbas SS. Udalrici & Afræ Augustæ Vind. ludum politiorum literarum aperit.

In Germania superiore cùm JOANNES SCHROTTUS, celeberrimi monasterii ad SS. Udalricum & Afram Augustæ Vindelicorum Abbas elegantem de revocando elegantiorum literarum, & inprimis Græcæ Latinæque studio cogitationem suscepisset, ab eo Ottomarus Nachtigall, vulgò Luscinus, patriâ Argentoratensis, Augustam anno circiter 1517. evocatus est, ut ludum politiorum lirerarum in eo aperiret Cœnobio. Quâ provinciâ ille admodùm egregiè functus, ejus loci Cœnobitas liberalium, atque elegantiorum artium disciplinis ita egregiè instituit, ut per duo, & quod excurrit secula, ab iis celebres, styli minimè inculti libros magno numero in lucem emiserint.

Ab Augusta non ita longè distat Imperiale, atque elegantissimum monasterium, Ottenbura, in quo superiore seculo decimo sexto ineunte clarut Nicolaus Ellenbogius vir bonarum literarum amantissimus. Qui postquam patris exemplo Medicos apud Montem Pessulanum audisset, reversus in patriam Ottenburanorum in Suevia Monachorum numero adscriptus est anno 1505. ubi, opem ferente Abbate suo (non reluctante, uti Mabillonius scripsit) Latinis literis Græcas & Hebraicas conjunxit, ac tandem Gymnasio trilingui Ottenburæ instituto ludum aperuit 1543. favente inprimis Wolfgango Abbate & Principe Campidonensi. Comercium literarum habuit cum Erasmo, Reuchlino, Eckio, & aliis ejusdem temporis hominibus literatis. Ex novem libris ejus epistolarum restant libri duntaxat septem, in Bibliothecam Colbertinam advecti curâ eruditissimi Stephani Baluzii, à quo hæc se didicisse scribit Mabillonius. Fragmentum epistolæ producit Pezius in Novissimo Anecdotorum Thesauro, ex quo sanè elegans scribendi genus elucet. Ellembogii institutum etiam nunc viget apud Ottenburanos, non Sueviæ tantùm, sed Germaniæ totius doctioribus Benedictinis jure ac merito annumerandos, ubi quidam Monachorum literas elegantiores puetos ac adolescentes in scholis exterioribus docent. E quibus non ita pridem Petrus Gischelius Rhetoricam majorem & minorem in publicam emisit lucem. Ambrosius verò Wolfius alii libro in usum studiosæ juventutis à se conscripto, ac typis pariter excuso titulum dedit: Pædagogus Ottoburanus, docens ac ducens ad exactiorem Methodum discendi & docendi Regulas Grammaticæ.

Nicolaus Ellenbogius Ottoburanos melioribus literis imbuit.

Inde prodiere pri- mi Salisburgensium Professores.

At enim major illa illustris hujus Abbatiæ gloria, quòd primi Salisburgensis Athenæi Professores Ottoburani fuerint, qui præter scientias divinas, etiam liberales docuerunt artes. Quantos deinde, quámque eximios identidem Viros Universitati Salisburgensi Ottenbura transmisit? Testes sunt novissimi Franciscus & Benedictus Schmierii, Fratres germani, Theologi & Jurisperiti doctissimi. Quam verò Jurisprudentiam Franciscus conscripsit, non sermone illo barbaro & incondito, sed sanè quàm eleganti & polito condidit. Quod nitidum scribendi genus ejus etiam fratri placuit. Nec Universitati tantùm Salisburgensi, sed Lycæo etiam Frisingensi, & Academiæ Fuldensi, Ottenbura Professores omni eruditione ac doctrina præstantes submisit. E quibus Virum doctissimum Anselmum Erbium, antehac Eloquentiæ, Philosophiæ, Theologiæ, ac SS. Canonum Professorem, nunc dignissimum Ottenburæ Præsulem, nominâsse sufficiat. Quòd si per Ottenburam stetisset, Rottwillanum Gymnasium nunquam à Benedictinis Professoribus destitutum fuisset.

Thomas Weissius Neresheimensis aliique Scriptores culti.

Eæ igitur artes, quæ literis elegantioribus continentur, seculo XVI. in Ordine nostro renasci cœptæ seculo XVII. passim in eodem floruerunt. In Universitate Salisburgensi Thomas Weissius, Neresheimensis in Suevia Religiosis, linguarum peritia, eloquentia, ac eruditione clarus Rhetorices Professor Annalium Benedictinorum duos tomos à Yepesio Hispanicè editos incorruptâ Latini sermonis integritate donavit, ac præter Cellensis in Styria Thaumaturgæ Historiam, incredibili lepore contextam, Salisburgensis Dedicationis Acta quàm elegantissimè, Judice Mabillonio, conscripsit. Ægidium Rambeckium, Ottonem Aicherum, Thomam Mezlerum, Paridem Gillium, Simonem Rettenpacherum, multarum linguarum peritum, Mezgeros fratres, &c. in eadem Universitate Eloquentiæ, Poëseos, & Historiarum Professores Latinam linguam egregiè præter

cæteros calluisse, eorum libri, qui omnium laudibus celebrantur, argumento sunt. Quis enim, qui aliquam in latinè scribendi studio operam posuit, non in iis priscæ illius & nativæ latinitatis imaginem contineri agnoscit? Omittimus alios quamplurimos, summâ facundiâ viros, qui sitienti juventuti Romanæ eloquentiæ fontes recluserunt; sed *Anselmum Desingium* Ensdorfensis in Palatinatu superiore cœnobii Professum, & in Frisingensi atque Salisburgensi Lycæis subinde Poëseos, Eloquentiæ ac Historiarum Professorem tacitum præteriisse nos aliquando pœniteat. Si quis enim alius nostrorum Sodalium in Germania de politiorum literarum studio promovendo benè meritus est, certè *Anselmus Desingius* est. Quæ hic vir clarissimus Præcepta studiosæ juventuti cùm ad elegantiorum disciplinarum perceptionem idonea, tum ad vitæ Christianæ honestatem proficua, primùm in Scholis Frisingæ & Salisburgi tradidit, deinde ad omnium utilitatem typis vulgavit, ejusmodi sunt, ut ex iis quàmplurimi juvenes & adolescentes, tam in literis politioribus, quàm Christianâ pietate se profecisse, atque uberrimos percepisse fructus, gratò animo hodie profiteantur. *

Anselmus Desingius insignis Philologus.

Tria, & quod excurrit, abierunt lustra, cùm *Desingius* literis à me interpellatus sequentia rescripsit: *Noverit abs re tibi commemorare occasionem, auctorémque suscipiendi hujus laboris, quam & præclaro Operi tuo, commodo loco, ac ratione, inserere, si videbitur, potes.* „ Eram ipse ad Historiæ excolendum „ studium à puero pronus. Sed quorsum? cùm in Asceterio nostro [*Ensdorff in superiore Palatinatu*] pertenui, & nunc ex ruinis enato, nulla „ Bibliotheca, præsertim nullus Historiographus? Itaque quod per me „ fieri non posse agnoscebam, ad id „ posteà fortè exsequendum alios excitare decrevi. Feci id in viris, & „ juvenibus religiosis. Quòdsi idem „ in adolescentulis facerem, iisque rerum istiusmodi semina amorémque „ inderem, spes me habebat, fore, „ ut messis nonnulla quondam gignetur. Itaque arripui stylum, operíque me accinxi. Alas addidit, interdúmque dubitanti, num palàm „ id prodesset, certiorem spem affudit magnus ille Spiritus, & excolendæ Juventutis Princeps, Reverendissimus Dominus PLACIDUS, Abbas „ Ettalensis. Hujus igitur jussu ad „ calcem deductus, hujus nutu lectus „ probatúsque labor est. Is cùm primùm meum intelligeret conatum, „ retulit mihi, quanto opere apud „ RR. Patres Jesuitas egerit, ut Historiæ studium in scholas suas inveherent; dum tandem à P. Provinciale *Hallauer*, quanquam satis ægrè obtinuerit, ut illius consilii exsequendi auctorem suis fore reciperet. Sanè „ in Generali Congregatione hujus „ Provinciæ eodem anno decreverant „ hi RR. Patres, Historiam primùm „ Sacram seu Biblicam è Gallico traductam in scholis recipere, donec „ reliqua ab alio concinnata esset; eodémque anno cœpêre alia quoque „ suis in scholis ad nostram hactenus „ normam instituere, puta, *Doctrinam catecheticam*, quam pueri recitando „ solum absolverant, nunc ipsi quoque explicando & quæstionibus multis propositis fieri jubent. Ad hæc „ Græcæ linguæ studium, quod ad „ majorem syntaxin usque intra recitationes paradigmatum apud ipsos „ steterat, verterunt, ut nobis semper „ usitatum erat, in exercitationem „ styli & compositionis vertere. „

Quæ eum ad id genus studii motiva impulerint.

„ Syllabus Operum, quæ in Juventutis studiosæ utilitatem typis mandavi, est sequens:

– An. 1725. Primum scripsi librum, cúmque (*à Deo principium*) Pietati ac moribus instituendis sum orsus. Prodiit demùm Campidonæ apud Mayer, An. 1727. hoc titulo: *Cogitationes de vita benè degenda.* 8.vo maj.

Ejus Opusculorum Index.

– Eodem anno scriptæ editæq; sunt Tabulæ, seu *Methodus contracta Historiæ.* Ambergæ apud Joan. Koch. fol. oblong. anno 1725.

– An. 1727. *Porta Linguæ Latinæ* Ingolstad. apud Joan. Andr. De la Haye. forma 8va. Tum enim humanioribus literis à primo limine in Lycæo Frisingensi docendis admotus, putavi serviendum juventuti esse, multáque conatus sum ad eam excolendam. Recusa est *Porta* auctior Monachii apud Riedlin 1734.

– Hic quoque, si dignum memorare, libellum forma minuscula edidi, patria maximè lingua exaratum, spectantémque ad pietatem tenerioris juventutis. Ambergæ apud Joannem Koch: titulo *Sicherheit der unschuldigen Jugend.*

– An. 1728. *Compendium Eruditionis* excusum est Monachii apud Riedlin.

* Vide *Correspondances de sçavans* . . . *à Cologne* 1745.

lin 8.vo typísque repetitum ibid. an. 1732. * Quo opusculo summa Eruditionis capita strictim exhibentur. Sacra Profanáque Historia, Geographia, Politia, Jus Publicum, seu potiùs adumbratio illius quædam, Antiquitates, seu ritus morésque veterum, Chronologia &c. ad captum juventutis & in usum Historiophilorum coacta.

– An. 1730. *Index Poëticus* Ambergæ apud Koch 8.vo Eruditionem hic affert Scholasticam maximè: nec tamen fabulosam modo ex Mythologia petitam; sed ad rerum verborúmque copiam in ligata potissimùm sed & soluta oratione conciliandam.

– An. 1731. Vernaculâ edidi brevem satis Historiam Universalem, ita compositam, ut quæ ordine temporum in orbe sunt gesta, mox etiam sub imagine signóve aliquo spectari in Mappa aliqua Geographica, à me tum sculpta, possent, & suus cuique historiæ locus, quo reverà gesta est, tribueretur. Prodiit Frisingæ 1731. apud Carolum Immel in 12.mo titulo: *Kürzişte Universal Histori nach der Geographia zu lehrnen auf einer Landkarten.* Is libellus bis recusus est Campidonæ 1732. & 1733. Quartò editus est multò auctior Solisbaci apud Christian. Holst, & Augustæ Vind. an. 1735. Ultimò iterùm prodiit nonnisi tabulis chronologicis auctus Augustæ & Pedeponti apud Maximilian. Heiss an. 1736. Nunc ad sextam editionem properat in forma 8vo. Sed me hercle indignus, qui operas typósque toties fatiget.

– An. 1731. domum intereà revocatus ad Prioris administrandum Officium, commendatum mihi à Lycæi Frising. Revevendissimis Superioribus Geographiæ juvenilis negotium non omisi, edidique *Auxilia Historica Geographica* linguâ patriâ Solisbaci apud Christian. Holst an. 1733. ubi Geographia exhibetur, cum 33. à me sculptis mappulis &c. in 12. Idem libellus nunc recuditur Pedeponti forma 8vo.

– An. 1734. Alia pars Historicorum Auxiliorum excusa est Solisbaci apud Christian. Holst, & Ratisbonæ apud Hieronymum Lentz 12. in qua de variis ad modernæ Historiæ notitiam spectantibus adminiculis sermo fit ad tyronum captum. Hic quoque libellus recuditur Pedeponti in 8vo.

– An. 1737. *Auxilia Geometrica*, Ratisbonæ apud Hieron. Lentz. Sed in usum tyronum tantùm 8.vo

– An. 1738. *Curtius cum notis Germanicis*, cui adjeci *Electa ex Livio, Cæsare, ac Sallustio* in locos communes digesta. Denique *Institutiones Styli Historici*, non quidem viriles, sed ad captum adolescentum. Ratisbonæ apud Hier. Lentz form. 8.

„ Supersunt in scriniis quædam affecta, quædam etiam ad calcem deducta. Horum alia præterire silentio necesse est, ista verò licet prodere.

– 1. *Gramatica Linguæ Latinæ* à decem jam annis scripta &c. neç edenda tamen, dum occasio se feret cum viro experto totum opus sæpiùs ad incudem revocandi.

– 2. *Electa Poëtica*, seu Optima carmina Ovidii, Horatii, Martialis, Senecæ, Statii &c. collecta, notísque brevibus illustrata, addita Isagoge ad cujusvis carminis indolem ac virtutes noscendas; cum farragine Phrasium Poëticarum copiosa.

– 3. Officina Epithetorum alia facie induta.

– 4. Doctrina Christiana comodiori methodo exposita.

– 5. Cosmographia universa, ubi de Physica reali &c. non pauca.

– Dissertationes varias Asceticas, mathematicas exercitationes, machinarum quarundam, ùt Globi emendationem; item anthliæ pneumaticæ, microscopii &c. nihil moror: nec enim tanti ea sunt, ut juvet meminisse: & scio Mathematicum aliud quidquam esse, quàm fabrum.

Hæc Vir clarissimus de indefesso suo labore ac studio literas politiores in scholis Catholicis provehendi, anno 1737. ad me exaraverat; à quo anno, ut est homo strenuus & nunquam cessans, plura alia prelo paravit, & aliqua subjecit; quæ quia ad elegantiores non pertinent literas, silentio prætermitto, quo tamen involvere non possum ejus *Auxilia Historica*, iteratis typis anno 1747. excusa; quo opere certè obtinuit, ut minùs *Hübnerus*, cæterique ejus commatis, à Catholica juventute legantur, si non cum fidei orthodoxæ, certè quidem morum castimoniæ periculo. Quis enim in illorum libris multos inesse Milesias fabellas nescit? atque eâ re non parùm commodi Ecclesiæ Dei accessisse jure & meritò dici posset. Quâ etiam causâ, aliisq; virtutis & doctrinæ nominibus, Clar. *Desingius* Eminentissimo Cardinali à *Lamberg* Episcopo Pataviensi, aliísque Principibus viris in pretio & amore habetur.

In

* Editio tertia ed A. 1746. continuata prodiit Ingolstadii 1747.

Jacobus Cavacius elegans apud Italos Scriptor.

In Italia sub seculi XVII. initium Jacobus Cavacius sex historiarum libros de suo sanctæ Justinæ cœnobio conscripsit eâ sermonis Latini elegantiâ, nitore, ac proprietate digestas, ut ad Livianæ facundiæ dignitatem propiùs accedere videantur. Ejus Opus posthumum est *Religiosi Viri Musæum*, in quo illustrium Anachoretarum elogia habentur. In ejus fronte *Laurentius Pignorius* de Cavacio, cui tam studio quàm ingenio erat conjunctissimus, in hæc verba præfatus est: * *Nemo fortè melius hâc nostra ætate monstravit, quid valeat vivida, & felix ingenii à natura vis, quàm* Jacobus Cavacius *Condiscipulus olim noster, & amicus omnium horarum.* Is enim tenui „ patre natus in tenuiore censû, neque „ magno admodùm profectû apud Præ„ceptorem Grammaticum in ipsa pue„ritia instructus, Casinensi Familiæ in „ clarissimo Cœnobio, cui apud nos „ D. Justina Tutelaris est, grandis jam „ natu nomen dedit. Ubi rara acer„rimæ indolis felicitate, partim in „ exacto tyrocinio Monasticæ institu„tionis, partim in quotidiano cele„brique precum horariarum pensô, li„teras didicit, eo geoii plausu, ut & „ prosa & versu seria quæque jocosa „ etiam pangeret, luderetque ad mira„culum usque. Historiarum libri vi. „ brevissimo temporis intervallo abso„luti, eruditorum manibus teruntur, „ quos Phœnix Literatorum *Isaacus* „ *Casaubonus* unicè mirabatur. Eodem „ naturæ ferventis impetu delinean„tem, penicillos tractantem, varias „ literarum figuras artificis planè ma„nu ducentem, acu pingentem, Ichno„graphicas & Orthographicas ædi„ficiorum formas describentem, & „ explicantem vidimus olim non semel, „ & quidem stupentibus magni nomi„nis Architectis: Ad hæc, rei harmo„nicæ peritiam eo successû sibi para„verat, ut & canere ad morosiorem „ illam Ecclesiasticam normam, & mo„dulari ad recentioris concentus de„licatas leges apprimè nôsset. Elogia „ hæc sacra magni operis exiguam le„ctiunculam, unius anni spatio ela„boravit, pressus ingenti mole negotio„rû, quibus par omnino erat, seu facto, „ seu consilio, seu eloquio esset opus. In„gens omnino ornamentum futurus & „ religiosæ familiæ, quæ alumnû suum „ certâ spe ad maxima quæque destina„verat, & non ingratæ patriæ, quæ „ illum inter præcipua gloriæ suæ co„lumina jam tum adnumerabat, ni „ mors sueta illudere mortalium votis, „ & optima quæque in ipso plerum„que florentis gloriæ exordio, surdâ „ & implacabili falce sibi demetere, „ subitâ ingeotis morbi veluti ruinâ „ oppressisset Venetiis annos natum „ quinque & quadraginta, anno salu„tis MDCXII. „ In epistola verò nuncupatoria ad *Dominicum Molinum* Senatorem, cui idem *Laurentius Pignorius* prædictum Cavacii Musæum dedicavit, hæc de eo addit: *Et ôsi nancisci licuisset omnes Amici Auctoris literarios labores, quos mala & sacrilega manus plagiorii olicujus aliò avertit, haberent profectò eruditi Lectores,* Epistolas, Carmina, et alia literaria monumenta, *quibus se cum fructu perdiù oblectarent; Ex unicâ sanè Ode, quam ego apud me, & quidem autographam, delitescere non sum passus, admetientur studiosi, veluti ex pede Herculem hunc nostrum, si non Musogetem, at Mystam Musarum* &c. Hæc de *Cavacio* uberiùs; in aliis breviores futuri sumus. ejus obitus An. 1612.

Aliorum Italorum elogium.

In Alexii Ugonii, Abbatis S. Petri Saviliacensis, libro de *Solitudine* & argumenti gravitas, & lepores, & Veneres omnes ita junctim agunt, ut omnibus libri hujusce lectio grata jucundáque sit futura. Nec quas Italicas Odas *Angelus Maria Arcionus*, ** Abbas Parmensis, & totius Congregationis Casinensis Præses, multiplici eruditione & sententiarum gravitate refertas cum literato orbe communicavit, cuiquam displicuerunt, displicuerunt autem? imò cui etiam à Musis a verso non majorem in modum arriserunt, præsertim quòd à prudentissimo authote conscriptæ fuerint sine turgido illo ineptarum metaphorarum abusu, nimiáque copia, quæ apud Poëtas non minùs, quàm Oratores præterito seculo XVII. excreverat ad fastidium usque, quam tamen recentiores Auctores ad antiquorum imitationem reversi, jure ac sapienter amputaverunt, parciùs ac prudentiùs illis utentes. In hac verò Poëtica facultate *Angelum Gryllum*, Abbatem Benedictinum, *ætatis suæ Pindarum, & verè Angelicum Poëtam* ipsemet *Arcionius* præceptorem se habuisse gloriatur. Quid jam elogiis, quæ *Josephus Costalta* S. Pauli extra & prope Muros Urbis Abbas in Divum Patriarcham

Poëtæ illustres Angelus Gryllus,

Bene-

* Armell. Bibl. part. 2. p. 2.
** Armell. part. I. pag 20.

BENEDICTUM totidem contulit, quot ille annis, tribus nempe supra sexaginta, vitam produxit, quid, inquam, elogiis illis, stylo lapidario contextis, elegantius, atque ingeniosius desiderari à quoquam potest?

Marcus Antonius Scipio,

Quis verò sat digna encomia in *Marcum Antonium Scipionem* conferat, qui Abbates Casinenses, aliósque Ordinis Benedictini Viros illustres iis elogiis celebravit, in quibus sermonis Latini nitor & elegantia, verborum ac sententiarum minimè vulgatum genus plurimùm nec immeritò commendantur.

Angelus de Nuce,

Angelus Nuceus tametsi multis annis severiores docuisset disciplinas, Musas tamen mansuetiores ita in amoribus habuit, ut earum elegantiam à suis libris minimè relegârit.

Alphonsus Villagutius, &c.

Alphonsus Villagutius præter Latinam, Græcam quoque & Hebraicam linguam calluit, quas publicè profitebatur. In laude Casinatum à *Joanne Mabillonio* ponitur, quòd apud eos Religiosi juvenes in scientiis tum superioribus tum inferioribus præclarè instituantur. Cùm verò Græcæ linguæ studia, quæ in Congregatione Casinensi ab ejus primordiis magnoperè viguerant, postmodùm, ùt in rebus humanis fit, remitti cœpissent, ea *Joannes Baptista Miro* nostra ætate instauravit, inter cujus eruditissimos discipulos jam aliàs *Benedictum Bacchinium* literis Græcis instructissimum numeravimus.

Cardinal. Quirinus stili nitore excellit.

Quem ANGELI MARIÆ QUIRINI, è Congr. Casinensi Eminent. Cardinalis Opera quàm plurima in lucem edita, quem insignem nitorem, ac sermonis elegantiam non ostentant? A parvo puero politiorum literarum elegantia captus totum se iis excolendum dedit. Brixiæ in Collegio Patrum Societatis Magistros habuit in schola Humanitatis Patres *Veggium*, & *Massæum*, in schola verò Rhetoricæ Patres *Urbanum* & *Grisentum*. Auctore & magistro edifcendæ Græcæ Hebraicæque linguæ usus est Patre *Petro Benedicto*, ortu Damasceno, Religione Maronita, omnibúsque doctrinis, Orientalibus præsertim excultissimo; qui tum Florentiæ in S. Mariæ Monasterio apud Benedictinos hospitabatur, posteà verò nomen Societati Jesu dedit. Tantus verò ejus in literis Græcis profectus erat, ut *Angelo Nuceo*, supremo totius Congregationis Casinensis Præsidi dignus sit visus, qui alios juvenes Religiosos easdem doceret. Quare ad Cæsenatense S. Mariæ in Monte Cœnobium vocatus operam impendit Hebraicæ eruditionis studio, linguæque præsertim. Quo in studio quantum profecerit, argumento esse potest, quòd anno 1717. Theses aliquas de Lingua Sancta excudendas curaverit, de quibus sub ejus præsidio è discipulis *Stephanus Trenta* magna cum laude disputavit. Etsi verò QUIRINUS superioribus literis subinde se totum addixerit, non tamen nullæ fuerunt horæ, quibus ad politiores non etiam respexerit.

Poëtas & Oratores Græcos ac Latinos evolvit.

Quis enim Poëtarum atque Oratorum cùm Græcorum, tum Latinorum est, quem ille non evolvit? Quis amœniorum doctrinarum, ac disciplinarum liber est, quem non exhausit? Quis omnigenæ elegantioris literaturæ laude excellit, cui ille hàc nostrâ ætate si non palmam præripuit, certè dubiam fecit? Is, ut paucis omnia dicam, QUIRINUS est, in quo rerum divinarum scientiam, sacrorum Canonum peritiam, atque Historiæ cùm Ecclesiasticæ tum Civilis cognitionem cum incredibili eloquentia tam soluta quàm ligata conjunctam, perraro exemplo, aspicere possumus.

Benedicti XIII. effigiem epigrammate ornat.

Amœnitate non caret festivâ, quod ipse Em. Card. in vitæ suæ Commentario Part. 2. Lib. 1. c. 14. p. 237. his verbis prodit: *In ærea tabula duum, aut trium palmorum comprehendere cogitovi ipsius Pontificis* [BENEDICTI XIII.] *primùm effigiem, deinde libros ab eodem conscriptos, sacras cærimonias ab ipso peractos, ac tandem Viros sanctos ejusdem agnatos.* Perplacuit illi „ è vestigio hujusce ideæ, ut ipsius „ verbo utar, *lo bizzario*; probavitque ultra quàm credi potest versiculos pro eadem explicanda jam à me „ compositos, istos videlicet:

„ *Ursini effigiem, & libros, & sacra, genúsque*
„ *En collecta simul parva tabella tenet.*
„ *Nil mirum nuceo conclusum cortice Homerum,*
„ *Materia uberior clauditur hoc spatio.*

„ Hosce semel à me recitatos jussit, ut „ iterùm recitarem, gestiensque ita ad „ me loquutus est: *Vi abbiamo sempre creduto Benedettino, Monsignor Arcivescovo, ma ora siamo obbligati a riguardarvi per Gesuita, mentre fate i Distici come il miglior de' Gesuiti.*

Celebriores apud Hispanos Philologi Joannes Caramuel.

In Hispania primùm, dein in Germania ac in universo prope Orbe literato superiori seculo plurimùm enituit singularis ille Ingeniorum Phœnix JOANNES CARAMUEL à LOBKOWITZ, qui sua in pueritia librum grammaticum scripsit, quem *Calamum primum* inscripsit, quémque in adolescentia pro-

movit, & in senectute elimavit. Ejus tomi sunt tres; quorum *primus* Grammaticam Latinam, Græcam, Hispanicam, Græco-Latinam, Syriacam, Hispano-Arabicam, Megrillensem, Sinensem &c. novâ methodo tradit, & ad summam facilitatem reducit. *Alter* Quantitatem discretam, numerorum ideas, aliáque Rhytmica, quæ in omni idiomate locum habere possint, exhibet, considerat, & exponit. *Tertius* Syllabarum quantitatem continuam, seu prolationum durationes metitur, & ex variis procurrentium, recurrentium, volantium, & labentium versuum motibus ingeniosos Labyrinthos concinnat. *Romæ 1663. in fol.* STEGANOGRAPHIAM itidem olim à *Joanne Tritbemio* inventam & obscurè scriptam, *Caramuel* Commentariis ita dilucidavit, & ab omni superstitionis nota exemit, ut obloquutiones, quas passus inde fuerat *Tritbemius*, penitùs sustulerit. *Cabalæ* insuper *Grammaticæ specimen* tale edidit, ut rejectis Rabinorum & Massoretarum vanitatibus & superstitionibus, quæ porrò retineri possint, doceat. *Cabalæ* itidem *Theologiæ Excidium* Romæ A. 1656. protulit, de qua ipse, *Est*, inquit, *Cabala hæc, quam impugno, inertia inventa à Rabbinis Hispanis, ut argumenta eludont, quibus venisse Christum ex veteri testamento probamus.* Ejusdem *Grammatica audax*, Francofurti primùm anno 1665. dein quadruplo auctior in folio edita, tale opus est, ut doctis omnibus placeat.

Pari quoque eloquentiæ & eruditionis famâ apud Hispanos hodie eminet magnus ille omnis scibilis promus condus BENEDICTUS HIERONYMUS FEYJOUS, uti testantur passim ejus *Theatri Critici* censores; Cujus Operis excellentiæ id vel unum esto indicium, quòd non semel excusum, indies recudatur, libenter lectum, usque & usque relegatur libentiùs, neque laudis minùs ab exteris, quàm à primoribus Hispanis reportare sit solitum: *Tantâ*, inquiebat vir nostro in climate summus, *dulcedine me tenuit* FEYJOUS, *& traxit, ut illum sine ulla dilatione perlegerem. Sol me invitabat, fames admonebat, nubes minabatur, tamen exhausi totum. . .* Etenim, uti perhibet alius, *in ejus scriptis elucet ingenium naturâ nobile, generosum, excelsum, sed humanum, civile, honestum. Eloquentia quasi congenita, sine fuco, non sine ornamento, sed nativo. Stilus pressus, oratio vivax, dictio propria, cogitatus sublimes, lepores sponte nascentes, totus sermo facilis, copiosus, fluidus, suavis, apertus, ut discernere nequeas, utrùmne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo. . . Blanditur, sed non adulatur; laudat, sed non extollit; urget blandè, perstringit absque molestia, delectat, recreat, placet &c.* Hinc exclamat alter: *O liber multifariàm pollens! ô eloquium non exilis, sed subtilis ingenii! quod nec per scaturigines hyperbolicas intumescit, nec per topinomata depressa tenuatur.*

Benedictus Feyjoo.

Apud Gallos CLAUDIUS LANCELLOTUS, Benedictinus Parisiensis linguarum cognitione ita præstitit, ut vix eâ superiorem habuerit. Præter Grammaticam Italicam & Hispanicam edidit *Novam methodum addiscendi Latinam & Græcam linguas*, quæ ab *Adriano Bailleto* *, severo illo Aristarcho, nulli alii post, sed cæteris omnibus antehabetur. Sermonis verò decorem & ornatum cum magna vitæ integritate & puritate copulari posse, exemplo suo docuit SIMPLICIANUS GODY ** Congregationis Reformatæ SS. Vitoni & Hidulphi non postremum decus & ornamentum. Hujus viri morum sanctimonia conspicui, tyrocinia fuit institutio florentissimæ juventutis, quam in Abbatia Favernienſi liberales disciplinas gnaviter docuit. Quod officium ipsi etiam demandatum in Monasterio S. Nicolai de Portu fuit, quod ante fatale bellum, quô tota Lotharingia exarsit, pueros Nobilium studiosissimè educandos susceperat; quo tempore plurima opuscula Latino Gallicoque carmine concinnata scriptis mandavit, inter quæ Tragicocomœdia, quæ memorandum illud atque singulare miraculum S. Nicolai meritis erga Comitem *de Richecourt* editum exhibebat, non minimæ elegantiæ fuit. Hæc recitata fuit coram Duce & Principibus Austrasiæ Domûs, in illo mirandæ amplitudinis magnificique decoris templo, in quo S. Nicolai insignis Thaumaturgi Reliquiæ, frequentiori omnium Europæ nationum concursu huc appellentæ summo cum honore coluntur, in ipso eodémque loco, quò Comes ille è Palæstina ac miserrimâ servitute translatus est. Inde Superiorum jussu Parisios se contulit, alteram ab Athenis urbem, Minervæ sacram, ut Rhetoricam in Collegio Cluniacensi publicè

Claudius Lancellotus linguarum peritiâ celebris.

Simplicianus Gody liberales disciplinas excolit.

* Jugemens des Sçavans tom. IV. n. 689. p. 140.
** Bucel. in Bened. Rediv. p. 293.

cè profiteretur, quo in loco plurimos libros typis mandari curavit.

Hugo Menardus Græcè ac Hebraicè doctus.

In eodem Collegio Cluniacensi Rhetoricam multis annis professus est *Hugo Menardus* Latinè, Græcè, ac Hebraicè doctus; quem vel ideò nomino, quòd primus fuisse feratur, qui studia literarum cùm inferiorum tum superiorum in Congregatione S. Mauri extulerit, eáque cum sanctioris vitæ cultu conjungenda esse, quà sermone, quà exemplo docuerit. *Ludovicus Gabriel* BUGNOT in eadem Congregatione doctrinarum studiis, quæ ab humanitate nomen acceperunt, se præprimis nec infeliciter addixit. Erat enim eximius Poëta, disertus Orator, Græcæque linguæ ita intelligens, ut eadem facilitate Græcè loqueretur, quà Latinè verba faciebat. Rhetoricam pluribus annis docuit in Collegiis suæ Congregationis. Quales verò & quàm Latini Scriptores *Guillielmus Fillatrius*, & *Simon Mopinotus*? Prior Latinè scribendi genus tersum, elegans, nitidum, atque imitatu difficile, multis literis, & iis quidem reconditis & exquisitis est consecutus. Quæ sermonis elegantia, atque suavitas ejus præsertim epistolas ad Mabillonium commendat. Atque utinam plures suas nobis reliquisset lucubrationes! sed quæ severa fuit viri modestia, cùm propè mortem esset, Vulcano tradidit. Posterior eâ dictione usus est, quæ ab illa Romani sermonis integritate ac puritate, quæ in Terentio ac Cicerone præ cæteris laudatur, proximè abfuit. Sed quid ego unum, alterum, atque tertium nomino, cùm sexcenti è laudatissima hac Congregatione nominari possint? si enim oratio ac scribendi genus certissimi argumenti loco habetur, unde possit indubiè conjici, quàm quisque politiorum literarum peritus sit, quis aut orationis copiam, aut scriptionis elegantiam in Religiosis Congregationis S. Mauri unquam desideravit? Quid jam de eorum *Philologiæ* dicam *studio*? Utriusque cùm sacræ tum eruditæ, Hebraicæ nimirùm ac Græcæ linguæ peritissimi habentur. Quâ enim Superiores, quorum nutu ac imperio totius Congregationis studia reguntur; providentiâ sunt, sollicitè jubent ac ordinant, ut junioribus Religiosis, quorum mollis adhuc & tenera ætas est, cum mitiorum Musarum quasi lacte, etiam *Græcæ* atque *Hebraicæ linguæ* liquores instillentur, quo ii nempe majori cum fructu ad Divinarum rerum intelligentiam, sacræ Scripturæ,

Bugnot.

Fillatre, Mopinot, &c.

Ss. Patrum ac Conciliorum lectionem animum applicare possint. Inter primos verò utriusque linguæ Cultores & Professores facilè præcipuus fuit THOMAS DU FOUR, qui spartam hanc ita præclarè excoluit & ornavit, ut anno ætatis suæ XVII. Theses Philosophicas in lingua hebraïca publicè, non sine omnium admiratione & plausu, defenderit, atque deinceps ad eandem linguam faciliùs perdiscendam insigne opus Grammaticum, *copiâ, brevitate & methodo absolutum*, ediderit *Parisiis* anno 1642. in 8. De eo *Philippus le Cerf* in Bibliotheca Sant - Mauriana pag. 131. ita rescribit: *Dom Thomas du Four se rendit si habile dans les langues savantes, qu' il enseigna la langue Hebraïque, & soutint ses Têses de Philosofie en cette langue n' étant agé que de dix-sept ans . . . On voulut l' engager à revoir la Polyglotte de Paris, mais sa modestie ne lui put permettre d' enlever aux auteurs la gloire de leur ouvrage . . .* Celebrem hunc Philologum paullò pòst excepit, ac cum eo quasi in certamen honoris venit Domnus ANTONIUS POUGETIUS, Græcæ pariter ac Hebraïcæ linguæ peritissimus, & in recens instituto apud Rothomagum Linguarum originalium studio Professor primus, qui præter varia suæ eruditionis & peritiæ specimina in Analectis Græcis, aliorúmque operum versionibus edita, *Institutiones* quoque *Linguæ hebraicæ* posteris consignavit, uti pluribus commemorat mox citatus *le Cerf* pag. 415. his verbis: *Lors qu' on eut formé le dessein dans la Congregation de saint Maur d' etablir un Cours de langue Grec & Hebraïque en chaque Province, pour former des Religieux habiles, qui pussent donner dans la suite des nouvelles éditions des Peres Grecs, on en institua d'abord à Bonne-Nouvelle de Rouen*; *&* le pere Antoine Pouget *fut destiné pour enseigner ces langues aux jeunes Religieux . . .* Ejus porrò discipulus fuit PETRUS GUARINUS, Grammaticæ Hebrææ omnium laudibus celebratæ Auctor, quique Magistro suo *Pougetio* post biennium in docendi munere suffectus fuit. *Dom Pierre Guarin*, inquit citatus, *fut un de premiers eleves* du pere Pouget, *& il profita si bien sous cet habile maitre, que deux ans après il lui succéda, & remplit avec reputation la chaire qu' il occupoit.* Quantum etiam in utraque lingua excelluerit Celebratissimus Polyhistor BERNARDUS MONTFAUCON, notius est, quàm ut pluribus debeat comonstrari;

Thomas du Four.

Antonius Pouget.

Petrus Guarin.

Bernard. de Montfaucon.

ſtrari; Affatim id produnt ejus *Palæographia Græca*, *Verſiones*, *Analecta*, aliáque ipſius opera. De JOANNE MABILLONIO plura hîc etiam commemorare, eſſet actum agere: id unum adjicere lubet, quòd ſummus ille vir, ubi primùm THEODORICUM RUINARTUM ſibi in re literaria ſocium adſcivit, diſcendis Græcis literis aliquamdiu addictum voluerit, eóque in ſtudio perinde ac in ceteris non ipſe ſolùm per otium opem tulerit, verùm etiam, qui *Ruinartum* Græcè erudiret, Magiſtrum tradi curaverit; *Hoc verò*, inquit Ruinartus *, *per mihi mirum accidit, cùm, ſive mecum ipſe quoque Græcis literis operam dare, ſeu mihi ſtimulos addere vellet, docentem Magiſtrum ceu diſcipulus audire, eosdem, quibus utebar, libros legere, locutiones explanare, verba ac verborum radices ſcrutari non eſt dedignatus.* Hæc Ruinartus *de Mabillonio*, Præceptore ſuo, qui in *Itinere ſuo Germanico* Aſcetas San-Gallenſes à Philologiæ utriusque ſacræ juxtà & eruditæ linguæ ſtudio ac cognitione præ ceteris Germaniæ Benedictinis comendavit; quibus nempe ſatis non erat, ſi Græci Hebraicíque ſermonis eſſent experti, niſi etiam incorruptam Romanæ linguæ antiquitatem conſervarent, Grammaticæ leges diſcipulorum captui faciliùs accommodando. Idipſum quoque præſtiterunt Ottoburani in Suevia Monachi, pridem vulgato inſigni opuſculo ſub titulo: *Pædagogus Ottoburanus, docens ac ducens ad exactiorem Methodum diſcendi & docendi regulas Grammatices.* Longum foret ſingulos noſtrates in Germania Scriptores recenſere, qui prima Latinæ Linguæ poſuerunt *Rudimenta*, & in varias regiones traduxerunt, auxerúntque novis legibus; Sed non capiunt profectò ſapientiores quique Noſtrorum ignaviam in addiſcendis & excolendis linguis, *quas eruditas* vocamus, Hebraicis, Græcis, &c. cùm tamen familiæ noſtræ Germano-Benedictinæ nihil magis curæ, cordique eſſe deberet, quàm ut in ea, qua verſamur rerum criſi, operarios plures linguis inſtructos haberet, quos in meſſem Domini, præſertim ſub Hæreticis & infidelibus Principibus conſtitutam, mittere poſſet. Quapropter ut RR.mis Abbatibus in memoriam revocemus, quanta ipſis impoſita ſit neceſſitas, & obligatio *inſtituendi comunis linguarum Hebraicæ, Græcæ & Chaldaicæ ſtudii*, Summorum Pontificum ea de re conſtitutiones hìc referre

Quid de Mabillonio Ruinart.

San-Gallenſes Philologi.

non erit incongruum. Ita verò ſtatuit *Clemens V.* in Concilio Vienenſi de anno 1312. Canone relato *Clementinâ de Magiſtris* lib. V. cap. *Inter ſollicitudines.* Quia autem à Concilii Viennenſis celebratione usque ad initia Pontificatûs PAULI Papæ V. experientia comprobavit, hujusmodi linguarum ſtudia, aut non fuiſſe ab iis, quibus præceptum fuerat, inſtituta, aut poſt inſtitutionem paulatim neglecta, omninò periiſſe, PAULUS V. Pont. Max. motu proprio, conſtitutione perpetuò valiturâ, anno 1610. die 31. Julii ſub gravibus pœnis & cenſuris ſancivit: *Ut in cujuscunque Ordinis & Inſtituti Regularium ſtudiis lectiones linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Chaldaicæ inſtituantur.* At enim cùm ex iis, quæ poſt ejusdem *Pauli* Conſtitutionem contigêre, id genus inſtituti neglectum fuiſſe compertum eſſet, ſacra Congregatio de propaganda Fide ex ſpeciali mandato URBANI VIII. Decretum executioni ſeriò demandari juſſit, conſtitutione A. 1623. die 16. Octobris publicatâ hoc tenore:

Canones de linguarum ſtudio.

„S. Congregatio dolens, opus ad animarum ſalutem neceſſarium, tam facilè negligi, præſertim ab iis, qui ad illam procurandam fuêre à Sanctis Regularium Ordinum Fundatoribus deſtinati; cupiénsque Concilium, Conſtitutionem, ac Decreta prædicta executioni demandari, ut Evangelicos Operarios linguis inſtructos habeat ad meſſem Domini ampliſſimam opportunè mittendos; præſenti Decreto de ſpeciali SS.mi D. N. URBANI VIII. mandato, iterùm Regularium, & cujusvis inſtituti Societatum, & Congregationum Generalibus, ac aliis Superioribus præcipit, *ut Linguarum, videlicet Hebraicæ, Græcæ literalis, & vulgaris Arabicæ, Chaldaicæ, & Illyricæ ſtudia inſtituant, inſtitutáque conſervent, & ubi fieri poterit, ampliora efficiant*; alioquin, ſi poſt ſpatium trium menſium, in Monaſteriis & Conventibus almæ Urbis, & ſex citrà Montes, & octo ultrà Montes à die publicationis hujus Decreti inchoandum, in Monaſteriis & Conventibus earum Civitatum, in quibus celebriora Gymnaſia, ſeu Univerſitates conſtitutæ ſunt, videlicet *Bononiæ, Patavii, Pariſiis, Toloſæ, Valentiæ, Viennæ Auſtriæ, Ingolſtadii, Coloniæ, Lovanii, Salmanticæ, & Compluti,* & denique in iis, in quibus generalia & inſigniora Regula-

Decretū Congreg. de propaganda Fide.

* Ruinart. in vita Mabillonii N. 53. pag. Mihi 119.

Pœnæ & Censuræ in negligentes. „ gularium studia erecta sunt, mandatum hoc non impleverint, in ejusque „ observatione non perseveraverint, si „ Generales fuerint, eò ipso suspensionem à Divinis, Sedi Apostolicæ „ reservatam, incurrant. Et si per tantundem temporis ab executione hujus mandati destiterint, *ipso jure & „ facto, etiam ab officio suspensi existant*; „ & interim officium ipsum à Procuratoribus generalibus, ad Summi Pontificis, ac ejusdem Sedis beneplacitum, administretur. Si verò Generalibus inferiores Prælati in adimplendo hoc Mandato negligentes, „ ut suprà, fuerint, primò suspensionem à Divinis, ut præfertur, reservatam, deinde pœnam inhabilitatis „ ad Majores Religionis gradus, & dignitates, eò ipso incurrant, à qua „ inhabilitate nòn nisi per Sedem Apostolicam absolvi possint. „

Regulares linguarum periti cæteris in dignitatibus præferendi. „ Verùm quia non satis est Superiores Regularium suum hac in re præstare officium, si, qui linguis studere debent, *opus hoc verè pium* detrectent & negligant; Eadem sacra Congregatio, de ejusdem SS.mi speciali Mandato præcipit, ne elapso triennio, ab institutis Linguarum studiis inchoando, Regulares, qui tunc non excedent quadragesimum ætatis annum, ac illi, qui imposterùm, perpetuis, & futuris temporibus ad Religionem, in quacumque ætate recipientur, ad Magisteria, vel alios gradus suarum Religionum, seu, ubi non sunt Magisteria & Gradus, ad Dignitates à Superioribus eorum admittantur, nisi ultra consuetum Theologiæ studium, & alia ab earundem suarum Religionum Constitutionibus requisita, etiam per biennium, uni saltem ex prædictis linguis operam dederint, eàmque sufficienter calluerint; super qua à persona per Congregationem deputanda examinari debeant, priusquam ad ea, eos, eásve assumantur.

Studentium prærogativæ. „ Quod si contra præsentis Decreti dispositionem ad Magisteria, seu Gradus, vel Dignitates, prædicta admissi fuerint; Magisteriorum seu Graduum vel Dignitatum prædictarum collatio nulla sit, & Superiores, qui transgressi fuerint, passivâ voce sint perpetuò privati. *Quoniam verò multi præmio magis ad virtutes incitantur, quàm pœnis*; Eadem sacra Congregatio mandavit Regulares, qui Linguis studebunt, *iis potiri, & frui privilegiis*, „ *quibus S. Theologiæ Candidati in sua quisque Religione potiuntur & gaudent.* Eos verò qui per biennium, uni ex prædictis linguis operam dederint, eámque sufficienter experimento, ut suprà, facto, calluerint, ad Gradus seu Magisteria juxtà constitutum in sua Religione ordinem, promoveri, & *in electionibus ad Officia & Dignitates regulares*, cæteris paribus, juxta dictam *Pauli V.* Constitutionem, *aliis omninò præferri*; alioquin electio antè facta irritetur.

Decreti in Capitulis prælegendû, & ejus observatio juranda. „ Cæterùm ne Decretum hoc vetustas unquam infringat, aut oblivio aboleat, ejúsque ignorantiam quisquam prætendere possit, eadem Congregatio de ejusdem *Sanctissimi* simili mandato præcipit, ut in singulis Capitulis generalibus & provincialibus, ante soluta Capitula juretur, sub pœna privationis vocis activæ & passivæ, si alterutrum horum omittatur, ipso facto incurrendâ. *Non obstantibus constitutionibus ac ordinationibus Apostolicis, quibuscunque Privilegiis, indultis &c.* Datum Romæ die 16. Octobris 1623. „ *

Constitutio de Novitiis diversarum linguarum recipiendis. Eadem sacra Congregatio die 8. Februarii anno 1625. aliam edidit constitutionem pro Novitiis diversarum Nationum & Linguarum à Regularibus recipiendis hoc tenore: *Nihil tam magnæ curæ est Sacræ de propaganda Fide Congregationi, quàm ut operarios plures linguis instructos habeat, quos in messem Domini præsertim sub Hæreticis & Infidelibus Principibus constitutam, mittere possit.* Proinde animadvertens aliam quoque esse eosdem multiplicandi, & augendi breviorem viam, Generales omnes, annuente S. D. N. *Urbano VIII.*, admonendos esse censuit, ut præter studia Linguarum, aliàs à S. Congregatione Regularibus indictâ, speciali suo decreto præcipere velint, *ut in Novitiorum receptionibus in posterum faciendis, aliqui semper ex variis Nationibus & Linguis, pro modulo dictarum suarum Religionum, unà cum aliis, qui hactenùs recipi consueverunt, ad habitum recipiantur...*

Instituendi Linguarum studii modus à S. Congreg. præscriptus. Quia verò ejusmodi Linguarum studium in Religiosorum familias introducere difficillimum est, sine præcipua Superiorum cura & diligentia; Eadem sacra Congregatio alterâ constitutione An. 1625. April. xi. publicatâ, eos seriò hac de re admonuit, modúmque & ordinem, quo id facilius

* Ex Bullario Casinensi Const. 291. 294. 295. Vide etiam *Gomezium* in Reg. Cancellariæ de Idiomate, ubi pleniùs de Studio Linguarum.

liùs feliciùsque executioni mandari posset; his præscripsit verbis:

1. *Ut, si non in quolibet, saltem in pluribus ex prædictis Monasteriis & Conventibus certus Religiosorum magis idoneorum numerus Linguarum studiis addicatur sub aliquo Religioso, ubi studii præfectus non extiterit, qui studiorum hujusmodi promovendorum curam & sollicitudinem habeat; qui ut muneri suo seriò incumbat, iisdem privilegiis, quibus Magistri & studiosi, fruatur.*

2. *Ut certæ Regulæ & Constitutiones, quibus numerus, & species Linguarum, tempora lectionum studii, repetitionúmque, ac alia hujusmodi à Magistris, & Studiosis diligenter observanda præscribant, quarum Constitutionum observandarum cura prædicto Religioso, vel studii Præfecto committi poterit; qui si suo deerit officio, pro modo culpæ in Capitulis Provincialibus vel Generalibus graviter puniatur, in quibus etiam præsens Decretum publicè legatur.*

3. *Denique, ut præmia, pœnæ, præsertim Magistris & Studiosis proponantur, quæ vehementiùs eorum animos movere possint ad linguas alacriùs & diligentiùs addiscendas, & S. Congregatio* (cùm ob institutorum & Religionum diversitatem, ea desi ire visum non fuerit) *Generalium & aliorum Superiorum prudentiæ & judicio committenda esse censuit, quos etiam novo præcepto ad hæc studia instituenda & conservanda constringere noluit, sed eos tantum admonere, in districto Dei judicio rationem esse reddituros, si decretum hoc, quod pro Divinæ Majestatis gloria & salute animarum promulgatum est, observare contempserint, vel neglexerint.* Dùm ex adverso id facientes, Christo Domino obsequium gratissimum præstarent, & Fidei Catholicæ, ac suarum Religionum honori & amplificationi summoperè consulerent...

Bernardus Baillie Scotorum Ratisbonæ Abbas suos literis Græcis curat imbui.

Sacratissima hæc monita & decreta subinde secum exigens R.mus D. BERNARDUS BAILLIE ad Scotos Ratisbonæ Abbas omni eruditionis genere cultissimus, eóque nomine Literatis dudum notissimus (*Cujus fata etiamnum deplorant elegantiores Musæ*) ex suis aliquos magis idoneos selegit, ac insigni viro Græcis literis imbuendos commisit, eâ quidem lege, ut quâ posset, viâ brevissimâ ac facillimâ ad ejus linguæ facultatem eos perduceret. Spartam hanc utì omni reverentia excepit vir ille integerrimus, ita statim, quantum sibi negotii daretur, intellexit; *Opus nempe esse, ut potissima & maximè necessaria è Grammaticis eruerentur, iisque omnium epitome velut Ilias in nuce proponeretur, cetera verò quotidiano exercitio & usui relinquerentur.* Magno sanè cum fructu, feliciori successu, felicissimo eventu. Hoc enim pacto fundamentis necessariis ritè jactis, ea, quæ discentibus alioquin tædium aut moram faciunt, facilè superârunt discipuli, & colloquendo tantùm adeò laudabiles fecêre progressus, ut intra sex mensium spatium quemlibet in sacris Scriptoribus textum facilè percipere ac interpretari possent. Suffecisset paterna hæc *Baillii* in alumnos suos cura, nisi plus ultra virtus tenderet: Scilicet collecta hæc in privatum suorum commodum præcepta, quamprimùm utilitate non carere advertit Abbas doctissimus, eadem publici juris, sub hoc titulo: *Ilias in nuce, sive pauca Præcepta ad Græcam linguam breviter ac feliciter discendam, Ratisbonæ sumptibus Joan:Conradi Peez anno* 1722. fieri passus est, ut etiam alii, qui vellent, inde proficere possent. Atque utinam! paternam hanc curam & solicitudinem imitarentur Abbates illi, quorum solennior est in hoc genere authoritas & facultas, atque loco *Musices*, nimium quantum invalescentis, simile exercitium apud suos inveherent, plus sanè laudis & gloriæ, invidiæque minùs inde meterent.

Ad id verò genus instituti possent morosiores invitari, tum exemplo laudatissimorum Patrum Gallicanorum è Congregatione S. Mauri, ac etiam Ss. Vitoni & Hidulphi in Lotharingia; tum maximè ipsâ rei utilitate & pulchritudine; prima enim scientiarum fundamenta, linguæ sunt, sine quibus *Eruditi* nomen cum dignitate vix quisquam hodie sustineat. Harum verò peritus plurima, quæ Græcis vel Hebraicis literis traduntur disciplinarum præcepta, ad vitam, ad mores, ad salutem, ad Dei & naturæ cognitionem, ad Religionis veritatem, ad Scripturarum interpretationem, ad omnem denique humanitatem pertinentia, cognoscere potest, quæ vulgaribus nostris vel nullâ ratione innotescunt, vel certè cum Græcis & Hebraïcis nullo pacto conferri possunt. Eò autem magis necessarium hodie videtur primitivarum ejusmodi linguarum studium, quòd hostis humani generis

Linguarum utilitas.

harum

barum scientiâ, singulari dono Dei hominibus traditâ, ad ipsius Largitoris, & fidei Catholicæ detrimentum, nunc cùm maximè abutatur, ac ipsi heterodoxi tum de fide Catholica cùm de Religione non optimè sentientes teneræ imbellique juventuti sese in hoc studiorum genere applicanti, multoties nocentissimum hæreseos venenum, sub dulcedine desiderabilium scientiarum, soleant instillare. Quocirca sicut Duces exercitûs Militum saluti consulere satagunt, ita etiam Prælati Religiosorum agmen ducentes, eorum saluti prospicere, ipsósque ad salutaris doctrinæ rationes deducere tantò ampliùs debent, quantò magis experientiâ compertum tenent, instabile & pruriens juventutis ingenium, ni salutari exercitio, disciplinâ & doctrinâ, tamquam frenô intra cancellos & limites virtutis contineatur, facilè in vitia præceps ruere, tantóque deteriùs subinde fieri, quantò majores igniculos conceperit.

Unde suâ nunc sponte consequitur eos præsertim PRÆLATOS æternis laudibus esse dignissimos, quibus recta studiorum suis in cœnobiis constitutio & conservatio curæ cordique est; qui in id diligentissimè incumbunt, ut Religiosa juventus, evoluto solitæ probationis tyrocinio in bonis literis, artibus & disciplinis, ac cumprimis in politiore literatura & Philologia fideliter instituatur; *ut postquàm Monachi* (verba sunt Benedicti XII. *) *in istis primitivis scientiis eruditi fuerint, ad sacræ Theologiæ, sacrorum Canonum Conciliorúmque ac Historiæ Ecclesiasticæ studium faciliùs & feliciùs transire possint;... Sicque Religio Benedictina in Divini cultûs obsequio floreat honestatis candore, fulgeat disciplinâ regulari, præemineat sapientiâ, ac scientiæ Divinæ pariter & humanæ* (sine quibus mortalium vita non regitur) *fulgoribus rutilet, nec decrescat in profectu substantiæ temporalis*... Laudatissima hæc vestigia nuper strenuè pressit Vir clarissimus P. BERNARDUS PEZIUS Mellicensis in Austria monasterii alumnus, editorum operum charactere nominatissimus, qui prono, quo in literas ferebatur genio, ac cumprimis illustri sapientissimorum è Congregatione S. Mauri virorum animatus exemplo, id quàm maximè egit, ut non subliomores tantùm, sed elegantiores etiam literæ in Mellicensi juxtà ac in plerisque Ditionis Austriacæ Monasteriis hodie floreant, & ita quidem floreant, ut nullum sit prorsùs doctrinæ genus, quod Eruditissimorum horum industria Patrum non constanter excolat, cum grandi profectò rei literariæ fructu, Ordinis decore & patriæ commodo. Longissimè nimirùm aberat Eximius hic Vir à perversa hujus seculi quorundam consuetudine, qui rerum sacrarum meditationi operam daturi, omne tempus, quod humanioribus studiis impenditur, pessimè collocatum, ac tantùm non perditum judicant: qui, cùm nunquam liberalioris disciplinæ delicias gustârint, & ignorantes, quinam ex literis istis fructus ad altiores doctrinas redundent, teneros animos à vera eruditionis via divertere conantur: qui denique adolescentibus persuadere tentant, omnem sapientiam tortuosis quibusdam quæstionibus absolvi, qui literarum cultum non modò aspernantur, sed humanitatis Professores, & præcipuè Criticos, exosum hoc apud illos nomen, syllabarum & vocum aucupes imberbibus auditoribus deridendos propinant, amplissimúmque ex plena & perfecta cognitione fructum, ac lumen clarissimum, quod omnibus artibus effunditur, maligno silentio involvunt. Contrà verò *Bernardus* optimè noverat, qui solida rerum divinarum scientia conspicuus esse cupiat, inprimis literis illis, quæ ab elegantia humanitatéq; nomen sortitæ sunt, abundanter instructum esse debere. Cognovit nunquam se splendorem, qui ex vera & solida eruditione nasci solet, adepturum, nisi priùs inscitiæ originem elegantiorum literarum ope deterserit: nunquam se ad aliquam frugem perventurum, nisi priùs pectoris agrum, in quem sacrarum doctrinarum semina spargenda sunt, lolio ac vepribus ignorantiæ purgaverit, & humaniorum artium auxilio fœcundatum fructibus lætissimè proferendis idoneum reddiderit. Animadvertit, se, nisi Latini & Græci sermonis majorem, quàm nunc vulgò fieri solet, peritiam acquisiverit, nihil aut in novi fœderis libris, aut in Patrum veteris Ecclesiæ, quos vel Occidens vel Oriens tulit, monumentis, quæ omnia eruditis his linguis conscripta sunt, intellectûrum; sed fallentis plerumque interpretis infido præsidio sibi ubique fore innitendum. Probè sciebat, nihil in Oraculorum divinorum expositione in

Bernardi Pezii in meliores literas merita.

* Benedictus Papa XII. in Benedictinæ Prologo.

** ex Cl. P. Kroffi Mellicensis oratione in obitu V. C. Bernardi Pezii Mss.

in factis Ecclesiæ Christianæ enarrandis, unde tamen sæpissimè sacrorum voluminum sensus pendet, præstare se posse: nisi Romanorum & Græcorum ritus & consuetudines habeat in numerato.

Petri Cellensis de bonarum Artium cultu sententia. Eâdem igitur in sententia Clarissimus *Pezius* erat, in qua dudum multis ante seculis fuit PETRUS noster *Cellensis*, Præsul pari vel doctrinâ vel virtute præditus, à quo eximium illud, & sanè quàm præclarum Opus de *Disciplina claustrali* accepimus: cujus sapientissimi viri verbis * huic historiæ nostræ parti finem imponere juvat: *Omnis enim sapientia à Domino Deo est.* Eccl. 1. v. 1. *Propter sapientiam carnis, quæ inimica est Deo, hanc non amat disciplina claustralis: quia potiùs est ad subversionem simplicitatis* (quæ est unica Deo, Claustri filia) *quàm ad ædificationem.* Rasis itaque superciliis pomposæ vanitatis, unde ait Apostolus: „*Ne quis decipiat vos per Philosophiam*, „*& inanem fallaciam*: & unguibus „avaræ rapacitatis subtractis, securè „matrimonium cum omni doctrina, „quæ contra fidem non est, contrahat „incola Claustri. Quicunque enim „alterius saporis est extra claustrum, „etiamsi oleaster, etiamsi ramus inser-„tus in bonam olivam, pinguedine ra-„dicis dulcoratur: & gremio divinæ „sapientiæ fotus ab imobilitate comu-„tatur. Sic Gramatica, sic Dialectica, „sic Geometria, sic Astronomia divinæ „Scripturæ sapientissimo sale conditæ, „quæ gustatæ solebant afferre mortem: „sicut filii Prophetarum clamant ad „Eliseum Prophetam: *Mors in olla vir* „*Dei*: admixtione farinæ, id est, gra-„tiæ, præstant salubrem refectionem, „& tanquam Gabaonitæ comportant „ligna & aquas ad disciplinam clau-„stralem. Hæc jure belli Israëlitæ ad „claustrum suum deferunt à castris „Philistinorum, cùm edoctis seculari-„bus literis divinas studiosiùs legant, „acutiùs intelligant, hæreticorum de-„ceptiones cautiùs deprehendant, fidei „simplicitatem & veritatem fortiùs & „firmiùs defendant. *His claustralis noster vacans non vacat; his intentus otiosa, vana, & superflua cordis phantasmata effugat; his consepultus dormiens vigilat. Istæ sunt vestes mutatoriæ, quas secum Naam leprosus ad Regem Israël detulit.*

Quàm fructuosè stet religiosæ vitæ felicitas cum literarum consortio. Tametsi ergo faciliùs, si alterutro carendum esset, politioris literaturæ cultu, quàm virtutis ornatu carerent Monachi, præclarè tamen illi omninò agunt, qui utrumque fideli consortio jungunt, suóque exemplo palàm faciunt, quàm bellè lateant sub humili cucullo pietatis thesauri & scientiarum cimelia; Quàm eleganter sibi constent literarum cum spiritu comercia; Verbo, *Quàm benè conveniant, & in una sede morentur* DOCTRINA *&* PIETAS. Arma quippe militiæ nostræ non carnalia sunt, sed spiritualia ad destructionem munitionum, quæ extollunt se adversùs scientiam Dei; *Sancta autem rusticitas*, inquit D. Hieronymus in ep. ad Paulinum, *solùm sibi prodest, & quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat.* Uti verò bellicæ istæ machinæ, quæ nitrato pulvere in tonitrua & fulmina animantur, nisi flamam conceperint, muta jacent puerorum ludibria; ita nec Regiosorum virtus ad sanctioris triumphi gloriam emicat, aut eluctatur facilè, nisi doctrina & eruditio, ratio & sapientia, tanquam vitalis calor, accedant. At enim cur plusculùm diutiùs his immoror? Quando manifestè constat Illustriores quosque Benedictinæ Familiæ Viros jam inde ab initio Ordinis similibus studiis & laboribus perfunctos fuisse, omnibúsque scientiarum quarumcunque avidis sui copiam fecisse, discentium turbis circumfusos pro sua quemlibet indole non minùs pietatis, quàm literarum præceptis imbuisse, ita quidem ut omnia ferè cœnobia virtutis juxtà ac Musarum essent Gymnasia. Tu igitur magnanima, erudita, fœcundáque Benedictino-Patriarchalis Spiritûs Soboles, perge, quo semel generosa cœpisti pede, tuorúmque, quos in hac palæstra primos præclarósq; habuisti, Progenitorum vestigiis fortunata insiste, atque acceptum à Patribus decus, & Benedictinæ gloriæ pignus ad posteros transmittere studiosiùs satage;

* Petrus Cellensis de Discipl. Claustr. c. VI.

UT IN OMNIBUS GLORIFICETUR DEUS.





INDEX

Scriptorum et Rerum Notabilium quæ in secunda parte continentur.

Numerus paginam indicat.

A.

V. Be-

C.

Ethica

HINC-

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

F I N I S.



